tissimus erat, quem ne lippi ignorarent, de quali Scripturarum vsu perlegendus Ribera Præludio 4. ante minorum Prophetarum Commentaria, numero 9. Porò hunc Salomonem nostri Sponsi auum auguramur; tempus, noménque suadent: nam, vt probauimus Sect. 5. Subsect. 1. num. 80. Epithalamij huius argumentum incidit ad Salomonici regnatus annum vigesimumquintum, vel circiter; tum autem sponsum peruenisse monstauimus ad integram pubertatem Subsect. 6. at verò Præfecti annonæ, cùm regere inchoasset Salomon, habuêre vxores Taphet, & Besameth. Fuêre igitur illæ sorores eius, quem nostri sponsi genitorem meditamur; qui grandiusculus factus aureo adhuc solùm progerminante Salomonis æuo, quemadmodum germanæ viros, ipse lectissimæ coniunctus sponsæ recenti etiam Monarchę imperio, masculam ex ea tulit sobolem, cui aui nomen imposuit: Nam Hebræorum is fuerit vsus, vt exoticos contemnerent titulos, semper verò intra cognationem quærerent, vnde nuncuparent; quare Lucæ cap. 1. cùm Ioannem appellari Præcursorem mater significasset, monuêre ex cognatorum serie neminem extare, qui talis diceretur; nisi quidam insoliti euentus aliter coëgissent, vt frequenter in Heroüm genitura contingebat; patris tamen, auorúmque memoriam conseruare præstantior cura apud eos; nam ex genitoris appellatione Ioannem nominare conati sunt, & id frequentissimum veteri Instrumento, nouóque non rarum, cognomenti loco patris supplere nomen, vt Iacobus Zebedæi, & Alexander Philippi, Iudas Machabæus, & similia; aui autem vocabulum prodit Scriptor Ecclesiastici, nam, cùm ipse Iesus Sirach diceretur, Prolusione auum suum Iesum etiam nuncupatum affirmat. Scio Octauianum nostrum doctè contendere, alium esse Prologi loquutorem à libri ipsius parente; sed etiam hunc ipse nepotem Iesu Sirach facit, & ab auo appellatum adstruit; Sic igitur sponsus ab auo Salomone vocatus etiam Salomon, qua nominatione an gauderet pariter genitor illius, incognitum nobis.

Ribera.

Salomõ auus sponsi Canticorum, de quo Reg. 3 cap. 4.

Luc. 1. *Hebræi cognatorum vocabula filiis imponebant, & in primis, genitoris & aui nomen.*

130. An autem principali diceretur appellatione Salomon, an fuisset agnomen tantùm illius, facillimum non est statuisse; Sanè haud ineptè docuisse eos, qui verba illa Cantic. sexto capite, vers. 11. *Nesciui; anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab*, in sponsum referunt, si quis existimauerit, alterum vt tribuant nomen præter Salomonis titulum, oportuerit; dicunt illi morem suæ gerentes explanationi, cùm iam geniales epulæ cum cæteris nuptiarum spectaculis in occasum tenderent, proximam fuisse traductionem sponsæ, cùm finita connubiorum pompa, restabat solùm glorioſa catastrophe, nempe, vt ex Libani vastitate in domum mariti transmigraret, vecta ad ouationis & triumphi, eiúsque superbissimi æmulationem per Hierosolymitanas plateas, vicósque publicos; huius apparatus gratia venêre multis ex partibus, præsertim de metropoli, quadrigarum ingentia ministeria; concitati sunt populi ad insoliram equitatus multitudinem; rumore tandem ad Sponsam perlato citò relinquendam ab illa patriam, quam dulciter amabat: quanquam ipsam supra mortales omnes lætari conueniens fuisset, quoniam eius causa tanta instaurabatur celebritas: non potuit tamen non deiici femineus spiritus, sed neque doloris acerbitatem occludere valens, latentem ægritudinem prodidit, planè confessa, turbatam se, cùm gaudêre debuisset, *propter quadrigas Aminadab*, id est, sponsi, cuius illud erat nomen: fortasse autem Salomon propria illius erat appellatio, quam, dum circuncideretur, parentes imposuerunt: *Aminadab* verò deinceps à fortuito aliquo vocatus est casu: aut è diuerso nomen ipsum primęuum Aminabad fuit? Salomonis autem vocabulum agnominis vice adiunctum, quoniam pater, auúsque sic nuncupati, vt integra appellatio extiterit, Aminabad Salomonis: ideſt, Aminabad filius, nepósve Salomonis: Hinc & cap. 7. initio, cùm Septuaginta, multíque ex Græcia Patres efferant, *Speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis, filia Nadab*; Hieronymus autem lib. 1. contra Iouinianum, Ambrosius de obitu Valentiniani, & de Institut. virginis, cap. 14. sermone quoque 17. in Psalmum 118. Cassiodorus, atque Matthæus Cantacuzenus ad memoratum 7. Canticorum caput, *Aminadab* legunt, quam non despicit lectionem Beda, cùm attendat ex Hieronymi officina depromptam esse; certè Vincentius Riccardus Notis ad Cantacuzenum, coniectatur, fortasse è manu Librarij excidisse, *Ami*: sed puto reposuisset correctus Sixto V. Pontifice textus, si Librariorum incuriam iudicassent doctissimi Emendatores; An illud speciosius? nomina composita apud Hebræos nonnunquam integra, nonnunquam dimidiata effetri sub eodem significatu? Exempli causa, *Ierusalem*, compositum verbum, ex *Jebus*, vrbis habitatore, & *salem*, vt non nemo existimauit; aut, saniori ducta etymologia, à *schalom*, siue *salem*, pro pace, & *iereth* visionem indicante, Auctoribus Masio ad vers. 1. cap. 10. Iosuë: Salmerone tom. 1. Prolog. 42. §. *Similem aliam.* variisque ad cap. 7. Pauli ad Hebræos: & tamen sola vox, *salem*, quæ vltima pars est copulatæ dictionis pro tota ciuitate pronunciatur, vt cùm Psalm. 75. cantat Rex: *Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion*; Conspirant Psalmorum declaratores in Hebræis. *salem* scriptum, pro qua vulgatus more non inassueto suo significationem omisso nomine proprio vertit *pacem*, explicans, quod & Masius aduertit loco adnotato, & multi ex nuperioribus ad versum 1. cap. 7. ad Hebræos; quo versu etiam *salem* iterum apparet, quam Hierosolymam intelligendam plerique veterum, iuniorúmque maluêre; adi Iustinianum, atque Tenam: sic igitur & *Nadab* portenderit idem, quod integrum verbum, *Aminadab*: ergo iterum (inquiunt) emicat sponsi nomen: quippe maritum vxoris nominari patrem ostendimus Sectionis præcedentis membro 6. num. 115. sponsam itaque dici filiam Nadab, seu Aminadab; hoc est, eam vocari vxorem Aminadab: appellabatur proinde vir eius Aminadab, siue hæc fuerit principalis ei nomenclatura, seu ab euentu posita vox, seu alia forma. Nec tamen in his nos voluptuamur, quoniam satis fortia non iudicamus.

Sponsus Canticorũ num vno solùm nomine titulatus? Ex Cant. c. 6. versus nucleatus, exq; 7. capite.

Aminadab dictus sponsus Canticorum. Hieron. Ambros. Cassiod. Cantacuz. Beda.

Regula: Nomina composita apud Hebræos etiam diuisa idem significant. Riccard.

Ierusalem nominis etymologia. Masius Salmeron.

Iustin. Tena.

131. Supereſt ex nodis vna tantùm particula: cur Hierosolymam delata ex Libano sponsa, & non potiùs in regiam mariti, eámque vrbem, quam ipse gubernaret? Respondeo, cùm apud Hierosolymitanas nurus fama inualuisset, sponsam nigram, atque subfuscam esse, vapularétque ob hoc sponsi honor, quoniam non contentus duxisse ignobilem, accepisset quoque informem, operæpretium existimasse amicos, vt discerent

Traductio sponsæ cur Hierosolum ã jacta.

Sionides,

Sionides, quàm mendax ſpargeretur rumor ; arriſit adoleſcenti prudens conſilium , decreuitque omnium aſpectibus ſponſam ſubiicere , vt cùm luminibus ſuis contemplatæ fuiſſent Heroïdes virginis ſtupendam pulchritudinem , deſinerent aures faciles ſpiſſo commento præbêre ; Hoc autem impoſſibile fieri , cùm iam nuptialis præteriiſſet celebritas , niſi per traductionis gloriam; quippe exceptis hiſce duobus caſibus Hebræorum feminæ nunquam ſe palam conſpiciendas offerunt , clauſtro & Gynecitide omnem ferè ætatem conſumunt ; ergo propter filias Hieruſalem ferculum fecit ſibi Rex Salomon ex lignis Libani, cuius argentea fulcra, reclinatorium aureum , aſcenſus ex meliori purpura : ſed , cùm auus eius, genitórque ex primis ſupremi Monarchæ amicis, conſiliariiſque eſſent, Hieroſolyma eos ſtabiles tenuit , cùm interim regnum per vicariam poteſtatem gubernarent , aliquando & inuiſerent ; Hîc veriſimilius eſt natum , educatùmque Epithalamij huius ſponſum , vt propterea Hieroſolymitanum ſtatuerimus , ac ſanè cùm in lucem editus paulò poſt adeptas à Salomone Imperij habenas , fortaſſe ex adoleſcentibus fuit, quos vnà cum Roboamo Salomonis vnigenito enutritos Regum declarat tertia Hiſtoria , c. 12. 8. his enim regna diuidere ſuminis Imperatoribus mos fuerat , ſic enim de Alexandro teſtatur Machabæorum primus cap. 1. verſ. 7. *Et vocauit pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant nutriti à iuuentute , & diuiſit illis regnum ſuum , cùm adhuc viueret* ; ſupremi igitur Monarchæ cùm à latere rarò diſcederet ſponſus , commorabatur perpetuò ferè inter Hieroſolymitanos ; traducturus igitur ſponſam in mariti ædes, in has maximè transferre oportebat , cùm hæc permanſura & indeclinabilis ſtatio futura eſſet ; Denique traductionis cùm diceretur eſſe magnificus ſupra vſum apparatus , paucíſque vel de Regum claſſe permiſſus , poſtulabat iure ſuo tanta pompa digniſſimum theatrum , & talem planè circum , quale nouum opus platearum metropolis , quas poſt abſolutas maiores fabricas mirando concentu,& proportione adaptauit Salomõ; ſed nec tantis sũptibus pares alij præter metropolitas ſpectatores.

Sponſus Canticorũ Hieroſolyma natus, & educatus, cum Roboamo Salomonis filio nutritus.

3. Reg. 12.

1. Mach 1.

Sectio VII.

Quæ poſſederit loca ſponſus ? quos rexerit populos ? qua tribu prognatus fuerit ? Dimenſio agrorum an æqualiter facta omnibus Iſraëlitis ? quotuplex terræ Chanaan partitio ? Quæ ſtabilia bona in perpetuum coëmere Hebræi poterant? Num vna tribus in alterius ſorte poſſeſſiones habêre valuerit ? Decem tribus ex captiuitate rediiſſe quomodò intelligendum? Ieruſalem cum templo an ad tribũ Benjamin, an Iudæ ſpectaret?

132. QVando autem extra capitalem Imperij vrbem dixerimus ſponſum regna ſua habere, amplámque in multos populos exercêre poteſtatem,quæ tandem hæc terrarum regio,inquis ? aut certè quod intra Palæſtinam ſpatium ? In primis habuiſſe inſignem vineam non longè à ſuburbio Hieroſolymorum, præſtantior Interpretũ cohors deducit ex Cantic. cap. 8. verſ. 11. *Vinea fuit Pacifico in ea, quæ habet populos tradidit eam cuſtodibus*, &c. Septuaginta pro *Pacifico*, legêre, *Salomoni*;& appellatiuam vocem loco proprij nominis poſuiſſe vulgatum omnes fatentur neoterici ; Porrò & alterum in Hebræo contextu agnoſcunt verbum , quod aut vrbis , aut certè alicuius agrorum partis titulus ſit, nempe *Baalamon* , quã dictionem ſeniores etiam retinuêre, & noſter Interpres conſtruxit : *In ea , quæ habet populos :* ſtrictiſſimè ; *in Domino , ſeu poſſeſſore multitudinis :* Baal enim dominum, ſeu poſſidentẽ indicat ; Putant verò ea,ſeu paraphraſi , ſeu compoſito verbo intelligendam, aut Hebræorum metropolim Hieroſolymam,aut ſanè glebam aliquam vberem,atque felicem prope Sionem , cuius angulum aliquem propter ſoli bonitatẽ cùm omnes penè ambirent , fuit vt innumeris ſeruiret poſſeſſoribus ; hic igitur prope Hieroſolymam inſignem ſponſo contigiſſe portionem , quã ampliſſimam plantauerat vineam , auctores ſunt Sotomaior Commentario integro , Notiſque ſimul poſterioribus Giſlerius , Genebrardus Hebræos citans , Delrius Paraphraſten Chaldæum referens, Almonacirius, Mariana , Hortulanus hereditariam ſponſi vineam fuiſſe dicens ; Publius Nigidius , quam genitor illius tenuerit ; atque certè tam vaſtam fuiſſe hanc ſponſi poſſeſſionem , multi qui Epithalamium illuſtrauêre , exiſtimarunt , vt dicerent, comparationem proponi citatis Canticorum verſibus cum ſupremi vinetis Monarchæ ; itaque initio ſententiæ deſcribi vineam ſapientiſſimi Regis; Ab illis autem verbis ; *Vinea mea coram me eſt , mille tui pacifici , & ducenti his , qui cuſtodiunt fructus eius* , Sponſi, quæ eam ſuperaſſe videatur, depingi vineam ; nempe , ille , quemadmodum gloria & poteſtate eminebat poſt Imperatorem ; ſic illius vineta ad ſupremi Monarchæ vineam proximè accedebant ; ſed præter Hieroſolymitanum fundum habuiſſe quoque in Libano voluptati,emolumentíſque dicatos agros , ſubindicat frequenter Canticum ; quippe ſecundo capite, verſ. 12. *Flores* (inquit) *apparuerunt in terra noſtra ; vox turturis audita eſt in terra noſtra*; Dicebantur verò hæc apud Libanum , quam ſponſæ patriam docuimus Sectione 5. Subſect. 1. Sed ſponſus *ſuam* quamobrem vocat *terram ?* Sanè quia iugera multa poſſideret ibi ; quibuſdam locis conſtructo pomœrio cum hortis ſuis,aliis conſita vinea ; erant , & columbaria , & caprarum , ouiúmque greges; dabant aluearia fauum diſtillantem , dabat myrrham odorifer collis ; neque enim horum aliquid ſecum ſponſa vexerat , cùm ſæpè monſtrauimus in paupertate natam , enutritámque ; vineæ autem fuerunt illæ , de quibus eodem ſecundo capite , verſ. 15. *Capite nobis vulpes paruulas , quæ demoliuntur vineas ; nam vinea noſtra floruit* : Rurſum ſeptimo capite , verſ. 12. *Manè ſurgamus ad vineas : videamus, ſi floruit vinea:* Columbarij meminit item ſecundum caput, verſ. 14. *Columba mea in foraminibus petræ , in cauerna maceriæ* , Cap. 5. verſ. 12. *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum,quæ lacte ſunt lotæ,& reſident iuxta fluenta pleniſſima :* De hortis idem teſtatur cap. verſ. 1. *Veniat dilectus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum,Veni in hortum meum,ſoror mea.* Cap. 6. verſ. 1. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum:*

Vinea excellens ſponſo Canticorum prope Hieroſolymam. Cantic. c. 8.

Sotomaior.

Giſler. Genebr. Chald. Almanac. Mariana. Hortulan. Nigid.

Sponſa in Libano monte plures poſſeſſiones. Cant. 2.

Atque

Atque eius fortasse viridarium aliud, cap. 4. v. 13. cuius emissiones narrantur; *Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus: Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani*; Greges ouium, atque caprarum quibus sponsæ capilli assimilantur cap. 4. vers. 1. & 2. lac horum cum fauo cap. 5. vers. 1. ibidem myrrha cum aromatibus, quam suis ipse manibus demetit sponsus; atque huius septi fragrantibus surculis comparauit dilectum sponsa, Cantic. 1. v. 17. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur*; Nam, quæ sibi euenissent bona per matrimonium cum Principe, gloriabunda deprædicat virgo; futuram, nempe, deinceps aromatiferi prædij dominam, quando & myrrhæ montem, & colles thuris habitura sit; quin & balsami copiam præbituros Engaddi palmites, quippe & Hierichuntini tractus partem occupare maritum illius; certè ita Sanchez noster cogitauit dotalem sponsæ vineam, quam viri dono acceperat, sitam valle Achor, quam Engaddi putat ad illud Cantic. 1. *Vineam meam non custodiui*, & non aliud quàm duo hęc Baalamon, ad ea cap. 8. verba: *Vinea fuit Pacifico in ea, quæ habet populos*, &c.

Hiericunthino tractu prædia sponso. Cantic. cap.

Sanch.

133. Opponas; Vt hæc omnia sponsum concedamus obtinuisse, impossibile fuisse regia vt fulgeret auctoritate; quippe terrarum spatia æqua metatione diuidebantur inter Hebræos Ezechiele comprobante cap. 47. vers. 13. *Hæc dicit Dominus Deus: Hic est terminus, in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israel: possidebitis autem eam singuli æquè vt frater suus*; Quæ est expositio Maldonati, Cornelij, Sanctij vnum Monarcham excipientis; Pares igitur cùm essent vniuersi, aut omnes, aut nemo Rex; nam quo potetat crescere quorundam potentia, emendo ab aliis in perpetuum, illicitum venditionis talis genus; anno quippe Iubilæi postliminio ad veterem dominum reuertebatur oppignorata hæreditas, ne tribus ob possessionum indistinctionem confunderentur. Leuitici cap. 25. & eiusdem Ezechielis cap. 26. vers. 18. Cùm igitur Canticorum sponsus pares cum reliqua multitudine fundos numeraret; absonum fuerit, dixisse regia eum excelluisse auctoritate. His satisfacio primùm, eam quidem sortitionem, de qua Ezechiel, factam absoluta captiuitate, dimissisque ab Assyria Hebræis, cuius æqualem fuisse partitionem, vt nullus altero ditior euaderet excepto totius populi Duce si concesserimus, præsentem disputationem non impedit; modò enim sub Salomonis regno versamur; tum verò perstabat adhuc terrarum distributio sub Iosuë facta: hanc autem disparem extitisse, ita vt maiori inter tribus amplior cederet, aut certè potior regionis dimensio, probat Salianus tom. 2. anno mundi 2590. à n. 14. producítque ex Numerorum c. 26. versum 54. *Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem*: fortasse quemadmodum copiosioris multitudinis ratio habita fuit, ita alia fuit lex nobiliorum, alia vulgi, vt illi plusquàm isti reciperent; Certè Hebron accepit solus Caleb, Iosuë c. 14. v. 13. ipse dux Iesus, Thamath Saraa in monte Ephraim donatus est, & ædificauit ciuitatem, habitauítque in ea cap. 19. v. 50. Potuêre igitur maiores sponsi, quòd strenuè in bello se gessissent, essentque ex primi ordinis hominibus, eam nanciscì terræ portionem, quæ ad regium pro dignitate tuendum honorem sufficeret; Altera resolutio est, vt præbeamus, quamuis illæ tribus, in quibus grandior numerus portiones ampliores recepissent; tamen has ipsas glebæ partes æqualiter distributas esse; ita, licèt diuersitas prædiorum extitisset, comparatis ad inuicem tribubus; sed nulla varietas collatis inter se eiusdem tribus hominibus; adhuc tamen potuisse vnum opulentia alterum excelluisse: Ac si de mobili, interituráque substantia sermo fiat, nemini dubium apparebit: nam camelis, asinis, bobus, caprarum, ouiúmque & præstantia, atque copia: ad hæc ancillarum, mancipiorúmque numero sic potuit quispiam aliis præcellere (omitto exquisitam Gazam pretiosarum mercium, vt meritò Rex censeri valeat: Verùm & adhibita immobilis substantiæ collatione idipsum facilè constabit: nam primogenitis duplicia adiudicantur, vt docet Abulensis q. 9. in c. 25. Leuitici: insuper canon ille positus memorato nunc Leuitici capite de possessionum ad antiquos dominos reditu, intelligendus de solis promissæ regionis terminis; extra hanc si quis emptione, alióve modo iusto atque legitimo agros adquisiuit, manebant perpetuùm ipsi, vt aduertit noster Cornelius ad citatum Leuitici caput: Præterea de vrbana domo edictum excipitur: quippe tenor: *Qui vendiderit domum intra vrbis muros, habebit licentiam reuocandi, donec vnus impleatur annus: si non redimerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam, & posteri eius in perpetuum, & redimi non poterit etiam in Iubilæo*: Porrò vrbium nominibus concipit Tostatus q. 21. in c. 25. Leuitici, loca quæuis murata, siue iustæ, siue exiguæ granditatis, vt hac voce oppida quoque, & villas complectatur: Potuit ergo inter locupletes aliquis multis & ciuitatibus & pagis dominari: hæc verò Dynastam faciebant, quin & vnius magni oppidi imperium, vt velit Serarius q. 2. in c. 12. Iosuë: Quid interim, si his adiunxerimus intra familiam eandem multas esse personas, quarum tandem tempus omnia absumens memoriam delet, deficiente posteritate, & plurium agri vnius fundi angustias explicant deuoluta pereuntium hæreditate ad cognationem proximiorem? Denique & cumulatæ eruditionis, atque iudicij Annalistæ duo affirmate non sunt veriti, minimè obseruata ab Hebræis, quæ de restituendis anno Iubilæi oppignoratis bonis tradita sunt præcepta, sanè ante captiuitatem Babylonicam, siue ob auaritiam potentiorum, seu propter sacrarum legum despectum: quam ego insolentiam difficillimè crediderim passos fuisse Regum decora Dauidem, atque Salomonem, donec inculpatè rexit: habet tamen Patronos sententia isthęc Torniellum anno mundi 2584. n. 2. Salianum tom. 2. anno post conditum orbem 2544. n. 703. Quòd si hæc tam immanis licentia, & retinebat quisque semper illa, pro quibus semel pretium soluit: in promptu est existimare, quàm diuites esse potuerint, qui multa emere possent, & regale potuisse attingere fastigium.

Dimensio agrorum an æqualiter facta omnibus Israëlitis? Ezech. 47.

Maldon. Cornel. Sanch.

Leu. 25. Ezech. 26.

Duplex partitio terræ Chanaã inter Iudæos.

Salian. Num. 26.

Iosuë 14. & 19.

Quo pacto in terra Israëlitica vnus altero ditior euadere poterat?

Abul. *Quanam stabilia bona in perpetuum emere poterant Hebræi?*

Leuit 25. Cornel.

Tostat.

Serar.

Hebræi præcepta de restituendis oppignoratis bonis anno Iubilæi non obseruabant.

Torniell. Salian

Verùm hac amputata hydria, altera pullulat: 134.
Nam ab subvrbana Hierosolymorum plantata vinea, quam tantoperè laudauimus, ad tribum Iudæ spectabat, siue Benjamiticam: notum quippe est, metropolim inter has diuisam tribus, cuius partem vnaquæque obtinebat. Vide cęterorum (quorum non rara cohors) coaceruantem effata Tenam, Episcopum Dertusensem, lib. 3. Isagogæ sacræ Scripturæ, difficultate 17. sect. 6. hanc igitur communem opinationem modò controuersiæ tantùm

tantùm gratia ſectantes, neceſſarium eſt affirmemus intra alterius duarum tribuum limites habuiſſe ſpõſum poſſeſſiones ſuas; at, cùm idem, quemadmodũ euicimus num. 131. Libano multa prædia obtinuerit, oportet, dicamus, hos agros ad diuerſam à Benjamitica, Iudæve tribu, ſpectare; nempe, ſi de mõtis eo iugo, quod cõmune Libani vocabulum habet appropriatum, ſermo ſit, ad Nephthali; ſi de Antelibano, ad Aſſeritas; ſi de Galaad, ad Manaſſen, vt docebunt ſcire cupientẽ Adrichomij tabulæ; Iam ex his deriuatur manifeſtè vnum, eundémq; apud duas tribus poſſeſſiones habuiſſe: ſed hoc abſurdi plenum; nempe, memorato frequenter Leuitici c. 25. & Ezechielis c. 46. abalienare in perpetuũ agros negatum fuit, propterea ne confuſis cuiuſque tribus limitibus, confunderentur tribus ipſæ: eandémque ob cauſam vetita connubia inter diuerſarum tribuũ familias, ne delapſa vnius tribus hæreditate ad alterius tribus hominẽ, indiſtinctio ipſarum tribuum inde ſequeretur; Porrò tam cauta obſeruatio, ne tribus permiſcerentur, præter cõmoda humanæ Reipublicæ, quam ordo, rerúmque ſeparatio mirificè cõmendat, in Chriſtum Seruatorem præcipuè dirigebatur, nempe, vt eius certa genealogia conſtaret, & ambagibus liberarẽtur vaticinia, quæ ex tribu Iuda, Dauidiſq; ſemine oriundũ annunciabant: At hæc quoque enodabimus multiplici aperto tramite; Primum, ſi contendamus, recreationes eas, quas Libani, ſeu iucunda planities, ſeu erecti ſurgentiũ terrarum delicioſi apices ſponſo commodabãt, ad tẽpus vendidiſſe aliarum tribuũ mortales, donec Iubilæi pacatiſſimus annus veterano poſſeſſori reſtitueret: nam, vt hoc aſſeramus, nihil demimus gloriæ ſpõſi, cùm his amiſſis prædiis obtineret alibi, quæ regium factum decerent, vrbium, nimirũ, villarúmque plurium dominus; Quoniam autem æſtiua habitatio Libani, præter amœnitatem, ſalubrior quoque: nam ad Septentrionem poſitus mons Aquilonis flatibus temperabat nimios Phœbi ignes; & magna ſub niuibus ſemper pars, vt plerique atteſtãtur; proinde Optimates multi huc conuolare ſoliti poſt vernum ſolſtitium; quem in ſcopum loca voluptatibus apta emebant in definitos, morituróſque annos, aut quidem vt in longiora tempora, vſque in remiſſionis, & Iubilæi optata ſæcula: Sic igitur faciebat ſponſus de more aliorũ Principum, & hæc vocandi illam glebam *ſuam* ratio, vtque poſſideret vineas cum pomœriis; nam perpetuus quanuis non eſſet dominus habebat tamen ex conſenſu poſſeſſoris vendentis in aliquot luſtra.

Leu. 25. Ezech. 46.

Optimates Hebræorum domos recreationis in Libano ædificabant.

135. Si tamen perpetuò dominatum fuiſſe, velimus ſtatuiſſe, erit vt defendere poſſimus: nam ſanè ex Chananæis, qui Libani incolebãt iuga, multi rebelles extiterãt vſque in Salomonis æuum, cõtra quos progreſſum fuiſſe illũ, quos & attriuerat à nobis ſuperiùs edoctũ, Sect. 5. Subſect 1 n. 80. Putat verò Salian. tom. 3 anno múdi 3044. n. 4. deuictos hos anteà à Dauide tributariósq; factos: cùm autem cerneret impeditum templi fabrica, regiarúmque ædiũ operibus Salomonẽ, cogitarẽntque non intermiſſurum, quod cœperat vectigaliũ recuperandorũ gratia, eius ſe imperiis ſubtraxerũt: ac ille quidẽ diſſimulauit aliquantùm; poſtquàm autem finẽ ædificiis impoſuit, debitas luere pœnas coẽgit refractarios; Hæ equidẽ eſto pars, Chananitidis iure diſtributionis ad Nephthalim pertinuerit, Adrichomio, aliiſque teſtibus; ſed recuperare, aut noluerunt belli diſcrimina experiri timẽtes victi à puſillanimitate, ſocordiáve: aut, quod æquius iudicare par ſit, non potuerunt, quòd ſuperiores extitiſſent per multa ſæcula Chananæorum vires: ceſſerunt igitur iure ſuo tribui Iudæ, quæ duce Dauide, ſubque vexillis Salomonis, cùm potita fuiſſet debita patribus gleba, diuiſit optimis militibus liberalis Imperator captiua iugera, inter quos cùm ſponſi genitor, auúſque; forſan & ipſe regnante Salomone contra hoſtes ſtrenuiſſimè dimicaſſent, ceſſit pro tanta virtute ipſis, glebæ fortunata pars; Porrò potuiſſe de licentia tribus Nephthali, verbi cauſa, tribum Iudæ occupata indebitè à Chananæis arua vindicare, & veteri iniuſto poſſeſſore extruſo, victrici cohorti diſtribuere; potuiſſe etiam, quoties in deſperationem ventum fuiſſet, vt ſuperare inimicum valerent Nephthalim, quancunque aliam tribum pugnam cum hoſtibus committere, de quibus ſi triumphabant, vendicata oppida cum adiacentibus agris, cæteráque præda, non habenti titulum ſortitionis, ſed tribui cedebant, quæ ciecerat, fortunarúmque, & vitæ ob hoc periculum ſubierat; Vtrunque equidem Abulenſis docuit quæſt. 10. in cap. 18. Ioſuë Magallanius ad verſum 28. eiuſdem capitis, ſectione 2. annotat. 2. Quòd ſi opponas, Regibus non licuiſſe abalienare fundos in perpetuum, ſi filiis non donaſſent, quippe Ezechielis cap. 46. verſ. 16. ſcriptum: *Hæc dicit Dominus Deus: Si dederit Princeps donum alicui de filiis ſuis; hæreditas eius filiorum ſuorum erit, poſſidebunt eam hæreditariè: ſi autem dederit legatum de hæreditate ſua vni ſeruorum ſuorum, erit illius vſque ad annum remiſſionis, & reuertetur ad Principem:* Reſpondeo, hoc impoſitum Monarchæ onus poſt eam Palæſtinæ ſortitionem, quæ excuſſo Aſſyriorum iugo, liberatóque Hebræorum populo, & reuerſo ad patrios lares, facta eſt, vt & Textus illius capitis palam adſignificat, & eius Enucleatores paſſim teſtantur: nunc autem ea verſamur tempeſtate, quæ Babylonicam captiuitatem longè anteceſſit; nam Salomonis dominatum reſpiciunt; Deinde aliud eſt, ſermonem inſtituiſſe de patrimonio Regis, iis, ſcilicet, prouinciis, quæ à maioribus tranſmiſſæ fuêre: aliud de his, quæ marte ſuo acquiſiuit Princeps; iuſtum quippe eſt, ne paulatim labatur Imperatoria auctoritas per indiſcretam munificentiam, ne de antiqua poſſeſſione abalienet quidpiam, & in exteros profundat; Quas autem de nouo acquiſiuit regiones, gentium ſemper mos fuit, vt reſeruata ſuprema rerum omnium poteſtate Monarchis, iiſdémque longè ampliſſima adiudicata parte duces quoque, & audaciſſimi quique milites præmia reciperent, diſtributis inter illos agrorum partibus etiã, vrbibus quoque cum portubus, & villis; hoc pariter licuiſſe Palæſtinorum Imperatoribus; de quibus ſponſi progenitores, cùm optimè meriti fuiſſent, receperunt egregia præmia, honores, agrorúmque iugera plurima.

Pars vni tribui aſſignata promiſſa telluris, qua de cauſa poterat in alterius tribus poteſtatem tranſire?

Abul. Magall.

Principi Hebræorũ quatenus abalienare fundos licitum? Ezech. 46.

Sed id, quod obiectio exploratiſſimum ſupponebat, non potuiſſe, videlicet, Hebræos, niſi inter ſuæ tribus viros, ſtabilem, duraturámque manſionem figere, non eſſe adeò certum, ſunt quæ probent, legimus nanque Paralip. 2. cap. 11. poſt diuiſum regnum Iſraël, cùm apud Solymitanos vigeret indubitata religio, non tantùm ex Sacerdotum genere multos, ſed de laïcorum turba plurimos decem tribuum confugiſſe ad Roboamum, quocum tribus Iudæ, & Benjamitica;

136.

Potuiſſe tribum aliquã ſedes fixas habere in poſſeſſionibus alterius tribus. 2. Par. 11. 16.

Salian.

tica; Sacræ paginæ verb sunt: *Sed & de cunctis tribubus Israël, quicunque dederant cor suum, vt quærerent Dominum Deum Israël, venerunt in Ierusalem, ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum; & roborauerunt regnum Iuda, & confirmauerunt Roboam filium Salomonis per tres annos*; Porrò mansisse hos in perpetuum inter Iudæ, & Benjamiticæ tribus homines, nec vltrà reuersos ad pristinas, quas veri cultus gratia destituerant sedes, propterèaque in magnam potentiam creuisse Roboami dominatum, opinantur Abulensis quæst. 17. in dictum Paralipomenorum caput: Caietanus, atque Serarius ad cap. 12 lib. 3. Regum: Ribera in cap. 1. Oseæ, num. 100. Salianus tom. 4. anno mundi 3062. num. 1. atque decem tribuum aliqui, cùm dicuntur, Babyloniorum euasisse captiuitatem, patriámque vidisse tandem vnà cum duabus Iudæ, & Benjamin tribubus, quibus reuertendi potestas facta est; hos solùm intelligendos; quemadmodum à Roboami temporibus ante Assyriorum irruptionem, duabus tribubus commixti sunt, & eandem pugnæ aleam experti sub victoris hastam missi; ita reduce vtraque tribu illi quoque exoptatæ libertatis participes extitêre: sic Ribera loco iam indicato; Sanctius, atque Cornelius ad versum 12. cap. 8. Zachariæ; & quidem promiscuè iisdem habitasse vrbibus Iudæ atque Benjamin tribum sensêre Mariana in cap. 11. lib. 3 Regum: Masius ad vers. 15. cap 18. Iosuë; Magallanius ad versum 28. cap. 18. Iosuë, sect. 2. annot. 3. ecce igitur tot annuentibus classicis Scriptoribus, potuisse Hebræos apud alienam tribum fixas habere sedes, proindéque sponsus, quamuis ex Iudæ tribu poterat intra Nephthalinorum terminos prædia obtinêre, voluptatíque destinata arua.

Abul. Caiet. Serar. Ribera. Selian.

Decè tribus, quo pacto ex captiuitate rediisse intelligantur?

Sanch. Cornel.

Iudæ & Benjamin promiscua habitatio.

Mariana. Masius. Magall.

137. At, inquis, hæc si dicantur, sequitur apertè, confundi tribuum nomina; non enim aliæ certiores notæ, quibus quæque discernatur, quàm ab auita hæreditate, atque ob hæc interdictum matrimonium inter feminam, cui vetus possessio obuenisset, maritúmque exteræ tribus; cùm enim viri nomen sectaretur posteritas, confundendæ erant possessiones, qua de re diximus plurimùm Anteloquij huius Sect. 1. atque 2. Fateor, grauem hunc esse nodum sed quem soluere debeant memorati omnes Auctores, certè & Interpretum vniuersus chorus; nam, si ea opinatio, quæ decem tribus nunquam remeasse defendit, sententia omnium ferè Expositorum, tam Hebræorum, quàm nostrorum sit iudicio Riberæ in nominatum Oseæ 1. caput, num. 96. rogatos cuperem tantos Assertores, quibus modis tribuum distinctio apud eos conseruata sit, cùm agros non haberent, quos nisi eiusdem tribus mortales, alij colere non possent? Sed vt fuerit captiuitas annorum quorundam solùm, & finem tandem aliquando acceperit, quibus modis tum apud exules discretæ tribus? Iam verò peregrinatione emensa diuersa extitit sortitionis facies captiuitate absoluta, atque priusquàm subiugarent Hebræos Assyrij; nam vetus dimensio, vt docebamus num. 132. inæqualis fuit pro maiori, pauciorive tribuum multitudine; quæ captiuitatem sequuta est partitio æqualia omnibus terrarum attulit spatia; Certè confuso antiquo limitum, agrorúmque ordine, vnde, obsecro, cognoscebantur tribus quæ fuissent, quando primini deleti fuissent termini? Taceo extitisse sæpenumerò sceleſtissimos homines, qui cùm Tartaro capita, animásque vouissent, præsertim postquàm miserandam Idololatria religioni stragem intulit, quas semel emerant à tenuioribus possessiones, noluerunt Iubilæi annis restituere; imò ne Iubilæum aliquod apud apostatas, vanorúmque Deorum adoratores; Sanè his, vt erant non minùs superbi, quàm illiberales, tribus conseruandæ memoriæ diligentissima cura, quòd aliæ tribus aliis se præstare arbitrarentur; at tribuum signa indubitata agrorum limites esse non poterant, nam, vt dixi, infidelitate omnia diuina iura violante, Mosaïci contemnebantur Canones, confundebantur passim fundi, siue à rapina, seu ab auaritia; alias igitur oportet omnes reperiamus notas præter agrorum distinctiones, quibus tribus separare valeamus, cùm inter legis sanctæ desertores, regularum, quas, auctore Moyse, Deus tuletat, nulla esset æstimatio; Sanè huius initio Isagogæ Sect. 2. num. 14. templi adytis asseruari diximus apud Hebræos generationum Indiculos quosdam; hos consulere vsus erat, quoties de tribu, aut familia cuiusuis inciderat dubia & obscura quæstio; addebatur & traditio maiorum, quæ plurimùm valebat; erant & Annalium multi conditores: qui Optimatum præsertim, & præclariora gesta, & stirpis originem simul cum incrementis vendicabant à temporum iniuriis.

Ribera.

Tribuum diuersitas non ex possessionibus eliciendæ.

Tribus, quibus discernebantur modis apud Hebræos.

Ex hactenus autem disputatis subducere præstat, cuius fuerit tribus Salomonici carminis sponsus; ac quidem nisi Iudææ Metropolis Ierosolyma ex plurium sententia spectasset ad Benjamin, facilè potuissemus definire, cùm monstrauerimus ampliſſimas obtinuisse possessiones prope suburbia principis vrbis: Mihi verò primùm credibile admodum est id, quod Tostatus asseruit quæst. 10. in cap. 18. Iosuë, nostérque affirmauit Magallanius eodem loco, sect. 2. annot. 2. iure quidem distributionis, sortiúmque pertinuisse ad Benjamin; sed iure prælij ad Iudam; cui nonnihil fauêre coniectationi visus scholasticæ Magister Historiæ, capit. 13. in Iosuë, Carthusianus ad cap. 15. eiusdem voluminis; Nam certè tribus Benjamin ad eam paucitatem virorum peruenit, vt supra sexcentos homines non numerauerit, Iudicum cap. 20. vers. 47. & eadem, antequàm principatum iniret Saül minima tribus Israël. Reg. 1. c 9. vers 21. Probabile est igitur, hanc inter tribus infimam non fuisse ausam Hierosolymorum vrbem oppugnare; erat enim hæc ciuitas cæterarum in Palæstina caput, vt monet Iosuë cap. 10. & monstrauimus superiùs num. 127. Igitur metropolim Iudæ tribus, quæ & multitudine, & viribus, bellandique eminebat arte, aggressa occupauit immunita loca: alioquin nisi hæc pars in Hebræorum potestatem redacta fuisset, Dauid Philisthæi caput in Hierusalem non tulisset, Reg. 1. cap. 17. vers 54. temeritas enim extitisset per iuratos hostes ingredi: at, cùm Iudæ tribus omnibus belli præsidiis suffulta esset, non potuit tamen illa tempestate arce Iebusæum expellere; quid feciſſet exigua Benjamitarum tribus? Deinde procedentibus annis Dauidis fortitudine capta est tandem & Sionis arx, Reg. 2. cap. 5. Atque in hunc modum conciliare expeditum est Scripturarum verba, quæ Hieruſalem nunc Beniamino tribuunt, nunc Iudæ Iosuë cap. 15. cap. 18 & Iudic. cap. 1. vt, scilicet, ad vnam tribum sortium ratione

138.

Ierusalem, an ad tribum Benjamin, an potius Iudæ pertineret?

Abulens.

Magall.

Comestor. Carthusian.

Iudic. 20.

Benjamin minima tribuum.

1. Reg. 9.

Iosuë 10.

1. Reg. 17.

2. Reg. 5.

Iosuë 15. Iud. 1.

Ierusalem opera tribus Iudæ vindicata.

spectauerit, ad alteram ex victoria; Sanè fortasse quoque ab initio, quemadmodum Iudas suppetias à Simeone postulasse legitur, Iudicũ c.1.v.3. ita Benjamino auxiliares copias misit Iudas, quibus Hierosolymæ partem cùm superasset, sociis militibus concessit triũphatæ vrbis habitationem, atque integrè cùm non subiugassent, de vtrisque affirmatum, quòd Iebusæũ expellere non valuissent; at posteà imminuta Benjamitica tribu ad delectionẽ ferè, cessit vrbis adepta portio tota Iudæ, qui absque consorte in posterũ dominatus est; ad Iudam verò cùm Hierosolymorũ pertinere vrbs, prope hanc autem lautã possideret glebam sponsus; insuper & ad Iudam spectarent Engaddi colles, vbi idem balsami haberet prouentus; denique & ereptæ in Libano Chananæis regiones, vbi æstiuas recreationes teneret, sub Iudæ essent potestate; fit planè, vt cùm omnia, quæ possideret sponsus, ad Iudæ attinerent tribum, ipsum proculdubiò ex regia hac fuisse tribu.

Sponsus Cãticorũ ex regia tribu Iudæ.

139 Et sanè, vt demus habitasse Benjamitas ciuitatis portionem aliquã, cuius Domini extitissent, puto hanc tam exiguam, despectámq; fuisse, si comparetur cum his, quæ Iudæ obtinuisset tribus, vt meritò sola Iudæ tribus vrbis amplissimæ Domina nuncuparetur; quemadmodum certè collatis vtriusque tribus viribus simul cum potentia, sola Iudę tribus sæpè memoratur, vt aduertit non indoctè noster Sanchez ad c.1. Michææ n.25. ita Reg.3. cap.11. vers.32. *Porrò vna tribus remanebit ei propter seruum meum Dauid*, cùm tamen ex sequenti cap.12. constet Benjamin præterà mansisse tribum; quo tamen duodecimo capite, vers.20. rursum iteratur idipsum: *Nec secutus est quisquam* (inquit) *domum Dauid præter tribum Iuda solum*; Declarat optimè idem Sanchez ad cap.11. lib.3. Regum, num.23. nempe, Benjamitas, qui Iudæ se adiunxerant, & eius patrocinium exoptarunt, sic attritos fuisse, in eámque paucitatem redactos, vt non tam tribus aliqua videretur, quàm membrum Iudaïcæ tribus, neque illud quidem ex grandioribus; fauent interpretamento Caietanus in cap.12. lib.3. Regum, Salianus tom.4. anno mundi 3060. n.29.

Tribus Benjamin sub nomine tribus Iudæ cõprehensa.

Sanchez. 3.Reg.11

Caietanus. Salian.

Iudas igitur optima quæque possidebat, & intra Hierosolymitanum vallum, & extra muros, ac proinde spatium illud tam fertile *Baalamon* vocatum, vbi sponsus vtilissimam vineam colebat, omnisque populus angulum aliquẽ tenere summoperè ob soli pinguedinem ambiebat, de quo nos egimus num.131. ad Iudam spectabat; Nam, quòd eruditi multi statuerint egregium ciuitatis ornamentum, templum, videlicet, Benjamino adscriptum, Deuteron.cap.33.vers.12. probauerint certè tantùm dimensionis, & sortium iure ad eum spectasse; cæterùm iustissimis posteà causis in Iudam translatum; loquor de area (nam quis ignorat, fabricam minimè adorsos fuisse Benjamitas?) Porrò locum structioni destinatum emit Dauid Rex, non à Benjamiticæ tribus duce, priuatorúmque hominum aliquo; sed ab Areüna Iebusæo Reg.lib.2. cap.24. vers.16. & fortè hanc partem nunquam occuparunt Benjamitæ; nam capta iam Sionis arce, vrbéque tota ab Hebræis superata, antiqua arua retinebat Iebusæorum, qui fuerat Toparcha, Areüna, aliàs. Ornan, lib.1. Paralip.cap.21. quoniam & Iudaïsmum amplecti, & vectigalia pendere voluit. Vide Salianum tom.3. anno mundi 3017. num.33. hic igitur in monte Moria potissima sacris altaribus sedes Paralip.2. cap.3. vers.1. locus alter, à quo templo nonnunquam nomen, quemadmodum Machabæorum 1. cap.4. vers.37. Sion, Non disputo modò, an totum sibi vendicauerit montem; docebit Villalpandus tom.3. parte 1. de vrbe, lib.1. cap.8. Sanè Iebusæis non alius, quàm Dauid ex tribu Iudæ eripuit: tantò igitur præstantiùs Iudæ templum adscribitur, quantùm eius & pecunia, & sanguine redempti montes duo Moriæ, atque Sionis: quare Psalmodus oda 77. vers. 68. pangit: *Sed elegit tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit: & ædificauit sicut vnicornium sanctificium suum in terra, quam fundauit in sæcula.* Quorum verborum communis enodatio, templum ad Iudæ pertinuisse tribum; ergo ex nobilissima, & imperatoria tribu decebat, sponsum casti Hymenęi fuisse, quòd ad amussim Christũ Iesvm, qui in diebus carnis suę ex eadem prodiit tribu, referret.

Templum Hierosolymitanum quo more ad tribum Iudæ spectare dicatur? Deut.33.

2.Reg.24.

1.Paral.21. Salian.

2. Paral.3.

1.Machab.4.

Villalp.

Psalm.77.

ANIELOQVIVM VI.

Præcedenti Ysagoga tractata ethicis condecorantur excursibus.

NONDVM nobis finita messis, quanquam in superioribus metendo operam dedimus non perfunctoriã, neque sudoribus liberã; sed fuit illa seges ingenij tantùm, & ingrata ob ardentioris diei pondus, atq; æstum; nunc voluntatis, & affectuum mitior inuitat labor; duplicem producunt spicã arua nostra, & bis grauida fruimur gleba; litteræ falcem absoluimus; vicimus grauiora; accingamur ad iucundum, quod supereſt, mysticæ frumentationis opus, & auspicemur, (quemadmodum hactenus fecimus) ab ea, quæ Panem vitæ dedit sæculis, cuius venter, nullo quamuis aratro prosciſſus vnquam, *aceruus tritici vallatus liliis.*

SECTIO I.

MARIA *ob hospitium, & quòd se Dei Filium* IESVS *probaret, animâ, & corpore in cœlum translata.*

I. Prou.31.

MVLTÆ *filiæ congregauerunt diuitias, sed tu supergressa es vniuersas*, ô Sponsa; vicisti planè felicitate magna, & incomparanda feminas omnes; quippe cæteræ virgines, cùm in maritorũ potestatem transeunt, animũ non mutant, vt concedamus nonnunquam fortunam, genúsque permutare; quoties, scilicet, quæ pauper & obscura extitit, ditiori coniuncta est; Quòd si aliquando contingat, & religionem, moréſque reformare; sed tunc neque opum, neque nobilitatis pariter incrementa venêre; tibi accessêre coniunctim, & corporis, & animæ bona, neque ea mediocria quidem; Qualis ante huius sponsi thalamos æternum colendos tibi memoria dulcissima? Stemmate ex media plebe, substantia

Iri

Iri soror, officio rudis, & abiecta; mente autem denigrata, sicut tabernacula Cedar, adorabas quippe militiam ætheris cum ducibus, Sole, & Luna, eráſque deformis, Antiſtes in ſacris Priapi; Docuimus hæc vniuerſa antecedentis controuerſiæ Sectione 5. per eius plurimos articulos: Nunc oblitteratæ priſtinæ ſordes, & ne veſtigia remansêre vulnerum: abſterſit familiæ dedecus ſponſus, qui præclaram fecit matronarum ſociam, honore, ſubſtantia, voluptatibus fruentem; Tu animæ nævos abſtuliſti, cùm damnata impiorum Numinum ſuperſtitione, Deum Iſraël elegiſti, cui ſeruires in ſanctitate, & iuſtitia. Ergo quando, & corpore, & ſpiritu triumphatrix, ſupérque omnes euecta ſponſas, Reginæ noſtræ gloriam referre poteris; Sed eò beatior MARIA Deipara, quam non ex luto fæcis extraxit dilectus; ſed præſeruauit miſericors, ne vel leuiſſimè, aut anima, aut carne contaminaretur: Igitur, & ſpiritus nunquam vidit corruptionem aliquam, qui ipſo primo inſtanti quo creatus eſt, ſupra Angelorum, hominúmque iuſtorum ſpeciem pulcher enituit; Caro autem, quâquam in ſepulcrum deſcendit, quemadmodum & filio contigit etiam; ibi tamen refloruit magis, atque animam cùm citò recuperaſſet, decorauit eam tanquam veſtitu deaurato, copulatiſque, & mente, & corpore, cùm tota ſic refulgeret, vt inſtuporem conuerteret Angelorum cohortes, delata eſt ad ſolium interminandæ gloriæ, iuſſaque adſtare à dexteris eius, quem amauit circumamicta varietatibus cum ſumma poteſtate.

Spiritus Mariæ quàm purus à primo inſtanti ſuæ creationis.

2. Atque equidem MARIÆ honores ſponſa repræſentauit, cùm & ſpiritu & corpore ipſa locupletata, ſed, quoniam fœda extitit, antequàm detergeretur, mutuemur à Suſanna pudica aptiorem ideam: quid enim inimica intentauit vis? num vnam vt ſubiret mortem? Certè & menti, & corpori laqueum tetendit hoſtis efferus; quippe animam commaculare primùm aggreſſus, cùm adulterio ſupra feminam meliori robore reſtitiſſet, & laſciua ſenectus ſtrenuè repelleretur, conuertuntur iræ in ipſum, quod deperierat corpus: verùm excitauit prouidus rerum gubernator Deus ſpiritum pueri iunioris, Danielis, ſcilicet, qui à faucibus mortis eripuit longiſſima dignam vita mulierem. Itaque non è morte quidem ad vitam reuocata illa; ſed ne periret prouiſum; non damnum, aut corpore, aut ſpiritu admiſit aliquando; ſed ne reciperet cautum; Sed audiamus Cypriani encomium libro de bono Pudicitiæ: *Bis victrix* (inquit) *& in periculo ſuo tam funeſtè totiens concepta, & libidinem euaſit, & mortem.* Venuſtè appellauit: *bis triumphatricem*; quæ, nimirum, ex duplici aduerſario ſpolia reportauit; corporis ſubiugauit hoſtes, pariter & mentis, antequàm læderetur; Ad hunc modum, & ipſa ouans progreditur cœleſtis Regina, innixa ſuper dilectum, ornata monilibus, quam circundant ſicut dies verni flores roſarum, & lilia conuallium; nempe, putauit Satan, hanc eſſe tanquam vnam de ſtultis virginibus, & gauiſus eſt, quoniam cùm conciperetur, animam culpæ mors, quæ tranſiit ab Adam, occuparet; atque ita exultaret in poſterum MARIAM quoque ſibi aliquando ſubditam: ſed deceptus eſt nequiſſimus ſcurra, quoniam non pro hac virgine lex illa lata fuit, quæ Adamum cum nepotibus comprehendit; Hac igitur ſpe deſtitutus Tartarus, cùm animæ arcem expugnare nequiret, neque tantillum inficere, conſolabatur ſuper carnis corruptione, & conflabat legiones ex verme & putredine; in hoc quoque deluſus eſt: Ergo MARIA, quaſi altera Suſanna, *bis triumphatrix*; quoniam, & anima peccatum vicit, & caro immortalitatem induta eſt, quam debebat honori ſuo Filius, debebat matris hoſpitio.

Cypr. Suſanna propter eminentè pudicitiam vera Mariæ Idea.

Sibi quidem debebat Gnatus, ne ſi caro MARIÆ corruptionem paſſa fuiſſet, non crederetur Chriſtus Domini, Altiſſimi Filius eſſe; aut certè de hoc ſuſpicio oboriretur; Bis amiſit vxorem Abraham, & vtrobique dominata tyrannis ob nimiam Saræ pulchritudinem: ſuſtulit primùm Pharao Ægypti Dynaſta, Geneſ. cap. 12. deinde Abimelech, Rex Geraræ; atque illa ſemper quoniam ſub protectione Dei cœli morabatur, incõtaminata euaſit, profuítque marito, quod contumeliam, & dolorem allaturum videbatur: Sed id permouit legentem, quòd ſacro Hiſtorico curæ fuerit aduertiſſe, ab Abimelecho minimè læſam fuiſſe: *Abimelech verò* (ait cap. 20. Geneſ. 20. verſ. 4.) *non tetigerat eam*, cùm de Pharaone ſimile nihil protulerit: atqui potiùs monendum apparebat, modò eiuſmodi aduertentia Saræ honori conſultum volebat: tum, quòd Ægypti cumplurimis vitiis impliciti, libidinibus dediti fuerant ſupra alias nationes; tum, quòd Sara eo tempore adoleſcentior eſſet, ac formæ maior venuſtas plùs ſtimularet: Dabo quod Theodoretus reſponderit quæſtione 62. in Geneſim: *Sara* (affirmat) *tunc erat paritura Iſaac: ne igitur ſemen Abrahæ ſuſpectum eſſet, manifeſtè declarauit Scriptura diuina, quòd Abimelech illam non tetigerat.* Igitur, quòd Saram à Principe non fuiſſe violatam referatur, non tam ipſius cauſa pronunciatum, (alioquin & de Pharaone idipſum dici oportebat,) quàm naſcituræ prolis gratia: videlicet, ne ſuſpicandi non eſſe ex Abrahamo prognatam, anſa daretur: Verùm, vt id contingeret, nónne illuſtris ſatis Iſaaco genitor, Rex nempe, Abrahamo multò potentior, qui Geraræ iura dabat Abimelech? Sanè Iſaac Chriſti typum geſtabat, eúmque perfectum, ſi quis alius in toto Fœdere antiquo: vt igitur ſignificaret, quàm liberam à corruptione Genitricem volebat eſſe? ne cogitari quidem, vel de ea matre, quæ tantùm typum, imaginémque eius geſtura eſſet, ſuſtinuit: ratus, ſi opinarentur virginem ab omni corruptione non fuiſſe præſeruatam, ſiue animæ, ſeu corporis, venturos in ſuſpicionem, non Abrahæ, id eſt, Dei Filium fuiſſe, quem peperit: ſed communem cum cæteris mortalibus ſobolem: Filij itaque omninò intereſt, ne MARIÆ carnem expertam eſſe corruptionem exiſtimetur.

3. Theodoret. *Cur Sara potiùs ab Abimelech quàm à Pharaone intactam Scriptura memineriť?*

Atque, qualis Moyſi cura, vt ſollicitè aduerteret, nihil iniuriarum Saræ corpori ab Abimelecho illatum: talis in Matthæo diligentia, ne ventura ſæcula intelligerent aliud, quàm nouum fuiſſe Seruatoris buſtum: *Et accepto corpore Ioſeph, poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra.* Matth. cap. 27. verſ. 59. Alij Euangeliſtæ, Lucas, & Ioannes, præterea addiderunt: *In quo nondum quiſquam poſitus erat*; Intueor planè hæc ordinari vniuerſa, vt conciperemus ſepulcrale marmor, quod crucifixum exceperat Redemptorem, virginem extitiſſe, & purum, vndequaque nitens, & à vermium, putredinis, omniſque corruptelæ ſuſpicione liberum; Quorſum de his tam accurata animaduerſio? Quid ſi inter putreſcentia cadaueta locare-

4. Matth. 27.

tur Dominica caro? Plúsne hoc, quàm quod idem Seruator cum latronibus, & sceleratis connumeratus sit, & in cruce pependerit liuidus totus? qui sic neglexit carnem, dum viueret, cur mortuus de eadem tam solicitus, & in primis, quę corruptionem afferre valeant, omnia studiosè vitat? propterea nec monumenti nouitate contentus, posuit in corde Ioseph nobilis Decurionis, vti sindone munda inuolueret defunctum corpus; posuit & in corde Nicodemi, vt ferret mixturam myrrhæ, & aloës quasi libras centum: Sanè lapis ille sepeliendo Christo dicatus Genitricem eiusdem eximiè imitabatur; dico manifestiùs, futurum erat bustum illud quasi secunda mater Christi; nónne enim viscera clausum habuit, quemadmodum & Virgo intemerata? Nónne vitæ restituit, sicut ipsa in auras protulit? Si nimius vobis videor, quòd vtero MARIÆ audeam comparare, intuemini Ambrosium, & præferentem quoque sermone 48. de sepulchro Domini: *Gloriosior ista est* (inquit) *quàm illa natiuitas; illa enim corpus mortale genuit; hæc edidit immortalem; post illam natiuitatem ad Inferos descendit; post hanc remeatur ad cœlos. Religiosior planè ista est, quàm illa natiuitas; illa enim totius mundi Dominum nouem mensibus in vtero clausum tenuit; hoc autem triduo tantùm tumuli gremio custodiuit; illa cunctorum spem tardiùs protulit; hoc omnium salutem citiùs suscitauit:* Ergo, si Christo tanta, tam ingens cura pro sepulcri incorruptela, atque vt in eo nihil non nouum, non iuueneſcens & vetustatem, defectúmque abhorrens eluceret, idque quia Genitricem æmulabatur; eam proximiori similitudine referebat; non arbitramur, & veræ, atque indubitatę Parentis zelarit iuuentam, incorruptionem? multus in figura præseruanda, & permiserit, veritatem ipsam, Matrem, quam sepulcrum adumbrabat, vermium fore pabulum, putredini obnoxiam esse? Igitur; qui in cæteris despiciebat corporis curam, de cadaueris loculo admodum studiosus, vt incorruptus esset, quoniam secunda ei Mater futurus; videretúrque non satis se Dei Filium probare, aut ansam malignę suspicioni exhibere, si quæ diceretur quouis modo Genitrix illius, ea corruptionem, & defectum passa fuisse cogitaretur.

Christi sepulcrum, velut secunda ipsius Mater, nouum & quasi virgineum esse debuit.

Ambr.

5. Gnatum imitata Mater, & ipsa sollicita, quis defunctæ cadauer exciperet locus; Vide, quæ fuerunt morituræ verba apud Damascenum de dormitione Deiparæ: *In manus tuas, fili, (ait) commendo spiritum meum, suscipe tibi charam animam, quam conseruasti alienam ab omni reprehensione: meum corpus tibi trado, & non terræ: custodi saluum, quod tibi placuit habitare*; Ac, quanquam in hac oratione illud mirandum, quod præter communem ordinem Virgo noluerit corpus telluri commendare; placet tamen potiùs examinasse, quando sic maluit terram respuisse, quæ susciperet frigida, & exanguia membra; quamobrem non saltem Apostolis, qui obeuntem circundabant è terrarum finibus delati, non charo Ioanni suo sepulturæ laborem imposuit? quid memoro laborem? dulcissimum solatium magis? Quòd si mortalium nemo tanto ministerio sufficiens, ne ipsi quidem Principes Ecclesiarum Christi discipulatus, obsequuti fuissent lubentissimis animis, hilaritate maxima Angelorum præcipui; quid est, quod omnes excusat, & de filio solùm confidit? Equidem discessuri ex hac vita in mansionem æternitatis, quodcunque illud est pignus, quod vnicè dilexerunt, amicissimis delegant; & de quibus diligentissimam habere curam optant, iisdem onera imponunt; MARIÆ autem nihil vnquam fuit tam antiquum, atque Filij, & honor, & fama; in Filio verò id præstantissimum, Deo, scilicet, esse genitum; ad hanc conseruandam gloriam proficiebat summoperè patêre vniuersis, ex ea Genitrice editum fuisse, quæ nullam corruptelam, aut corpore, aut spiritu admiserit, (non enim de puro homine simile quipiam à sæculorum initiis pronunciatum.) Hujus incorruptionis restabat vltima periodus, (nam cætera adimpleta fuerant) nimirum, si cadauer à putredine, & vermibus saluaretur; hanc ergo periodum, à qua reliquorum pendebat cōsummatio, Filio singulariter commendat; neque ideò, quòd de Apostolorum erga se fide, aut de Angelorum obseruantia dubitaret; sed, quoniam ab hac periodo, nempe, à corporis immortalitate, qui rebus omnibus charior erat Filij honos, dependens; Tuum interest, ô Gnate, meum vt incorruptionem induat corpus; sic probabere Deo genitus, cùm ideò à corruptione seruaueris Matrem, quòd ex ea desumpta sit caro, quæ Diuinitati vnita fuerit indissolubili nexu; hoc mihi nihil iucundius accidere queat, quàm vt omnis lingua confiteatur, te Deum verum esse de Deo vero; Quando igitur res tanti momenti sit, non Apostolorum cuiquam, non ex sanctorum Spirituum cœtu alicui, sed tibi ipsi commendare æquum iudicaui.

Damascen.

Maria quàm sollicitè corpus suum ab incorruptione seruandū filio cōmendarit.

6. Debuit igitur Filius sibi, vt Mater corpore simul, animóque ad immortalitatem resurgeret; debuit pariter & Genitrici, cuius hospes fuit per nouem menses; vendicat sibi hospitalitas iure quodam tantum præmij; neque id, quod omnium est, qui ad hospitium admittunt, conueniens fuerat Genitrici negari; Ostendamus breuiter, hospitio concessum istud; tunc demum patebit, & Virgini Deum enixæ tribuendum: Hospitabatur, quoties per Sunam transiret, apud Sunamitidem Eliseus Propheta; neque absque religiosæ feminæ commodo; nam & tandem, quod voris omnibus desiderabat, eius precibus mascula sobole potita; sed breue fuit gaudium miseræ; nam ante absolutam pueritiam discessit: Lacrymabatur super defuncti vultus inconsolabili planctu, miscebátque amaram singultibus querimoniam, & lassata demum, *Ascendit, & collocauit eum super lectulum hominis Dei, & clausit ostium*; Quamobrem in Vatis thalamos signanter mortuum infert? Non in suum cubile potiùs mitteret, non in nutricis, aut domesticorum? Verùm sapienter femina; inspirabat menti enthea aliqua vis, hospitalitatis mercedem vitam esse, déque morte triumphum: ergo cubili hospitibus dicato prudenti cōsilio reposuit, arbitrata fore, vt hospitalitatis beneficio ad halitū reuocarentur frigentia mēbra: neque decepit fiducia; animam hospes Eliseus ad artus secundò traxerat: Theodoretus quæst. 16. in 4. Regum, cap. 4. *Quin experientia didicisset, per Propheta virtutem sperauit etiam fore, vt puerum mortuum suscitaret; nam, cùm in Prophetæ lecto collocasset mortuum, clauso ostio ad eum profecta est*, &c. Hoc autem cuiusque hospitio vniuersim quasi annexum monstrauimus, probemus specialiter illis debitum, quorum IESVS hospitium aliquando intrauit.

4. Reg. 4. 21.

Hospitalitatis merces, vita.

Theodor.

7. Occurrit verò in primis, cur eo, quod celebre est à Christi hospitio Luc. capit. 10. Euangelio, cùm

cùm recenſeantur ſorores duæ, Martha, atque Maria, non etiam germani aliqua ſit memoratio, Lazari, nimirum? Ac dicunt vulgariter præclarè quidem, cùm Lazarus peccatorem repræſenter, neque tantùm vt nominaretur æquum fuiſſe, vbi MARIÆ nomen reſonat, quæ omni tempore à quouis delictorum genere immunis: Citatur Bernardus ſermone 2. de Aſſumptione; nam immiſſa eadem quæſtione reſpondet: *Arbitror ſanè, ne id quidem à propoſita ſimilitudine diſſidere: virginalem etenim domum ingredi volens Spiritus, ſiluit non incongruè pœnitentiam, quæ malum vtique comminatur; abſit enim vt proprij quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuiſſe dicatur, vt in ea proinde ſcopa Lazari quæreretur*; Ego verò putauerim, & in hoſpitij quoque gratiam aliquid dici poſſe; nimirum, Lazarum, cùm in monumento ad quartam lucem iam fœteret, reſolutionem humanæ compagis eam, quæ ſepulchro accidit, indicare: cùm autem, quibus IESV hoſpite frui conceſſum ſit, eos immortalitas maneat, atque incorruptio, noluit Euangeliſta ſermone, qui Chriſto factum declarabat hoſpitium, illius mentionem obtrudere, qui corruptioni obnoxius extitiſſet; adeò, non res ipſa tantùm, ſed vtique vel verba de hoſpitio corruptelam abigunt, vt ſola regnet immortalitas, vbi IESVS admittitur ad conuictum.

Nulla mētio peccatorum, vbi ſermo eſt de B. Virgine.

Bernard.

8. Atque hinc aliqua illius quæſiti enodatio; cur, ſcilicet, magiſter inter cæteros diſcentes vni Simoni *Petræ* impoſuerit nomen? Neque indagatio eſt, quòd de ſuis vocabulis huic tantùm conceſſerit (quanquam hic eximius honor fuit:) verùm ita oportebat ex Præceptoris nomine appellari, qui ſubſtituebat pro Magiſtro; ſed, cùm multis modis vocaretur Chriſtus, quamobrem inter nominum aceruos delegit ſpecialiter dictionem, quæ firmitatem indicaret? atque tam ſolidam, contra quam nec portæ Inferi præualerent? Sanè ad Petrum diuertere ſolitum Redemptorem, ſeu mari, ſeu terra poſitum, Euangelia teſtantur: nam, cùm in oppidis verſaretur, *Surgens de Synagoga introiuit in domũ Simonis.* Lucæ cap. 4. verſ. 38 Et ad maritima progreſſus, *aſcendit in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauítque eum, à terra reducere puſillum*, eodem narratore Luca cap. 5. verſ. 3. Iam & petra incorruptionis ſymbolum refert; ideircò cùm rogaret Iſaïas mitti Seruatorem ſæculorum, cuius Genitrix in partu illæſa atque incorrupta maneret petiuit emitti ex petra deſerti Agnum dominatorem terræ; & Chriſto, cuius cadauer ſanctum non erat viſurum corruptionem, in petra excauatum ſepulcrum; Quando igitur eorum incorruptio merces, qui IESVM ad ſua admiſerunt tecta, Petrus verò, & ſolo, ſalóque habuerit hoſpitem, donandus erat eiuſmodi præmio, quod ſecum quandam immortalitatem allaturum eſſet; proinde cùm de nominibus ſuis conferre aliquod ſtatuiſſet, delegit ex pluribus illud maximè, quod durationem, æuúmque magnum denotaret, inde & *Petram* appellauit: *Tu es*, inquiens, *Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non præualebunt*, &c.

Luc. 4.

Nomẽ incorruptionis Petro impoſitũ ob Chriſti hoſpitium.

9. Multis fletibus proſequutæ extinctum Lazarum frarrem Martha, atque Magdalena: quòd ſi tam ardens in defunctum amor, cur non ſtatim ac earum limina tetigit IESVS ad eius genua prouolutæ, eiulatu, & ſingultibus pro germani reſurrectione ſupplicant? Pudétne Ma-

riam, quoniam Hieroſolymitanæ nurus circundant, ne vltra decorum prodiiſſe aſſeratur? Sed dilectio ſincera aulæ non irreritur ſuperſtitionibus; neque, vt amori placeat, cæteris diſplicere curat; fuit, cùm illa impigrè amoris æſtuaret incendio, & tum oblita, quid homines garrirent, ipſas inter epulas Præceptorem interpellare non deſtitit, ſoluit & crinales vitras, ſubiecítque optimum capitis ornamentum veſtigiis Sotêris: ardebat planè tunc; nunc tam altum in germani nece ſilentium demiratus Bernardus de gradibus humilitatis gradu 12. ad vtranque ſororem: *O ſanctæ mulieres* (inquit) *ſi fratrem amatis, cur Chriſti miſericordiã non flagitatis?* Ac ſanè Martha fatetur palam, *Scire ſe, quia quæcunque popoſcerit à Deo dabit illi.* Ioan. cap. 11. verſ. 22. Si igitur hoc nouit, cur non obteſtatur, vt Patrem roget, Lazarúmque è monumento extrahat? Fortaſſe quidem omiſſa à ſororibus huiuſmodi poſtulario quaſi ſuperuacanea: nouerat Chriſti illud eſſe hoſpitium, IESVM verò nihil intra ſui hoſpitij cancellos permittere, quod corruptioni affine ſit; rogandus itaque Redemptor fuit, vt hoſpitium intraret quidem, propterea que miſerunt ad eum nuncium; ſed eo ſemel intra limina recepto, non erat dubium, procul omnem corruptelam abigendam, ac ob id pro fratris ſuſcitatione à ſororibus non eſt poſtulatum.

Bernard.

10. Sed, quid mirum, ſi verus IESVS à morte, & corruptela eximit, quando eius ſola repræſentatio idipſum præſtat? Hierichuntem expugnaturus Ioſuë, ſeuerè edicit militibus, ne quæ corda tangat miſeratio, ſed aduersùs vniuerſos ſæuiat victor gladius, vna excepta, neque ea honeſtiſſima femina, meretrice, nimirum, Rahab: *Sítque hæc ciuitas* (ait) *anathema, & omnia, quæ in ea ſunt, Domino, ſola Rahab meretrix viuat*, Ioſuë cap. 6. Nihilne in opulenta copioſáque vrbe Ducis clementiã dignum præter mulierem ſcortariam? Vide, Imperator, ne ſi hanc libidinibus infectam ſerues, dicaris, ſuperaſſe quidem inimicos, ſed à venere edomitum! puderet Ethnicum talia ſpolia Ducem retuliſſe, nedum Hebræorum caſta, religioſàque ſchola educatum; Sed viuet tamen Rahab, eiúſque omnis domus iure optimo ſalúabitur ipſa nanque IESV ſimilitudinem, Ioſuë, ſcilicet in exploratoribus hoſpitio excepit. *diſce, Chriſtiane,* (inquit Ambroſ. in Pſalm. 37.) *quomodo verum* IESVM *ſequi debeas, quando femina contempſit omnia ſua, &* IESVM *in figura, & propter ſimilitudinẽ nominis eſt ſequuta.* Ergo quoniam IESVM, quamuis in imagine ſolùm, & figura, intra penates miſit; quamuis cruentus, & ferociens gladius omnia deuaſtet, omnibus lucem hanc eripiat, ſaluabitur Rahab, & neque luctus, neque dolor, neque mors ad eam appropinquabit; quòd ſi ob IESV vmbram tam magna hæc adepta eſt mulier, quæ & corpore incolumis, & animæ quoque nitelã ad Deum verum conuerſa, derelictis idolis, conſequuta eſt; quæ in MARIAM quàm ſtupenda fuiſſe cumulata arbitrabimur? *Felix planè*, (inquit Bernardus ſermone ſecundo de Aſſumptione,) *quæ iam non exploratores Hiericho, non legatos Joſu, filij Naue; ſed ipſum magis ſuſcipere meruit* IESVM *Filium Dei.*

Ioſuë. 6. 17.

IESV ſola vmbra mortis contraria.

Ambroſ.

Bernard.

11. Ecce Ionas fugitiuus Vates mitiora reperit ceti præcordia, quàm nauis profunda; nam ex monſtruoſo piſcis aluo in aridam traiectus: Sed, cur ad fauces vaſtiſſimæ belluæ alliſus non in-

terit ? atque, vt absque vulnere receptus lateribus, cur non stomachi fœtore exanimatus ? non æstuantium viscerum tanto Vulcano resolutus ? Puto mortem triduo illo arcum, sagittas fregisse, & vt ad ceti fauces peruenit, veritam vlteriùs progredi, substitisse iratam in limine; Sed, à quo audax, & macilenta furia prohibita est ? quid rabiem refrænauit ? Equidem intuebatur ventrem ingentis piscis hospitium factum IESV in figura tamen solùm, & similitudine: etenim Ionas ex notissimis Seruatoris typis, quo ipse, & sepulturam, & anastasim Iudæis intimauit; sciebat igitur, vel ab eo hospitio, quod solùm in figura recepisset IESVM arceri se, aduersarique & vmbrati IESV diuersorium putredini, atque morti; Accipe Hilarium confirmantem Canone 16. in Matthæum; *Nanque Ionas ventis sauientibus, proiectus è naui est, & deuoratus à ceto, post triduum viuus emissus; non retentus à monstro, non cibi conditione confectus; sed contra humani corporis naturam, integer, & illæsus in auras superas, virtute Dominicæ præfigurationis, euadit*; Scitè dixit Hilarius; *Virtute Dominicæ præfigurationis*; nam id profuerat, quòd nimirum IESVM præfiguraret.

Ionas virtute Dominicæ præfigurationis è ventre piscis euasit illæsus.

Hilar.

12. Fuit & Abiathar Sacerdoti quidpiam huiuscemodi vtilissimum; nam ipse filius mortis, eò quòd Adoniæ faueret contra Salomonem; atque Regum cùm esse consueuerit impotens & acerba ira in eos, qui principatui obstiterunt, leniuit bilem Salomon, & exilio contentus, vitam condonauit; quamobrem, cùm eiusdem coniurationis reos de medio tolli iusserit, huic indulsit; *Equidem vir mortis es* (inquit Reg. 3. cap. 2. vers. 26.) *sed hodie te non interficiam, quia portasti Arcam Domini Dei coram Dauid, patre meo.* Verùm, quantum est hoc quoniam Arcam baiulauerit ? Nónne longo tempore Ioab militiæ paternæ Præfectus oppida & prouincias genitori acquisiuit, hostem profligauit, restitit denique inimicis vsque ad sanguinem, & vulnera; & tamen moritur, cùm neque Asylo gratia haberetur ? Fortasse cum Ioabo comparandus Abiathar, qui in otio sedit semper atque pace ? Aduerte tamen, quid Abiathar supportauerit, Arcam scilicet Domini Dei: quid autem Arca illa portendebat ? Christum equidem loquebatur variis modis, siue sacram humanitatem quoad se intellectam, seu eandem, qua Corpus & Sanguinẽ refert, velatam in sacro conuiuio sub vini & panis integumentis, atque accidentibus: Cùm ergo tributum sit eis, quibus IESVS vel in figura atque ænigmate insedit, apud quos demoratus est, à morte redimi, aduersùs quos neque Lachesis, neque sepulchrum iura habet; arca autem IESV humanitatem indicauerit, religiosè ob hoc Salomon Abiatharo vitam & halitum permisit: *Hodie* (ait) *non te interficiam, quia portasti Arcam Domini Dei coram Dauid patre meo*; Quòd si hoc Abiatharo scelerato, & infido concessum: quid tibi, ô benedicta inter mulieres, ô Domina ? Scande, felicissima, montes aromatum: abi tota, abito integra corpore pariter & anima, in stationem amœnam æternùm duraturæ quietis: gradere in hac die lætitiæ cordis tui festiua, & mitis: atque interim, dum ascendenti Filius blanditur, beatæ applaudunt Mentes, sydera, & Olympus procumbunt, conuerte ad nos aliquando lumina, tu, salutis nostræ singularis fiducia; & cùm ad thronum gloriæ peruenieris, *Sit pietatis tua ipsam, quam apud Deum gratiam inueneris, notam facere mundo: reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium, & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo.*

Quare sacerdoti Abiathar vitam donauerit Salomon ?

3. Reg. 2.

Bern. serm. 4. de Assũpt.

SECTIO II.

Apostolici viri libentiùs abiectorum culturæ incumbunt: laudati, qui Indorum salutem prouehunt.

13. CHananæam duxisse sponsum ostendimus sæpè, probauimus latiùs anterioris Isagogæ Sectione 1. Quàm inhonora natio Salomone clauum imperij tenente ? Omnis in seruitute populus, totus venalis, & sub hasta; quippe de eius interregno Iosephus Antiquit. lib. 8. cap. 6. *Hebræorum enim nemo ad seruiles operas adigebatur; sed omnes arma, & currus, atque equos, & rem militarem tractare malebant: Chananæis verò, quos ad seruitutem abduxit, sexcentos Præfectos præposuit, qui Procuratores essent regii, & sua cuique opera, atque negotia præscriberent*; Sed inter hos, cùm tamen vniuersi abiectissima capita essent, sponsa præ cunctis vilior; non fixa domus, & certi lares, non armenta, non terrarum spatia, non suppellex aliqua; Omnibus igitur destitutam ornamentis, nullis commendabilem fortunæ præsidiis, quamobrem adolescens potentissimus tantoperè dilexit, vt auertere oculos rogaret, quoniam euolare fecissent, vel, quemadmodum alij transtulêre, excordassent illum ? Cùm supplicarent Iudææ omnes Toparchæ, & allicerent nobilissimarum cateruæ virginum, quibus stemma, educatio politior, Crœsi diuitiæ, forma Tyndaridis; his prætulisse sanum existimauerit, & neque sua aut prudentia, aut indignum auctoritate, eam, quæ hædos in pastum duxerit ? Quid est ergo, IESV bone, quod hæc nobis velamenta insinuant ? Debere quidem nos animarum omnium medelam ardentissimè sitire ? sed dulciorem erga pauperes oportere esse prouidentiam nostram; Suspecta est iustitia, quæ semper ambulat super pennas ventorum, nunquam ad ima deprimitur; Optimatum limina perpetuò terit, ad inopum tuguria vix aliquando deflectit; Non tales, qui nihil nouerunt præter IESVM, & hunc crucifixum: horum voluptas, humilis, & abiecta plebs, quæ habitat in vmbra mortis; super pauperem, & egenum requiescunt, vt liberent eum in die mala, & faciant sectatorem bonorum operum; Hoc didicêre à sponso; hoc à magno animarum Pastore Christo, Vultis intueri planè ?

Chananæi sub seruitute temporibus Salomonis.

Ioseph.

14. Excitate duarum Parabolarum mentibus imaginem, quoniam dulcis est recordatio earum nobis, quotquot fuimus aliquando tenebræ, & peccato subseruiuimus; altera ouem exhibet, quam sequutus magister gregis in terra deserta, inuia & inaquosa, post longam fatigationem reperit tandem, & gaudens humeris reportauit ad caulas: altera filium præsentat, qui abiit in regionem longinquam, & ipsa vexatione graui nimiùm admonitus reuertit in se, patrísque fisus benignitate adiit animosus relictam aulam, si fortè in posterum, vel inter mercenarios locus detur; Quorsum igitur, aut vnius ouiculæ tabescit desiderio pecoris custos ? aut in quærenda sobole genitor, tam supinus, tam negligens existit ?

Filij iunioris atque ouiculæ dispar cõditio, virtusque Parabolæ discretiũ sensum ostẽdit.

stit? habet ille centum oues, & boum quoque fortasse armenta, & asinas, atque camelos plurimos, & caprarum multitudinem; & tamen vnius absentia supra mortem vexatur, non dat palpebris dormitationem, neque requiem temporibus, donec inueniat; hic exigui numeri pater duplici tantùm superstite masculina proie, velut si quinquaginta alat natos, non abeuntem remoratur, non discessurum exorat, non longè positum arcessit; Atque animaduerte pastoris summam diligentiam, in pastore amoris flammam maximam: habet dives opilio seruitia puerorum, ancillarúmque: subsunt minores bubulci, caprarii: non amandat horum aliquem, ipse interim domi residens: aut certè si tempestas arrisit, sub frondosa arbore auena lusitans chorum philomela perficit, & attentum nemus, leuibus etiam foliis silentium imperat: surgit de gramineo strato, fertur incomitatus cùm tamen, quò pergendum esset, hoc, etiam iter difficillimum aggressurum lateret; At verò genitorem, vt domesticæ non sinant curæ vrbe exire, magnus vtique Gubernator publicæ non se possit administrationi subducere: quamobrem seniorem fratrem non misit exploratum? cur, si huius præsentia carere arduum sit, non ex vernaculis quempiam, ex frequentissima clientela, in terrarum vel vltimos fines, si opus tam acri inuestigatione, non destinauit? Notauit vtriusque Parabolæ discrimen acutè Hieronymus epistola 146. *Hæc inter parabolas supradictas ratio discretionis est* (inquit) *secundum personas, vel mentes enarrantium: vt pater filium non requirat peregrinantem: sed recipiat pœnitentem: pastor verò ouem errantem, & non sapientem reuertere requirat, & humeris suis ferat:* Equidem idem & pastor, & genitor, Christus, nempe, sed dispar conditio filij, atque ouiculæ: nanque adolescens prodigus, cùm ratione polleat, nobilissimum Dei opificium est, Triados idea, Angelorum contubernalis: itaque non immeritò mortalium potentissimos, & conspicuos quosque repræsentat: ouicula autem simplex, & stolidum animal, abiectiorem hominum partem adumbrat: Significaturus igitur Redemptor apostolicum virum debere quidem omnes ad pœnitentiam suauissimè admittere, ab vtraque Parabola terroris speciem minimam amouit: sed, quoniam indulgentiores volebat Euangelij ministros erga ope destitutos, pastorem efformat, qui ignobiliora sollicitè exploret, nullùmque non moueat lapidem: genitorem in quærendo filio segniorem effingit: Atque ob hoc ipsum quoque, soboli inimicæ, quãuis & hostili gratiorem se exhibet, quàm sponsæ, quæ non offenderat: nam saltem reuertenti filio occurrit, & osculatus est miserum iuuenem, & vestiuit discoloribus, & calceauit hyacinthis: sponsam autem per vicos & plateas eiulantem post eum, quem diligebat anima eius, audiuit, & non respondit: Verùm sponsæ comparatione filius ignobilitatis typum portabat: quippe illa in amictu deaurato adstabat ad dexteram Principis: hic fame enectus, pannosus atque indigens ad mercenariorum tantùm classem adspirat, satisque se beatum putat, si tanto donetur honore: ergo illum ouis respectione potentem, & nobilem, non per se, non per ministros pater è latebris eruere laborauit: sed quoniam relatus ad sponsam Irus apparebat, mitiori excipit vultu quàm thalami consortem: Adnotauit Gillebertus Abbas ser-

Hieron.

Filio à scelere reuertenti mitiorem se exhibet Pater quàm sponsæ innocenti.

Gillebert.

mone 3. in Cantica: *Vide, si non in præsenti hæc possit obseruari distinctio, quoniam patris exposita est, & parata cunctis indulgentia: deliciæ vero & fugaces, & reconditæ, & latibulis gaudentes: ideò ille dicit: Surgam, & vadam, illa verò: Surgam, & quæram. Denique & pater occurrit pœnitenti: sponsus se subducit diligenti.* Sic igitur, quæ contemptibiliora, sunt maiori in pretio coram Deo.

Sed feramur paululùm ad mundi incunabula. Formaturus hominem Deus, non nisi de limo terræ finxit, quemadmodum Moyses testatur Genes. cap. 2. Porrò Hebræum עפר, *gasphor*, terræ puluerem minutissimum denotat, qui ventorũ flabris súsque déque rapitur, nullíque agricolarum vsibus proficit: quare vilissimam glebæ portionem nominare non dubitauit Chrysostomus homilia 12. in Genesim: *Quid dicis? Accepto de terra puluere formauit hominem? etiam, inquit, & non simpliciter, nec quamuis fortuitò terram dicit, sed puluerem: quasi si quis dicat, tenuissimum & vilissimum, quod est in terra:* Quæ fuit sententia Procopij Gazensis: *Puluerem* (ait) *nominat terræ partem purulentam, & in superficie terræ volitantem: elicitur itaque ex præsenti loco, Deum non collegisse optimam terræ partem, ex qua formaret hominem, sed superfluam, & quasi inutilem*; Cur igitur plastem suum, & mundani opificij fastigium ex despecta & inhonora formauit materia? An ne quòd ad egregia quæque facinora diuinitas abiectiora eligere consueuit instrumenta? An autem docere maluit, priorem ignobilitatem, & obscura atque lenta initia, neque virtuti, neque gloriæ, præpedire viam? Anne illud magis, debere quidem nos pulcherrimam fabricam meditari, si oporteat struere, verùm citra aliorum iniuriam: itaque vilem glebæ portionem dissipare noluit, vt ex huius ruina rationalis consurgeret creaturæ corporea moles: ingratum est lucrum, quod alterius dispendio constitit: fuerint quidem hæ non idoneæ causæ efficiendi: sed quidpiam præterea, quod præsens iuuet institutum, innuere voluisse arbitror, nempe, hominem producturus erat, qui diuinam referret naturam, ad imaginem quippe, & similitudinem suam formauerat eum: quid autem apostolici viri conantur, quoties pro animarum salute lassantur, & maria sæpè tranant, & longa sibi indicunt exilia? equidem id in primis nituntur, vt deturpatam in homine Numinis admirandam similitudinem peccatorum violentia redintegrent, & antiquo restituant honori: ergo, quò nouerint in hac eximia procuratione pauperum despectorúmque habendam maximam curam; ideò protohominem Deus, quoniam suo donaturus erat charactere, ex vilissima effinxerat materia, ne si ex pompatica & æstimanda creasset materia, Euangelij Mystæ suspicarentur potiùs adamatos à Deo nobiles, & præpotentes, quàm vilem, & contemptam plebem.

15. Genes. 2. Chrysost. Procop. *Gloria à nobis per aliorũ ruinam non quærenda.*

Verùm absoluta hominis fabrica, quæ finem attulit Dei operibus, requieuisse eum Scriptura asserit die septimo, quam & sanctificauit lucem; at cùm, vti Augustinus prodit lib. 4. de Genesi ad litteram, *Deus nec creando defessus, nec cessando refectus sit*, cur septimam lucem feriationibus potissimùm destinauit? Quòd si quidem in operando fastidia pertulisset Creator, & lasso quærenda fuissent solatia, vtique dies à laboribus vacuus opportunior extitisset; at fatigationem inexperto quæcunque sufficiebant tempora. Puto

16. Auguſt.

quidem reliquas septidui luces habuisse, à quibus famam, & nobilitatem acciperent, opera nanque ipsa cuiusque diei: itaque hæc gloriabatur de efformata Solis pulcherrima rota: illa iactabat terram condecoratam esse; alia firmamenti exornationem præferebat: maria sibi cum toto Neptuni imperio vendicabat quædam: atque principatum sibi debitum contendebat acriter sexta lux, quòd ea conditus Homo. Solus dies septimus gloria omni vacuus, ignotas, & pauperes voluebat horas; Quid igitur superat, vt faceret Creator? nimirum, sanctificaret diem aliquem; Hanc igitur gratiam in Sabbathum contulit; Quorsum? Equidem, quoniam cæteris vilior, & contemptior fuisset dies, Chrysostomus homilia 10. in Genesim, *Ne videatur aliquid minus habere dies ille, eò quòd in eo nihil factum, benedictione ipsum dignatus est, & benedixit (inquit) diem septimum, & sanctificauit illum,* Sic igitur, cùm de sancta formanda luce Numen deliberat, non glorioſos & superbos dies elegit, non diuitiis, quas elementa suppeditant varias, & innumerabiles, locupletes; contemptioribus delectatus est magis, animarum consolaturus venatores, cùm rusticam ad iustitiam erudiunt multitudinem, cùm mancipiorum quisquilias, tunc gaudium est in cœlo magis, quàm cùm Optimatum frequentant aulas, ad proceres, ad nitidam, & benè curatam vrbanæ munditiei coronam verba de sublimi proloquuntur emunctula, & tersa, & quæ exceptis eruditis auribus, cæteræ fastidiunt.

Septimam diem aliàs ignobilē, sua benedictione Deus nobilitauit.

Chrysost.

17. Sed iam animus nostet, dum hanc suauissimam eructat memoriam, & vestri recordatione saginatur, ô quibus illuxêre beatiora sydera: vos Angeli veloces, qui emensis Oceani spatiis, Indorum salute attracti, contempsistis quicquid in mortalium vita formidabile, & inaccessum est: atque superato profundo maris, tellure multùm exoptata poriti, tum demum curritis sed non quasi in incertum; at per iuga montium quidem, per inhospitales Caucasos, per ferarum antra, per stagna, & paludes, per nemora, quæ spinas, & tribulos progerminant, per arenas Lybicis plùs immites; quid ista vestra tam anhela cursitatio? quid neglecta cutis; & puluere atque sudoribus turpata facies? quid vepribus laceratæ plantæ, & ante hostilem pugnam exundantes sanguineæ stillæ? scilicet, per tam duros cruciatus Indus à vobis quæritur, & hæc sufficiens tantorum laborum merces, si conuertatur ad Dominum, & vias suas malas relinquat: non opibus clarescit, non vultu, non ingenio, factus est iumentis insipientibus similis, & sæpè arcum & sagittam intendit, vt Medicum interficiat, & sagittet immaculatum; & tamen nulla à vobis audita querela, quoniam incolatus vester prolongatus cum habitantibus Cedar: Pergite, Apostolorum rediuiua effigies, orthodoxæ militiæ robora, Matris Ecclesiæ solatium; stragis quam hæresis intulit recompensatores duplicatis incrementis, successoris Petri gaudium, & corona; & tu, IESV Societas, qua cæpisti virtute, perge festina prædari, accelera spolia detrahere, donec auferatur fortitudo Damasci, & filiæ Tyri in muneribus vultum Christi Redemptoris deprecentur; Memento mei, quoniam caro, & sanguis tuus sum, in abundantia consolationum tuarum, in pressura & ærumnis; cùm federis ad mensam Principis, suggeras illi, ne ignauum, & torpentem militem proiiciat in æternum; Sed age, quando difficillimam aggressi estis prouinciam, prosequamur è Scripturarum pratis fomenta aliqua depromere, quæ lassos recreare valeant.

Quantis laboribus Indorū salutē exquisierint viri Apostoli.

Contemplamini igitur magnum Eliseum, & proponite vobis eius idcam; Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ, vir magnus apud Dominum suum, & honoratus, cùm lepra afflictaretur, sanitatem à Prophetarecepturus, venit cum equis, & curribus, & stetit ad ostium domus Eliſei, misitque ad eum Eliseus nuncium, dicens: *Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua.* Reg. 4. cap. 5. v. 9. Occurrit subitò hac audita narratione. Quamobrem Vates Dynastæ Ethnico obuius non processit; nam & humilitatis id fuisset specimen, & benignitate fortè, piaque indulgentia quadam Gentilem ad veri Numinis agnitionem perduxisset: at vt cella pedem extrahere, religio prohibuerit, & austerior eremi disciplina, cur saltem ad ostium pulsantem non aspexit, non salutauit; sed per internunciam & vicariam linguam omnia geruntur? Sed concedamus quidem, primitiuos Carmeli incolas eam viuendi normam obseruasse, quæ hominum, & ora, & colloquia fugeret, atque ob hoc, videndum se Naamani negasse Propheram; cur idemmet feminæ permisit, pedibus illius vt obuolueretur, eósque tangeret? quid, quòd cùm eam Giezi amouere tentaret, *ait homo Dei Dimitte illam*, (Reg. 4. cap. 4. vers. 27.) *anima enim eius in amaritudine est*: Sanè Christus etiam, postquàm resurrexit, etiam impassibilis factus, vetuit ex peccatrice iam sanctam mulierem, ne vestigiis adhæreret, ne plantas brachis illaquearet. Animaduertit Gregorius Papa, & demiratus est, lib. 7. Moral. cap. 23. *Quomodo* (inquit) *Eliseus videre Naaman ex elatione noluit, qui non solùm se conspici, sed teneri etiam à muliere permisit, de qua scriptum est: Cùm venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes?* Arbitror quidem, Eliseum hoc facinore Prophetarum filios discipulos suos, atque in eis vniuersim quotquot animarum salutem procurant, docere voluisse, qua differentia proximorum spiritali saluti incumberent; nempe, omnium hominum medelam ardentissimè expeterent, & qua possint industria, procurarent. At; si aliquando ob iustas causas immitiùs agendum esset; in diuites tamen seueritatem exercerent; pauperes, & abiectos blandissimè exciperent. Itaque erga hos indulgentiores esse desiderabat: ac proinde, qui auro, & gemmis onustum Optimatem excepit austerus, cum femina egenti, & misera conuersatus est hilariter.

Pauperes & abiecti blandissimè excipiendi.

4. Reg. 5.

4. Reg. 4.

Gregor.

18.

19. Quòd si Eliſei exemplo potiora desideratis, Christi explorate gesta; Accessit ad eum ex Principum classe Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaüm; rogabat enixè, vt & filium malè habentem sanaret, simúlque, vt descenderet, & tecta intraret; alterum indulsit gnato, nempe, amissas vires restituit; alterum denegauit, nam lares subire recusauit: At Centurio quispiam, cùm pro ægrotante seruulo postularet, non solùm decumbentis angores profligauit; sed etiam Penates se inuisurum pollicitus est, ne id vel insinuante quidem Centuriæ Præfecto; Quare ab vnius liminibus Redemptor abstinet, alterius petit culmina; Scilicet, paganismo infectus Regulus, nec licebat Hebræis Ethnicorum tecta frequentare; Verùm, & Centurio etiam Gentilis

tilis erat; An significare maluit, subditi non esse, partes Medico, aut Antistiti modos præscribere, quibus opitulentur ægroto? quare Regulum ausum normam sanandi Christo ostendere nempe vt descenderet, languentem inuiseret, & consolaretur, fastidiuit Redemptor, & hospitium eius contempsit; Centurionem autem, quoniam totum se obedientiæ subiectauerat, & præsentia sua pariter, & sanitate pueri donauit; Opinor verò id, quod hactenus prosequuti sumus, & hoc Seruatoris gesto confimari; omnium quidem à nobis salus exoptanda; sed cautè cum diuitibus agendum, lentè, opportunè, ne si festinanter, & veloces accuramus, non tam spiritalis lucri ferri nos æstro, atque raptari quispiam autumet, quàm locupletis substantiæ; ad pauperum autem neglectas, & inornatas cauernas, si nocte feramur intempesta, si per ardentem Solem, sub pruinis, nemo non in meliorem formam interpretabitur, cùm videat nihil esse in desolato antro, quod nos allicere valeat præter animarum sitim; Hoc nobis Christum innuere existimauit incertus Chrisost. hom. 22. in Matthæum; *Propterea quodam loco* (ait) *Regulo rogante, noluit ire: hìc autem non rogatus promisit ire, vt nos doceret, non magnos colere, & Medios contemnere; sed pauperes, & diuites simul honorare.*

Subditi non est, regulas præscribere Superiori.

Chrysost.

20. At non solùm ab his, quæ Seruator in carne passibili gessit, documenta capiamus; videamus, & quid à tumulo resurgens perpetrauerit; ait enim Marci Euangelium cap. 16. vers. 1. Magdalenam cum Maria Iacobi, & Salome emisse aromatà, vt venientes vngerent IESVM: & quanquam magna diligentia, summo mane stratum reliquerant; tamen properantes fefellit spes: nam introëuntes in monumentum, viderunt iuuenem coopertum stola candida, qui admonuit frustrà quærere defunctum IESVM, quippe rediuiuum iterum frui vita immortali, & glorioſa. Sed, quamobrem non expectauit aliquantulum, qui probè nouerat venturas cum vnguentis, & Arabia? Ergóne, vt Scripturæ adimplerentur, quæ tertia die suscitandum prædixerant? aut ne corpus eiusmodi existimaretur, quale cæterorum mortalium medicamentis, & suffituum ope indigens, ne fœtore accedentes repelleret? Sanè pauperum id gratia commissum, vt in hos aromatum pretia effunderentur, cùm iis IESVS opus non haberet, significauit Bernardus hom. 12. in Cantica: *Emunt* (ait) *non vnguenta, sed aromata: nec ad vngendum tantùm aliquam corporis partem, verbi gratia, pedes, aut caput: sed, sicut scriptum est, vt venientes vngerent IESVM, quod est totius complexio, non partis distinctio: tu quoque si induas viscera misericordiæ, non tantùm parentibus, siue cognatis tuis, aut quos tibi, vel benefactores tenes, vel benefacturos speras, nam & Ethnici hoc faciunt; sed iuxta Pauli consilium, studeas operari bonum ad omnes, & fortè prouidè ob hoc Dominus IESVS paratam sibi confectionem expendi noluit in suo corpore mortuo; mulierum deuotionem non eluit, sed instruxit, renuit vngi, sed parcens, non spargens.*

Christus resurgens, etiã beneficentiæ in pauperes documentũ præbet.

Marc. 16.

Bernard.

21. Verùm, si tanta de pauperibus Christo prouidentia, cur hanc eandem Magdalenam, antequàm pateretur, non prohibuit, cùm effudit super caput eius recumbentis alabastrum vnguenti pretiosi? Annon potuit istud venundari, & dari pauperibus, vti inquiebat Iscariotes? Equidem his adumbratas, & aromatibus, & vnguentis reor non tantùm corporis alimoniam, qua subuenitur stomacho indigentium; sed multò potiùs suauissimas illas artes, quibus Euangelij peritus Architectus peccatorum Orci faucibus eripit. Adsentit Bernardus vbi suprà: *Renuit* (ait) *vngi, sed parcens, non spargens: non recusans obsequium, sed reseruans proficuum: proficuum dico, non huius materialis, atque corporalis vnguenti, sed planè spiritualis.* Christus igitur, antequàm ex mortuis remearet triumphator, pauper erat, homo, scilicet, passibilis, vir dolorum, & non habens vbi caput reclinaret: tanquam igitur de egenis, & miserandis vnus non respuit Magdalenæ deuotionem, & obsequia; at postquàm mortem superauit, & formosus apparuit in stola humanitatis, abierúntque tristia vniuersa, tunc data est ei omnis potestas in cœlo, & in terra. Dives igitur erat, & fortunatus, excelsiórque omni dominatu factus; hoc igitur maiestatis apice constitutus, opobalsama, & stacten reiicit; quoniam non iam mendico & egenti offerebantur, sed copioso, & diuiti; ergo, quia carne, quæ mori potuerat, redimitus numerabatur inter afflictos, & infimę notæ mortales, (vermis enim erat, & opprobrium hominum,) vngi se non est passus; postquàm autem transiit ad purpuram, & regiam ambitionem, pauperes se potiores habuit, vt cùm sibi etiam quodammodo præferri elegerit, qualem nos de eis curam habere oporteret, insinuaret.

Bernard.

Christus in carne adhuc passibili, tãquam vnus de egenis, Magdalenæ obsequia non respuit.

22. Neque hoc tam eximo fauore minorille, cùm scriptus proferetur liber, & vocabuntur omnes filij Adæ ad vallem Iosaphat: tum certè æquissimus Iudex his, quos inextinctus ignis voraturus sit, dicet iratus, & terribilis, *Discedite à me, maledicti; esurii enim, & non dedistis mihi manducare; (Matth. cap. 25. vers. 42.) hospes eram, & non collegistis me,* &c. Quando verò Christus sceleratis coram orbe toto crimina obiectat, cur non Caïnum obiurgat, quòd iustum Abel impiè occiderit; Pharaonem accusat, quod Moysi restiterit; Herodem pungit magni Baptistæ decollatorem; Neronem perstringit, quòd in Apostolorum præcipuos eius sæuierit gladius? Annon de his tractare decebat in maxima frequentia Angelorum, hominúmque magis, quàm de inerudita, & despicabili turba? Atque vt de spiritali pabulo loquutum concipiamus, nullane eos manet pœna, qui potentum tacuêre vitia, & tyrannidem reprehendere veriti sunt? Celantes itaque Regibus veritatem, cur non taxat? De reliquis silet, vt Catholicus demum intelligat Instructor, de rudium, imperitorúmque catechesi præcipuam esse Numini voluptatem: quin verò timeant plurimùm, quibus animarum incumbit valetudo, quando de minimorum eruditione quæstio ante omnia est. Scitè Chrysologus serm. 14. in Psal. 40. *Quod Abel passus sit, quòd seruauit mundum Noë, quòd Abraham fidem suscepit, quòd Moyses legem tulit, quòd Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet; & hoc clamat solùm, quod comedit pauper: erogatio pauperis prima diuinis scribitur in diurnis.*

Matth 25.

De rudium institutione specialis Deo voluptas.

Chysol.

23. Iam hoc & illud est egregium signum, quo dignoscenda erat lætissima sponsa, quam Dominus præparauerat Isaaco Patriarchæ: *Igitur puella, cui ego dixero:* (Genes. 24. vers. 14.) *Inclina hydriam tuam, vt bibam, & illa responderit: Bibe; quin & camelis dabo potum, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac,* &c. Imò verò Isaaci thalamis inidonea, quæ talis est, virgo; ostendimus

Genes. 24.

quippe

quippe Anteloquiò præterito, Sectione 6. n. 126. Abrahamum regia functum auctoritate tam amplum ei famulatium, tam diues possessio: regale igitur stratum conscendet puella, quæ camelis potum dare non spernat? Id quidem nulla egerit femina, nisi quæ ex ancillarum ordine sit: Mancipium itaque ad thorum admiserit Isaacus? At certè Abraham, qui puerum dirigebat, vt acciperet vxorem filio suo, (inquit Augustinus serm. 75. de tempore) typum habet Dei Patris, puer autem, eius Verbum designabat: Quæsiturus ergo Deus Pater Isaaco, id est, Christo suo sponsam, eam deligi virginem imperat, quæ cùm sit pulcherrima feminarum, ingenio, stemmate, diuitiis præstet tamen & deforme animal, quale camelus, potare non dedignetur; nimirum, animas eas arctissimo sibi fœdere deuincit, quæ cùm in Ecclesia summum locum obtineant, à sua tamen neque multiplici scientia, neque eximia auctoritate alienum arbitrantur, rusticam instituere plebem, verùm & cum his libentiùs, dulciúsque immorantur, hoc est, camelorum quoque sitim extinguere, quemadmodum præmeditatur Gregorius, quem Glossa citat ad cap. 24. Geneseos: *Nec solùm omnibus comitibus eius; sed & camelis potum præbet: quia Verbum vitæ non solùm prudentibus, sed etiam stultis prædicatur. Romanorum primo, Sapientibus, & insipientibus debitor sum:* Quemadmodum itaque eam non despexit virginem Isaac, quæ vilia exercebat ministeria, & mancipiorum adinstar cum hydria ad fontem ipsa pergebat latices haustura; ità nec huius Epithalamij sponsus illam contempsit adolescentulam, quæ vineam custodierat, quæ hœdos, agniculósque ad pastum abigere consueuerat, quæ Chananæorum ignobili orta populo, neque auorum gloria, neque opibus, aliúsve fortunæ clarebat ornamentis; vtroque autem typo adumbratum, Numen quidem omnipotens animas adamare cunctas, earum summoperè velle salutem, nimirum, pro quibus Filium suum dilectissimum manibus tradidit nocentium, at verò erga rudem, & simplicem turbam velut affici magis, & quasi gratiora esse, quæ in hoc genus hominum conferuntur laborum & pietatis officia.

Augusti.

Camelis ada quandi sunt rustici instruendi.

Gregor.

SECTIO III.

Deus sceleratissimis condonans peccatoribus, præstare, vt de clementia optimè sperent imperfecti, indicat.

34. VErum, quòd ex ea natione vxorem sumere placuerit sponso, quæ malitia & detestanda impietate reliquas vicisset gentes, bellúmque habuerit capitale & indeficiens cum omni honestate, nempe, Chananæorum populo, quod cùm eam virginem sibi despondere possit, quæ satis imbuta disciplinis ab incunabulis, vnà cum lacte ebiberit veri Numinis scientiam, atauósque fortita fuerit insignes Dei Prophetas, quibuscum familiariter conuersatus sit omnipotens; vanissimis deditam ab infantia superstitionibus, quæ & Baal & Astarten coluerit, Bacchúmque, atque Priapum, egregias meherele Diuinitates, venerata sit, antepoſuerit; quem non stupore ingenti afficiat, præsertim si norit ab eo hæc perpetrata, qui prudentia, consilio, grauitate, moribus emaculatissimis excellat? Sed omnem superat admirationem, quòd hanc non concubinæ loco possederit; inter primarias autem numerauerit vxores: iam & primariam quoque cùm fecerit, hoc tantùm non contentus honore, primipilam dixerit, & cæterarum ducem: *Sexaginta* (ait cap. 6.) *sunt Reginæ: vna tamen est columba mea:* Ad tantum igitur, & amicitiæ, & gratiarum fastigium cùm perditissimas animas euexerit Creatoris indulgentia, latroni empyreas valuas aperuerit, Magdalenam amauerit, Paulum conuerterit, ex his à quibus patibulo confixus est, intimos, & familiares habuerit multos, populos ingratissimos quotidie sustineat patiens, atque in Sion ciuitate sancta inter beatos habitatores, *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic*, quid est, quòd Christianus scelerum oppressus multitudine, quantuncunque, etiam super capillos capitis, super arenas maris, & guttas pluuiæ excrescant noxæ, de venia desperet? Quasi verò misericordiarum eius sit finis, aut non sit ipse, qui per Ieremiam loquutus sit dicens: *Si conuerteris, conuertam te* (cap. 15. vers. 19.) *& ante faciem meam stabis, quasi os meum eris, & liberabo te de manu pessimorum, & redimam te de manu fortium?* Quòd si tam benignus, & præstabilis super summa, & excelsa malitia; imperfecti, qui non dereliquerunt timorem Domini, quid vereantur? Audiant Augustinum ad verba illa Psalm. 138. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. Imperfectum* (ait) *Petrum pollicentem, & negantem, præsumentem, & deficientem; viderunt tamen oculi tui: nam ille imperfectus, titubans in Domini passione proculdubio periret; sed viderunt eum oculi tui, non solùm ipsum, sed omnes, qui imperfecti fuerunt: & in libro tuo omnes scribentur, non solùm perfecti, sed etiam imperfecti: non timeant imperfecti, tantùm proficiant, nec quia dixi, non timeant, ament imperfectionem, & ibi remaneant, vbi inuenti sunt, tantùm proficiant, quantùm in ipsis est*; Properemus hunc fulcire discursum, quoniam miserorum suauissimum refugium est.

Diuinæ misericordiæ in peccatores maximos excessus.

Ierem. 15.

Augusti.

Et quoniam in hoc genere præcipuum à latrone beato deriuatur solatium: primùm igitur exploremus, quamobrem Seruator ad vnicum eius verbum Paradisum reserauit continuò? Chananæam verò longa oratione interpellantem pro vexata à Dæmone filia, ne alloqui dignatus sit? quin, vt eam dimitteret, Apostolos rogantes (Matth. cap. 15.) immitior excepit inquiens, *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*, tandémque liberauit ægrotam, sed post contentionem, & moras; At certè nescimus, an hæc femina, eius, qui ob delicta, & scelera propria à ligno pependit, iniustitiam malitia vicerit; Erga latronem igitur non minùs seuerum oportebat se gerere Iudicem; Quòd si ea fuit in Syrophœnissa culpa, quoniam non animam, sed corpus redimi supplicabat; Christus verò his tantùm properus, & velox subueniat, quæ spiritalem sanitatem adiuuant, obiiciemus Samaritanam: hanc enim etiam, postquàm corporea transcendit, & caduca, iámque vitæ sitiebat fontem, prolixa sermocinatione instruxit, cùm docere possit compendio, & momento illuminare, quemadmodum latroni celer, & quasi in ictu oculi affulsit. Sanè latro iste eorum imaginem portabat, qui peccatorum correctionem in vltimam

25.

Matth. 15.

Ad vnicum latronis verbum cur Paradisum Seruator reseruerit?

mam vitæ periodum differunt, cùm lectulo doloris affixi Lachesis stamina vrget, & spatia mortalitatis properanter abbreuiat: periculosissimus autem est hic status, si quisquam alius; hîc insistit vehementissimè inimicus, & ad desperationem incitat, cùm non tam dereliquisse peccator noxas videatur, qui in tam longum distulit fletus, quàm ab ipsis derelinqui: ne igitur formident huiusmodi, & occlusos miserendi tramites autument, latronem protinùs absoluit, cum Phœnicia, atque Samaritana moras trahit, vt cùm suam causam cæteris præferri cernant, erigantur ad spem egregiam, & de Creatoris benignitate sibi optima quæque polliceantur: hoc illa sententia insinuauerit Auctoris de operibus cardinalibus Christi inter Cypriani tractatus: nam de Cœna Domini agens: *Ipse Dominus noster* (ait) *derelictorum personam gerens in cruce, se queritur derelictum: & ne desperarent etiam in vltimis constituti, festinans in adiutorium, illicò adest, & re in arcto posita non differt beneficium: sed repentè indulgentiæ cæleris documentum, eiusdem statuit & exemplum, latroni inquiens: Hodie mecum eris in Paradiso*; Igitur, qui tardus Samaritanæ, & Chananitidi respondit, latroni citissimus occurrit, *ne desperarent etiam in vltimis constituti, festinus illicò adest, non differt beneficium.*

Cypr.

26.

Atque sanè latroni acceptum referre debere nos, quod Paradisi valuæ adapertæ fuerint, Hesychius Hierosolymitanus Presbyter homilia 2. de Sancta Maria asserit: *Aperiebat etenim Paradisum, quoniam latronem introducturus erat in eum.* Atque Epiphanius sermone de Deipara: *Paradisum clausum aperuit, & per latronem rursum Adamum complantauit*; Verùm, cur non Ioannem Baptistam, non Moysem, aut aliquem ex Prophetis Olympi reserasse ostia potiùs dixerint Hesychius, atque Epiphanius? Equidem, si Baptistæ, aut Iobo, similibúsve solùm patere empyrea limina audissent mortales, quasi clausas in perpetuum ianuas opinarentur; quæ enim rarò valuæ recluduntur, pro non apertis censentur; rarò autem aperirentur, si magnos tantùm Heroës admitterent; nunc verò cùm homicidiis, rapina, seditionibus insignem, & qui per omnia iuerit vitia loco æternæ pacis, & solatij collocari videant, ingressuros vniuersos spondent; ianuam autem, quæ tam frequentes hospites recipiat, meritò apertam nuncupandam, proinde latroni potiori titulo, quàm Præcursori, aut Patriarchatum, Prophetarúmve cuipiam tribuendum, quod cœli portæ adapertæ sint: Fortasse & adisthæc alluserit Psalmus 23. cùm ascendente Seruatore clamatum à Spiritibus ad ianitores; *Attollite portas, Principes, vestras*; & *eleuamini, porta æternales*: Mirum nanque est, vti non postulent reserari ostia, sed dimoueri penitùs, & vectibus extrudi, quò pateant ampliora intrantibus spatia: Scio Nazianzeni cogitationem non paucos habere fautores; meditatur nanque cardinibus deturbari valuas, quoniam aliter Christum è prælio crucis reuertentem, capere non possent; quippe passione, & ignominia se ipso maior factus, quæ emiserant spatia, angusta erant remeanti; *Portis* (ait oratione de passione) *vt attollantur, ac sublimiores fiant, impera, quò Christum à passione sublimem capiant*; Scholium autem Nicetæ, *Non dicunt* (inquit) *Aperite, sed, Tollite, ac proinde in summam sublimitatem prouectus, sublimiores quoque portas fieri postulat ad ipsius exceptionem*; Est qui veterum triumphis morem geri arbitrentur, cùm aut ob portarum diducta nimiùm latera, vel portæ ipsæ amouebantur, vel murorum icta pars cadebat, quæ turbas inoffensè amplecteretur: ego autem dicere cupiã; mox vt in comitatu scandentis Seruatoris, quæ ministrabant angelicæ Mentes, conspexerant vnum de facinorosis, atque intellexerant hunc sub ipsa morte venia donatum, collegisse, fore vt in posterum innumerabilis multitudo ex omni lingua, & populo, tribu & natione recumberet cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno Dei Patris; quis enim ad salutis pollicitationem non excitaretur, cùm nullo ferè labore patibularius cœlum raperet, è cruce in Paradisum exiguo compendio translatus? A tanta igitur caterua cùm deinceps terenda essent Olympi limina, ne velut comprimeretur nimia multitudo, oportebat laxari valuas, ac proinde cardinibus amoueri: ideò non inquiunt, Aperite ostium, sed, *Attollite portas, Principes, vestras; & eleuamini porta æternales, & introibit Rex gloriæ*; Sic igitur latro probè dictus est, qui iter ad cœlestia præparauit, qui Olympum patere fecerit.

Hesych.

Epiph.

Psal. 23.

Christus seipso maior quodammodo per passionem factus. Nazianz.

27.

Cùm fugeret à facie Esaü, & paternam linqueret domum Iacob, sub dio cubantem adolescentem nobilem consolaturus Deus, *Ego* (ait) *sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac*: (Genes. cap. 28. vers. 13.) *terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo*: At, quas ob causas Abrahami se *Deum*, *ac Dominum* nuncupet, cùm Isaac *Deum* tantùm se dicat? Nunquid non Isaac quoque possessor est? Neque minùs insolens illud, quoniam Abrahamum vocet *patrem* Iacob, qui Isaac genitorem nactus est, Abraham auum sortitus? Oraculum in his latere aduertit Philo libro de somnis: *Caue autem putes temerè dictum* (inquit) *Abraham Dominum, Deúmque; Isaac verò Deum tantummodò*. Sanè adiunctione nominum Domini, atque Dei, maiestatem indicari Ambrosius significauit libro 1. de fide, cap. 1. *Deus enim, & Dominus* (ait) *nomen magnificentiæ, nomen est potestatis, sicut ipse dicit: Dominus nomen mihi est, & sicut alibi Propheta asserit: Dominus omnipotens nomen est ei.* Verùm, cur majestatis cognomine Abrahamum insigniuerit, ecce fortasse occasionem: equidem Isaac vitam beatã egit, cùm pecore, agris, familia abundaret, insuper immolesta habuit tempora; Abrahamus iussus patria discedere, famem, exilia, ærumnásque alias pertulit; ergo, vt Iacob afflictus, & egens animum attolleret, feliciorémque nosset pauperum conditionem, majestatis & pompæ vocabulum producturus, eo Abrahamum solùm honorat; vt cùm grandiori affectum titulo cernat exulem, & famescentem, locupleti, & opimo inuidere facillimè desinat; imò & hunc se patrem habere in primis iacter, quem Numen magis præferat, & sublimet: propterea Abraham pater eius appellatur, non Isaac; *Quia videbat* (loquitur Chrysostomus homil. 54. in Genes.) *iuxta consilium matris propter timorem fratris susceperum peregrinationem, & quasi erronem quendam viam facere, & solum, ac ab aliis abstractum, nullámque habentem consolationem vllo ex loco: statim in ipso initio volens confirmare alacritatem eius apparet, ac dicit: Ego Dominus Deus Abraham patris tui*: Sed propiùs ad rem nostram Iacobum claudicantem peccatorum typum sustinere meditemur, quæ & fuit opinatio Isidori apud Glossam; *Plures quippe à fide patrum degenerantes,*

Genes. 28.

Philo.

Deus signanter Abrahami se Deum dicit.

Chrysost.

Isidor.

& à præceptis sui Auctoris deuiantes, in erroris sui semitis claudicant, vnde Psalmus 17. Et claudicauerunt à semitis suis. Quin & hac peregrinatione sua filium aliquem prodigum denotare valeat; nam etiam rem bonam mali portare imaginem aliquando ostendimus Anteloquio 1. Sectione 2. num. 14. Abraham verò atque Isaac, illa fuit differentia; nam Isaac iustitiam ab infantia coluit, veræ deitatis semper eximius adorator; Abrahamum autem seruientem aliquo tempore idolis, Masius, Serarius, Magallanez, & alij agnoscunt apud Salianum tom. 1. anno mundi 2052. n. 2. ob hæc iustos repræsentare Isaacum, eósque fortunatissimos, qui non abierunt in viam peccatorum, nec steterunt in cathedra pestilentiæ, affirmabimus; Abrahamo adumbrati eos, qui vanitatis abrepti studio Dæmoni militarunt; igitur Iacobum confortaturus Creator, peccatorē vtique stare nescientem, & claudum, adolescentem, qui à patris conspectu abierit in regionem longinquam pulcherrimè non se *Deum, Dominúmque,* Isaac nuncupat, vt qui iustorum tantùm quasi protector sit, sed Abrahæ Numen; non enim respirabit culparum pondere oppressus, cùm videat glorianté eum, non quòd innoxij Isaac; sed quòd idololatræ Abrahami *Dominus* appelletur? Quid nimio mœrore confectus, fatuus inimico succumbis desperamen ingerenti? Si Isaac patrem amisisti, quoniam innocuum non es imitatus; sed habes potiorem genitorem Abrahamum ter maximum; idolis infanda obtulisti thura, & ille quoque; & tamen ille Mystes idolorum est, cuius se esse Dominum Creator iactat.

Abraham aliquando idolis seruiens

Masius. Serar. Magall. Salian.

28. Quòd si parum hoc, & desperatio potentiora antidota expostulet, ascende locum Caluariæ, vbi crucifixus est sæculorum Rector, & attende clamantem ad eum, qui ante omne æuum genuit: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quorum verborum accipe eruditam, suauissimámque expositionem ab Arnoldo Carnotensi: nam, cùm eam supplicationem fundi pro obstinatissimis peccatoribus docuisset, subnectit: *Pro his igitur ad Patrem conuertitur, & inauditum dicendi genus nouus Orator assumit, & inimicorum in causa allegans, ipsis inuitis, atque negligentibus, parti cōtrariæ suffragatur, & vtrum plus possit peccatum, quàm iustitia, Deo Patri quæstionem proponit: subtracta sibi agonum suorū stipendia Christus queritur, protestans non esse quæstuosos tanti discriminis sudores, si hi, quibus tanti laboris opera impensa est, sic relinquantur.* Sed demus ob Redemptoris petitionem seruatos iustos, & imperfectorum ingentem multitudinem, regnóque extrusos solùm cōtumaces, nimiúmque rebelles: nónne iustitiæ, quæ fuisset Christi aduersùs Deum Patrem, fieret satis? Fateor pactum legi apud Isaiam cap. 53. vers. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum,* Hæc verò adimpletur promissio saluis iis, quos nominauimus; ipsi nanque sunt *semen longæuum*; Cur igitur sceleratissimi quique Christo debita ex æquitate merces vocantur, vt si hos perire contingat, *subtracta sibi agonum stipendia queratur, protestans non esse quæstuosos tanti discriminis sudores; & plus potuisse peccatum, quàm iustitiam, Deo Patri proponens:* Memini quidem, cùm bona inter gnatos distribueret Abraham, Genes. cap. 25. vers. 5 scriptum: *Dedítque Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac; filiis autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc viueret:* At, nónne & donatiuū fuit, muneríque species, quibus Isaac locupletatus est; neque enim à maioribus Abraham acceperat? Si non minus istud, quid tandem? Sed video admirandi senis amorem summum erga dilectissimum Isaac; hunc vt præferat genitis ex concubina, quibus eum cumulat bona, *iustitiæ* titulo acquisita significat, cùm in alios diuisa filios liberalitati solùm debeantur; His secernitur Isaac à reliqua sobole; quoniam hæreditas ad eum ex iustitia transmittitur, ad illos ex gratia; In eum modum & humani generis restitutor Christus Patri Sanctorum prædestinationē acceptam refert; sed tanquam si munera solùm recipiat, Genitorem alloquutus Ioan. cap. 17. vers. 11. *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: cùm essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo: quos dedisti mihi, custodiui;* Vbi, cùm de Apostolis sermonem habeat, parentem obtestatur, sua dona protegat, atque tueatur, eorúmque glorificationem quasi datam, non autem emptam, & iustitiæ rigore acquisitam innuere videatur; verùm pro transgressoribus rogaturus, quoniā hæc ei velut charior portio erat, tanquam oblitus misericordiam & liberalitatem, ex iustitia, & æquitate agit, *protestans non esse quæstuosos tanti discriminis sudores, si hi quibus tanti laboris opera impensa est, sic relinquantur;* Vultísne explanem vobis altero simili? Seruierat pro Rachele Iacob septem annis, Superfluum est enumerare, quantis, atque quàm magnis incommodis; *Die, noctúque* (ait ipse Genes. cap. 31. vers. 40.) *æstu vrebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.* randémque ad nuptias ventum; sed vespere Laban pro Rachele aliam filiam suam introduxit ad eum; quam cùm manè vidisset, indoluit, deceptum se à socero, & in vanum consumptos septennij labores; *Quid est* (inquit socero Genes. cap. 29. vers. 25.) *quod facere voluisti? nónne pro Rachel seruiui tibi? quare imposuisti mihi?* At, quorsum ingemiscit pastor? nónne, si germanam amisit, altera sorore donatus est, atque ea quidem, quæ copiosiorem sobolem datura sit? Verùm amabat ardentissimè Rachelem; quare hac quoad frui non liceat, nihil assequutum se arbitratur, incompensatos adhuc sudores affirmans: Et quidem illius non vana omninò querela, substituebatur nanque pro virginum pulcherrima, deformis & denigrata iuuencula; Nunc verò cùm Redemptor speciosissimas accipiat legiones eorum, qui non coinquinauerunt animas suas, lacrymatur, & suspirat pro mortalium fæce abominanda, nempe, vitiorum antesignanis, facinorum auctoribus & ducibus, scilicet, hos si lucretur, cumulatissimam accepisse se mercedem existimet; iustos autem illos & immaculatos recipiens fraudari se adhuc stipendiis opinetur, & Deo Patri quæstionem propositurus sit, *vtrum plus possit peccatum, quàm iustitia, & ita sanguis Filij in conspectu Genitoris vilescat, vt non omnia postulata obtineat;* Quid agis, progenies Adæ? Hæc contemplaris, & non emolliris, non vinceris à tanta misericordia? Quamobrem consumeris velut à putredine, aut tinea, ab inordinata tristitia? Confide, non accedet ad te malum nec appropinquabit flagellum tabernaculo tuo, cùm habeas Christum Iesum in protectorem, & locum refugij ipse aduocabit pro te super Sanctos suos, atque de manibus eius si

Arnold. Carnot.

Isai 53.

Scelerātissimi. Christo debita ex æquitate merces vocantur. Genes 25.

Gen. 31. & 29.

Amans, nisi dilecto fruatur, cætera in pretio non habet.

te rapere tentent, arguet, *subtracta sibi agonum suorum stipendia, & vilescere sanguinem Filij in conspectu parentis*; Quàm libens hîc diutiùs commorarer, ô anima mea! locus hic plenus suauissimæ consolationis est; at subseruiamus Lectori, & progrediamur ad alia.

29. Atque sanè Christum in Ægyptum proficiscentem sequamur tantisper; Verùm tam longa quid opus peregrinatione, Herodis vt declinet cultrum? Nónne potuit in Iudæa latitare, quin inuenissent ministri efferæ crudelitatis, per quem Martyres ante insequentium lumina sæpè positi, reperti non sunt ab inuestigantibus, à quærentibus sedulò? Sed extra Palæstinæ terminos ferri quoniam placuerat, annon aliæ finitimæ regiones Ægypto potiores? nam aduersùs Abrahæ semen nulla gens sic armata est, sic contriuit miseros Hebræos; *Ad amaritudinem perducebant vitam eorum* (Exod. cap. 1. vers. 14.) *operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu*; Ad hæc voluptatibus dedicata Ægyptus plurimis scelerum inquinamentis fœdata est; Deorum autem portenta adorans, quæ nullus prætereà populus, atque magia, & præstigiatoribus celebris; Sed coniector ideò elegisse hoc exilij genus Christum infantulum, quoniam & Ægyptij omnium mortalium pessimi habebantur, & populo, de quo IESVS carnem sumpserat, infensus vltrà mensuram; nanque certè visus est super terram Filius Dei, vt hominem repararet, & spem veniæ peccatorum voragine mersis aperiret; metuebat etiam populus sanctus à vultu Domini exercituum, & stupor omnes inuaserat, quoniam & ante faciem eius contremiscunt columnæ cœli. Itaque, cùm vix saluandus videretur iustus, quid agerent vasa furoris, & indignationis? Pro horum igitur omnium medela Ægyptum intrat, sic apud se ratiocinatus; Putant homines, quòd austerus sim nimiùm, & colligam, vbi non messui: hunc vt demam pauidis panicum timorem, Phariam adibo tellurem; nam, cùm hanc, quam maximè horrere debueram, regionem tanto à me prosequutam fauore conspexerint, planè cogitabunt fore, vt cæteras prouincias benignus, & mitis admittam ad oscula & reconciliationem; nam, si iræ locus dandus fuisset, certè incolas reliquis iniquiores grauiori anathemate ferire oportet; Quando igitur nequitiarum medullæ parcitum adspiciant, quis de indulgentia desperaturus sit? Quid timeant imperfecti, cùm ne vecors, & facinorosus condemnatur? Huius sententiæ Auctor incerti Commentarij super Matthæũ post Chrysostomi interpretationem: homil. 2. *Et quare vadit in Ægyptum? nunquid alia terra defuit? semper enim aduersùs populum eius Ægyptus extitit inimica; Sed etiam recordatus Dominus, qui non in finem irascitur, neque in æternum indignatur, quanta mala fecerit super Ægyptum; ideò mittit Filium suum in eam, & dat illi magnæ reconciliationis signum, & perpetuæ amicitiæ pignus, vt decem plagas Ægypti vna medicina sanaret; O commutatio dexteræ Excelsi! vt populus, qui antè fuerat persequutor populi primogeniti, posteà fieret custos vnigeniti Filij Dei; Vides ergo, quòd ideò descendit in Ægyptum, non mortem fugiens; sed vt mortifera idola dissiparet;* Ægyptum itaque cùm sanitati restitutam, & Numini charam factam intuemini, omnes gentes, plaudite manibus, & iubilate Deo; quoniam bonus, quoniam misericors est; & qui Ægyptios admisit, neminem, quantuncunque imperfectum, repellet.

Exod. 1.

Christus infans in Ægyptum fugiens, miram erga Ægyptios clementiã ostendit.

Chrys. dub.

Hoc & indicasse visionem illam magnam, quam contemplari æstuabat Moyses, mihi cogitatio est; nimirum, quamobrem rubus non combureretur, cùm flammas euomeret? Sed cùm Dominus Legislatori inter ignis iaculationes appareret, vt propterea locus sanctificatus dictus sit ille (sic enim ex Patribus aliqui apud nostrum Fernandez visione 6. sectione 1. num. 6. Deum ipsum apparuisse arbitrantur) cur alteri præstantiori ligno non insedit? Et vbi cedrus, atque cypressus, vbi laurus, atque palma, vbi quæ balsamum, & stacten sudant trunci? Sanè propitiatorij, vnde responsa dabat, & diues, & ingeniosus labor; Isaias super solium excelsum, & eleuatum aspexit; Dauid sedentem in Cherubim; elegantiarum igitur tantus amator, cur nunc syluæ indecora eligit? Et quidem, vt in fauillas redigere statuisset, cremenda erant primo loco senticosa, & infructifera; verùm operaturus prodigium memorabile, & ingens beneficium præstiturus stipiti, non detrimenta, *nam à fulgore rami* (vt ait Nyssenus in vita Moysis) *continuæ quasi irrigatione virescebant*; quare antepositi nobilissimis frondibus pungentem, & aculeatum rubum? Communis resolutio est, in solamen afflictæ Hebræorum plebis huiusmodi excogitatum symbolum; instruebantur nanque, fore, vt ex ærumnis, atque pressuris lucidiores prosilirent, quemadmodum ex aurificis tortura micantius prodit aurum, quippe quantuncunque Pharao opprimere aggressus, tantùm non deuastauit, imò cùm Ægypto discederet, Creator, *eduxit eos cum argento, & auro,* (Psalm. 104. vers. 32.) *& non erat in tribubus eorum infirmus*; Ego etiam ad solamen Iudæorum referam ænigma, verùm animæ, non corporum medelam intuebor; Dixi quidem elapso Anteloquio 5. Sectione 6. num. 126. Ægyptiorum derestanda Numina, fœdásque superstitiones, posthabito vero Deo, amplexatos Hebræos; Erat hæc grauissima idolomania, quoniam ab iis commissa, quos peculiari fœdere, exquisitáque clementia sibi deuinxerat Creator; mitrebatur legatus Moyses, qui veniam sponderet; sed criminum magnitudine, & conscientia deiecti animi, nudis sermonibus fidem non erant adhibituri; portentis igitur sociandas erat sermo: ergo, ne credere desinant, rubum incombustum proferat, & simul reuelet Sacramenta, nam spinis adumbrari commissa delicta, operosum non est intelligere; Nouissimam itaque inter nemora arborem cùm animaduertant illustrari fulgoribus, & lambi dulciter ab ignibus, Creatorem sciant ignis significatum charactere, qui in extrema malorum delapsos non consumat, sed adstringat, & foueat, non in cineres redigat, sed claritate illuminet; atque talis tam benignus cùm erga rubum existat, quàm indulgentem futurum opinabimur erga excelsiora arbusta? Toti syluæ oppignerauit misericordiam, cùm etiam in rubum bonitatis thesauros largiter effudit; Hæc fortasse Ambrosius intenderit lib. 5. de Spiritu sancto, cap. 16. *Vrebatur enim rubus, & non exurebatur, eò quòd illo mysterio Dominus figuraret, quia illuminaturus spinas nostri corporis adueniret, nec consumpturus ærumnosos, sed mitigaturus ærumnas, qui baptizaret in Spiritu sancto, & igne, vt gratiam tribueret, peccata cõsumeret;* atque hoc ex nostri spõsi nuptiis tam salutare, tam efficax documentum; nam, qui

30. *Rubo potius quàm speciosa arbori insedit Deus: cuius rei symbolum?*

Fernandez.

Nyssenus.

Iusti ex fornace laboris lucidiores prodeunt.

Psalm. 104.

Ambros.

Chananæam multas ob causas abominabilem ad lecti, & regnorum consortium admisit, quem reiiciet?

31. Eia, properate, accedite, venite, omnes, qui laboratis, & onerati estis; Quid remoramini? quid segnes accurritis ad veniam? timetis peccatorum onera, & paueſcitis delicta vestra; sed ecce, qui inuitat, amore languet, tabescit, sitit vestri desiderio penè consumptus: sed credite, *Quoniam delicta non videt vis amoris,* (Chrysologus sermone 3. de duobus filiis,) *& ideò pater peccata filij redemit oſculo, clausit, ne nudaret pater filij crimina, pater ne fœdaret*: Perturbat vos scelerum memoria: sed attendite, quoniam non vult peccatoris mortem, qui in momenta singula in peccatorem tam munificus, & benefaciens est: *Tibi infusa lux circunfusas remouet tenebras,* (Chrysologus serm. 148. de Incarnationis Sacramento,) *tibi est temperata nox, tibi demensus est dies, tibi cœlum, Solis, Lunæ, stellarum vario fulgore radiatum est: tibi terra floribus, nemoribus, fructibus est depicta: tibi creata est in aëre, in campis, in aqua speciosa continens, mirabilis animantium multitudo, ne gaudium noui sæculi tristis solitudo confunderet: Audite rogantem Dominum.* (idem Chrysologus sermone 108. in verba Apostoli: *Obsecro vos*, &c.) *Tota die*, inquit, *expandi manus meas. Nónne, qui expandit manus, ipso habitu rogat? Expandi manus meas: Ad quem? ad populum: Et quem populum? non tantum non credentem, sed contradicentem: expandi manus meas: Distendit membra, dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinum, gremium pandit, vt Patrem se tantæ obsecrationis demonstret affectu: Videte, videte in me corpus vestrum, membra vestra, vestra viscera, ossa vestra, vestrum sanguinem: & si quod Dei est, timetis, quare vel quod vestrum est, non amatis? Si Dominum fugitis, quare non recurritis ad Parentem? Sed fortè vos passionis meæ, quam fecistis, magnitudo confundit: nolite: claui isti non mihi infigunt dolorem: sed vestram mihi infigunt altiùs charitatem: vulnera hæc non educunt gemitus meos: sed magis vos meis visceribus introducunt: extensio corporis mei vos dilatat in gremium, non meam crescit in pœnam: Venite ergo, redite, & vel sic probate Patrem, quem videtis pro malis bona, pro iniuriis amorem, pro vulneribus tantis tantam reddere charitatem.*

Chryſol.

Tanta est Diuini amoris vis, vt reuertentiũ ad se delicta nõ aduertat.

SECTIO IV.

Nemo se stare posse confidat, si à peccandi occasione non procul abeat.

32. SEd quam insinuauimus causam præteritæ Isagogæ vestibibulo, Sectione prima numero nono, nunc fusiùs adoriamur, de vetitis specialiter Hebræorum thalamis cum populis Chananæorum, etiam ad Iudaïsmum conuersis, cùm tamen aliarum nationum non prohiberentur connubia, modò Ethnicismum abiurarent: Equidem monuimus, Chananæos illos, qui superstites relicti fuerant, habitasse in medio Iudæorum; itaque hi in vicinia erant, cùm aliarum Prouinciarum incolæ procul distassent: Quoniam igitur ab occasione remota non magnum impendebat discrimen; summum verò periculum est à proxima labendi ansa, propterea seueriori edicto compressa nubendi licentia cum Chananæis, quàm aliis nationibus: vtpote Chananæi Hebræis intermisti proxima & appropinquans erat occasio: Huius igitur ad peruertendum potentissimam vim considerans Numen, vt gentem suis dederam cultibus satis armaret, damnúmque à propinquitate imminens auerteret, restrinxit nubendi cum Paganis facultatem, & inconcessa Hebræis omni tempore matrimonia cum Chananæorum stirpe declarauit: Videó Eliam proiicientem se, & obdormientem in vmbra iuniperi, (Reg. 3. cap. 19.) *Et ecce Angelus Domini tetigit eum, reuersúsque est Angelus Domini secundò, & tetigit eum, dixítque illi: Surge, & comede, grandis enim tibi restat via.* Videó Ionam descendentem ad interiora nauis, (Ionæ cap. 1. vers. 5.) & dormientem sopore graui, & neque semel, neque iterum fit aliqua Angelorum apparitio quiescenti: Fateor quidem, armatur contra Eliam mulier irarum impotens, sæua & homicidalis Regina: sed Æolus, & vniuersæ Oceani Erynnes coniurant aduersùs Ionam, eleuauerunt flumina fluctus suos à vocibus aquarum multarum; Sed à Spiritibus supernis inobediens Vates consolari non merebatur: nam descendit, vt iret in Tharsis, fugiens à facie Domini: Verùm, nónne & de timore nimio arguamus Eliam, qui feminæ vereatur minas? & ille ignitus, ille impauidus, ille exsufflans tonitruum in Achab, terga vertit mulieri? Quòd si cum imbecilliori sexu congressus meruendus erat, quoniam facilè stomachantur, sed ad blanditias subitò rursus conuertuntur; at procul erat à Reginæ conspectu Prophera; nam *perrexit in desertum viam vnius diei*; Satis amotus est? quorsum illa quadraginta dierum peregrinatio? Sanè Ionam nemo infectabatur, qui animæ laqueos tenderet, qui spiritui insidias pararet, ipse sibi malorum auctor solus, præterea nullus; non caro alliciebat, non forma obuersabatur, non tyranni excandescebant; vacuum igitur periculis à cœlesti nuncio opus non erat moneri: Eliæ autem bellum dixerat femina, quæ stibio, & pigmentis se componere solita fuerat, stemmate, diuitiis, auctoritate suprema pollebat; sciebat decepisse Adamum, Iobum subuertere conatam, Salomoni, eiúsque parenti offendiculo fuisse; etsi ergo fortis, & adamantinus vsque in eum diem, & nec ipsis Regibus cedens; at cùm peccandi vehemens vrget occasio, qualis mulierum, siue iræ, siue lenocinia; cogitas nulla tutiora esse præsidia, quàm quæ subministrat fuga, abiit quocunque eum ferebat voluntas, & perrexit in desertum viam vnius diei; cùm verò hìc requiescere meditaretur, satis à Reginæ ore abstractum se putans, docuit Angelus pro tanto discrimine modicam esse fugam, & mulierem vitandam, toto orbe velut interposito; quare adhuc restare quadraginta dierum iter; Scitè Ambrosius epistol. 33. ad Marcellinam, *Non mediocris igitur ista tentatio; nanque asperiores tentationes has esse cognouimus, quæ fiunt per mulieres; denique per Euam etiam Adam supplantatus est, eóque factum est, vt à mandatis cœlestibus deuiaret; quid dicam, quòd etiam Eliam Iezabel cruenta persecuta est?* Benè quoque Rabbanus: *Elias, qui mortuos suscitabat, ventura præuidebat, alia quoque præclara faciebat, cùm tot virtutibus processisset, Iezabel postmodum, quanuis Reginam, tamen mulierculam fugit*; Nam sanè, quòd

Quare seueriori edicto

cõpressa nubendi Licentia cũ Chananæis quàm cũ aliis nationibus?

3. Reg. 19. 7.

Ionæ 1.

Feminarum consortia fugienda.

Ambr.

non

non mortem, sed femineas illecebras veritus sit; non persequutorem oderit; sed persequentis sexum, innuit, ab ipso exoptata nex; verùm à Domini manu, non à mulicbri dextera: *Sufficit mihi, Domine,* (inquit:) *tolle animam meam,* Præ-
Chrysost. clarè nanque Chrysostomus epistola ad Olympiam; *Si patriam & populum, ne mortem incurreret, reliquit, & fugit; quomodo mortem, quam tunc fugerat, non requirit?* Non igitur mortis formidine procul à patria exulauit; sed mulier peregrinare fecerat.

33. Psalm. 31. Expendamus & alteram Dauidis fugam, de qua titulus Psalmi tertij: *Psalmus* (inquit) *Dauid, cùm fugeret à facie Absalon filij sui.* Quid? pauétne veteranus iam, qui tyro, & inceptans miles non dubitauit gigantem lacessere. puer leonum rugitus, & vngues despiciebat? Vbi constans ille animus aduersùs Saülis potentiam? Nunc Rex & Monarcha priuatum hominem timet, qui priuatus Regem contemnebat: Quòd si non fuga hac corporis agitur causa; sed mentis incolumitati prouisum sit, nempe, vitabat gnati aspectum genitor, ne efferata ingratitudine victus, iræ succumberet, animum fœdaret vindicta iustitiæ prætergressa limites, iisdem argumentabimur modis: nam potuit iunior Saülis tentorium ingredi, cúmque interimere valeret, & horraretur Abisaï inquiens, *Concluſit Deus inimicum*
1. Reg. 26. *tuum hodie in manus tuas,* (Reg. 1. cap. 26.) *nunc ergo perfodiam eum lancea in terra*; non sustinuit, contentus abstulisse hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saül; Ergo, qui in adolescentia tam insigniter patiens fuit, & iniquissimum Principem ne in minimo læserat; nunc prouectus, paria saltem virtutum specimina non exhibebit?
Ira passio nimium indomabilis. Quòd si vt vincatur ira, superentur odia, inimicum fugisse oporteat, sitque hoc malum ex illorum vitiorum classe, quibus fuga remedium præstat, quoniam cum ira congredi velle, periculosissimum, & difficile certamen est, cur iuuenis tanto se discrimini obtulit Dauid? nec enim temerarius, & præcipitabundus egerat. Equidem irascendi non futiles omninò, neque paruas verò causas præbuit Saülis ingratitudo: sed tamen erant odiorum illæ remotiores ansæ, quippe multa erant, quæ factorum lenibant acerbitatem; nam, neque sanguine coniunctus erat Saül, nec multa interceſſerat familiaritas, & regnum possidebat, quod ad Dauidem potiùs, quàm ad Ionatham transire durissimè patiebatur; mirúmne si inuidebat eius capiti, quem æmulum imperij non dubitabat, & nulla sibi necessitudine deuinctum? Ad hæc tympanistriæ illæ cantabant, Dauid decem millia, cùm Saüli mille solùm tribuerent; ferunt autem Optimates grauatè, & tabescunt, sibi quenquam anteponi, etiam ex Dynastis; quantò magis hominem nouum, & qui de post fœtantes oues assumptus est? Sed in Absalone omnia è diametro contingebant; nihil malitiæ opitulabatur, cùm plurima augerent: filius, & cui genitor Ammonis necem condonauerat, quem diuitem, glorioſum, maximum facere proposuerat, atque vt regnandi tanto æstro rapiebatur, expectaret saltem parentis obitum; neque enim iam viuendi multa esse poterant spatia: Tantis igitur confluentibus circunstantiis, eueniebat vehementissimam excandescendi occasionem offerendam ad præsentiam Absalonis, & dubium sibi spondere potuisse triumphum de vindicta, atque odio Dauidem; Noluit igitur prudens Rex tanto, támque aperto discrimini committere animam, fuga proinde sibi consuluit; & qui Saülem in iuuentute adire non est veritus, déque ira ouans emersit, grandæuus Absalonis se dare conspectui timuit.
Lyra. Rectè Lyrensis ad cap. 15. lib. 2. Regum: *Sciendum, quòd cùm Dauid esset in bellis expertus, & audacissimus, & esset in loco forti, & haberet secum plures, & fortissimos bellatores, non recessit de ciuitate timore ipsius Absalonis principaliter, sed timore Dei.*
Non timore Absalonis, sed timore Dei Dauid recessit è ciuitate.

Transeamus ad Christi acta; Stabat ad monumentum flebilis Magdalena, & asportatum Magistri corpus è sepulcrali marmore inconsolabili prosequebatur luxu; aspexit miseram tandem, & quamuis statim non aperuit vultus, reuelauit postremò, & illa gaudiosa volebat plantas beatissima complecti arctiùs; frustratur pio desiderio, & audit increpantem; *Noli me tangere:* (Ioan. cap. 20.) *nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Quænam hæc oratio, ciúsve sensus? Fortasse veretur femineos tactus mulieris præsertim in paucis speciosæ? Verùm, vt omittamus nunquam peccare valuisse hominem Deo coniunctum: at, cùm hæc euenerunt, iam impassibili, iam immortali fruebatur statu: aliunde Magdalenæ & in viuentem, & in defunctum mirandus amor, vt ad familiaritatem admitteret, promeritus fuerat; At hæc omnia abierint: meditemur Seruatorem tanquam vnum de nobis, nónne hanc eandem feminam retroactis diebus, cùm in domo Simonis pranderet, sustinuit, vt & pedes oscularetur, & vnguento vngeret, & lacrymis rigaret, & capillis capitis sui tergeret Lucæ septimo? Nónne & eadem accessit habens alabastrum vnguenti pretiosi, (Matth. cap. 26 vers. 7.) & effudit super caput ipsius recumbentis? Nunquid modò repellit, quoniam absque vnguentis accesserat? Sed hæc etiam attulerat ad tumulum demortui, comitantibus Maria Iacobi, & Maria Salomone, Marci cap. 16. Hæc autem vt enodemus, notasse iuuat aliter conuersatum fuisse cum Magdalena Redemptorem ante obitum, aliter post anastasim, & è tumba suscitationem; nam, cùm lamentabatur excessus adolescentiæ, & quibus Numinis promeruit iram luxuriæ incitamenta plurima, & tergendis Medici plantis flauum de vertice crinem gratissima linteamenta soluit, aderant è conuiuentium numero domestici testes multi: quando etiam effracto alabastrite perfudit verticem vnguento, coram discipulorum cœtu id perpetratum est: quoniam igitur mulierum deuotio præsente multitudine suspecta non est, non repulit feminæ aut tactum, aut obsequia Christus, priusquàm pateretur: at, cùm in horto ploranti apparuit, nulli aderant testes: sola cum femina vir solus: quare tum induit seueros, ac tetricos vultus: nam, cùm eximiè periculosum sit, loco à turbis sequestrato mulierem ad colloquia admittere: quid si his lenocinia adiungantur, & vltra sermonis blanditias, à gestibus quoque familiaritas? Docuit igitur Ecclesiæ ministros, quantuncunque obarmatos; siue longa virtutum exercitatione, seu ipsa ætate in occasum declinante adiutos, aut certè feminarum contubernium, absente multitudine fugere ocyùs; aut, vt necessitas, iustæve causæ ad solitariam confabulationem, ratò tamen, adigant; ea actionum omnium sancta,
34. Ioan. 20. 17. Matth. 26.
Feminarum conuictus omnimodo fugiendus.

& honestissima grauitate polleant, quæ ipsa sit fida vtriusque custos; alioquin, si tam manifesto discrimini his destitutus propugnaculis audax se offerat quispiam, temeritatis debitas luet pœnas, quando, & ipse Christus iam impassibilis, iam de morte triumphator, vix satis tutum se arbitratur; Suffulcit hanc cogitationem

Chrysost. Chrysostomus homil. 85. in Ioannem; *Mihi videtur, velle eam adhuc cum eo versari, vt solebat, & ex lætitia nihil de eo magnum cogitasse; siquidem longè melior factus erat secundum carnem; quare hac eam sententia abducens, & vt reuerenter se alloquatur admonens, eius mentem erigit, vt reuerentius adeat.*

35. Chrysost. *Prodigium ingens trium puerorum è fornace liberatio.*

At eiusdem Chrysostomi indiscussam non prætereamus singularem de Babylonicis pueris assertionem: *Nescio,* (inquit homil. 4. ad Populum Antiochensem,) *quomodo dicam; miraculum omnem verborum narrationem transcendit:* Verùm, quid nobis innuere hac tanta verborum exaggeratione cupiat aureæ eloquentiæ Doctor? qua enim alia dictionis formula prodigium ingens, & omni ætate stupendum denotare posset? Sed inter portenta maxima non apparet Babylonicam scribi debere iuuenum incombustionem: quid enim peregrinum si Numine subtrahente concursum flammæ non læserint? Sed ecce tamen duo memoratione digna; nam & ministros scelerum qui procul aberant, erumpens Vulcanus consumpsit, atque in cineres vertit; pueros autem incendio circonuolutos, *non tetigit omninò ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit,* quemadmodum Daniel testatur cap. 3. Hoc igitur est, quod Chrysostomum exclamare faciat; *O rem admirabilem! Vinctos soluit flamma, & ipsa de reliquo à vinctis vincta est: & quod mirabile, & stupendum est, non in sanctis tantùm corporibus hoc factum est, sed in vestimentis ipsorum, & calceamentis: Vidisti, quanta propinquitas? Nescio, quomodo dicam miraculum omnem verborum narrationem transcendit:* Affabrum illud, *Vidisti, quanta propinquitas?* hoc enim ecstasim, & stuporem generat; nempe, periisse illos, qui distauerant; eos qui propè aderant, non fuisse extinctos; amasse periculum, & non fuisse absorptum.

36. Periculo autem, & occasione implicitum, cùm emergere arduum crederet Eliseus, propterea venienti ad se Naamano Principi militiæ Syriæ, neque obuius processit, nec ad cubiculi ostia adstantem vidit, non ianuam aperuit, non alloquutus est; Cur erga Optimatem tam parum humanus, & officiosus Propheta? ánne vel aspicere gentiles, vel eis se intuendum præbere lex vetabat? Nequaquam sanè; Quæ igitur duritiei causa? Equidem veniebat cum donario, & muneribus ethnicus Dynasta; indignum verò existimabat Vates, gratiam sanandi sine pretio à Creatore acceptam remunerationi subiecisse; At poterat oblata respuere, Principémque docere, veri Dei Prophetas, & excellentes ministros non auaritiæ studio benè facere; sed à Numine gratis infusa gratis distribuere? Poterat quidem Eliseus eum in modum, verùm, cùm alta mente præditus esset, sciebat aliter longè mouere ea, quæ fama solùm, atque auditu excipiuntur, quàm illa incitent, quæ visu atque luminibus contemplamur: illa quidem etiam operantur, atque titillant, sed languida atque remota violentia: coram posita acriùs stimulant, atque vrgent; denique illa remotâ, atque distans occasio est, hæc

Muneraquàm obcecãt.

præsens atque proxima: quantuncunque igitur eremo enutritus, & diuturna palæstra exercitatus Eliseus, etsi miraculorum gloria clarus, noluit tantùm præsumere, vt occasioni præsenti atque proximæ se committeret, securius existimauit fuga salutem quærere; proinde subtraxit se aspectibus Principis, ne & cum Principe simul munera intueri cogeretur. Annotauit Nilus Abbas in Ascetico: *Venit quondam (inquit) ad Eliseum Dux Naaman Syrus, multáque munera secum attulit: quid igitur? Propheta num illi obuiam processit? statimne illi occurrit? an per puerum causam, propter quam venit, aperuit? Ne ad præsentiam quidem suam illum admisit, ne muneribus, quæ attulerat, eum curasse videretur.* Nil. Abb.

37. Rebeccæ consilium demiror ablegantis à se eum quem vnicè amabat filium mitem Iacob, ídque eo potissimùm tempore, quo maternis artibus seniori germano prælatus est; *Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam,* (Gen. cap. 27. vers. 43.) *& consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran;* Certè genitrix tum potissimùm gnato lætatur, cùm hic iam vir factus, aut Magistratus in republica, aut alios honores assequutus est; nam, donec hæc contingant, cætera matri continuos labores, variásque, & curas, & sumptus afferunt; at nihil maius paterna benedictione Iacob consequi potuerat: Cur igitur amantissimum gnatum, ó Rebecca, in longinquas regiones mittis? nunc præsertim, cùm eius præsidio, adiumentóque plùs indigeas? nam ecce caligat Isaacus senio grauis; Esaü odio te habet, quòd iuniorem fratrem ei prætuleris: quem habebis consolatorem in vidua domo, amandato ad exteros hoc solatio tuo? Quid, cùm audieris auunculi in adolescentem, & fraudes, & conuitia? durúmque illud viuendi genus pastoritium, vbi insomnes noctes, cibi agrestium, furum, sæuiorúmque animantium continuus terror: quoties lugubrem illam næniam flebiliter cantabis? *Heu, heu, fili mi,* (Tobiæ cap. 10. vers. 4.) *vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ: omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis:* At video quid prospexerit sagax femina; nempe, sciebat indignatione plenum Esaü pectus, vt nec potuerit intus flammam comprimere, quin foras euagaretur, & diceret, *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob, fratrem meum:* Quamuis igitur de absentia gnati tristarerur plurimùm; sed nouerat magnam esse Esaü rabiem; Optabat igitur diutiùs viuere, quanquam exularet, quàm eius fruentem aspectu breui interuallo, extinctum tandem videre; Verùm, nónne potuit Esaü abeuntem persequi, imò ita celare variis modis fratricidium? Frænabat sæuitiam illius genitoris præsentia; nunc sciet oues pascere, & cùm de medio sustulerit, contendet à fera pessima deuoratum esse. Matris tamen commendanda prudentia: nouerat quouis modo capiti atque saluti Iacob maxima imminere pericula: sed minora esse, quæ absentia attulisset: quippe & ipso exilio satisfactum Esaü dolori, & regnabat iam solus in aula: at palàm habere, & ante oculos, qui primogenitura cum dolo spoliauerit, qui maiori astutia benedictionem eripuerit, quanta hæc rixarum occasio, homini præsertim effero, & truculento? Non cohibuisset diu paterna reuerentia, & ante obitum senis cruentasset gladium fraterno sanguine!

Tobiæ 10.

Ira incitamenta quàm prudenter Rebecca sustulerit à filio suo Esaü.

Fugam

Fugam igitur tam vehementi contagio singulare amuletum quæsiuit genitrix; nec enim alia medendi via supereſt, cùm vehemens & terribilis inſtat occaſio; Ita viſum Ambroſ. epiſt. 82. ad Vercellenſem Eccleſiam; *Imitare Patriarcham, qui de conſilio matris longinqua petiit; amabat mater, contra affectum pij amoris dimittit filium; maluit enim ſibi eum exulare, quàm Deo.* Florenter Ambroſius, *ſibi* (ait) *exulare potiùs, quàm Deo*; nam, quanquam Iacob ſemper optima fuit indole, & ab infantia meliora doctus, atque in ſanctitudinis ſchola profecerat inſigniter; timor tamen erat, ne audiens vitæ ipſius ab Eſaü parari inſidias excandeſceret plùs, quàm Dei ordinatio ſuſtineret, atque noxa mortali eius pura mens commacularetur; Rebecca autem vera in primis mater optabat magis filij dulciſſimo aſpectu carere ad longum, imò antè corpus animatione priuari, quàm fœdaretur ſpiritus; Hoc igitur illud eſt, *Sibi potiùs exulare, quàm Deo*; Atque, vt & Iacob, & Eſaü omnem diſcordiarum fomitem ſubduceret, adoleſcentem hortatus eſt, quàm citò ad auunculum proficiſceretur.

Ambroſ.

38. Illud Lucæ ventilemus cap. 1. verſ. 56. *Manſit autem* MARIA *cum illa, quaſi menſibus tribus, & reuerſa eſt in domum ſuam:* Quibus verbis ſignificari putant nonnulli, iidémque optimæ notæ Auctores, Deiparam non interfuiſſe partui, cùm Præcurſor ederetur in lucem: Sed concedamus Maldonato acriter contendenti non ante natiuitatem Ioannis diſceſſiſſe; at certè paulò pòſt abeundi veniam poſtulauit: quippe ſub finem noni menſis prodiit in auras infans; ſed nono poſtquàm grauida facta eſt Elizabetha menſe, domo ſe proruperat Virgo; nam ſextus erat menſis illi, quæ vocatur ſterilis, cùm Angelus ſalutauit Chriſtiferam, quibus ſi copulentur tres alij menſes commorationis ſub tecto cognatæ, explent nouem menſes; quamobrem itaque tum penates amicos reliquit, cùm eius præſentia maximè ſalutaris fuerat; neque enim inſtabant tempora, vt ipſa ſæculorum delicias pareret? Sanè, cùm in Baptiſtæ natiuitate non pauca ex admirandis operaturus eſſet Deus, diuulgatis iis per montana Iudææ, incredibilis populorum concurſus fiebat, vt nullus non Zachariæ lares, nullus non limina terere optaſſet; igitur cùm pudicitiæ tanta cultrix noſſet quantum à virorum congreſſibus immineret diſcrimen, horum vt declinaret aſpectus, nedum ſermones, & colloquutiones, quàm ſubitò animaduertit aduentare multitudinem, cognatam dereliquit; Ita cenſuit Victor Antiochenus ad nominata Lucæ verba; *Redire autem* (inquit) *quia circa Elizabethis partum magna hominum multitudo ad Zachariæ ædes confluxura erat; Virgo autem ſanctiſſima virgineo quodam pudore hominum conſpectum declinabat:* At conſentimus quidem, adoleſcentulas virorum ora fugere debere, & coërcendam à matribus impigrè, ſi quam videant licentiare: ſed hanc expoſcunt diſciplinam illæ puellæ, aduersùs quas concupiſcentiæ fomes iras exercet, Ætnam incendit, quibúſque non ingratum eſt formoſulis placere; nihil autem horum arcem animæ Marianæ oppugnabat, quippe ſub eam appetitus, & dominabatur illi, quidni enim, quæ caput Draconis confregerat, quam gratia repleuerat, cum qua Dominus erat, & quam denique virtus Altiſſimi obumbrauit? Concedamus & hoc deſolatam munimine; ſed Hebræis mos fuerat, ſeparata à viris habitatione feminas includere, & virginibus ne quidem maſculorum intuitus concedebatur; Diximus de hoc aliquid ſuperiùs Anteloquio 5. Sectione 3. Subſectione 1. num. 22. Poterat igitur Deipara pro gentis conſuetudine penetralibus latere, vbi neminem virorum conſpexiſſet; ob hanc itaque cauſam diſcedendum ei non fuerat: ſic peragi poſſe apparebat, ni lubrica admodum eſſet occaſio virginei pudoris, viris domum circuncurſantibus; Itaque in tanto diſcrimine parum efficax MARIÆ videbatur intra penetrale abſconſio; & quoniam eiuſmodi cauſa erat, vt puella virum fugere debuiſſet, non ſatis eſt gratia plenam eſſe, non ſufficit ventre Deum portare, exiguum eſt genycitidis defendi muris, & oſtio ſemper obſerato, abit per montana iterum, vnius atque alterius diei itinere, inſtructura volentes cauere, ſic demum vincenda eſſe pericula vehementia, & quæ impetu ad lapſum inuitant.

Luc. 1.

Virginum quanta eſſe debet verecundia.

Vict. Ant.

Petamus & ab Abrahamo ſacrificante eximium ſpecimen; Iam cliuum aſcenderat obedientiſſimus ſenex, iam altaribus lignorum faſces impoſuerat, & admouit flammam fragilibus virgis, iam victimam compoſuerat, & aptata ceruice perituri adoleſcentis ſtringebatur parricidalis machæra; Suſtulit dexteram vibraturus, cùm ecce de ſublimi intonat vox: *Abraham, Abraham non extendas manum tuam ſuper puerum,* (Geneſ. cap. 22. verſ. 12.) *neque facias illi quidquam,* &c. Sed, cur victimantis nomen Angelus ingeminat? quippe Abraham virtutibus omnibus clariſſimus; obedientia tamen excellentior, eiúſque ſpirans imago: at perfectus obediens ad vnam præcipientis voculam reſponſat, quin & nutibus obtemperat: igitur aut ſuperfluum in loquendo cœleſtem nuncium dicturi ſimus, aut Patriarcham in obediendo non ſatis properum; Verùm animaduerte circunſtantias ſacrificij: non hæc contigerunt initio, non ſub medium, in exitu penè, & ipſa tragœdiæ cataſtropha: ergo, cùm ſic progreſſus fuiſſet Abraham, & victimandi tam apertis ſe tradidiſſet periculis, vt elatum iam haberet ſanguineum enſem, non perficere incepta tali occaſione, ſaluum emergere, nec filium iugulaſſe, qui, vt occideret, manifeſto ſe diſcrimini obiecerat, hoc etiam in Abrahamo difficillimum cœleſtis arbitratur Legatus, ac quamuis obedientiſſimum noſſet: ſed rei tamen magnitudine commotus, quaſi diffiſus vna voce reuocandum, conduplicauit nomen: Percipiamus ſuffragantem Ambroſium lib. 1. de Abraham, cap. 8. *Et dixit Angelus Abraham, Abraham; tenuit quodāmodo manum eius diuina vox, & ictum vibrantis occupauit dexteræ; Non ſemel vocauit, ne aut non plenè audiret, aut fortuitam vocem putaret; repetiuit vocem, tanquam veritus, ne præueniretur ſtudio deuotionis, & vna vox imperium ferientis reuocare non poſſet: Non injcias,* inquit, *manum in puerum, neque facias ei quicquam:* Luculenter Zeno Veronenſis cogitauit, gladium ipſum ſtupore affectum, vt potuerit non parricida vocari, qui nati victimationem animo hauſerat, & verè conſumpſit; Eius verba ſunt ſermone de Patientia: *Medius ſtupet gladius, nullo impedimēto ſuſpenſus, mactatione terribili gloriam ſe præſtiiſſe, non crimen:* At quorſum beatus Martyr dixerit, *nullo impedimento ſuſpenſum,* cùm de Olympis angelicus clamor feſtinantem coërcuerit machæram? Sanè intellexerit, nulla obſtacula ab ipſo Abrahamo

39.

Geneſ. 22.

Abraham cur geminata voce ab Angelo ſiſtitur?

Ambroſ.

Zen. Veron.

posita, immissam forinsecus moram, hoc autem vel inanimatum ensem demiratum, cùm sic properaret ad filij internecionem Patriarcha, vt nihil retardaret, citissimè, & tota mente curreret; potuisse tamen non absoluere parricidium; Tam difficilè igitur cùm sit labendi proxima, atque impellenti occasione constitutum non fœdari, non cadere, quoniam sciebat Creator, fore, vt Palæstina edomita, adhuc Chananæorum non exiguæ reliquiæ in medio populi fidelis remansuræ erant; ab his autem, quod in proximo agerent, Hebræis idololatriæ maximum impendere periculum; nam admotis vniuersis machinamentis adnisuri erant, vt Deos alienos sequerentur; iussit in medelam, ne societatem cum eis inirent, ne matrimonia necterent, etiam post abiuratas ab illis superstitiones; percallebat enim cùm maxima sit amicitiæ vis, & potestas ad decipiendos animos, sed tamen coniugiorum arctissima esse vincula, thalamos maximè prohibuit, ac quoniam & Iudæi per se proni erant in vanorum adorationem Numinum, & Chananæorum summa diligentia in alliciendo ad impiam religionem, cohibiturus perfectè, non solùm cum Paganis vetuit nuptialia fœdera; sed quoque cum proselytis, & Moysi aggregatis.

Gladius Abrahæ stupore affectus.

Sectio V.

Glorioſior, fortiórque in robuſta ætate virtus, cuius in pueritia iacta fuêre ſemina.

40. VIx pubertatem prætergressos sponsos, & statim matrimonio copulatos ostendimus elapsæ Isagogæ Sectione 5. Subsect. 5. num. 114. Quid coniugij vincula tam citò iuuat subiisse? quis amor curarum tam subitus, & familia prærepediri, & liberorum educatione vexari? Sed & in tempore quoque fastiditur senectus, quicquídve iuuentam excedit, propterea pubescente anno, cùm aperire sinus terra incipit, & diuitiarum ostentamenta emittit solum, celebratam genialem pompam monstrauimus eadem Prolusione, Sectione 4. Diximus autem nominata Subsectione 5. ideò festinatum ad nuptias, ob plurima, nempe emolumenta; quòd, & mascula atque validior proles nasceretur; quòd firmior succedentium ætatum valetudo appareret; quòd denique, & vitæ ipsa vltima spatia constantiora fierent: Eia, transiliamus corporeum istud, & consideratione feramur ad spiritales amantium nexus; habet & suum anima coniugium, cùm abdicatis illecebris supra se exurgit memor nobilitatis antiquæ, & cum Dei Verbo, cum donis sanctissimi Flaminis, cum virtute, atque honestate omni, indissolubili fœdere coniungitur; verùm quæ ita Christo se despondere statuit beata Mens, exurgat in principio dierum antelucano æstro; Bonum est vito, cùm portauerit iugum ab adolescentia, quippe leuabit se super se, ipsóque se, quod mirum est, grandior fiet; transferet in sequentes annos vigorem quendam entheum, & cœlestem planè, quem cum rationis vsu cœpit germinare virtus: Agedum, videamus, confirmemus. Abiturus iam iam ad Patrem Redemptor, Petro, Apostolicæ coronæ apici, significare placuit, qua morte eum clarificaturus esset, & benignè quidem atque peramanter; indigebat, nimirum, tanta consolatione Simon, quæ non tam necessaria commilitonibus; negauerat, nempe, Magistrum fœda admodum leuitate, scilicet ad puellæ contremefactus vocem, víxque poterant conscientiæ territamenta ob tam insigne delictum aliter satis leniri, nisi concepta beatæ in Domino mortis certa fiducia: Sed percipiamus interemptionis formam, *Amen, amen dico tibi,* (Ioan. cap. 21. vers. 18.) *cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas, cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis:* Et quidem cruce moriendum insinuabat Christus, quæ communis est expositio; Sed Chrysostomi Commentarius aliquam facessit remoram homil. 87. in Ioannem: *Cur superioris vitæ meminit? Sed, cùm aduenerit senectus, tum fortior eris, atque præstantior;* Noster Maldonatus clarissimè; *Solent iuuenes fortiores esse etiam animo, quàm senes; significat autem Christus, fore, vt è contrario Petrus fortior sit, cùm senuerit, quàm cùm erat iuuenis;* Verùm, obsecro, quæ huius explanationis commodatio cum Euangelij dictione? nam oppositum omninò Christi sermo indicare videatur, fuisse, videlicet, Simonem in iuuentute robustum, in seris annis debilem atque infirmum; quippe cùm vigeret prima ætas, nullius egens adminiculis, ipse iter capessurus cingebat se, fluxámque vestem colligebat; senior autem, & tantùm non decrepitus, præter scipionem, etiam ministrorum implorabat opem, qui, ne caderet, sustinerent: Sic igitur conciliare libet: cingendi quidem vocabulo præstat, intelligamus adumbrari mortificationem: Docet Gregorius Papa homil. 13. in Euangelia, ídque vulgariter recipiunt omnes: verùm laboriosior multò est illa pœna, quæ ab extrinseco venit: nam & vnusquisque non ita operosè suo quidem marte, proprióque, atque instinctu apud se nato, aut ieiunabit, aut cilicio flagellatione, aliáve forma corpus in seruitutem rediget: quæ si reluctantem peragere cogat externa vis, ingemiscet, & dolebit supra modum: itaque concinnè indicat Seruator, valentiorem fore in Petro extremi curriculi mortificationem, quàm fuerit primæ ætatis: quòd, scilicet, iuuenis, ipse sibi violentiam inferret: senex ab aliis dura pateretur: *Cùm autem senueris, alius te cinget, & ducet, quò tu non vis;* Non illepida hæc: iam ad nostri propositi institutum: Puto ergo ostendere voluisse Christum, quamobrem senescentis Apostoli mortificatio robustior euasisset: nimirum, quòd adolescens etiam passionibus domandis inuigilasset, velut si pronunciet: Quoniam tu, cùm iunior esses cingebas te, exorsus ab ipsa adolescentia mortificationis studia, hoc inde consequêris, vt cùm grandæuus fueris, mortificationis summum fastigium attingas: Itaque crescet in dies vigor mentis, & longè excellentior quidem apparebit senectutis virtus; sed ideò hæc tam excellens, & valida, quod initia hauserit à viridi æuo: scilicet, etiam tum, cùm esses iunior, cingebas te, & crucifigebas carnem cum concupiscentiis, inde ad extremam periodum transfusum robur: Hoc igitur est, quod Chrysostomi innuebat oratio: *Sed cùm aduenerit senectus* (ait) *tum fortior eris, atque præstantior.*

Coniugium animæ cum Dei Verbo.

Chrysost.

Maldon.

Perfectissima mortificatio est ab alijs pati.

41. Atque percipiemus ex his, quamobrem Iosuë clarior prodierit Præceptore eius Moyse; nam

vt

Ambr. vt excelluerit, docet Ambrosius Officiorum lib. 2. cap. 20 *Meritò vir huiusmodi euasit, vt sisteret fluminum cursus, diceret, Stet Sol, & staret Sol; quasi eius spectator victoriæ, noctem differret, diem produceret: Quod quidem Moysi negatum est, solus eligeretur, vt populum introduceret in terram repromissionis: magnus vir fidei miraculis, magnus triumphis: vterque igitur diuina subnixus gratia vltra humanam processit conditionem, ille mari, hic cœlo imperauit:* Itaque Moyse potior discipulus eius, & quòd optata tellure gauisus, & quòd in nobiliori plaga operatus admiranda, in Olympo, nempe; sed vnde gloriosior factus? equidem vtriusque incunabula, aut certè pueritiam, si repetamus, inueniemus sanè Moysem aulæ deliciis enutritum, ipsósque quadraginta annos versatum inter Ægyptios; nam demum hoc tam longo exacto interuallo secessit in eremum contemplationi nauaturus operam, de quibus Salianus tom. 2. anno mundi 2503. Antonius Fernandez Præfatione visionis 6. numero 7. quo profectò tempore honestatem omnem ipse sequutus sit, & digna futuris incrementis iecerit semina, id tamen negare non possumus, vixisse loco lubrico, nempe, iuxta aulæ proteruiam, & insanas libidines, intérque mortalium nequissimos Ægyptios: at verò à Iosuë non solùm benè transacta adolescentia, sed etiam cum bonis; nempe, à puero Moysi additus, ab eius non discedebat latere, eius bibebat auidus institutionem, sectabatur exempla, & habitabat in medio populi fidelis, scilicet, Iudæorum: ergo cùm iuuentutis gloriæ in euectæ ætatis limites excurrat, quemadmodum Iosuë pueritia clarior extitit Moysis educatione, nempe, eò quòd non sibi solùm probè; & honestè vixerit, sed apud eos etiam, qui honestatem, modestiámque diligerent; sic & eius senectus fulgentior emersit, hæc igitur occasio, cur & Moysem superauerit; Opus autem est, corroboret Ambrosij auctoritas indicato iam loco: *Inde tantus Iesus Naue, quem cùm non solùm erudiuit ad legis scientiam Moysi copula, verùm etiam sanctificauit ad gratiam, cùm columna nubis descenderet, & loqueretur cum Moyse, quasi fidus adstabat Minister: nec exibat de tabernaculo iuuenis, cùm seniores longè positi diuina trepidarent miracula: vbique igitur inter admiranda opera, & reuerenda secreta Sancto Moysi individuus adhærebat: meritò vir huiusmodi euasit, vt sisteret fluminum cursus,* &c.

Supra Magistrum aliquando discipulus.

Salian. Fernand.

Ambr.

42. Libet & hinc quoque enodationem inuestigare celebri admodum ænigmati, de purificatis duorum Prophetarum labiis, Isaïæ, videlicet, atque Ieremiæ: quippe euangelici Vatis caput vt consulamus sextum, inueniemus sanè faucium purgamen non perfunctorium, sed acre in primis, atque pungens; nam & certè *volauit ad eum Seraphin, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os eius:* Porrò fuisse calculum hunc prunam non emortuam sanè, & semiardentem, sed ignitam vndique atque accensam, commune iudicium est, quod firmare nixus noster Aluarez ad vers. 6. nominati capitis Isaïæ; at verò ad Ieremiam directus non ex Ministris quispiam, voluit Deus ipse emaculandi fungi officio, & miti castigatione, manu solùm os tetigit; Quæ tanta discriminis ansa? Fortasse ætatis differentia? Nempe, quòd virum se nominet Isaïas: *Vir pollutis labijs ego sum*; Ieremias autem puerum se dicat, & dixi, *A, á, a, Domine* (cap. 1.) *ecce nescio loqui, quia puer ego sum*; Verùm sanè, & Ieremias iustam sortitus ætatem, eam absque dubio, quo peccato, & noxæ subiacere poterat, cùm vaticinari aggressus; neque pueri vocabulum quidpiam euincit; nam & iuuenes nuncupatos homines vsque ad quadragesimum annum apud Romanos, prodit Gellius lib. 10 cap. 18. atque Exodi cap. 33. vers. 11. Iosuë puerum nominatum aduertit Augustinus, cùm tamen annum ageret 43. quemadmodum idem censet lib. 18. de Ciuitate, cap. 11. Solet verò puer non ætatem, sed ministerium designare, vt idem intelligatur atque seruus; qua de re pulchra est dissertatio Ambrosij lib. 1. de Abraham, cap. 9. ad illud, *Et vocauit puerum seniorem domus suæ. Disce hinc* (ait) *quòd etiam senioris ætatis seruuli, pueri dicatur à dominis, vel quibuscunque potioribus: vnde & quidam Poëta* (*Maronem puta* ecloga 1.) *hoc sequendum putauit: siue in eorum vsum, qui sibi docti, & sapientes videntur, ipse hoc reperit: siue de nostris ipse transtulit: siue translatum inuenit:*

Regula: Puer, non ætatem, sed ministerium designat.

Gell.

August.

Ambr.

Pascuè, vt antè boues, pueri submitte tauros.

Vnde & pueros dicimus, quando seruulos significamus non ætatem exprimentes, sed conditionem:

Acquiescamus tamen communi Patrum, atque recentiorum placito, arbitrantium Ieremiam decimoquarto, aut tribus exactis lustris prophetiam adorsum; Legatur noster Christophorus à Castro, ac concedamus Hieronymo, ob ætatis infantiam caruisse næuis, quæ validiorem purgationem desiderarent, sic enim ille in cap. 1. Ieremiæ; *Ibi enim* (intelligit de Isaïa) *quia solidæ, & perfectæ ætatis erat, & ipse simpliciter confitetur, quòd immunda labia habeat, mittitur vnus de Seraphim, qui non manu, sed forcipe, & carbone tangat os eius, & iniquitates auferat: hìc autem ipsius Dei manus mittitur, per quem cuncta operatus est, vt non peccata auferat, quæ per pueritiam non multa fecerat: sed vt loquendi gratiam tribuat*; Id tamen scire præstat, vnde puero tanta labiorum innocentia? Nam sanè, si æqui Iudices esse velimus comperiemus, faciliùs iuuentutem, atque pueritiam in verborum ineptias effluere, quàm perfecti æui viros; debuerant igitur abstergi potiùs Ieremiæ pueri fauces, quàm adulti Isaïæ; Verùm meminisse oportet Ieremiam anteà sanctificatum, quàm in lucem missum; itaque à matris aluo impollutus; Cùm igitur, qui ad virtutem à rationis exordio adspirant, id consequuntur, virtus vti ipsa crescat in dies magis, magísque, innocentia cùm donatus ante annos Ieremias, hanc cumulari oportebat; quare etsi illa ad futiles sermones procliuis ætas, vicit tamen pueritiæ impetum conualescens innocentia, ac proinde ne ipsa Dei manus, quod mundaret, inuenit: *Non enim vt peccata auferat*, (inquit Hieronymus) *sed vt loquendi gratiam tribuat*; tantùm Ieremiæ profuit ab vtero sanctitatem assequutum esse.

Hieremias quo ætatis suæ anno prophetiam adorsus.

Castro.

Hieron.

Iuc. 6. 6.

Ierem. 1

43. Feramur ad Christi Seruatoris acta: Vocatus ad geniale epulum, cùm in Cana Galilææ nuptiæ fierent, deficiente falerno Genitrix insinuat, atque ille velut subiracundus: *Quid mihi, & tibi est, mulier? nondum venit hora mea.* Ioannis cap. 3. vers. 4. Matrem Gnatus quamobrem increpare visus? aut quæ hora faciendo miraculo præstituta, nec possit quibuscunque momentis operari stupenda in cœlo pariter atque in terris? Iansenius Concordiæ cap. 18. ad illud, *Et dixit ei*

Ioan. 3.

Quando cœperit Christus publicè miracula facere.

Iesvs, &c. opinatur, nondum aduentasse tempus, passim, ac publicè edendi miracula; quod tempus cœpit ab incarceratione Ioannis, propterea à Filio pronunciatum: *Nondum venit hora mea*; Sed huius dicti firmam vellemus causam. Statuamus quidem, hæc sub initio prædicationis Christi contigisse; Ita sanè Euangeliorum Interpretes, & Ioannis Textus insinuat sufficienter, qui non multò anteà aggregatos ad Christi scholam Discentes memorat; erat verò, in quo Christus se imitari optaret præcipuè, non miraculorum splendor, qui facilè allicit; sed humilitas sancta à paucis concupita; Declarat optimè Augustinus in illud Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis*, &c. tom. 10. sermone 10. de verbis Domini; *Non mundum fabricare, non cuncta visibilia, & inuisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare; sed, quoniam mitis sum, & humilis corde*; Hac igitur virtute principaliter excellere Christum ipsum decebat, cùm ad eius vocaret imitationem ante omnia; neque certè alterius virtutis, aut crebriora documenta, aut potiora exhibuit; Cùm itaque hæc esset futura virtus, quæ prædicatione fulgeret singulariter; quò virtus ipsa suis absoluta numeris euaderet, ab ea auspicari prædicationem conueniens fuerat; sic enim comparatum est, vt quæ progrediente tempore in robur, & firmitudinem conualescunt virtutes, eæ ab ipsius temporis exordio initia hauserint: Hæc igitur ratio, quòd à miraculis atque portentis ordiri prædicationem renuit Dominus, quoniam magnifica illa, in quæ hominum ora, & admiratio conuertuntur, non tam iuuare humilitatè videantur, quèm applausum, & gloriam; Hæc forsan indicare voluerit Nyssenus oratione in illud Apostoli: *Quando sibi subiecerit omnia, tunc ipse quoque*, &c. *Cur enim* (inquit) *in humana versans natura, in puerili ipse progressus ætate, ad matris potestatem non amplius aspicit? illa enim ipsum hortante in Cana Galilææ, vt suam ostenderet potentiam in nuptiali epulo, & vsum vini largiretur conuiuio, maternum consilium, vt quod minimè adhiberetur in tempore, reiecit dicens: Quid mihi, & tibi mulier? Visne me ante ætatem præesse ac imperare? Nondum mea venit hora, quæ præbet ætati, vt imperet, & sit sui iuris*; Tanquam dicat; Hæc prædicationis meæ prima elementa, & velut rudis quædam infantia; oportet autem ab initio assuetum esse, non dominationi quidem & imperiis; sed parentiæ, atque subiectioni, ne si à teneris vnguiculis humilitatem non sequamur, marcida illa atque imbellis appareat.

August.

Nyssenus.

Priùs voluit Christus patrêre, quàm imperare.

44. Sed aduersùs Christum mamantem cur Herodem tantâ sæuitiâ armauerit communis inimicus, expendamus; Ferociebat bestia illa cruenta, & inaudita tyrannidis fabrica per millenos planctus vnius pusionis quærebatur excidium; nónne satius immanissimo hosti explere sanguinariam cupidinem, & post infinita opprobria affigi patibulo eum, quem detestabatur cane peius, & angue? Hæc plena vltio, & non data vnum per vulnus fugenti mors; Sanè peruigil aduersarius intuebatur ab ipsis præsepibus inchoatum à Christo opus, in quod venerat nempe, vt illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum; Itaque, & Israëlis primitias abstulit, cùm eum pastores inuiserant, qui in regione illa super gregibus vigilabant, & gentium exordia attraxit, Magis ab oriente vocatis; Denique id, quod Isaïas magnificè cantat cap. 4. auferebatur à puero, antequàm sciret vocare patrem suum, & matrem suam, fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum; Sic igitur argumentabatur nequam: quæ ab infantia discuntur, ea progrediente tempore magis, magísque roborantur; fiet ergo, vt, cùm à maternis vberibus hic infans, & Iudæorum & Paganorum conuersionem exorditus sit, eadem conuersio maiora deinceps capiat incrementa; destruetur itaque nostrum regnum, idola tacebunt, nationes renunciabunt imperiis meis; Eia agite, Furiarum maximæ Herodem stimulate, abrumpat lactentis fila militaris gladius, & cadat interemptus velociter, ne si adolescat, vltimam ruinam nobis afferat; Hæc Chrysologus aperta oratione serm. 150. de fuga Christi in Ægyptum: *Christus si vinctus pannis, si sub matris vberibus occupatus, si tacens lingua, si latens opere, si gressu nullus, Diaboli significros, hoc est, Magos in Duces fidelissimos commutauit, perfectæ ætatis Christus, quid possit facere, Diabolus iam videbat; & ideò mouebat Iudæos, instigabat Herodem, vt Christi suspectam sibi præueniret infantiam, vt futura virtutis eius anticiparet insignia: Sentiebat Diabolus, sentiebat, quòd Christus doctrinis, virtutibus vitam mox repararet, & mundum totum, qui adhuc vagiens ipsum quod erat mundani verticis occuparet, iuxta illud Prophetæ; Priusquam sciat puer vocare patrem, & matrem, accipiet & virtutem Damasci, & spolia Samariæ*, &c.

Chrysol.

Prodigia Christi ab incunabulis.

Atque hoc ipsum Patris Verbum, quod tandem vera cum carne atque passibili visum est in terris, longè anteà à rerum initio apparebat, siue id quidem coaptando sibi corpus aliquod, vti velit Antonius Fernandez visionis sextæ Commentario 2. sectione 1. numero 8. seu Angelus Verbi formam repræsentabat, quod placet Pererio disputatione 6. in cap. 3. Exodi, num. 25. Certè sententiam amplexatus Irenæus lib. 4. aduersùs hæreses, cap. 16. *Ab initio* (inquit) *assuetum Verbum Dei ascendere, & descendere propter salutem eorum, qui malè haberent*; Interrogamus, cur nominatim asserat, *ab initio assuetum descendere*, id est, ab ipso creationis exordio? Nam, si, vt facilè, atque expeditè descenderet, placebat, anteriùs descensus experimentum facere; sed ad hoc sufficiebat, præsertim peritissimo artifici, per centum annos documenta capere, & non etiam ante diluuium inchoasse descensiones? Fortasse indicare optabat, quantùm amaret præcipuum inter opera sua hominem, quem diluculo quærebat: sic enim vsu venit, vt quæ diligimus plurimùm, vt hæc inuestigemus, & quierem abrumpimus, & lecto primo mane consurgimus; Non illaudabile hoc; mihi tamen alia coniectura; Volebat sanè Verbum, vt descensus celeritate, & eminentia descensus omnes vinceret; itaque optabat perfectissimum esse: cùm autem sciret, quo artis exercitatio solida atque robusta euadat, necessum fore, vt ea ars ab infantia ebibatur; ideò, quò, descendendi vsu superaret cunctos, statuit à mundi incunabulis sese descendendo exercere; Hæc igitur fuit occasio, quamobrem docuerit Irenæus, *Verbum Dei ab initio assuetum descendere propter salutem eorum, qui malè haberent*; Neque ædepol fefellit eum spes: nam quidem ferebatur tam celeri planta, vt gigantes excelluisse Dauid monuerit Psalmo 18. *Exultauit vt gigas ad currendam viam suam, à summo cœlo egressio eius*; Salomon autem

45.

Fernandez.

Pereira.

Iren.

Verbum Dei ab ipso Creationis exordio, propter hominum salutem descendere assuetum.

Psalm. 18.

autem & hinnulorum æquarit pennatis veſtigiis, *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles* (Canticor. 2. cap.) *Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum*; Quòd verò currendo, deſcendendóque tantùm profecerit, taliſque, & curſor, & deſcenſor euaſerit, factum propterea, quòd ab initio, atque primordiis rerum didicerit; Verùm, & Irenæi dictione clarior eſt eloquutio Tertulliani libro aduersùs Praxeam: *Ipſe enim & ad humana ſemper colloquia deſcendit; ab Adam vſque ad Patriarchas, & Prophetas, in viſione, in ſomno, in ſpeculo, in ænigmate ordinem ſuum præſtruens ab initio ſemper; quæ erat perſequuturus infinita, ſemper ediſcebat, & Deus in terris cum hominibus conuerſari, non alius, quàm ſermo, qui caro erat futurus; ediſcebat autem, vt nobis fidem ſterneret, vt facilius crederemus Filium Dei deſcendiſſe in cœlum, ſi & retrò tale quid geſtum cognoſceremus*; Significat igitur Tertullianus difficilem nos adhibituros fidem deſcenſui ab excelſis Filij Dei, *niſi, & retrò tale quid ab eodem geſtum cognoſceremus*: Tanta enim eſt connexio poſterioris virtutis, & eius ſanè, quæ non vtcunque exercita, ſed ab initio, id eſt, à rudimentis, & infantia, vt niſi hæc proceſſerint, prodigij inſtar ſit, quempiam velut ex inopinato virtutibus conſpicuum emicare.

Cantic. 2.

Tertull.

46. Vide ex iſtis, quàm ſcitè philoſophetur Dauid. Prouocabat Philiſthæus gigas ad ſingulare certamen Hebræorum ex legionibus fortiſſimum quenque, neque inueniebatur in omnibus caſtris, qui auderet congredi cum Goliatho; Obtulit ſe Dauid tanto diſcrimini, & primùm acriter à fratre increpitus, deinde à Rege Saüle deſpectus, *Non vales* (ait Reg. 1. cap. 17.) *reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare aduersùs eum, quia puer es, hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua*; Sed repulit feſtiuè Dauid Regis argumentum, inquiens: *Paſcebat ſeruus tuus gregem patris ſui, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos & percutiebam, eruebámque de ore eorum*; *erit igitur & Philiſthæus hic incircumc ſus, quaſi vnus ex eis*: Porrò Theodoretus quæſtione 40. in lib. 1 Regum, cogitat, Dauidem vix pubertate egreſſum, quatuordecim, aut quindecim annorum tantùm; Auguſtinus planè libro 50 homiliarum, ſermone 31. puerum fuiſſe exiſtimat; Quæ ſi comperta arbitremur, operæpretium eſt dicamus, minorem hac ætate, quando cum beſtiarum efferis, & robuſtiſſimis congrediebatur: Eius igitur generis certamina inierat, priuſquàm ephebiam abſolueret, Proinde à tenero æuo edoctus ſubire ingentia pericula, non timere ardua quæque; Itaque Saülis animo vti metum omnem demat incertæ victoriæ: Scias (ait) ô Rex, conceſſum eis, qui à pueritia difficilibus aſſueſcunt, atque ingentia moliuntur, maiores vt cùm ad annos venerint, nihil ſit tam inacceſſum, quod non ſuperent; valentior nanque fit in dies virtus; Ego igitur ſi puer, & tenellus, neque leones animantium ſuperbiſſimos tyrannos veritus ſum; neque vrſos ſæuos in primis, atque audaces timui: quid nunc pubertate tranſacta, quando, & animi conſtantiæ, & corporis robori incrementa addita? Ne dubites, cadet à noſtro vulnere monſtrum illud horrendum, ingens, licèt alno procerius. Quid? irruebamus in fortiſſima bruta, ídque ob tam leues cauſas, ne de numeroſo grege ouicula vna periret; nunc cùm patriæ honor inſtat, cùm Principis gloria ſtimulat, cùm potentiſſimi, æterníque Numinis cauſa vrget, atque incitat, ſegniores erimus? Et non ideò ludebamus in exiguis tanto diſcrimine, quò in maximis abſque formidine auderemus? Vincet proculdubiò adoleſcens Philiſthæum, qui puer leonem, ſimúlque vrſum ſuperabat, vt conſequentia ſit ab illa in hanc victoriam, quemadmodum Chryſoſtomus meditatur tom. 1. homil. de Dauid, & Goliath: *Ego* (ait) *contra illum exeam, ego pugnam contra eum inſtituam, & ſuperbiam Deo mitigante conſternam: nam, cùm paſcerem gregem in campo, ouem mihi à leone, & vrſo abreptam, his belluis interemptis, prædam excuſſi, nocentes beſtias interfeci; hoc exemplo etiam iſtam immanem belluam prouocem bello, pugna congrediar: Dei populum & ipſum vt nocentiſſimam belluam Dei virtute percutiam:* Sed in hoc, quod ſectamur, propoſitum commoda ea Saülis verba de Goliatho: *Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti: hic vir bellator eſt ab adoleſcentia:* Nec enim ſine aliquo arcano, quod non à virili ætate bellandi eruditum diſciplina aſſerat, verùm à iuuentute: ſignificans ob hoc tanquam inſuperabilem, cùm id conſequantur, qui ab adoleſcentia artibus incumbunt, vt cùm prouectiores fiunt, in eam tranſeant firmitatem, & adamantinam vim, quam ſuperari impoſſibile ſit.

1. Reg. 17. 33.

Dauid inde ſe inſuperabilem eſſen dit quòd à pueritia pugnare aſſueuit.

Theodor. Auguſt.

Chryſoſt.

Goliath à iuuentute, militari diſciplina imbutus.

Dauidi autem pulcherrimo iuueni iungamus alterum decorum nimis aſpectu, Ioſephum, nempe; huic cùm Moyſes optimè imprecaretur Deut. cap. 33. verſ. 17. *Quaſi primogeniti* (inquit) *tauri pulchritudo eius: cornua rhinocerotis, cornua illius, in ipſis ventilabit gentes vſque ad terminos terræ:* Verùm qualis hæc delineatio? Nam, ſi oris figura commendatur, non apta ſimilitudo eſt, quę à tauro deſumitur, hic enim toruus magis, quàm ſpecioſus, vti & monoceros; ſin autem robur ſub ænigmate depingitur, non hoc Ioſepho effulſit; ſed prudentia & conſilium: quare togæ quidem, & roſtris aptior, quàm militari ſago. Dicunt ſanè Lyrenſis in allegatum Deuteronomij caput, in idémque Toſtatus quæſt. 5. non ipſius Ioſephi vires laudari, ſed in eo venturos nepotes, tribum, ſcilicet Ephraïm, quæ (vt ait Nicolaüs) fortis extitit, & bellicoſa, præſertim poſt diuiſum Iſraël. m; nam ceſſit imperij maior pars Ieroboamo ex Ephraïmiticis: at, ſi poſteritatis gloriam extollere Moyſi ſcopus fuit, Iudam potiùs his titulis afficere debuit, cùm qui ex illo deſcenderant, reliquos caſtrenſi fama vicerint; Placebit igitur ad reconditum transferre ſenſum; & mentis vigorem, altámque cordis arcem in Ioſepho monſtrari; itaque inconcuſſam animi virtutem cùm indicaret Legiſlator, ab animalibus deſumpſit metaphoram, quorum eſt notiſſima firmitudo: at de tauro quidem apud vniuerſos exploratum; de rhinocerote Abulenſis ea, quam nominauimus, quæſtione, de quo memorat, & leones ipſos inſectari, quem beſtiæ omnes fugiant; Quando autem tam validus Ioſephus? Sanè cùm & venditionem expertus, & carcerem: ſed ſuper omnia, athletam probauit impolluta caſtitas, & reiectæ femineæ illecebræ? Supereſt indagemus, vnde Ioſepho inter fratres omnes tam firmata virtus, tam ingentes ſpiritus, qui maſculis quibuſque animantibus comparentur? Equidem, ſi prima vitæ exorſa repetamus, inueniemus ſobrium pudicum, honeſti impigrum amatorem ab initio ætatis; nam certè Geneſ. cap. 37. Iacob genitor hunc præ filiis omnibus dilexiſſe narratur, eo quòd

47.

Deut. 33.

Lyran. Abul

Rhinoceros, animal forte.

Geneſ. 37.

quòd in ſenectute genuiſſet; cuius ſanè phraſis interpretatio apta ad mores potiùs, quàm ad natiuitatem transferenda; quippe, ſi materialis genituræ ratio habeatur, amandus fuiſſet ante vniuerſos Benjamin annis Ioſepho minor, vti probè animaduerſum à Procopio; ergo ſenectutis filius (ſic enim ex Hebræo apud Abulenſem) nominatur Ioſephus; quia, vt idem Toſtatus in præfatum Geneſeos caput, aſſerit; *In principio ætatis ſuæ fuit prudens, & induſtrius valdè*; Quare & ob hanc cauſam idem Epiſcopus citata in Deuteronomij cap. 33. quæſt. 5. arbitratur, vocatum Nazaræum, id eſt, ſanctum, & religioſum; alioquin nondum inſtitutus Nazaræatus, qui ſub Moyſem Ioſepho nouiorem emerſit; Igitur, cùm Ioſephus ab annorum & vitæ principio modeſtiam, probitatémque impensè coluerit, conſequutus antelucano hoc virtutis œſtro, vti grandior effectus, robuſtiſſima eſſet mente, & animo in meliora æneo, atque indomabili; vt validiſſimis quibuſque animantibus dignam quæ aſſimilaretur tantam firmitatem, æſtimauerit Legiſlator: Hæc igitur tam ſalubria monita, tam fructuoſa, veloces, & properæ huius Epithalamij nuptiæ ſuppeditant, quod vere, atque anni limine inſonat Hymenæus quod ſponſi dexteras tradant ſtatim poſt conſummatam pubertatem, quòd vniuerſa iuueneſcant, nihilque antiquatum appareat, ſummo mane, cùm auroræ exortu inueſtigandam ſapientiam hortantur; non differendos caſtos pietatis amplexus; vt in aliis cunctatio non mala exiſtimetur, in his pernicioſam eſſe; quippe niſi ab infantia optimis aſſueſcamus moribus, dum teſta recens eſt, quæ ſequatur iuſta ætate virtus gracilis, atque macra erit ſemper, ac proinde quæ irruente quauis procella, facilè cedat fluctibus, in profundum mergatur, & pereat miſerando naufragio.

Procop. Abul.

Deut. 33. *Regula: Nazaræus idem, quod ſanctus.*

Summo mane pietatis amplexus concupiſcēdi.

SECTIO VI.

Societatem IESV *ob Filij Dei participatum nomen Deus ad maximam gloriam euexit.*

48. INſinuauimus quidem, dum elapſi Præludij diſcuteremus litteram Sect. 5. Subſectione 1. num 84. idque aliàs docuimus, ſponſam beneficiorum magnitudine victam, cùm non haberet, quibus ſoluendo eſſet, nec parem dilecto gratiarum actionem referre valeret, vt tamen qualicunque nota animum exponeret, poſt connubia deinceps appellari voluiſſe mariti nomine, proindéque Sulamitem, ſeu Salomoniam dictam à Salomone compare: nam, cùm ipſa ſecum nihil attuliſſet, non ſtemma, non aurum, non villas, & terrarum iugera omnia verò donata fuiſſent cumulatè Principis largitate; optauerat hoc nuncupatione publicare, vt quoties appellationis ratio poſtularetur, promptum fuiſſet reſpondere, mariti ſe vocabulo inſigniri; quoniam, quæ haberet, vniuerſa ſponſus dediſſet: ac propterea cùm & veſtis, & gemmæ, & ornatus tota pompa à Salomone, noluiſſe ſuum quidpiam affirmare; ſed Sulamitis, id eſt, Salomoniticæ ea eſſe, hoc eſt, Salomonis quidem femineo articulo inflexi; Puto ego ſeminalem hanc extitiſſe cauſam, quòd tam ſedulò virginem adamauerit Princeps, vt in vno crine colli eius vulneratum ſe diffiteri non renuerit, vt Reginis, concubinarúmque mandris prætulerit; *Vna eſt columba mea, perfecta mea*: Vt demum, cùm gaza locupletauerit plurima, & abundanti, contempſerit quaſi exigua munera ſua; *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* O verè ſagacem, beatámque puellam! Iure talem prædicauerant Reginæ, & concubinæ; vir eius & laudauit eam: Ingens hæc proculdubiò femina; Tecum ſi tamen, ô alma Genitrix, ſancta IESV Societas, conferre velimus, multùm eius de encomiis decreſcet; nam illa quidem, quamuis ſponſi titulos aſſumpſit; ſed vetera nomina omninò non deleuerat, quemadmodum allegato ſuperiùs monſtrauimus loco: Sunamitis, ſeu coccinea etiam poſt nuptias vocata, idque ad oſtentationem quidem, vti apud Romanos, & Lentuli, & Piſones, & Cicero cognomenta hæc, quorum primordia inhonora, retinuerunt, arbitrati non leuis eſſe glorię, plebeia vocabula inter Senatorum recenſeri auguſtos titulos; in te verò nihil relucet præter IESVM, eius tota inſignita charactere: abolitum penitùs quicquid tuum videbatur, obliterata Ignatij, Sociorúmque memoria: niſi forte aliquid hoc ſit, quòd *Minima* dici elegiſti, ac non magis commendat modeſtiam tuam: Sanè placuit Altiſſimo hæc ſubmiſſionis tuæ grata teſtatio, atque ob hanc tantam humilitatem, fecit in te magna, qui potens eſt, ſit ſanctum nomen eius. Quidni enim faceret, quando ſic ab antiquis conſueuit? Quibus, nempe, aut nomen ſuum, aut partem nominis indulſit, hos ad grandia, atque inſolita euexit perpetuò, quin & maiora per eos, quàm per ſeipſum operari nonnunquam dignatus eſt? Age, Mater diuina, leua oculos tuos in circuitu, & contemplare, quæ ſperare valeas à benigniſſimo IESV, exemplo magnorum, qui in nouo, veterique fulſerunt Inſtrumento.

Cognomina inhonora quorſum retinuerint ad Conſulatum euecti Romani?

49. Quanta in vnum Abrahamum Creatoris effuſio? *Faciámque te* (ait) *in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum* (Gen c. 12.) *eríſque benedictus, atque in te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ*: Et c. 15. *Eduxitque eum foras, & & ait illi: Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes: & dixit ei: Sic erit ſemen tuum.* Denique & ille eſt, de quo Eccleſiaſticus c. 44. v. 20. *Abraham magnus Pater multitudinis gentium, & non eſt inuentus ſimilis illi in gloria*: Quæ ratio huius tam copioſæ largitatis? nam, ſi fide ſummus extitit Abraham, Iob patientia effulſit, commendatur in Moyſe clementia, in Tobia laudatur charitas, nec tamen præmiis tam amplis effecti, quòd ſi filium Iſaacum lætus obtulit, quoniam ſuperna vrgebant iuſſa; amiſſos natos, natáſque omnes miſeranda ſtrage Iob alacris pertulit: ergo habuerit ſingulare quidpiam Abrahamus? Ita ſanè: nempe, mutauerat ei nomen Deus: *Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram* (Geneſ. 17. v. 5.) *Sed appellaberis Abraham, quia Patrem multarum gentium conſtitui*, &c. Verùm hæc quid referant? Nónne & Iacob inuerſum nomen, atque Iſraël in futurum dictus Gen. 32. v. 28. nec ad Abrahæ peruenit honores? Audiamus quid Hieronymus narret quæſtionibus Hebraïcis in Geneſim; *Dicunt* (inquit) *Hebræi, quòd ex nomine ſuo Deus, quod apud illos tetragrammaton eſt, ה He Abrahæ, & Saræ addiderit: dicebatur enim primùm Abraham Abram, quod interpretatur Pater excelſus: & poſtea vocatus Abraham, quod transfertur Pater multarum:*

Gen. 12. 2.

Eccli. 44.

Geneſ. 17.

Geneſ. 32.

Hieron. *Deus ex literis nominis ſui Abrahæ nomini communicauit.*

nam

nam, quod sequitur, gentium, non habetur in nomine; sed subauditur: Nec mirandũ, quare, cùm apud nos, & Græcos A littera videatur addita, nos ה *He, litteram Hebræam additam dixerimus*; *idioma enim linguæ illius est, per* ה *He quidem scribere, sed per A legere: sicut è contrario, A litteram sæpè per He pronunciant*; Ergo ex participata vna littera diuinissimi, atque ineffabilis nomenclaturæ, tam sublimia consequutus Abraham, quid integra nominis Iehouah communicatio; Nam & hoc cum IESV vocabulo idem esse, quàm probabili fundamento propugnari valeat, legendum apud Alphonsum Mendoçam quæst. 10. expositiua, num. 9. Certè quadrat in hanc Familiam effectus transmutati nominis Abrahæ mirificè, dictus exinde Pater multarum gentium quàm pulchrè. Quam enim sibi metam præfixit hæc Societas, nisi peragrare vniuersa orbis loca, & docere omnes gentes? Quæ in terris regio non plena tam fructuosi laboris? Ergo illa cunctarum genitrix nationum: sic enim oportebat, quando totum nomen tetragrammaton hauserat: Sed & illud pariter adepta, quod Abrahæ tributum, *Vt fieret in gentem magnam*: Scitè autem Rupertus Abbas: *Non dixit, gentem multam? sed, magnam: & verè magna gens, de qua magnos Patriarchas, atque Prophetas, vel Scribas peritos, ac diuersorum meritorum magnos viros habemus, per quos veram Dei magnitudinem cognouit mundus*: Neque enim huic Sodalitio in numero gloria, sed in delectu: Atque sanè cùm neque anni adhuc plurimi transierint, neque copiosæ legiones, déque iis ipsis non modica pars sæpiùs abire iussa; tamen per Numinis misericordiam nemo non piorum stupescit, quãtos hic palmes produxerit ramos felices, quot ex eo prodierunt Heroës, seu martyrij inclyti laurea, seu portentis, & quæ omnem naturam vincunt signis admirabiles, seu Hæreticorum & gentilismi triumphis clarissimi, seu conscriptis propè infinitis voluminibus apud omnem posteritatem commendatissimi futuri: denique tales, *per quos veram Dei magnitudinem orbis manifestè cognouit*, quantuncunque latè patet.

Reg. Lingua Hebræa, quod per He scribit legit per A.

Mendoça.

Societas IESV *in Abrahamo pulchrè delineata.*

Rupert.

50. Miror Iosuë nunquam mediocribus contentum, semper excelsiora occupantem: Mittit legatos exploratum Chananæorum regiones Moyses, & ordinatur Iosuë Dux atque Princeps, nam præfectum reliquis docet Abulensis quæst. 37. in cap. 13. Numerorum: Verùm & ipsi Moysi antepositum ostendimus antecedenti Sectione, num. 40. nam & promissa arua tandem Imperator populorum ingressus, quod Legislatori inconcessum: atque cùm in terris, marique Moyses stupenda patrarit, nobilioti plaga scilicet Olympo Phœbum ad occasum properantem stare coëgit Iosuë: parum hæc, si non & æterno, incomparandóque Numine maior quodammodo appareret: *Obediente Deo* (inquit sacer Textus Iosuë 10. vers. 14.) *voci hominis*: At, qui obedit, inferior est; admiranda hæc tam ingentia in maximis quibusque, Verùm in homine militari potiori etiamnum digna consideratione: quæ seges tantarum laudum? quòd virgo fuerit, vti scribit B. Ignatius ad Philadelphios? Sed casti quoque extiterunt Elisæus, Daniel, Ieremias: Quòd inter arma religiosus apparuerit? Sed talis pariter Dauid: Quòd promissam glebam attigerit? Sed hanc alij multi simul possedêre: Quid igitur? Equidem, Deo inspirante Moyses nomen illius inuerterat, atque veteri appellatione Osee cùm diceretur, deinceps Iosuë audiuit: Cæterùm in hac vocum transuersione contigit fortunatè, litteram *Iod*, vnam ex earum serie, quæ nomen Dei tetragrammaton componunt, nomini adiungi: quemadmodum itaque anteriori numero affirmabamus, Abrahamum insignibus auctum beneficiis, quòd ex Dei appellatione vnam accepisset litteram; sic & de Iosuë argumentari liceat ad præclarissima sublimatum ob æquales causas; Dabunt interpretationi pondus Tostati effata indicata quæst. 37. *Littera addita nomini antiquo Iosuë* (ait) *est prima in nomine Domini tetragrammaton, id est, quatuor litterarum: nam prima istarum est Iod: addit ergo Moyses istam litteram, vt esset idem principium nominis Dei, & nominis Iosuë: innuens per hoc, quòd Deus daret ipsi Iosuë de magnis bonis suis, cùm daret ei primam litteram nominis sui*: Ac sanè applicauerint de principatu inter Exploratores Viris Societatis alij iuxta libitum: mihi autem duo præterire religio sit, quando Commilitonibus ea solatio futura; Primum, quòd speciatim inter plurimos vni Iosuë Moyses nomen mutauerit, Legislatorem hoc tãquam pignore declarasse singularem in hunc affectum, animíque dulciorem propensionem. Percipiamus ab eodem Magistro: *Causa* (inquit) *additionis nominis huius putatur fuisse benevolentia Moysi ad Iosuë, secundum quam cupiebat illi bona: erat enim familiarissimus ei, ita vt vocaretur puer eius Exod. 33. & 34. Et licèt multos alios, vel familiares, vel Ministros haberet Moyses, iste dicebatur electus ex millibus suprà cap. 11. ideo nullius de Exploratoribus mutauit nomẽ Moyses, nisi ipsius Iosuë, quia nullum alium æqualiter diligebat*: Ergo, quòd particulari in hanc Societatem rapiatur amore Christus IESVS, suo de nomine appellari voluit: Certè Ioachimus Abbas in cap. 3. Apocal. de Angelo Philadelphiæ loquens eóque præfiguratum hunc cœtum adstruens, *ordinem nuncupat præ multis aliis, qui præcesserunt eum, Deo amabilem, & præclarum*: Alterũ ex illis, quæ animaduertere placuit, id, quod significata quæstione obseruat Tostatus; scilicet, cùm monuisset IESV vocabulo denotari salutem: *Ideò* (inquit) *Iosuë fuit per Moysem datum istud nomen, ex desiderio salutis significatæ: & hoc competit, quia mittebat eum Moyses in terrã hostilem, vbi poterant accidere multa pericula: cupiebat autem Moyses, quòd ab omnibus illis saluus esset Iosuë, ideo imposuit ei nomen salutis: quod ita fuit: nam in reditu mortui sunt decem Exploratores: solus autem Iosuë cum Caleph vixerunt, vt patet sequenti capite*. Iam intueor planè, cur huic minimæ Familiæ Verbũ Patris Iesu indiderit nomen: Nouerat, iuxta instituti formã, tranandos sæpè Oceani inquietos fluxus, adeundas nationes sæuitia inhumanas, per Lybiæ arenas, per ferarum spelæa quærendas barbarorum animas, Mahumetanorum gentilium, Sectariorum vincendas pessimorum minas: Vah difficultãtum aggeres! ite, currite veloces, ne terreamini, Sociorum fida manus: irrumpite in Angliam, in Hollandiam, in Daniam, & vbicunque etiamnum dominatur sæuior Erynnis, Hæresis: erit vobiscum IESVS, reducet victores, atque incolumes: Arment sagittas, atque arcus Indorum sylueſtris plebs, cadent à latere mille; ad te autem non appropinquabit quoniam IESVS à dextris est tibi, ne commoueris; & in hoc nomine superabis facilè, quicquid terribile, & metuendum est. O sacrum amuletum! ô sospitatis arrhabonem! defecit in salutare

Abul.

Ioh. 10.

Iosuë virgo. Ignat. Mart.

Tostat. *Iosuë nomini addita littera ex Dei vocabulo.*

Nominis cõmunicatio, singularis affectus pignus.

Ioachim. Abb.

Societas nomine IESV *tuta in periculo.*

lutare tuum anima mea ; quia non est aliud nomen sub cœlo , in quo oporteat saluum fieri.

51. 4. Reg. 2. Lego Regum 4. cap. 2. percussas Eliæ melota aquas Iordanis , inoffensum subitò præbuisse tramitem Vati , citúsque discipulo Eliseo ; fertur deinde super astra Magister flammiuoma rheda , sed dum ascendit , pallium amittit ; sustulit optatum pignus gaudens Eliseus , Iordanémque transiturus , percussit aquas Præceptorem imitatus delapso pallio , & non sunt diuisæ : reiterat verba , inuocato Eliæ Deo , statimque aperuêre semitam fluctus : Sed , quamobrem remorantur vndæ ad primum ictum ? defecit fortasse virtus Eliseo ? At in eo conduplicata Eliæ gratia : *Item patet* (ait Abulensis quæst. 28. in nominatum Regum locum ,) *quia in aliis miraculis velocius operabatur Eliseus , quàm Elias : nam ad suscitandum filium Sareptanæ viduæ ter orauit Elias , & ter incuruauit se super eum præcedenti lib. cap. 17. Eliseus autem ad suscitandum paruulum solùm bis orauit , & se incuruauit super eum , infrà cap. 4.* An fuerit id, quod eodem loco Tostatus indicat: nimirum , prætermisit Numen exorare Elias prima vice : voluit autem significare Omnipotens oratione quæque adipiscenda esse , neque prætereundam hanc etiam ab Eliæ duplici spiritu præditis , vtpote , penes quam claues sint diuinorum beneficiorum : ego tamen opinor , quanuis ore atque labiis tacuerit Elias , mente vocalem extitisse ; neque enim grandium meritorum veri, magníque Heroës , ex quibus Elias , quæ naturam superant opera aggredi consueuêre absque precum adminiculis ; sed mente perfectiùs rogant , & videt Pater cœlestis in abscondito supplicantes ; At verò , inquies , quæstionem hæc maximè augent : nam , si & auxilium implorauit supernum , cur distulit Numen adesse inuocanti ? num , si continuò responderet , facilis illa, atque prompta indulgentia contemptum pareret ? fastidimus enim citò , quæ sine labore adquiruntur? quidquid illud extitit , & siue abstrusior aliqua ratio mortales latitans , inuenit properè Vates , quibus & Deum ipsum expugnaret: *Vbi est* (inquit) *Deus Eliæ etiam nunc* ? Sed, quæ hæc formula præcandi, vt Deum Eliæ restringat, quasi huius solius moderatorem ; Nónne satius generalibus vsum esse vocabulis , & infinitum, æuiternum , rerum principium , cui subsint vniuersa , aut saltem Deum Israël , & non Prophetæ vnius dicere ; Sciebat equidem , cùm Dei nomina creaturis adaptantur , in his potentiorem se quodammodo ostendere diuinitatem : coniunxerat verò titulos suos Prophetæ nomini : itáque Eliæ vocabulo alligatum erat Dei nomen ; Cùm igitur meminisset discipulus communicatum Magistro quouis more Dei nomenclaturam, non dubitauit simul, ac Præceptorem citaret , exaudiendas preces absque mora , cùm quod se inuocato Numen denegare videatur , hoc velociter concedat eorum facta memoratione , quibus nomen suum tribuere speciali ordine dignatur; Igitur, qui priùs , cùm Deum suis ex prædicatis mente nuncupauerat , repulsam sustinuit ; secunda postulatione inuocato eo , cui Numen ex suis appellationibus donauerat , consequutus est absque tergiuersatione , quæ desiderio conceperat , omnia : *Postquàm autem non obediit natura aquarum* (ait Theodoretus quæst. 8. in 4. Regum.) *vocauit Deum Magistri sui, qui non cadit sub aspectum hominum :* Securus audito Eliæ nomine mollien-

Abul.

Media oratione Deus munera largitur.

Deus nõ respõdet statim postulantibus, ne vilescant dona apud eos.

Theodor.

dam laticis duritiem; cùm ob Eliæ nominationem Deus , eò quòd illi suum concesserat nomen, maiora facere clementer voluisset, quàm propter diuinitatis nuda vocabula ; Te appello huius condescendentiæ clarissimum testem , te Auctorem generis nostri, sanctissime Loyola: nam, cùm prodigiis, & caro tua, & vestis, & ossa, & imago, & alia multa axem impleuerint vtrunque ; tamen stupendum planè est , quot per nominis tui suauissimam memoriam inaudita fideles receperint beneficia. Sed , quid demiramur insolitos honores , cùm te susceperit Christus IESVS prælectum suum , in quo poneret nomen super omne nomen, vt portares illud coram Regibus, & gentibus , & filiis Israël ?

52. Vultis ex nouo fœdere probemus non indecorè ? Transiturus ab hoc mundo Christus , & patiendo proximus , quod in optatis semper habuit , voce aperta demonstrauit , Ioan. cap. 12. Ioan. 12. vers. 28. *Pater* (inquit) *clarifica nomen tuum:* Hæc optimo Filio vel sub mortem omnis cura , hoc desiderium si Genitorem cuncti extollant : *Declarat autem si explicando affectum sum* (ait Caietanus) *non tendere ad gloriam propriam , sed ad gloriam Dei : hoc enim significat petitio ista :* Ergo sui oblitus Redemptor , totus in Genitorem tendit : Et intuere amoris flagrantissimum æstum ; crucem subiturus , & dirissima quæque , tamen in Patrem conferri tantis laboribus debita honorum culmina mauult , nec sibi quidquam reseruat : O erga parentem raram obseruantiam ! ô dilectionem , quæ fidem , ingenium , cogitationem vincit ! Sed , quid de supernis vox Patris responderit, attendamus! *Et clarificaui, & iterum clarificabo* : Quem ? seipsum , an Filium ? Filium profectò ; Percipe ab Augustino tom. 9. tract. 52. Augusti. in Ioannem : *Quid est ergo aliud, nisi vt Pater clarificet Filium? Clarificaui, cùm de Virgine natus est, cùm virtutes operatus est, cùm cœlo indice per stellam à Magis adoratus est, cùm in monte transfiguratus, cùm miracula multa fecit, cùm de paucissimis panibus tantam multitudinem pauit, cùm ventis, & fluctibus imperauit , cùm mortuos suscitauit: & iterum clarificabo , cùm resurget à mortuis , cùm mors ei vltrà non dominabitur, cùm exaltabitur supra cœlos Deus, & super omnem terram gloria eius :* Verùm , cùm paternum clarere nomen desiderauerit Christus, quid est , quòd non hoc respondeat Genitor , nempe , suum clarificandum nomen , & ita Filij postulatis indulgeat ? Nunc autem concedat id quod subterfugisse Nati oratio sollicitè videbatur ? Sed bellè omnia habent : Christus duo fortitus nomina ; vnum, cum Genitore commune , quo *Deus* appellabatur ; alterum , ab assumpto corpore , & anima , quo homo nuncupabatur, & huius nihil cum Patre diuisum ; Velle itaque eum apparebat , quæ ad humanitatis nomen spectabant ea occultari , ne distracta gloria minor iudicaretur; igitur omnem honorem in Deum solum congeri , Dei tantùm affectari famam ; concelebrationem , laudes , cætera consopiri : at Pater , vel ob hanc tam inclytam gnati liberalitatem è diuerso commissurum se affirmat , euenturúmque vt Filij etiam in quantum hominis , nomen super astra efferatur , terreni adorent , Dæmones contremiscant , omnis denique lingua confiteatur : ergo non contentum antiquis ornamentis , effecturum vt deinceps cumulatior accederet splendor ; Verùm illud , *Et iterum clarificabo* eximiè à nostro Maldonato illustratum ;

Christus, in gloriam Patris totus intendebat. Caiet.

Deus glorificantes se glorificat.

Maldon.

tum; *id est* (ait) *si ante non clarificassem; tamen modò, quia maximè opus est, clarificarem, aut iterum, atque iterum, etiam, atque etiam clarificabo:* Tanquam sensus sit: Si à me, ô Fili, in hunc diem nullis honoribus affectus esses; tamen sic me delectauit hodierna oratio, qua tuum obscurari nomen libenter velle significasti, vt in me omnia confluerent præconia, vt in posterum abstinere non possem, quin de te modis omnibus condecorando sedulò cogitarem; Quando igitur hæc tibi prima cura est, meum vt efferatur nomen, & ad Dei maiorem gloriam cuncta ordinas, meæ erunt partes, vt de tui nominis fama celebriori nulla conticescat ætas, in omnem terram exibit sonus eius, & in fines orbis terræ vsque ad extremum maris, & vsque ad longinquas insulas: Gaude, & exulta plurimùm, tu Cantaber meus inuicte, tu Pater, & Dominus: abscondisti nomen tuum, Ignati, à sapientibus, æquè & insipientibus, & ab omni homine; sed Pater, qui in cœlis est, reuelauit illud, & certè clarificauit te, atque Societatem tuam, quantùm orbis totus attonitus suspicit! verùm pars hæc tantùm decorum, quæ tibi, tuisque præparata sunt ab initio, & ante sæcula; *& iterum clarificabo:* quid si grandior adhuc supereſt portio? qualis illa futura? quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, IESVS bone, cum hac Societate tua! verè multùm complacuisti tibi in seruo tuo Ignatio, quem sic clarificasti.

53. *Deus si quãdo tardiùs, plenius tamẽ statim omnia largitur.*

Sed penè obliti sumus, quod insequebamur, atque Eliæ nobis suggessit inuocatio; nimirum, Deum, si quando velut difficilem, atque morosum ad postulata, statim tamen omnia plenissimè largientem, simul atque nominis, quod quispiam participauerat, interponitur auctoritas? Nec libet extra proposita Ioannis euagari effata: *Pater* (ait) *saluifica me ex hac hora:* Aliquidne respondit Genitor ad hæc verba? Nihil ædepol: verùm tota Parentis ad eam, quæ statim subiuncta est, petitionem, directa oratio, scilicet; *Pater, clarifica nomen tuum*; Adnotauit Caietanus; *Duas petitiones* (inquit) *porrexit: ad primam nihil respondit cœlestis vox, sed ad secundam*; Quorsum igitur ad secundas preces flectitur anteà quasi alienior, & inexorabilis? Sanè nomen, quod clarere optabat Filius, Dei erat, quemadmodum idem explicat Cardinalis, vnàque Patris nuncupatio; *Non dicit* (ait) *glorifica te, sed nomen tuum, quo cognosceris, & nominaris tam Deus, quàm Pater*; Genitoris autem vox, atque notio etsi in Filium quadrare non valeat; ei tamen Dei nomen communicatum cum diuinitate; Filius igitur participabat de Generantis nominibus; itaque, cùm ob nomen, quod communicauerat Pater, rogaretur; continuò indulsit votis, affuit desiderio postulantis; ergo Deus, quantuncunque tardus, & difficilis excitari ad supplicationes opem implorantium, continuò tamen ac resonat in eius auribus nomen, quod creaturæ communicauit, laxat misericordiæ habenas, depositóque supercilio omni vultus inducit placidissimos.

Caiet.

54. Petr. Dam.

Imitatur Parentem Gnatus, quibúsque ipse suis de nominibus concessit, supra se etiam euehit, maiórque famulis, quàm Domino gloria contingit; Expendamus, quæ de Ioanne Euangelista S. Damianus Cardinalis pronunciet sermone 1. *Quid autem mirum, si Ioannem D. Petro præferimus, cùm illud Euangelij sui singulare principium, ipsa etiam Dominica verba, si dici liceat, excedere videatur; nec iniuria fit Redemptori, si dicatur aliquid ipse sublimius depromere per discipulum, quam per semetipsum.* &c. Sed vnde Ioanni, quòd non solùm reliquos Euangeliorum scriptores, verùm eum, à quo, vt dicerent, acceperunt, sermonum profunditate quodammodo vinceret? An quòd Virginis Matris indiuiduus extiterit comes? Placuit Ambrosio lib. 1. de institutione Virginis, c. 7. *Eadémque postea* (ait) *Ioanni Euangelistæ est tradita coniugium nescienti; Vnde non miror præ cæteris loquutum mysteria diuina, cui præstò erat aula cœlestium Sacramentorum*, Verùm, vt hæc sufficiens habeatur causa, quòd Euangelistas reliquos supergressus sit; Christum tamen, quòd superauerit aliqua fuerit abstruſior ratio; Sanè cùm in ligno penderet Seruator, iámque penè absoluerentur vitæ stamina, ne Genitricem penitùs orbatam relinqueret, subſtituit pro se, quem amauerat, discipulum; *Mulier* (inquit Ioan. cap. 19. vers. 26.) *ecce filius tuus*? Quid hoc tam incomparabili beneficio consequutus Ioannes? Equidem de nominibus Christi vnum, idque speciale, MARIÆ vt diceretur in futurum *Gnatus*; Cùm igitur Christus eos, quos nomine aliquo suo donauit singulariter, ad tantum honoris fastigium attollat, quòd nec ipsi contigerit; hinc est, quòd per Ioannem grandiora arcana reuelauerit, quàm per seipsum.

Ioãni maior scientia communicata ob Virginis societatem. Ambr.

Ioan. c. 19.

55. *Apostolorum discipuli ipsorum nomine non sunt appellati.*

Atque hæc lumen præbebunt ad denoctandas eius quæsiti tenebras; nimirum, cùm Apostoli nationes ad fidem conuerterent, quamobrem, quos instruxerat discipulos Paulus, non de suo nomine Paulianos appellauit, Iacobus Iacobitas vocauit, Thadæus Thadæitas dixit? An, ne gentium imitarentur mores, apud quos alij Platonici, alij Socratici, Aristotelici? vel potiùs illud? quòd nossent lege decretum, vt qui defuncto suscitarent fratri semen, eius quoque nomen in filios transferrent: ipsi autem pro Christo, qui eos fratres in Euangelio nuncupauit, semen excitabant? Ita concinnè in primis Augustinus ad illud Psal. 44. *A domibus eburneis. Ad hoc Sacramentum* (ait) *pertinet, quod scriptum est in lege: Si mortuus fuerit frater* (Deut. cap. 23.) *accipiat vxorem frater eius, & suscitet semen fratris sui. Non sibi, sed fratri suo: dixit Christus, Dic fratribus meis,* (Matth. 28.) *Dixit & in alio Psalmo, Narrabo nomen tuũ fratribus meis: Mortuus est Christus, resurrexit, ascendit, absentauit se corpore: susceperunt fratres eius vxorem eius prædicatione Euangelij generaturi filios, non per semetipsos, sed per Euangeliũ propter nomen fratris itaque suscitantes propter nomen fratris semen fratri suo, quotquot genuerunt, non Paulianos, aut Petrianos sed Christianos nominauerunt: ideò ipsos quos suscitauit fratri suo Paulus cùm videret currere ad nomen suũ, exclamauit: Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis: quid enim ait lex: Et habeat natus nomen defuncti: defuncto nascatur, defuncti nomine appelletur: seruat hoc lex: timum Paulus, volentes appellari à nomine suo reuocat*; Pulcherrimus discursus, & Augustino dignus partus; B. autem Parenti Ignatio ex miraculo accommodus: nam certè cùm apostolicæ vitæ spirantem ideam redintegrare voluerit instituto, quod professus est; sanè Apostolorum in morem à Deo prædestinatus est ad fratris sui Christi IESV excitandum semen; proinde oportebat, non de suo, sed de fratris nomine, quos aggregauerat, nominare discipulos; idque venustum, quòd à Paulo fuerit pronunciatum, nempe, cùm videret currere auditores suum ad nomen;

Augustin.

Sherlogi Anteloq. in Cant.

Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis; quasi crucifixo hæc debeatur gloria, eius vt de vocabulo dicantur fideles; ac proinde cùm indicaretur B. Parenti Ignatio, quem nascituræ familiæ titulum affigeret, apparuit hominum Redemptor sub crucis vexillo, tanquam innuens Fundatori Ordinis debere vt eius de nomine qui pro illa crucifixus est appellaret eam; Verùm hæc missa faciamus, & illam, quæ nobis oblata est, producamus coniecturam; Sanè, qui primùm ex Paganismo ad fidem vocati fuêre, cùm futuri essent exemplaria, ad quorum effigiem nepotes suos componerent mores, oportebat maximis virtutibus, & gratiarũ donis ornatos esse; Hoc summè, qui Ecclesiam sanguine suo fundauerunt, optarunt Apostoli; quibus id modis, quod in votis præcipuum erat, consectarentur? meminêre quidem eos, quibus accidit, Dei, aut Christi nomina accipere, ad altissimos erigi honores, à Numine inter delicias haberi, donis cumulari cœlestibus ad effusionem penè & nimietatem; Hoc igitur cùm nossent, quò spiritu & mente locupletes euaderent fidelium primitiæ; ex Seruatoris nomine Christianos appellare statuerunt; Hæc itaque ratio, quòd neque Paulianos, neque Petrianos vocarunt; atq; B. Ignatio, Parenti sancto, non dissimilis scopus; quò enim Olympus abundantissimo imbre saturaret hanc vineam; non Ignatij cohortem, sed IESV militiam nominari ab initio semper apud eum fixum.

Qui Dei aut Christi nomina accipiunt ad supremos honores extolluntur.

56. Neque virum hunc Beatissimum decepit spes; Nam vix quidem in aliqua vnquam congregatione post Christi discipularum, præstantius quidpiã solidæ enituit laudis, quod non in hoc confluxisse sodalitium, grauissima probent testimonia: atque vt emittam tanquam domesticam supellectilem nostrorum Annalium volumina, quibus sæpe leguntur, summorum opiniones Pontificum de rebus Societatis, Imperatorum, Regum, Cardinalium, Academiarum, Vrbium, quibus nihil cumulatius; scriptis à se libris idipsum fusè, magnóque verborum pondere significarũt Wilhelmus Alanus Cardinalis S. R. E. Apologia, quam exarauit pro Societatis IESV & seminariorum Presbyteris contra Elizabethæ Reginæ edictum, c. 6. Diegus Paiua de Andrade lib. 1. Orthodoxarum Explicationum; Martinus Azpilcueta Nauarrus Conciliorum lib. 5. consil. 2. de Pœnitentiis & remissionibus, & tom. 3. Miscellaneo 69 de oratione, Ioãnes Molanus Notis ad Martyrologium Vsuardi ad diem vltimum Iulij: Franciscus Montanus in Apologia Iesuitica Stanislaus Rescius, Spongia, qua abstergit equitis Poloni conuitia aduersùs Societatem IESV: Laurentius Surius in Epitoma Historiarum sui temporis, ad annum 1540. Nicolaus Sanderus in Anglicano Schismate lib. 2. Prudentius de Sandoual Pampilonensis Episcopus Historiæ gestorum Caroli 5. tom. 2. lib. 24. §. 25. Abrahamus Zouius de Rom. Pontifice c. 24. Dominicus Grauina in voce Turturis, c. 30. qui prædictiones S. Vincentij Ferrerij, & B. Theresiæ, à IESV, nostro cætui accõmodat; id quod de B. Vincentij prophetia, aliquibúsque Ioachimi Abbatis locis aduerterat olim Rutilius Benzonius Lauretanus Antistes tractatu de Iubilæo; & quidẽ orbi patêre toti vera esse Ioachimi oracula aliqua non dubitauit asserere Antonius Zara Episcopus Petinensis in Anatomia ingeniorum sect. 2. membr. 2. Frater Antonius Caluus ex ordine Prædicatorum defensorio sacrarum Religionum c. 14. frater Hieronymus Romanus Augustinianus tom. 1. Reipublicæ Mundi, lib. 6. c. 33. ex eadem familia Magister Ioan Marquez in Gubernatore Christiano lib. 2. c. 24. Emanuel Rodericus tom. 1. quæst. Regular. q. 2. art. 9. Frater Brunus Loher Carthusianus epistola Dedicatoria ante opera Henrici Harphij. Thomas Bozius de signis Ecclesiæ tom. 1. lib. 5. c. 3. lib. 6. c. item 3. lib. 7. c. 1. Christophorus Giarda Clericus Regularis in Api Religiosa; aliíque planè innumeri, quos ob breuitatis fileo causam; contentus præstantiores indicasse; At cæteris omnibus palmam duo præripuerunt; scilicet Eminentissimus Cardinalis Ludouicus Ludouisij honoratissimo de B. Parente Ignatio, eiúsque sodalitate Panegyrico; & Florimundus Remundus libro 5. de ortu, & progressu Hæresum nostri temporis lib. 5. cap. 2. & 3.

Rescius.

SECTIO VII.

Humanæ felicitatis inconstantia, breuitas, mendacium.

57. VEris iucundissima tempestate peractam nuptiarum pompam monstrauimus: O veris multiplices diuitias sub miti Zephyro! qualis ille agrorum tum vultus à variegato pauimento, cùm ostentabunda natura gazam vniuersam explicat, & purpuram, atque niues vincit rosa, atque liliis? sed mox atque æstus incubuit, ô diram sortem! exsiccatus est flos, emarcuit, & ad nihilum valet vltrà, nisi vt conculcetur ab hominibus. Hæccine illa tam formosa species tam citò lassata, tam citò moriens, & possessorem deludens? quàm citò putaueris! Discè à magno Basilio homil. de Paradiso; *Nondum enim ab illorum collectione domum reuersi sumus, & ecce in ipsis adhuc manibus nostris constituti marcescunt*; Quinam hi flores, quæ veris tempestas mendax, nisi mundi euanescens gloria? illa, quæ perpetuitatem spondet, & continuò abit: illa, quæ firmamentum pollicetur, & lubrica est atque fragilis: illa, quæ beatum facere promittit, & miserum facit: O filij Adæ, quæ hæc est tam profunda stupiditas, tantùm inhiare perituris, tantùm amare decipientem in momenta omnia, honorem, voluptatem, thesaurum? Siccine in æternum luminibus cassi, nec creditis saltem experientiæ, his, quæ manus vestræ contrectauerunt, illæ, quibus sæpè sponsum vix vnius noctis, Regem mensis vnius, paucorum dierum Pontificem sepelistis? O sanè indurati filij Adam!

Veri temporis breuitas humanæ felicitatis symbolum.

Basil.

58. Ductus est in Assyriam captiuus populus, & vbi confederat? *Super flumina Babylonis*, inquit, *illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui, Sion*, Psalm. 136. Proh raram cathedram! nequidem volatilia cœli, aligerum & leue genus super aquis sedere valeat; Petrus in mari gressus ponere tentauit, & submergebatur, irétque in profundum sine dubio, ni Præceptor Christus eius misertus fuisset; illíne fortasse Simone meliorẽs, gens peccatrix atque iniqua? Cur ergo fluentibus insident vndis? O vereor, ne quid aliud facere valeant, quæsierunt de solidis & immotis; vbi considere possent, non montes repererunt, non colles, non planitiem, non valles, non ædificia, non muros! O Babylon, vbi nihil stabile & fixum est; sed totum decurrentes riui! necessitate coguntur infelices aquis sedere: nec mirare in posterum,

Psal. 136. 1.

Flumina Babylonis inconstantiæ symbolum.

posterum, si flere audias, & organa suspendere; quomodo enim cantarent canticum in tantis periculis constituti, cùm tam debili niterentur fulcro? Sed quænam Babylon, nisi mundus iste? quæve illius flumina, nisi cadentia & peritura bona? Vides, vt nihil in eo sit validum & permanens, omnia fluunt & dilabuntur: & tamen in his sedere & quiescere est qui cupiat, est qui audeat: *Super flumina Babylonis*, inquit, *sedimus*; Auscultemus Augustino; *Tamen attendite, charissimi, flumina Babylonis: flumina Babylonis sunt omnia, quæ hîc amantur, & transeunt: O sancta Sion, vbi totum stat, & nihil fluit, quis nos in ista præcipitauit?*

August.

59. De regno Samariæ, vbi decem tribus, Oseas c.10.vers.7. *Transire* (inquit) *fecit Samaria Regem suum, quasi spumam super faciem aquæ:* Commentarius Hieronymi initio libri tertij in Oseam: *Pro spuma, quod Septuaginta, & Theodotion φρύγανον, id est, cremium, transtulerunt, aridas herbas, siccáque virgulta, quæ camino, & incendio præparantur: Symmachus posuit επίξεμα, volens ostendere feruẽtis ollæ superiores aquas, quas Græci πομφόλυγας vocant; Sicut igitur spuma, quæ super aquam est, citò dissoluitur; sic regnum decem tribuum velociter finietur*; Ac sanè rerum humanarum properum interitum Septuaginta, atque Theodotionis satis demonstrauit translatio; non enim voluêre plantis atque virgultis quibusdam felicibus componere, quæ siue cultoris industria, seu ingenita nobilitate, æuum protrahunt ad dies, ad menses aliquot: longum est hoc mortali voluptati; qualis illa? qualia sanè cremium, & arista, quale fœnum, quod mane virescit, sub lucis exitum arescit, & vtinam saltem non sponte sua, verùm à demetente ante tempus. Sed ecce, priusquàm euellatur, exaruit. Communia sunt ista, & à multis sæpè considerata; feramur ad aquas; At, nónne satis spuma cuiuscunque breuis vitæ momentaneam iucunditatem ostendit? Vt quid vocat nos Symmachus ad feruentis ollæ ebullientem spumam? equidem, quæ vel mari, vel flumine, vel stagnis consurgit spuma, si mitior arrisit æther, si nulli ventorum flatus, nemo concitans vndas; sub placido, atque tranquillo Oceano durat ad interuallum aliquod; fateor, rapida est, quanquam Halcyoniis diebus securissima malacia, ætas illa; sed tamen saltem in ictu oculi, in puncto non abit: at, quæ de calenti olla, præsertim cùm efferuescit, & in sonitu multo est, ascendunt spumæ, vix conspiciuntur, quando euanescunt; ipsæ sibi inimicæ, bellum acre gerunt, & omnis in hoc contentio, vt nulla duret: quàm subitò ascendêre, tam properè à venientibus aliis dissoluuntur; Hæc igitur est spuma, quæ regnum Samariæ demonstrat; O sceptrorum desperata conditio, quibus saltem id non contingit, vt tantùm perseuerent, quantùm spuma, aut maris, aut stagnorum! sed in apertione oculi, in memento transeunt, qualiter perîêre feruentis ollæ spumæ.

Oseæ. 10. Hieron.

Feruentis ollæ spuma vanitatis mundanæ figura.

60. Nec iam mirum, vt mare inuehatur in diuites, in locupletes. *Erubesce, Sidon, ait enim mare: fortitudo maris, dicens Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines*; Vox est Oceani ad pulcherrimæ vrbis institores: Sed quid fugillat, quid obiectat? quorsum vt rubore perfundantur, si mica aliqua verecundiæ sit, monet? quoniam certè ipso mari inconstantior sit gloria Sidonis: & intuere, vti inter elementa omnia, quod magè labile est, Sidoni insultat: Quid verò Oceani pace incertius? Quid tam fallax, atque eius amicitiæ? Canunt celeusma piscatores, atque nautæ, & ludo vacauêre interdum benigniore Æolo confisi: sed vix musica incepta, vix ludi exordia, cùm tempestas ingruit valida, & momento decimo fluctu verberantur nauis costæ: O infida maria! sed tamen fida Sidoni comparata: Non semper Boreas stridet, non mouentur perpetuùm vndæ: est, quando & de malacia nauclerus conqueritur, & optauit non rarò ventorum flatus, vrgeri, propelli onerariam desiderio desiderans: sola Sidon, vbi diuitiæ, vbi voluptates, vbi honor & ambitio in rotatu est continuo, ne vno subsistens momento, hos deserens, ad illos vadens, vt priusquàm acedat, ad alios transeat: Singulariter Ambrosius libro de Elia, & ieiunio, cap. 19. *Tanquam fatigati elementi vox ista dicentis est: Erubesce, Sidon: hoc est, meos fluctus negotiator arguis, cùm sis ipse fluctibus inquietior: verecundiores venti sunt, quam vestræ cupiditates: illi habent otia sua, nunquam vestra quærendi studia feriantur, & cùm otiosa tempestas est, nunquam vestra otiosa sunt nauigia:* Egregiè: *Meos fluctus negotiator arguis, cùm sis ipse fluctibus inquietior,* nam vndę fluctibus non nunquam caruêre, estque in volubili elemento qualis qualis constantia, tantùm Sidonis opes & deliciæ, non puncto, non momento aliquo durauêre quiescentes; Atque hic remotior verborum Isaiæ, & qui Tropologiam iuuet, litterę ipse sensus & documentum præbet: nam, siue simul ex Dialogismo conquerantur Sidon, & Tyrus, seu vnius threnus sit vrbis: *Non parturiui, non peperi, & non enutriui,* quo more vera sententia? Certè Tyrus non tantùm ciuibus abundans, sed & multitudinis nimiæ impatiens, coacta proinde examina effundere; quæ alienas sedes quærerent: De ea Plinius lib. 5. cap. 19. *Tyrus olim partu clara vrbibus genitis, Lepti, Vtica, & illa Romani imperij æmula, terrarum orbis auida Carthagine, & Gadibus extra orbem conditis*: Ergo illa vrbium genitrix ciuitas, quomodo neque parturiisse, neque filios peperisse se dicit? Equidem aliquando contingit videri à nobis de magnis, & egregiis quidpiam, sed fuit speculatio momentanea: nam properabat, siue Rex, siue Imperator, siue triumphans: Quærunt à nobis, qui interfuimus, illi, qui non sunt contemplati, qualis processerit, aut Monarcha, aut Victor, quanta cum maiestate, quibus cum diuitiis? Respondemus autem, à nobis minimè visos. At nónne intuebamur? Procul dubio quidem: sed quoniam fuit momentanea præsentia, nec licuit discernere, qualis progrederetur aut ouans, aut Dynasta, quasi non vidisse arbitramur: Sic itaque Tyri vniuersa gloria, quoniam breuis fuit, atque transiens, velut non fuisse existimatum, & idcirco, illa tam populosa & excrescens: *Non parturiui,* (asserit,) *non peperi, non enutriui:* Benè ad Vatis clausulam Leo Castrensis: *Respondebit Tyrus insula, quæ olim erat fortitudo maris, insularum potentissima: respondebit, inquam: Somnia erant illa, quæ de nobis cogitabamus, de potentia, de honore, de gloria, de multitudine ciuium somniabamus: nam nos neque parturiuimus, neque genuimus filios, aut filias: an non vides, vastas esse nos miseras? neque virgines eduximus, quæ parerent filios, neque adolescentes.*

Mari instabilior mundi gloria.

Ambr.

Plin. *Tyrus populosa, & mater vrbium.*

Leo Castr.

Sæculi pompa somnium.

Solet Deus ad prodigalitatem ferè munificus esse, ad voluptatem famulis suis prouidet: parum est necessaria tribuisse solùm: denique ille est, qui tam largè præbet, vt Psalmodus accinat oda 35. Psal. 35.

61.

verſ. 9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos:* Ille, de quo
Luc. 6. Euangeliſta Lucas cap. 6. verſ. 38. *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum*; Si tam profuſus, vt quid manna tribuens Iſraëlitis, quantùm neceſſitati opus eſt, ſolùm tribuit, & in cuiuſque diei eſcam ſufficientia tantùm colligi præſcribit? *Colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum: nullus relinquat ex eo in mane.* Exod. cap. 16. verſ.
Exod. 16. 16. Equidem Numinis donum fuit ille cœlorum panis: ſed Moyſi, vt diſtribueret, commiſſum: Siccine ab homine diuidendum manna? Non eſt, quod amplum quidpiam ſperare poſſimus: quod ab homine eſt, humanum fuerit, hoc eſt, breue, exiguum, puſillum; miror potiùs, vt vel neceſſitati prouiderit homo: nam & memini, iuniorem filium homini famulantem, cupiiſſe implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat; Diuinè Baſi-
Baſil. Seleuc. lius Seleucienſis orat. 33. *De cœlo manna quondam Iſraëlitis dabatur: ſed, quia miraculi adminiſter ſeruus erat, neceſſitati quoque donum ſeruiebat*; Quid obſtupeſcimus breuia eſſe, & vana humana quæque, quando etiam diuina beneficia modò ab homine prodeant, ſibiipſis diſſimilia fiant, & humanam, quam tetigerant, picem ſapientia, exilia appareant, diducta, minuta?

Dei, & creaturarũ beneficia, quàm lõgè diuerſa.

62. Lucem illam, quæ mundi primo reſplenduit triduo, tenebras & occaſum ignoraſſe, ſeu Iunilij Africani, ſeu Bedæ verioris Auctoris, Hexameron prodit; Dabo verba ex Lipomano ad cap. 1. Geneſeos: *Nam totum illud triduum ſuperius indiſcreti curſus ſui proceſſu tranſierat, nullam habens penitus dimenſionem horarum; vtpote, quia lumine primario adhuc aliter omnia replente, nullúmque caput habente, quod nunc de Sole accipit, nuſquam radij ardentiores illuxerant, & nulla ſub caute, vel arbore aquis remotior vmbra vigilat*: Nec diſplicuiſſe viſa

Prima mũdi lux tenebris non cedens, Beda.

Auguſt. Auguſtino opinio, qui libro 1. ſuper Geneſim ad litteram cap. 11. ait: *Non eſt credendum primam illam lucem fuiſſe extinctam, vt nocturnæ tenebræ ſuccederent, & rurſus accenſam, vt mane fieret, antequàm hoc Solis officio gereretur, quod à quarto die cœpiſſe fieri, eadem Scriptura teſtatur.* Et cap. 16. rurſum ſimilia repetit: De cuius opinionis firmitudine amando ad Hexameriſtas; Sed fuerit ita vt ſenſerint Auguſtinus, & eius ſectator Beda; quamobrem, quæ formata eſt quarto die lux, non etiam tenebrarum neſcia, vmbrarum continua fugatrix, mori & occumbere ignara? Sanè lux illa prima Deum auctorem habuit; quæ verò à Deo ſunt, non deficiunt, neque marceſcunt, primæuum iucunditatis florem retinent ad longum: Secunda autem lux è creatura prodiit, à Sole, nimirum, propterea inſtabilis facta eſt, & quotidie moritur: quid enim creatura communicaret emananti à ſe niſi breues, paucáſque viuendi horas? O à te, Pater ſuperne, ſi quidquam, tu da miſericors, & benignus: nam, quid ab homine expectemus, niſi quæ apprehendentem deludant, antequàm tangantur, euaneſcant.

63. Reuertebatur Iacob in paternam domum Labanis fraudes pertæſus; & ecce dum pergit, in arenam deſcendere coactus, & ſub obſcuro quidem, nam tota nocte luctabatur cum eo vir, Geneſ. cap. 32. verſ. 23. à quo & tandem benedi-
Geneſ. 32. ctionem extorſit, atque eam cumulatam ſanè: nam quaſi pignus fuiſſe omnium, quæ ei factæ ſunt, pollicitationum, qua indicabatur quoque fratre præpollentiorem futurum, arbitratur To-
Toſtat. ſtatus quæſt. 5. in præfatum caput. Sed non abſque dolore tanta ſalus; nam tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit, claudúſque inceſſit deinceps nequando inflictæ plagæ memoria excideret; Quid iſta ſignificarent? Cogitat
Theodor. Theodoretus admiſtum gaudio luctum, ne ob ſecundas res ſuperbiret Patriarcha; Sic quæſt. 71. in Geneſ. Verùm aliud, idque peregrinum ædepol inſinuat idem quæſt. 91. *Cùm verò expergefactus eſſet, femur remanſit ſtupidum: claudicabat, ne putaret id, quod videret, eſſe imaginationem nudam; ſed exactius noſſet myſterij veritatem.* Sed quomodo poſſet Iacob concipere ſomnium fuiſſe, meréque ſomnium? nam id *nuda imaginatio* denotat, quando ne oculos, vel ad breue interuallum totius noctis ſpatio clauſerit? Ah! quàm iucundè quieſcebat, qui in agone contendebat, cuius latera tundebantur, qui lucta & pugilatu exercebatur! Hæccine, ille ludibria nocturna ſoporantis animi exiſtimaret? Verùm attende: quanquam ſanè labor paleſtræ ingens fuit; ſed habuit aſſociatam proſperitatem ſibi, nempe, & victoriam de ſtrenuiſſimo Athleta, & inſuper confertam benedictionem; quanquam igitur à lucta non ſpernenda duci valeant argumenta, quæ ſuaderent ſomnium minimè fuiſſe; vim tamen probationes amiſêre propter adiunctam ſecundæ fortunæ dulcem illecebram; Niſi igitur manerent euidentes notæ ex manifeſta claudicatione timor equidem fuiſſet, ne *nudam imaginationem* putaſſet Iacob; non enim proſperis viſis rebus ſentire potuiſſet aliud fuiſſe, quàm imaginem & ſomniationem; talis, nimirum, eſt omnis humana ambitio, talis gloria vniuerſa: Sed monueris, Deum extitiſſe, qui benedixit Iacob: nam dictũ ei; *Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra hominem præualebis?* Dei autem beneficia ſtabilia ſunt, permanſura, ſolida, & quæ omnem ſomni, atque deceptionis ſpeciẽ fugiũt: non erat igitur, quorſum Iacob ſomnium & nudam imaginationem arbitraretur: Fateor, Dei talia eſſe dona: ſed, quando à Deo emanant, non cùm ab homine proficiſcuntur: nam, vt in hominũ peruenêre manus, quaſi infecta contagione quadam, à veteri nobilitate degenerant; qui autem cum Iacob palæſtrabatur, humanam induit formam, homo apparebat: ab homine igitur videns deriuari benedictionem, metueret pro humano dono, & iudicaret, quòd ab homine prodiiſſet, ſubſtantiæ nihil habere potuiſſe, neque æui longinqui; verùm abitura ſubitò, quemadmodum per ſoporem obiecta euaneſcunt bona.

Victoria Iacob non nuda imaginatio ſed veritas.

Negabat ex Hæreticis Apelles Marcionis vomitus, Chriſti humanam atque paſſibilem eſſe 64.
Carnem; volebat de ſyderibus ortam, & Olympo genitam, proinde cœleſtem nominandam; inſurgit debellaturus Sophiſtam indoctum Tertullianus libro de Carne Chriſti, cap. 9. *Quid di-*
Tertull. *cis* (ait) *cœleſtem Carnem, quam, vnde cœleſtem intelligas, non habes? Quid terrenam negas, quam, vnde terrenam agnoſcas, habes? Eſuriit ſub Diabolo, ſitiit ſub Samaritide, lacrymatur ſuper Lazarum, trepidat ad mortem: Caro enim,* inquit, *infirma: Hæc ſunt, opinor, ſigna cœleſtia*: Tanquam ſi affirmet: quod cœleſte, & entheum eſt, ſui ſimile eſt ſemper, ſibi in longum æquale, non tranſit in diuerſa leuiter: Humanæ imbecillitatis eſt citò mori, aut mortis imitatione deficere ab inceptis; heri iucundus, hodie ſubtriſtis; manè ſatur, veſperi eſuriens:

Cœleſtia æqualia, & cõſtantia ſunt, humana mutabilia.

esuriens; modò sine lassitudine, statim fatigandus; Diuinum & cœlesténe voces hoc, Appelles? Verecundabuntur superna ad tantam inconstantiam: Concede humanis, quod fluidum, & instabile est; Nónne vides, vt cuncta in motu continuo sint? æstati bruma succedit, diei splendoribus nox lurida, tripudiis mœsta; noluit non homo videri, qui nostræ reparationis gratia carnem induit, atque induit passibilem sanè, proinde varietatibus obnoxiam, vt haberent suas vices saturitas, esuries, lassitudo, quies; Christi igitur, quæ hæc patiebatur, caro non cœlestis fuit, sed humana & passibilis,

65. Quamobrem tantam cùm viderent rerum humanarum mutabilitatem, viri quique altiori Philosophia præditi, nullam ex caduca iucunditate lætitiam capiebant, vt à quibus deludi magis, quàm recreari scirent; ex hac schola Magnus aliquis Abraham, de quo Ioannis cap. 8. vers. 56. Ioan. 8. *Abraham, pater vester, exultauit, vt videret diem meum; vidit, & gauisus est*; Et puto, innuerit Textus quasi tum primùm, túmque solùm integrè atque sincerè gauisum Abrahamum, cùm diem Verbi contemplatus; atque sanè fortunam in multis placabilem expertus; nam & de inimicis triumphauit, à quibus & lethum recuperauit, & gratiam inuenit coram Rege Ægyptiorum; & filium optimum in senectute nactus; & diuitiis, possessionibúsque abundans; nónne hæc mentem reficere, gaudium arcessere poterant? & quæ solatia mortalibus istis sublatis? Renuit tamen consolari anima prudentis Abrahæ super his, vtpote euanidis, & citò possessores relicturis; Origenes initio hom. 10. in Gesim: *Isaac*, inquit Scriptura, *crescebat, & confortabatur, id est, gaudium crescebat Abrahæ respicienti non ad ea, quæ videntur, sed quæ non videntur: non enim gaudebat de præsentibus Abraham, neque de diuitiis mundi, & actibus sæculi: sed vis audire, Abraham vnde gauderet? Audi Dominum ad Iudæos dicentem: Abraham, pater vester desiderauit, vt videret diem meum: & vidit, & gauisus est:* Sed quis est ille dies, quem suum peculiariter nominat Christus? *Vt videret*, inquit, *diem meum*? Sanè dies indeficiens, serenus perpetuò, & luminosus; dies nanque æternitatis, cui nulla succedunt vmbrosa; Ita innuere visus Origenes: *Respicienti* (ait) *non ad ea, quæ videntur; sed quæ non videntur.* Augustinus tract. 43. in Ioannem appellat diem Domini, qui nescit ortũ, nescit occasum: In hoc igitur contemplando die gauisus est Abraham, ratus dies hominũ, qui breui finiuntur cum lætitia sua, non posse sapienti voluptatem afferre.

Origenes. *Magni viri nullam de prosperitate sæculi iucunditatem capiunt.* Augustin.

66. Heu, quàm breui finiuntur, quàm properè abeunt, quàm citò mentiuntur! Epulabatur in deserto populus coturnicibus saginandus, & concupiuit auidè cibum illum: factus desiderij compos; ô infidum nutrimentum! *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israël impediuit.* Psalm. 77. vers. 31. liber Numerorum cap. 11. vers. 33. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis*; Abi, infelix Epicure, confide in deliciis mensæ tuæ, ede, bibe; quandiu, opinaris, & durabunt ista, & tecum permanebũt? Vide, quantum interuallum transeat, ex quo manus è patinis ad labia ascenderit, tam longa est voluptatum tuarum ætas; non traiecerant in guttur, non stomachus sepeliuit, non calor aliquid concoxerat, sub ipsa deliciarum infantia, cùm adhuc carnes essent in dentibus eorum, ascendit furor Domini; Floridissimè Salianus, Massiliensis Antistes, lib. 1. de Prouid. Dei; *Et quia quotidie manna edens, explere ex illecebris ventris cupit ingluuiem, optata quidem cupiditate saturatur, & in ipsa tamen saturitate torquetur: adhuc enim*, inquit Scriptura, *esca erat in ore ipsorum, & ira Dei ascendit in eos.* Quàm venustum illud: *Et in ipsa tamen saturitate torquetur*; Ne putes à fame, ab egentia lædi mortales solùm, *ipsa saturitas tormentum est*; Et vides ista tu, fili hominis, atque etiamnum dormitas! quid appetis voluptates tam festinè abituras! & tolerandum, si discedere satis fuisset, vah & furorem Domini secum afferunt, & Optimates gentium occidunt. *Escarum nõ solùm breuis voluptas, sed & tormentis coniuncta.*

67. Sed quid illud est tam nouum, quod cùm Israëlitæ recentis Dei ex vitulino capite natalitia cum tripudio concelebrarent, & hymnos atque metra pangerent; tamen Iosuë putarit esse inconditas voces hortantium ad cladem, atque bella; *Audiens autem Iosuë tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysem; Vlulatus pugnæ auditur in castris; Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam; sed vocem cantantium ego audio*; Et certè Iosuë adolescentior erat Moyse, proinde & acutiori auditu oportebat esse, atque vnà gradiebantur, vt non locorum distantiam existimes: quid est igitur, quòd de pugna concipit Iosuë, quando nunquam lætiora Israëlitarum castra? Equidem Philo libro de temulentia, ante medium, lugubrem fuisse, qui edebatur, sonum, cogitauit. Eius verba: *Etiam præuaricari ausus, vt corpus Deum sibi fingeret, & Typhum Ægyptio more coleret, cuius signum erat iuuencus aureus: circa quem choreas ducendo insani, carmen concinunt: non suaue, quale in comessationibus epulis festisque compotationibus: sed renerà lugubre, funestúmque, tanquam temulenti, multóque Lyæo laxati nerues animæ: narratur enim, quod Iesus audito tumultu populi, dixit ad Moysem, Clamor pugnantium auditur in castris.* Quod si sanè luctuosæ fuêre voces, non est mirum, existimasse Iosuë, clamores fuisse eorum, qui ex pugna fugerent, vel in bello trucidati caderent; & considera, vt etiam tum, quando in omnem effundi lætitiam cupiant mortales; tamen lamentum dispellere non valeant; *Funestus*, ait Philo, *videbatur cantus*, non hilaris, & qualis festorum dierum: fac nouisse Iosuë castra vacare musicæ & risui, omnia gaudiosa esse; sed credere non valet protrahi lætitiam potuisse, mors nunquam à voluptate longùm abest; adhuc escæ in ore eorum, vt nuperrimè loquebamur, nondum masticauerant tota edulia, cùm adfuit lethum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum: benè igitur Iosuë ex diuinatione imbecillitatis humanæ iucunditatis, pugnam & internecionem continuò meditatur, ac proinde asserit: *Vlulatus pugnæ auditur in castris.* Exod. 23. 17. Philo Hebr. *Quam funestus fuerit ex emulatiõ Israelitarũ cantus.*

68. Sed, quoniam in nuptiarum allegoria noster omnis versatur sermo, eam quam à tempore connubiis destinato, verna, scilicet, iucunditate subitò marcida, & computrescente duximus salùbrem de humanarum rerum inconstantia æthologiam, claudamus similitudine à matrimoniorum lætitia petita; ergo quidem primis illis noui sodalitij mensibus (nescio tamen, an menses concessisse iuuet, fortasse & paucorum dierum amicabilis pax est) & blanditiæ, & musica & conuiuium frequens, margaritæ, torques, vestes pre-

tiosæ : oboritur de improuiso tempestas, non qualia fuêre lenocinia in dies paucos, sed in multa annorum lustra. O pacem fugientem, & belli tarda discrimina! sic voluptati semper coniunctus interitus; Putas, quonam more? qualis in Principis ense capulus, quem & argenti, & auri cælatura, & plurimus Erythræus lapis venustat; Proh molle exordium! educ paululùm de vagina machæram, & inuenies ad breuem capulum longum sequi chalybem ex vtraque parte acutum, qui cruorem bibat, qui ad sepulchrum mittat; Igitur, si quid diuturnum, dolor tantùm est, seu quod dolorem aduehat; gaudiosa cuncta momentanea sunt Nyssenus de Virginitate, c. 13. *Nam, vt gladij capulus, politus ille quidem, tactu facilis, & ornatu vndique accinctus apparet, reliquum verò ferrum, mortis instrumentum est; hoc in genere nuptiæ sunt, quæ quasi capulum aliquem artificioso opere illustratum, politam quandam voluptatis speciem gustui, centrectationique nostræ præ se ferunt; cùm verò in manibus eius sunt, qui illas attigerit, luctus, miseriarúmque ipsæ mortalibus effectrices existunt.*

Nyssænus.

Gladij capulo similis nuptiarum voluptas.

SECTIO VIII.

Amicitia sinceriſſima ea, quæ abſente ſodali fidem ſeruat, quæ excreſcit.

69. SIc comparatum est, vt quamprimùm abiêre imbres, nubes fugêre, Sol totam faciem ostendit, & equos vrget, sub æstiuis radiis terra ingemiscat, rimas gleba aperiat, fluuij abscondantur, aquarum venæ depereant, omnes eò reuertantur, vnde orti sunt; ergo tum sanè miseram destituunt tellurem, quando solatio potissimùm egeat: per brumam etsi non restagnarent flumina, satis ad vniuersi irrigationem, quæ de cœlo labuntur copiosæ pluuiæ. O mendaces vndas, tum abituras, cùm maximè adesse oporteret, Phœbo arua torrente, quando imbrium longa absentia est, & terram deseruêre stillicidia! Non de his sacer amnis Iordanis, tum maximè intumescit, quando ardentissima æstas est, & ripas etiam supergressa, non tantum messoribus gratos præbet latices, & recreat onus diei ferentes; verùm & in planitiem diffusus, restituit breui antiquum virorem gramini, herbis, floribus, & efficitur circuniacens ager tanquam Paradisus Dei; Hic vtique fidelis amnis, atque amicitiæ symbolum, qui, cùm deseruêre cæteri commilitonum, subuenit, & in desolata fortuna pleno auxiliatur sinu: Si per hyemem exundaret, modica fuisset gratia; hoc enim & omnium ingratissimi præstant fluuij: Iordanis tum exuberat, quando aquæ cauernas petunt, & occultantur; quando sodalium est absentia, nullę: quæ rigare cupiant, appareant vndæ: hoc est amicum esse, absenti subseruire, absentem ardere; tum crescere flammam, cùm defectura videbatur.

Iordanis Æstate maxime intumescens sinceram amicitiam denotat.

70. Quàm frequens Regum Historia in celebrando Ionathæ affectu erga Dauidem, vt nullum præstantius videri possit esse fœdus! Quid asserat? *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* Reg. 1. cap. 18. vers. 1. Sed parum splendida hęc, dicas: vbi enim blanditiæ, vbi munera, vbi (quod maximè amicum probat) effusus pro sodali cruor? Nihil istorum: sed aliquid tamen hæc superans omnia; *Dilexit eum*, inquit, *quasi animam suam*; Equidem, dum in hac moramur vita, mens latet, & velut post parietem est, corporis interiacente materia; nemo mortalium vidit, nullus ad eius præsentiam admissus, ne de præstantissimis Philosophis, qui eam speculari ardentissimis optauerint votis; Huius igitur, quæ sic à nobis peregrinatur, in morem dum Ionathas à se amatum Dauidem affirmat, amasse absentem innuit, ac proinde & summè dilexisse, quando dilectionis apex sit in remotos opere, desiderio ferri. Gregorius Thaumaturgus orat. ad Orig. *Non simpliciter conglutinatus est Ionathas Dauid; sed illæ ipsa, quæ principem locum tenent, animæ, quæ ne seiunctis iis, quæ appareant, & conficiuntur in homine, separari tamen ipsæ vi vlla cogantur*; Dicamus insuper; nullus timor Ionathæ de suo erga Dauidem amore, donec in hoc æuo perstaret vterque; Sed, quo pacto diligeret alterutro ex ambobus sublato, & neque etiam mors, quæ fœdera dissoluit, vincula abrumperet, cogitabat sedulò Princeps: ergo meditatus, vt per amorem quasi vna fieret substantia, amborum animæ, hoc enim firmato, impossibile fore, vt dissolueret etiam mors iura concordiæ tantæ; Tostatus quæst. 1. in nominatum Regum caput: *Tangitur autem in hoc propria radix amicitiæ; quia, quando aliqui veri amici sunt, tanta est in eis colligatio, quòd iam non sunt vt duo homines, sed vt vnus per vnitatem affectionis; quia vera amicitia est idem velle, ac nolle, vt ait Tullius in libro de Amicitia; & in tantum est ista identitas volitionis, quòd id prædicatur identitas substantiæ: ita vt non dicatur, quòd duo amici sint duo homines; sed idem homo. Sic Arist. 9. Ethic. scilicet, quia amicus est alter ipse; & hoc non solùm est in amicitia humana; sed etiam in diuina.* Tantùm ex Abulensi, quo & glutinum fœderis Ionathæ cum Dauid ostenderemus, & semel declararemus, quonam more ex duobus vnum faciat dilectio; Neque illud prætereundum, quod non dixerit Textus, amasse Ionatham Dauidem quasi animam ipsius Dauid; sed *quasi animam suam*; hoc est ipsiusmet Ionathæ: nam considera, supposuisse nos, amicitiam, quò magis fertur ad remotiora, eò præstantiorem esse; remotior est autem comparatione Dauidis anima Ionathæ, quam anima ipsius; nam, vt cedamus, per fœdus idem factas, ad modum, quo declarauimus; verùm anteà diuisæ fuerant, & proxima semper Dauid anima eius: Igitur, cùm amicitiæ præstantiam ex absentia desumeret, maluit absentiori animæ respectu eius, qui diligebatur, (nam hic est, quem absentiæ circunstantia tangit,) conferre: absentior autem collata ad Dauidem erat Ionathæ anima.

1 Reg. 18.

Greg. Th.

Abul. *Amici vt vnum esse dicantur.*

Tull.

Arist.

Expendo Tertulliani singulare effatum libro de Carne Christi, cap. 4. nam de homine redempto per Dei Filium loquens; *Propter eum*, inquit, *descendit propter eum prædicauit, propter eum omni se humilitate deiecit, vsque ad mortem, & mortem Crucis: Amauit vtique, quem magno pretio redemit: si Christus Creator eius est, suum meritò amauit: si ab alio Deo est, magis adamauit, quando alienum redemit*: Verùm, concedamus, controuertendi gratia, hominem non à Verbo formatum, sed ab alio Numine, & hunc quidem Verbi comparatione extraneum, atque alienum fuisse: at quo pacto stare valeat, vt alienum redimendo Christus ardentioris amoris notas exhibuisset nam charitas secundùm conuenientem regulam à semetipso exorditur, atque vt magis sibi fauere debeat,

70. Tertull.

beat, ita & cæteris paribus, his qui coniunctiores sint: non ergo verbum subleuando creaturam, quando ab eo remotior fuisset, maiores amoris excitasset flammas: Egregiè tamen loquutus Tertullianus: nam significat, quòd homines plùs venerantur, & suspiciunt, quod apud eos insolens & rarum apparet: non igitur stupescunt, cùm videnr motales iis subuenire, quibus ob præcellentem aliquem titulum obstricti sunt, puta, cognationis, affinitatis, beneficiorum causa; nam & hoc naturæ instinctu barbarorũ immaniſſimi faciunt, agunt & bruta camporum pecora: si quis extraneo, quem nec de vultu norit, opituletur, hoc demum omni commendatione digniſſimum est; Ad hanc igitur normam Tertullianus plùs extollit, quòd Verbum alienæ gratia creaturę è Patris sinu in terrã delapsum, carne & ossibus vestitum sit, & post diuturnos labores trigintatrium annorum tãdem & mori voluerit: Verùm, ecce & aliud præterea: Deus creaturę suę multis modis semper adest: per præsentiam, essentiam, potentiam, intimè ei inhæret, & omnia eius peruadit, vniuersa scrutatur diu, noctúque: si tamen eius non esset opus, neque ab illo velut à causa prima dependeret, longè esset ab vnoquoque nostrûm tunc, quandoquidem nec ipsius genus essemus, nec in ipso viueremus & moueremur: igitur, quòd is, à quo nos absentes essemus, tanta per discrimina nobis succurret, omnem amorem superat, ac proinde Tertullianus concinnè: *Magis adamauit, quando alienum redemit*, nimirum, quia redemit non suos, & absentes.

Maius est amoris indicium alienis subuenire, quàm consanguineis aut affinitate deunctis.

72. Chrysol.

Atque secundùm hanc regulam Chrysologus pronunciauit serm. 164. in illud: *Ignem veni mittere, &c. Nanque Synagoga mater, vbi Ecclesiam nurum vidit ex gentibus aduenisse, occidit scelesta, filium, nurus consortium ne videret; si vel sic amorem nurus furibunda valeret extinguere; sed ex morte totum in Ecclesiæ coniugium resurrexit Christus, vt probaret charitatem non separari morte, sed crescere*: Hãc vltimam particulam considerandam sumo, & disquiro, quonam modo Christus probauit morte charitatem non separari, sed incrementa accipere? Nam certè, tum quando Christus defunctus est, euangelicarum institutionum obseruatores, pusillus & timens erat grex: indigebant ergo per id temporis potissimùm Ducis, atque Pastoris ope, quin & ipse scierat, & prædixit, ablato opilione dispergendas oues: quæ itaque fuit charitas tunc destituere miseros? multò minùs verum sit, creuisse eo articulo potissimùm dilectionem: Aduerte id, quod docuimus in superioribus Anteloquio 3. num. 112. per Christi mortem, deletam Synagogam, extinctúmque cum ea matrimonium; hoc autem Christus viuens facere potuisset, & cassas reddere legis cæremonias, fuisset hoc quidem eximiæ charitatis, nempe omnem affectum in vnam deriuare Ecclesiã Catholicam: sed non fuisset tam pretiosus amor, quoniam dum esset in conspectu discipulorum, in quibus creata est Ecclesia, perpetrasset: ergo ab oculis eorum recedat, atque iam absens, nempe, ex latere in cruce dormientis, per mortis quietem sanguinem, & aquam effundat, de qua prodeat Ecclesia sic itaque per mortem non est separata charitas, sed creuit magis; quoniam tum, quando propter absentiam videretur ex communi hominum vsu, obliuioni commisisse eam, quam viuens deperibat, dilexit ampliùs, aliam non habiturus deinceps vxorem, sed in eam solùm omnem collaturus amorem: & ob hanc causam, dum moraretur in terris, obscura, & exigua quodammodo eius fuêre dona: in cœlum translatus continuò emisit super discipulos ingnitas linguas, iussit aperiri nationibus ostium, magnificauit Vicarium suum data ei imperij Sede Romana vrbe: sic vtique excellens amator probari voluit, quando non tantùm absens: sed felicissimus quoque ad Patris dextram residens, quam dilexerat olim, haud vnquam despexit, sed conduplicatus est in dies affectus, innumera in eam beneficia, perenni atque inexhausta donorum largitate, conferens dulcissimus sponsus.

Quomodo probarit Christus morte charitatẽ non separari.

Ex Christi morte, eius charitas incremẽta accepit.

Consilio inito ab Hebræorum Sacerdotibus, quid de argenteis facerent, quos Iudas inutili ductus pœnitentia, in templum proiecerat, statuerunt, vti emeretur ager figuli in sepulturam peregrinorũm, Matth. cap. 27. vers. 7. Quæ hæc deliberatio Senatus pontificij? Non templo reparando, non publicis ædificiis, non fisco, aut crumenæ suæ addicerent? Iam, vt eos pauperum causa mouerit, quamobrem non Hierosolymitanorum meminerint potiùs, quàm exulum: nam in copiosissima vrbe pauperes extitisse plusquàm verisimile est, & conquerebatur Iudas non erogari pauperibus trecentorum denariorum vnguentum. Sed animaduerte superna prouidentia compulsos: erat nanque pretium Sanguinis Christi: At videbatur cruori non satis decorum, nisi, quòd in amore supereminens est, ostenderet: amor verò tum in primis clarescit, cùm posthabita domesticorum cura, in absentes potiùs se effundit, suorum piè negligens, quò ignotis subueniat: commendat enim amorem potissimùm, eius, in quem beneficium confertur, absentia: absentes autem maximè sunt, qui exultant, qui perigrinantur; Quando igitur Sanguinis Christi pretio defunctis cineribus, in quo ad longum requiescant, locus emendus sit, absentes enimuerò tanta comprehendat largitas, quò sic ardens Christi affectio respondeat magis: Sermo inter Ambrosianos 51. *Peregrinis, inquam, qui erant sine domo, sine patria, & toto orbe exules iactabantur, requies Christi sanguine prouidetur*: Neque abhorret Anselmi Commentarius, qui significat eo facto delineatum, posthabendos Israëlitas, qui erant domestici, & vocandos ad requiem Domini gentilium populos, qui in eum diem erant velut extranei, absque Numinis vera cognitione.

73. Matth. 27.

Ambr. *Peregrinis requies, Christi sanguine prouisa.* Anselm.

De cæteris prodigiis sub patiente Seruatore, vnum illud, déque cardinalibus, nimirum, operuisse tenebras faciem vniuersæ terræ, Matth. cap. 27. vers. 45. Quando hoc? Leo Magnus serm. 2. de Passione: *Emittente spiritum Christo, omnia elementa tremuerunt: densis tenebris splendor Solis obductus extraordinariæ nocti subdidit diem*; Verùm, cur non antequàm emitteret spiritum, caligo incubuit mundo? Equidem solatium est afflictis, inuenisse, qui collacrymentur, & parem mœstitiæ vultum induant; ideò & amici Iob *sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum.* Iob cap. 2. vers. 13. Igitur, donec Christus pateretur, lugubri pallio cooperiri orbem expediebat: Sed quidem elementa, quàm syncerè talem, tam beneficum Creatorem diligerent, probare voluerunt: ergo lugerent eo viuente? Exiguum hoc: quis enim de seruis non faciat, quoad inter mortales est dominus eorum? Suspectus est fletus, quem heri intuentur lumina, non ab amore, sed ex auaritia,

74. Matth 27. Leo Mag.

Quo instanti Passionis Christi tenebræ factæ sint per vniuersũ orbem.

Iob. 2.

ritia, quò dominum moueant, vt testamento effusus sit in plorantes: Igitur germani, & absque omni fuco gemitus illi, qui extinctum, à vultibúsque sublatum prosequuntur; quid enim vlteriùs ab amisso expectes? Solus amor tunc vrgere potest; sed non nisi magnus impellet amor. Quò igitur elementa subindicent, synceram fuisse erga Creatorem pietatem, cohibent erumpentem noctem, donec spiritus auolet, mœstitiam ostensura, tum cùm herus abest. O miserandam humanæ voluntatis cladem! ô brutorum mitem amentiam tali comparatam insaniæ! Solus inter creaturas, pro quo solo redemptionis œconomia, neque viuenti, neque defuncto Creatori congemiscit: non nouit amare, & ideò non lacrymatur.

75. Videamus lachrymas IESV, & lachrymas ab amore quidem. Profectus vt Lazarum suscitaret, germanas Marthã, atque Mariam percũctatur: *Vbi posuistis eũ? Eíque respondentibus: Domine, veni, & vide. Lachrymatus est* IESVS, inquit Ioan. c. 11. v. 35. Quæ fletus occasio? Num, vt femineo sexui compareretur, aut in defunctum amicum dulciora viscera commonstraret? Admitto quasi veriores causas has, & secundùm litteræ sensum: sed noui & alia dici: nam quidam asseruêre fleuisse propterea, quòd quem diligebat Lazarum, cogeretur iterum ex quiete ad huius vitæ turbidam stationem reuocare: quam explanationem Isidoro Pelusiotæ Maldonatus adscribit; Chrysologi multiplex est sententia serm. 64. nam ad tristitiam referens, doluisse putat, *quia adhuc solum Lazarum, & nõ iam omnes mortuos suscitabat*; Tantus ardor in Christo suscitandi iustos ad vitam indeficientem; mœret, eò quòd in promptu hora illa non sit, quanquam ad eam per lethum ad vulnera transeundum; aut certè, vt idem cupiat Antistes, gaudij, non consternationis erant lacrymæ, quoniam in Lazaro mysticè intuebatur, peccatorem scelera pertæsum, & Patrem exorantem suppliciter, vti vel inter mercenariorum turbam admittat? tam dulcis est hic regressus, vt fletum suauissimum cohibere dulcissimus Parens nequeat; qui verò sic recipit, existimas erga peccatorem redire cupientem, immitem se præbebit? *Quis ergo ex humana infirmitate existimet hìc fleuisse Christum* (effatur Chrysologus) *cùm cœlestis Pater luxuriosum filium, non quandiu abiit, sed quãdo recepit, tunc deplorat? Christus recipiens fleuit Lazarum, non amittens*; Et multæ aliæ recenseri valeant explanationes fortasse piæ magis, quàm solidæ; nos & ex tropologica licentia audeamus quidpiam: ergo certè dolebat de sororum tepido amore in fratrem; debuerant enim defunctum & absentem, quibus poterant officiis prosequi: quale autem est, vt tam subitò à conspectu suo in speluncam detruserant? Cur non solantur antiquos amores, defuncti corporis contemplatione? Sed fœtebat: At poterant vnguentis & floribus tabem arcêre. Quid, quòd amor delicatus non sit? Sterquilinium Alcinoi hortos cogitabit, modò ibi dilectum reperisse contingat; Igitur in amando germano charissimo tam segnes Christus lacrymis submordicat, vt qui doleat de humanæ dilectionis hypocrisi, atque mendacio: nimirum, multa est falsa illa charitas, quoad viget, atque in prosperis est, quem amare simulat; quàm citò abiit, atque recessit, obliuiosa est, atque indiligens.

Maldon. Isid. Pel. Chrysol.

Christi gaudiũ super cõuerso peccatore.

76. Cuius maior erga Christum affectio, an Iosephi nobilis Decurionis marmore nouo suo Christi corpus condentis, an MARIÆ de substantia carnis suæ Verbo præbentis, & vtero nouem mensibus gestantis? Sed quis non statim pro MARIA calculum ferat? Nam, quæ frigidi lapidis comparatio ad vterum impollutum? Dedit Iosephus ex gaza aliquid: verùm, quale illud? extrinsecum solùm, quod & donasset facilè etiam mortali creaturæ; Deipara contulit de internis, contulitque amoris flammis vehementibus incensa, cuius si comparetur ignibus Iosephi ardor, tantùm excessura sit, quantùm lucernam exiguam totus Phœbi vincat globus; Verùm Iosepho patrocinatur Ambrosius, & considera, quã inuenerit viam; Sanè, inquit, MARIÆ vulua Christum excepit; sed animatum habuit, datura genitrici paruulum speciosum supra omnem infantiam, quem sinu ferret, manibus gestaret, vultui & labiis admoueret, in quem deliciaretur nunquam lassanda contemplatione: quis non tã dulce pignus optaret? Sed qualis erat IESVS, cùm Iosepho concessus est? absens atque defunctus, mutum illud os mellitum & deliniens, clausi oculi Sole fulgentiores, obseratæ aures, pallida facies, exanime corpus: quoniã igitur MARIÆ affectus in viuidum, præsentémque ferebatur, Iosephi in amissum, atque semotum, putauit Ambrosius tanti esse faciendum amorem in absentem amicum, atque eius esse dilectionis tantam eminentiam, vt non veritus sit Iosephi affectum, MARIÆ æquare affectui: Ille igitur serm. 57. *At ego dico, non minorem Ioseph affectum fuisse, quàm* MARIÆ: *siquidem illa Saluatori membrorum suorum secretum præstitit; hic secretum sui corporis non negauit: illa Dominum pannis inuoluit, cùm natus; hic linteis, cùm recessit.* Ecce, quamobrem asserat non minorem Ioseph affectum fuisse; nimirum, quia, cùm *recessit*, id est, cùm absens per mortem factus est, & ab amici vultibus abstractus, linteis inuoluit?

Iosephi ab Arimathia insignis in Christũ affectio.

Ambros.

77. Baptista, dum ergastulo clauderetur, misit ex discentibus binos, qui Christum interrogarent, num ipse esset, quem venturum sperabant; quibus cùm satisfeciisset, mox vt discesserunt, prolixè de Præcursoris encomiis coram multitudine disseruit: *Illis autem abeuntibus*, inquit Matth. cap. 11. vers. 7. *cœpit* IESVS *dicere ad turbas de Ioanne.* Quare singulariter illis abeuntibus; & non in eorum conspectu? Metuebat fortasse, ne Prodromus gloriæ vanæ aura tangeretur ob laudum præconia? Sed abfuerat Ioannes tunc, quem retinebat carcer. Equidem Christus se fidelem Baptistæ amicum ostendere volebat. Quanquam igitur, qui euehebatur, præsens non aderat, sed vicarij eius discipuli erant: putauit itaque si laudaret coram illis, qui de schola Præcursoris erant, adulationi tribuendum Panegyricum: optabat igitur, vt Ioannes omninò absens fuisset, hoc est, neque ipse, neque de iis, qui ex illius gymnasio essent, aliquis adstaret; hoc concesso, tum demum existimauit, dilectioni solùm tribui potuisse; quòd integrè absentem honore afficisset; neque enim erga absentes fides, nisi cùm magnus dominatur amor. Bellè Imperfectus Chrysost. homil 27. in Matth. *Quàm bene recedentibus discipulis cœpit laudare Ioannem. Non sicut quidam blandiores homines, qui libenter hominem in facie laudant: aut quando vident amicos eius fideles, aut domesticos, quos credunt, quia nunciaturi sunt illi, quicquid audierint.*

Matth. 11.

Quàm sincerè Christus Ioanne Baptistam laudauerit.

Chrysost.

78. Proficientibus Hebræis ex Ægypto, & asportantibus multas diuitias, quas incolis eripuerunt callidè,

Exod. 13. callidè, de Moyse Exodi cap. 13. vers. 19. *Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum, eò quòd adiurasset filios Israel dicens, Visitabit vos Deus: efferte ossa mea hinc vobiscum*; At, cùm hæc Patriarchæ adiuratio vniuersos adstringeret, cur speciatim Moysem fuisse vrnæ latorem aduertitur? Num certè, quoniam in Ducem electus fuisset, vt crebra ossium memoria cogitaret, qualis, quantúsque gubernator extiterit Iosephus, & eius ad exemplar suos cõponeret mores? Verùm, quamobrem non & aliquid de spoliis Ægyptiorum, de argento, veste, auro à Moyse sublatum asseuerat? An, quia is, qui ob Numinis reuerentiam aulam Pharaonis contempsit, & eius filiæ gnatus vocari respuit, indignum æstimarit iam virum & maturum, ad nescio quas diuitiarum quisquilias descendere, & Cœnobitis præsertim salutare documentum præbuerit, ne postquàm ob Christi amorem amplas possessiones despexerint, intra Monasteriorum septa futilibus implicentur illecebris, quas difficillimè relinquant? Sanè tale quidquam significarit Græca apud Lipomanum Glossa; *Iudæi*, inquit, *vtpote infantibus similes, aurum, atque argentum secum detulerunt*; *Moyses verò intemerati animi vir Ioseph ossa deportauit*; Sed iungamus istis pro nostri discursus meta; quanquam sanè Israëlitæ multis nominibus debitores erant Ioseph, cuius in illos cumulata extitêre beneficia; tamen, quoniam iam diu aberat, vtpote defunctus ante annos non paucos, de absentis solatio nulla erat illis cura; nimirum, amici solùm regnantis fortunæ: Vt igitur innueret, quantùm Moyses excederet reliquæ multitudini, asserit eiusmodi fuisse, qui neque absentis, atque defuncti Iosephi memoriam gratam abiecerit: sed cùm cæteri coaceruando auro, argento, vestibus solliciti incumberent; intentum Moysem deferendis Patriarchæ ossibus; nimirum, hunc solum in tanta hominum copia repertum, qui nosset amicus esse fidelis, cuius dilectionis ardores, neque sepulchrum, neque absentia minuisset.

Religiosos in. dignũ est tricis impediri.

Gloss. Græc.

Promamus aliquid sigillatim spectans ad nostrum Salomonis Epithalamium; in quo perspicias, nouam nuptam, etiam post connubiorum vincula, nunquam vxoris vocabulo dici, sed sponsam appellari. Quamobrem? Bern. libro de Passione Domini, c. 3. *Vel quare sponsa, & non vxor, cùm quotidie, vel Ecclesia, siue quælibet fidelis anima sponso suo Christo bonorum operum sobolem debeat generare? Paucis dico. Solent sponsæ nondum alligatæ coniugali vinculo amari ardentiùs, quàm postea: tempore enim procedente amor ipse componitur: Sponsus ergo noster, vt magnitudinem sui insinuet amoris, qui tempore non decrescit, amicam suam sponsam appellat, eò quòd illius amor semper nouus sit:* Sed vnde hauriat sanctus Abbas feruentiorem esse erga sponsam amorem? an, quia primitias dilectionis sibi rapiant sponsalia, & dulce bellum inexpertis? Profectò, quæ sponsæ tantùm sunt, nondum totæ ad maritum transierunt, & asseruantur, vel apud cognatas, vel sub genitrice in nuptiarum lucem; itáque sponsa quidem absens est, vxor, apud maritum, nempe, præsens: scitè ergo in sponsam ardentiorem affectum nominat: nam is demum ardentissimus affectus est, germanúsque syncerè dilectionis qui erga absentes fidem præstat.

79. Bernard.

Sponsi Canticorũ in spõsam amore, sẽper nouus.

O nunquam apud sæculum fidem aliquam! nunquam de intacta amicitia quidpiam: si quæ deferuntur obsequia, metus, aut cupiditas cogêre; Vultísne nosse à diuite helluone? Descripserat Lucas pauperis Lazari funus, ac magnificè ab Angelis in Abrahæ sinum deportatum narrauerat cap. 16. vers. 22. ac statim de locuplete acturus, ne verbum de sepulcrali pompa: *Mortuus est autem & diues, & sepultus in Inferno*: Cur silet busti pompam, vbi tibicines, vbi lucernæ, vbi pulla vestis, vbi sarcophagum Optimatum humeris elatum, vbi tota in mœrore ciuitas extincto purpurato, & byssino Dynasta? Quid! Nullus exequiarum apparatus? Et vbi tot clientes, tot famulorum greges, tot parasiti, qui viuenti dexteras dederant, & fidem duraturam spopondérant? Siccine incomitatus vadit, cuius satellitio angustæ plateæ? O accedite, mortales, contemplamini, videte attentiùs: protinus vt clausit in æternam noctem lumina miserrimus, non fuit ex omnibus charis eius, qui consolaretur illum: sed vniuersorum cura, quæ possint deglutire & surripere, omnémque deuorare supellectilem; Hoc mundi fœdus; Quis vestrûm non sæpè talia intuitus? cui noua ista exempla? Et tamen ferrea vos ligatos tenet conscientia. Vsquequò, Domine, tam grande malum, vt confidant in hominibus, in quibus non est salus? Maledictus planè, qui confidit homine: quanta eum opprimet egestas in tempore iniquo? Verùm sic placet ambulare filiis Adæ in desideriis suis, donec in profundum laci descendant, & Tartarus absumat eos cum diuite voraci, cuius Deus ingluuies fuit. Chrysost. hom. 7. in Lucam: *Siquidem ex tam frequenti famulitio nudus abductus est, & solus; nihil ex tanta beneficentia secum ferre valens, sed desertus, infensus, ac neglectus, nullus eorum, qui priùs auxiliabantur, aderat, erepturus à pœna & supplicio: sed ab illis omnibus diuulsus, solus in se recepit*; Non mendacium amicorum typus sacer Iordanis amnis, quando eo tum maximè tempore Palæstinæ arua recrearet aquarum excrescentia, cùm solatium negassent alij & fluuij, & stagna; cùm & cœlum & terra vndas suas cohibuissent, maiori quàm vnquam anteà vberrate & homines, & bruta, & agros reficiebat.

Luc. 16.

Apud sæculũ nulla sincera amicitia.

Chrysost.

SECTIO IX.

Diuinæ acerbitatis indignatio, tum maximè comprehendit peccatores, cùm aut iucundiùs agunt, aut nouissimorum magis obliuiscuntur.

QVis putaret, Iordanem tum ripis vix contineri posse ob aquarum excrescentiam, quando & flumina, & riui vbique ferè terrarum præ siccitate absconderentur? cùm æstas in limine fuisset, quæ securos esse iuberet mortales à cataclysmo, & fluuiorum inopinata restagnatione? Timuerit agricola sub pluuioso Decembri, & pecus in altissimos ducat montes, ipséque ascendat simul rustica cum plebe: sed ad Aprilis exitum, vel Maij exordia, quærat magis vbi frigora captet, vbi longior atque diffusior vmbra & agnos, & pastorem fistulâ bonam anni temperiem salutaturum, protegat. Tales hominum discursus, ac propterea omni depulso metu liberè vagantur per agros, seu flores collecturi, siue epulis, seu choreis indulgeant, delectatque

81.

80.

delectárque in primis ipſe Iordanis fimbria aſſediſſe : Ducunt ita in bonis dies ſuos, cùm ecce accurrens monticola vociferatur, aquarum rapidiſſimos torrentes cum impetu de Libano fluere, momento adimplendum Iordanem, hominibus, pecori, domibus ruinam inſtare : Quanta tunc mortalium trepidatio ! quantus in ore pallor, cùm deluſas animaduertunt ſpes ſuas, & diluuione opprimi tum, cùm longiſſimè abeſſet à cogitatione timor excreſcentium vndarum ? Sic itaque terribilis in conſiliis ſuis, ſed & iuſtus nimis Deus Sabbaoth ſuper filiis hominum, quos aut raptat in iuuentæ flore, aut ex hoc diuerſorio abire mandat, cùm lux chariſſima fuit, cùm fortuna magis blandiretur : O dura exilia homini habenti pacem in ſubſtantia ſua ! ô nimiùm felices iuſtos, qui quacunque hora præoccupati fuerint, in refrigerio erunt !

Secretũ Diuinæ Iuſtitiæ cùm iniuentutis flore homines moriuntur.

82. Quales ducebant annos ante orbem ſubmerſum homines ? Matth. cap. 24. verſ. 38. *Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes vſque in eam diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium ; & tulit omnes :* Ecce, quàm hilarem vitam traducebant ! vt genio & voluptati omnes laxabant habenas ! Sed, quidni facerent ? erant nanque dies illi, quibus contigit ſubmerſio, vernæ iucunditatis, tempora vtique nuptiarum deſtinata feſtiuæ pompæ, quemadmodum in anterioribus præmonſtrauimus ; tempora, quibus & aër, & mare, & tellus ſponte ſuâ ad læta inuitant ; non coronarent ſe floribus vernante omni prato tunc, non perfunderent comam nardo, non cythara ad conuiuium perſonaret ? Sed, quare non ineunte bruma cataractæ cœlorum apertæ, & diluuij præcurſores imbres ex Olympo miſſi ? Nam ſic vrgere libeat. Equidem ſub mundi primordiis creatæ arbores maturæ, & cum fructibus ſuis, vineæ maturos afferebant botros, oleæ bacchas ſuas : quoniam verò hæc natura non niſi per autumnum oſtentat, propterea exiſtimatum à clariſſimis Theologis, mundum non vere, ſed autumno conditum eſſe, ſiquidem autumno colligi ſoliti fructus, cùm id poſſit, decens erat, vt autumno produceret Creator, & hoc velut naturæ legibus magè conſentaneum ; Igitur in eundem modum, cùm, ſiue vibium ſiue prouinciarum diluuia per hyemem contingere ſoleant, ſitque hoc à natura aſſignatum tempus, in quo maria & flumina excreſcant, quamobrem non in huiuſmodi tempus, potiùs quàm in vernam temperiem incidit Noënum diluuium ? Sanè ſpeciali Numinis deliberatione id factum, quò timeret audax hominum genus, & nunquam à metu vacuum eſſet, cùm exemplis doceretur, ſubitam, & inopinatam eſſe Numinis vindictam, atque tum repentinò opprimere, cùm diſtare videretur ; Ambroſius de Noë, & Arca, cap. 14. *Eſt etiam illa non perfunctoria conſideratio, quòd ſexcenteſimo anno Noë, vigeſima & ſeptima menſis fit diluuium : ſecundum menſem verni eſſe temporis non ambigitur, quando augentur naſcentia, ager parturit, terrarum pariter, atque animantium fœtura ſe fundit ; Tunc ergo fecit diluuium, quando dolor eorum maior foret, qui in ſua abundantia puniebantur, tunc vltio terribilior :* Sic itaque mundus deletus eſt, cùm proſpera ſe haberent vniuerſa, & de interitu nulla eſſet cogitatio.

Matth. 24.

Verno tẽpore accidit Noënum diluuium.

Ambr.

83. Multis cladibus afflictatus Iobus, ſed filiorum amiſſione nulla vehementior ; ſed expende, quemadmodum perierint : *Filiis tuis, & fidelibus veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt.* Iob cap. 1. verſ. 18. At non potuit alia diei hora concitari tempeſtas, quàm tum, cùm epulis accumberent ? Nónne adnotas, vt moneat ſedulò Textus, repentinam, & præter omnem ſpem fuiſſe ventorum indignationem ? *Repentè* (inquit) *ventus vehemens irruit.* Subitaneus autem interitus quãdo comprehenderet, niſi cùm in maxima iucunditate eſſent comedentes & bibentes ? tum potiſſimùm inſidiatur hoſtis. Quis adoleſcentia, quis indole, quis opibus, quis pulchritudine, quis robore fidat ? Ecce Iobi gnatis nihil iſtorum deerat : ſed & filij erant ſanctiſſimi parentis, & validis muniti parietibus, & cœlum placabile quando inceptum ſympoſium, & aderant ſtipatores ex militiæ flore, qui defenderent ? tantis vallati præſidiis, corruêre tamen, & deformatus momento vno faciei decor, amiſſæ opes, interrupti anni, diuulſæ amicitiæ. O inanes mortalium cogitationes ! ô labilem humanam gloriam, quæ tum fragilior, quando firmior eſſe videbatur ! Origeni adſcriptus Commentarius lib. 1. in Iob poſt medium : *Hoc ſcientes ſancti, atque horum memores, quòd ipſo meridiano tempore, hora prandij ruina occupati ſunt filij Iob, atque mortui, orauerunt ad Deum, conſeruari à Dæmonio meridiano.* Quoniam verò Origenis monet interpretatio, fuiſſe illud prandendi tempus, ac proinde meridiem, quando filij Iob oppreſſi ſunt, licet adhuc vlteriùs conſiderare : nam certè, ſi quando pacatiores venti ſunt, maximè quo interuallo Phœbus medium iter emetitur, & axem aſcendit, adeò per æſtatem cùm flatus rariores ſunt, vt veſpere, aut exoriente Sole conſueuerit eſſe aliquis, qui refrigeret ; tunc conſopitur omnis, quẽadmodum tradit Stagirita in Problematis ſect. 25. quæſt. 4. cui aſſentitur Plinius lib. 2. cap. 47. ſub finem, aſſerens : *Sol, & auget, & comprimit flatus ; auget exoriens, occidénſque ; comprimit meridianus æſtiuis temporibus : itaque medio diei, aut noctis plerunque ſopiuntur, quia aut nimio frigore, aut æſtu ſoluuntur* ; Igitur certè, ſi quod tempus ventorum nimis liberum, meridianum illud eſt ; at verò ſic contigit, vt eo potiſſimùm tempore venti irruerent, quo minimè ſæuire conſueuerant, & cladem inimicus, quam minùs timebant, inferret ; ita in humanis nihil conſtans & ſecurum eſt, ſed vniuerſa in diſcrimine ſemper poſita ſunt.

Iob cap. 1.

Origen.

Venti ad meridiem non perflant.

Ariſt. Plin.

84. Atque huic filiorum Iob caſui affine eſt, quod primogenitis Ægyptiorum euenit : *Media nocte* (ait Dominus Exod. cap. 11. verſ. 5.) *egrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis, vſque ad primogenitum ancillæ* : Sed, cur nocte internecio iſta ? Timétne adminiſter Angelus, præſertim quoniam & Regum aulas ingredi quoque iuſſus ſit, in qua ſolent eſſe ſexaginta ex fortiſſimis Prouinciæ propter timores nocturnos, omnes habentes gladios ſuper femur, & ad bella doctiſſimi ? Sed quid Angelo vel ſexaginta mille virorum, quos vnus interficere poſſit ? aut fortaſſe pudor eſt bono Genio, cùm deputatus ſit, vt homines cuſtodiat, de medio illos tollere, ac proinde noctis integumento vtatur, ne conſpici valeat ? ſi modò

Exod. 11.

Cur nocte primogenitorũ Ægypti internecio facta.

Abul. si modò tamen bonus Genius ille, de quo Abulensis quæst. 48. in nominatum Exodi locum; Verùm certè nullus, siue in bono, siue in deformi Angelo metus, qui humanum robur nihili faciunt; Cacodæmon veritatis osor semper tenebras amat, sed non ideò per obscurum nunc fertur; verùm Numine impellente, vti ex morte primogenitorum alij discerent mortales; cùm enim altum dormirent, & sopor vrgeret profundior, ad mediam scilicet noctem; cùm lasciuirent stratis eburneis Principum filij deliciis enutriti, cùm omnia quietem sponderent, cùm ætas virescens promitteret longam vitam; tunc ad Inferos detrusi, non irruente in eos regni aliquo hoste, non domestico insidiatore, non morbo ætatis vemustatem depopulante; absque his omnibus nocumentis, (quæ solùm vereri poterant) perière. O & qui audet lethalis noxæ conscius strato incumbere, somnos captare graues, nec timet percussoris Angeli dexteram saluantis Hebræos, impios tantùm Ægyprios occidentis! Verùm, & loquatur parumper Rupertus lib. 2.

Rupert. Commentariorum in Exodum, cap. 17. *Poterat media die, cunctis vigilantibus, nihilominùs fieri cædes primogenitorum: cur ego potiùs media nocte, dormientes placuit interfici? videlicet, vt historicum etiam exemplum dormitantibus proficeret, atque ad vigilandum eos percelleret, scientes, quia quisquis exemplo Ægyptiorum thesaurizabit sibi iram Dei, nihilominus exemplo eorum improuisam accipiet vindictam: sic enim & vniuersale Iudicium, duris corde, atque impœnitentibus, ex improuiso superueniet, tanquam laqueus, & quasi fur: Quocirca Dominus aduentum suum, quo perdendi sunt impij, media nocti comparauit; Media, inquit, nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei*; Illud in hac Tragœdia non silendum, sanguine liniri iussa superliminaria Hebræorum, vnáque postes domorum, quò illæsi transirent occumbentibus Ægyptiis; Igitur cruor certè incolumitatis pignus; At docuero sanguinis aspersionem cædis, & vastationis signum fuisse ex nationum vsu, Anteloquio 8. Sectione vltima; cur igitur intacti Hebræi, quorum in valuis sanguis effulget? Exod. cap. 12. vers. 22. Equidem ita videbatur, Israëlitas neci

Vniuersale Iudiciũ duris corde ex improuiso superueniet.

Exod. 12. designatos fuisse, atque huius monimentum cruorem fuisse: sed ecce & in his decipitur humana cogitatio: qui casurus videbatur, stat; qui non casurus, labitur: sic vniuersa dubia perpetuùm, atque ancipitis aleæ sunt, quò cum tremore operemur salutem nostram.

Coniungamus & tertiam de filiorum interitu

85. Historiam; iique supremi Hebræorum Antistitis, Aaronis gnati, Nadab, & Abiu, qui *arreptis thuribulis, posuerunt ignem, & incensum desuper, afferentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat, egressúsque ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino.*

Leu. 10. Leuit. cap. 10. vers. 1. Iam si expendamus, quanta fuerit hæc eorum temeritas, reperiemus graues Theologos asserere venialem noxam fuisse solùm, ac proinde bono fine quieuisse, de quibus videris apud Salianum tom. 2. anno mundi 2545.

Salian. num. 39. Sed demus immaniter peccasse; at culpam tenuare poterat, quòd adolescentes essent, & in primis, quoniam nunquam anteà ministrassent altaribus: quæ ab initio statim Magister euasit? Humanæ ineptiæ indulgendum fuerat; addita & his circunstantia altera, quòd lætissima fuerit ea lux Israëlitis, quoniam post septem consecrationis dies, tum summus Pontifex Aaron cœpit sacerdotio fungi hostias offerendo; Non erant igitur turbanda gaudia fidelis populi luctuoso exitu filiorum antè ora miseri parentis, & tam festinè transeundum à domo conuiuij ad domum lacrymarum; Quis his expensis non totis quatiatur artubus, cùm nec festi sacerdotalis sacræ pompæ, nec parentis meritis quidpiam defertur, neque ætas, nec ignorantia, neque commissi officij nouitas excusat? Ita rapiuntur planè, cùm nemo morituros opinaretur, quippe annis valentes, sacerdotio nuper donati, locupletes, primarij, & genialem diem agentes: Hæc abyssus iudiciorum Dei; talis ab antiquo, talis & nunc quoque: Eloquenter, quemadmodum assolet,

Saluian. Saluianus lib. 1. de Prouid. *In quibus non iudicium tantùm, sed præsens Deus ostendere voluit, imminénsque iudicium, quid enim aliud, quàm extentam super nos dexteram suam, & imminentem iugiter gladium ostendere volut, qui errorem suprædictorum statim in ipso opere puniuit: nec penè priùs peractum est facinus, quam vlcisceretur pœna peccatum?*

Imminet sẽper capiti nostro Diuinæ Iustitiæ gladius.

Processerat aduersùs Christum militaris co- 86.
hors cum laternis & facibus, & armis, & ad eius duo verba tantùm, quæ sine terrore, absque minis abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram,

Ioan. 18. Ioan. cap. 18. vers. 6. considerent alij cum Gregorio, quanta futura sit iudicantis, quam non toleranda maiestas, qui, cùm iudicaretur, ita perterrefecit: ego modò disquisierim, quamobrem vt confundere placuerit, & significare eum, qui sic prostrauerit, quando illi armati & multi, ipse vnus, atque immunitus, voluntariè ad passionem duci, non humana cogente potestate, non hoc egerit potiùs, cùm flagellaretur, cùm spinea plecteretur corona, cùm in ligno penderet? Potuit & tum quidem; sed non fuisset tam inopinatus cadentium lapsus: non enim adhuc iniuriis affecerant, quanquam animo sanè; nam, vt comprehenderent, profecti sunt, ac proinde neque vltionis aperta occasio: illi quoque sub primo belli conflictu nondum lassati, valentiores erant, & nemo ad aspectum inimici tantùm non animosus adhuc, & benè sperans, præsertim cùm paribus certarur adminiculis: Igitur, quoniam initio impiæ legiones remotiores à periculo omni videbantur, deiecit in terram, quò discant homines, instare sæpenumerò ruinam tum magis, cùm longiùs abesse videatur; Atque illi, quemadmodum collapsi sunt, cùm minimè cadere posse suspicarentur; ita Christus, quando maximè comprehendi debuerit, non est comprehensus, adeò semper dubia luditur alea; nam ij quid exploratum venerant cum scelestissimo antesignano Iuda? Sanè quærebant IESVM Nazarænum, & venerat in comitatu ob hoc potissimùm latro Iscariotes, vt designaret quisnam Christus esset: sed obuiam processit ille dicens: *Ego sum*; Cur hoc audito nuncio non tenuerunt suo se ore manifestantem? Pulchrè

Maldon. Maldonatus noster: *Voluit, vt ipso illo verbo, quo ratio postulare videbatur, vt illum comprehenderent, ita impedirentur, vt non solum apprehendere, sed ne stare quidem coram illo possent: qui enim non potuisset, fore vt simul atque respondisset, Ego sum, manus in illum non iniycerent? Atqui illo responso, quo incitari ad comprehendendum videbantur, disiecti sunt*; Sic tutus Christus, quando

Milites tunc prostrati cùm Christũ firmiùs tenere debuerant.

quando in ſummo verſari diſcrimine videretur; ſic cadentes inimici, cùm firmos atque ſecuros eſſe appareret.

87. Sed quàm magnos fructus elicere ſoleat diuina prouidentia, cùm momento omnem ſæculi pompam quaſi fumum euaneſcere facit, Dauid

Pſal.47. præclarè Pſalm 47. verſ.7. & 8. accinit: quis enim non vehementiſſimè compungatur, & vias ſuas malas ocyùs deſerat, cùm intueatur peccatores, qui velut cedrus Libani exaltabantur, inopinatò proſterni, & gloriam eorum omnem ad Tartarum deſcendere cùm dies æternitatis, & felix, atque beatum æuum ſibi homines inſenſati promitterent? verùm, quid Pſalmodus? *Tremor* (ait) *apprehendit eos*; Sed, Deus bone, qualis tremor? *Ibi dolores vt parturientis*; Satis dixit, cùm feminæ laboribus comparauit; Sed, quæ profundiſſimi mœroris cauſa? *In ſpiritu vehementi* (ait) *conteres nauis Tharſis*: Hieronymus, *In vento vredinis confringes naues Tharſis*; Symmachus, *Per ventum violentum confringes*: Auguſtinus per Tharſis Carthaginenſes naues intelligit, ſubditque mox; *Manifeſtum eſt autem ita floruiſſe, vt inter cæteras gentes excellerent nauigationibus:* Sint verò de elaſſe illa, quæ in Orientis Indiam proficiſcebatur, aurum, ligna odorata, gemmas allatura; illud certum, inter onerarias excelluiſſe, robore, in primis, vt quæ longum emenſuræ eſſent iter difficiliores Oceani ſulcaturæ vias, aſportaturæ quod pretioſiſſimum eſt apud mortales; demiratur igitur vento afflante violento fore, vt exiguæ euadant cymbæ, periclitentur naues Tharſis; Siccine illæ, quarum inſuperanda videbatur firmitas in magna tempeſtate periclitantur, & ante ſubmerſionem fractæ atque colliſæ, nempe, contritæ? Quid tutum, ſi naues Carthaginenſes in profundum abeunt? Sed quæ iſtæ naues, niſi Conſules & Senatores terræ, atque, vt Pſalmiſtæ phraſi loquamur, viri diuitiarum? ſorbentur momento, exorto repentino turbine, & nihil illis ſupereſt niſi ſepulcrum, & vermis. Talia igitur contemplantes peccatores, & quia nihil in vita eſt firmum, quoniámque mors de improuiſo obrepit, atque naues Tharſis in fruſta comminuit, tremor apprehendit eos, & ingemiſcunt, ſicut mulier contriſtatur, cùm pariendi adproperat tempus.

Hieron. Symmach. Auguſt.

Carthaginenſes nauigationibus excellentes.

88. Quid verò mirum, vt peccatores inconſolabiſi mœrore tabeſcant, quando etiam iuſtos vix quiſquam conſolari poſſit? Attende, quid ſanctiſſimus Antiſtes Chryſoſtomus dicat homil.77. in

Chryſoſt. cap.24. Matthæi: *Nam me quidem, cùm hæc in mentem veniunt, horror inuadit terribilis, & amariſſimè perflens ex profundo corde ingemiſco: nam, quamuis nihil horum ad me ſpectet: illa tamen, quæ mox ad virgines, & ad ſeruum nequam, qui quod accepit talentum, ſuffodit, quæ dicentur, vehementiùs me perturbant, propterea à lacrymis confundor.* Ac primùm quidem terrent religioſiſſimum Doctorem virgines inſipientes: eam nanque, quæ de illis eſt, parabolam cogitans, perſpicit excitari eo potiſſimùm articulo, quo neminem eas ad vigilandum fuiſſe vocaturum, neque imprudenter exiſtimari queat: medium enim noctis eſt, quo omnia ſilentium habent, & nox iter in ſuo curſu tranquilla peragit, atque, vt ille aiebat, quieſcunt voces hominúmque, canúmque; quis igitur arbitraretur, excitandas miſeras tunc? Sed illo tempore vocantur, & heu imparatas inuenit ſponſus, in malúmque abire iuſſit. Altera parabola ſeruorum fortaſſe illorum eſt, de quibus apud Lucam c.12. verſ.38. *Et ſi in ſecunda vigilia venerit, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi:* Quorſum autem omiſit dicere de prima & quarta vigilia? nam in tot diuidebant priſci noctem: ſaltem poterit ſeruus ſub illis requieſcere, quoniam in eas paratum eſſe herus non monet? Verum quatuor illæ vigiliæ hominis totidem ætates deſignant pueritiam, nimirum, adoleſcentiam, viriles annos, ſenectam; ex his pueritia, atque ſenium, cùm fragiles ſint & deſpectæ, variiſque conflictatæ morbis frequentiùs, nolùit earum meminiſſe, vt ſignificaret, venturum Dominum ea ætate, quæ floridior, atque iucundior eſt; cùm homo robuſtior videbatur, vitáque illi charior erat, quod contigit ſecunda & tertia ætate, tunc aderit Dominus rationem villicationis ab eo expoſtulaturus.

Luc.12.

Secunda & tertia vigilia denotant floridiorem ætatem.

89. *Hoc oſtendit mihi Dominus Deus*, (inquit Amos cap.8. verſ.1.) *& ecce vncinus pomorum, & dixit: Quid tu vides, Amos? Et dixi: Vncinum pomorum:* Transfert viſionem noſter Ribera numero 8. ad ſpiritalem ſenſum, & vncino ſignificatam mortem arbitratur; poma vitam noſtram deſignare, quibus apud Iob ex cap.9. verſ. 26. comparatur: *Dies mei pertranſierunt quaſi naues poma portantes:* At, quare vncinus mors? nimirum, propterea à cultore in pomœrium defertur vncinus, quemadmodum à Lyrano ſcitè animaduerſum, vt quos manu attingere fructus colligens nequeat, eos vncino attrahat; O vncinum non quibuſcunque deſtinatum pomis, ſed altiſſimis illis, quæ in ramorum ſummitatibus, quæ in arborum capitibus; ibi candida illa & rubicunda electa ex millibus quaſi ſecura gloriabantur in pulchritudine ſua: nam cuſtos hortorum aſcendere non poterat, quoniam altiſſimum poſuerunt refugium ſuum, in cacuminibus, ſcilicet; ibi ſupergreſſa reliquos fructus ab humero ſurſum, quaſi Reges ſe æſtimabant; ſed venit vncus, & detracta eſt ſuperbia eorum ad infimum terræ: O vncum! ô mortem ſemper aduersùs potentes terribilem, eos rapientem, qui in tuto collocari videbantur, & raptantem ſanè, cùm plùs florerent, cùm diem occiſus ſui longiſſimè abeſſe putarent: Sed & alij loco pomorum, æſtatem vertunt, atque *vncinum æſtatis* nominant; Præclarè & in mortem iſtud etiam epitheton quadrarit: non enim illa inſidiatur hominum vitæ, quando hyems eſt, & domus in tribulatione, atque luctu eſt; ſed, cùm æſtas aduenit, quando Sole lætiùs fulgente proſpera renidet fortuna; Nónne quidem per æſtatem iudicium, & mors inſtant? *Ab arbore autem fici* (monuit Seruator Matth. c.24. verſ.32.) *diſcite parabolam: cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis, quia propè eſt æſtas; ita & vos, cùm videritis hæc omnia, ſcitote, quia propè eſt in ianuis.* Denique pro vncino pomorum alia legit tranſlatio, *vas aucupis*, ſeu decipulam, aut laqueum; atque hoc etiam mortis emblema; nam, poſtquàm philomela à paſtu redit, laudatura Creatorem, quoniam dat eſcam omni carni, & neque paſſer in obliuione apud eum eſt; conſcendit frondoſam arborem, diſtendit guttur, alas expandit, ſalutat ætherem, & in primis auricomum Apollinem, quòd ſplendidior exierit, & nemori ridens illuceat: ad eius canoram vocem ſiluêre venti, tacuêre feræ, compreſsêre murmura arbores, ipſi torrentes per ſaxa & ſcopulos cautiùs deſcendere: ſolus in

Ribera.

Iob 9.

Vncino pomorum mors ſignificata.

Matth.24.

Vas aucupis, mortis emblema.

crudelitate

crudelitate pertinax auceps laqueum meditatur pedibus eius, & incidit tandem in muscipulam infelix volucris, ô tum profectò, quando nunquam iucundior, cùm omnis sylua applauderet, cùm benè pasta & tam sublimis musica vel hostes conciliatura videretur: at sic vncinus pomorum, sic mors agere consueuit.

90. Iob. 9. Verùm & de pomis aliud quoque Iobus nuper allegatus cap. 9. vers. 25. *Dies mei velociores fuerunt cursore,* (ait) *fugerunt, & non viderunt bonum: pertransierunt quasi naues poma portantes.* Ex Hebræo, pro pomis, vel fructibus aliqui piratas vertunt; quoniam in originalibus est, אבה *ebeh*, quod variè significat, & cùm rapidissimum aliquid ex communi etymo denotet, ad prædonum classem refertur, eò quòd soleant velocissimo esse cursu; in hoc autem genere nauium duo consideranda: Primum, quòd per hyemem rarò maria infestant, ad stationes se tum recipiunt Oceani indignatione coacti; sed vbi læta tempora aspirant, & Zephyri brumam abigunt, portu solunt, atque insidiantur: Secundò, quoad valeant, speculatores adhibent, quando littora mercatorum classis relinquat, quam aduehat supellectilem; quòd si norint, aurum, gemmas, purpuram, aromata portare, quò feliciorem iudicant, eò plùs inhiant: ne de manibus elabatur, tum omnem diligentiam adhibent, pericula quoque contemnunt: ergo, cùm piraticæ artis, sit, & tempore amœnissimo prædari, & vasa insectari magis, in quibus pretiosior thesaurus, perbellè à Iobo vita nostra comparata eiusmodi nauibus; sic enim illudit nobis vitæ cursus, vt non hyeme, sed æstate, quando secunda est fortuna, iucunditatem abrumpat; in eos feratur acriori odio, qui in laboribus hominum non sunt, qui arietem de armento pinguem deuorant, & medullam tritici comedunt; in hos cùm expansis velis, quasi naues institorum ditissimæ supellectilis, prospero fauente Noto, ferrentur per mites fluctus, edentes, atque bibentes in lætitia, & celeusma cantantes ob aspectam tellurem nauigationis metam, insilit mors quasi piraticus hostis: O amissam ante ora dominorum die sereno, atque placabili nauem superbam, & tantorum sumptuum elusas spes vno puncto, atque tum sanè, cùm Scyllam, atque Charybdim euasisse videbatur! Non celabo Tertulliani ab hoc proposito non abhorrentem sententiam; connectit autem alteri sermoni, quo miserum fuisse eorum exitum concinnè opinatur, qui præ nimiare gaudiorum, spiritum exhalarunt, quando eis mors obrepserit tum potissimùm, quo vita frui, si vnquam aliàs, desiderabile esset, nimirum, cùm in iucunditate essent: sic igitur libro de Anima, titulo, Nihil animæ in corpore subremanere, *Nam, etsi præ gaudio quis spiritum exhalet, vt Chilon Spartanus, dum victorem Olympia filium amplectitur; etsi præ gloria, vt Clydemus Athenien-sis, dum ab Historicis diu præstantium auro coronatur; etsi per somnium, vt Plato: etsi per risum, vt P. Crassus; multò violentior mors, quæ per aliena grassatur, quæ animam per commoda expellit, quæ tunc mori affert, cùm iucundius ver est in exultatione, in honore, in requie, in voluptate. Vis est & illa nauigij, cùm longè à Capareis saxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quassata decumanis, labente cursu, adulante flatu, latante comitatu, intestino repentè perculsu, cum tota securitate desidunt: non secùs naufragia sunt vitæ, etiam tranquillæ mortis euentus;*

Sherlogi Anteloq. in Cant.

Vita nauibus piratarũ comparata.

Tertull.

nihilo refert, integram abire corporis nauem, an dissipatam, dum animæ nauigatio euertatur. Atque hæc suppeditauit documenta excrescentis Iordanis illuuium tum sanè, cùm aquarum penuria magis esset laborandum, & nihil minùs timerent homines.

SECTIO X.

Sub prospera fortuna, difficile, temperatum esse, & bonos mores obseruare.

SEd quòd Iordanis intumescat, atque erigatur, 91.
sorte non contentus sua, & ruinam crudelis afferat, siue pecori, seu spicę, aliisve agrorum fructibus, tum quando felicissima anni temperies est per Aprilem, monere nos debeat, secundam fortunam plerunque vitia secum afferre, elationem, tyrannidem, & alia id generis monstra; obcæcat nanque mentem ambitio, Creatoris despectum nutrit, atque hoc contempto, reliquum est, vt per omnia vitia feratur mens audax; Dum venatione impeditur Esaü, surripuit adiutus Rebeccæ matris ingenio benedictionem caligantis Isaac minor filius Iacob. Sed quàm copiosa imprecatio illa? *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & seruiant tibi populi, & adorent te tribus; esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ.* Genes. cap. 27. vers. 28. Quid potentius Iacob, quem nationes venerentur, ante quem fratres procumbant, & cui locupletando, & Olympus, & terra studeant coniunctis viribus? Eia, Iacob, dormi posthac securus, & in vtranque requiesce aurem, nullus te beatior, cui nemo aduersarius, cui promptuaria abundant frumento & vino, in quem Isaac effudit opes omnes, vt quod in Esaü conferat, vix reliquum sit; Verùm certè Iacob continuò viæ accingitur, & peregrinationem cogitat in Mesopotamiam Syriæ, in domum Bathuel: pergit verò incomitatus, absque equis & curribus, sic destitutus, vt sub dio manendum fuerit, humus stratum subministraret, lapis puluinar. O Rebecca, vt quid non saltem discedenti, tuis deliciis, adolescenti præclarissimæ indolis, argenteos dedisti aliquos, quò in diuersorium admitteretur? Puto ego sanè spontaneam hanc fuisse Iacob philosophiam, & cùm possit equo, vel carruca vehi, multa stipari caterua famulantium, splendidè epulari, dormire lecto eburneo tapetibus instrato, veledixisse omnibus, paupertatem vltroneam experiri cupientem; Quid eum ad hęc commouit, atque vt tandiu Labani durissimo seruituris genere obsequeretur? Sanè, vt vidimus, ad magnum elatus fuerat per Isaac benedictionem rerum secundarum apicem, vix vt quid maius fortuna, quod impetiretur, haberet: iuuenis igitur, qui Dei timorem ab infantia bibit, & nollet peccare metuebat, ne fortè prosperitas de mentis optimo, & composito statu deturbaret: maluit igitur amplecti exilia, seruitutem duram, egestatem, & cum his Dei amicitiam conseruare, quàm superbæ fortunæ discrimen experiri; maluit pauper esse virtute socia, quàm diues tumore atque fastu comite: ob hoc igitur & charam genitricem dereliquit, & paterna domo cessit, & bonis se spoliauit. Eusebius catena Græcorum in Pentateuchum ad Geneſis

Quanam vitiorũ monstra prosperitas secum aduehat.

Genes. 27.

Excellens Spontanea paupertatis philosophia.

Euseb.

citatum caput: *At Iacob, tot, tantísque benedictionibus instructus, quamobrem fratris conspectum declinauit fugiens ad Gentiles omnium rerum egenus? Euidentior in iis extat, quæ calámitates videntur, prouidentia Dei? qui enim diuturna tranquillitate fruuntur, sua plerunque bona non videntur agnoscere*; Ne igitur Iacob contingeret immemoria beneficiorum Dei; hoc enim est, *bona non agnoscere*; paupertatem, atque exilia sponte amplexatus est.

92. Creuit verò Iacob sub auunculo Laban, & dies factus est, cùmque meditaretur regressum ad antiquos lares, & Iordani appropinquaret, veteris memor penuriæ: *In baculo meo* (inquit) *transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Genes. cap. 32. vers. 10. Si gloriari de bona fortuna liceat, neque ob hoc insipiens futurus Iacob, cur non magis de paterna hæreditate, quàm de adquisita domo Labanis substantia gloriatur? Num, quia nobis charióra, quæ nostro marte adquisiuimus, quàm quæ aliena largitate adipiscimur? Sed, neque modò dissertatio est, quòd in diuitiis glorietur Patriarcha; verùm, quia pristinam egestatem propalat: nam, qui ex humili loco ad grandia vocantur, id omni modo conantur, vt quibus possint artibus, vererem ignominiam, & obscura exordia consepeliant, ne quis exprobret antiquas sordes; cur non idem & Iacob faciat? Timebat sanè, ne animum prosperitas corrumperet, aut luxu, vel crudelitate, & in primis iactantia; Quo igitur superbiæ erumpentes motus comprimeret, ob oculos antiquas sordes, & extremam rerum indigentiam ponit, vt quantùm præsentia elationis, tantùm prisca moderamenti afferant: Ita Guillelmus de Cailloë apud Tilmanni allegoricam catenam: *Patriarcha Iacob propaginis & pecuniæ iucunditate suffultus, inter lenocinia diuitiarum, & blandimenta fortunæ, dulcem habet & tenuitatis antiquæ memoriam, nec præsentium copia statum oblitterauit præteritæ paupertatis. Non videtur mihi, fratres, vir iste desipere, nec plusquàm oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem, qui prosperitatis illecebras aduersitatis commemoratione declinans, læta tristibus, & tristia lætis conferendo temporibus, ipsa temperauit; & vnde poterat impius superbire, pius incëditur.*

Labore propio acquisita, charióra.

De Cailloë.

93. Sed, quàm arduum sit inter prospera virtutem colere, vitiorum non prolui gurgite, primi illi apud Matthæum cap. 20. conducti operarij significant, nimisque id quidem: nam qualiter conqueruntur; *Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus?* vers. 12. Ac sanè cum imperfecto Chrysostomo supponamus, his adumbratos primos mundi colonos; putat enim diuersis operariorum classibus diuersas significari ætates labentis sæculi; quæ & aliorum multorum Patrum opinio est, & Gregorij præsertim homilia decimanona in Euangelia; Sed, quale isti portarunt onus, qui orbem floréscentem nacti, imò in deliciis fuêre? Quòd si de animi cultura sermo est, neque adeò laboriosum tunc iustitiam diligere, cùm nondum creuisset malitia in hominibus. Vana igitur atque mendax est querimonia operariorum. Equidem ita verum est, cùm primi hi de vineæ mercenariis viuerent, orbem in adolescentia fuisse, proinde iucundum, vernantem, comptum, habitatoribus placidum, & liberalem; lætabatur à bis fœtis ouibus, à bis grauida spica agricola, venti mitiores erant institoribus; aurum, atque argentum præ copia absque honore ferè: igitur tanta rerum affluentia circundati, egestatem proinde obliti, virtutem vt conseruarent honestatis amatores, incredibilis erat vexationis; sudabant prosperitatis onere oppressi, & vix tantæ subeundæ prouinciæ pares, quanquam niterentur fortissimè; Quò igitur innuant, quàm difficile fuerit inter prospera vitiis non succumbere, dicunt, solos se fuisse, qui portauerint pondus diei, & æstus, adeò sanè bona fortuna pietatis cultoribus non alleuamentum est, sed Ætna grauius pondus: *Tunc ergo mundus* (loquitur incertus Chrysostomus homil. 34. in Matthæum) *in iuuentute constitutus, omnibus bonis prosperabatur, & felix erat: nunc autem mundus senescens, omnibus aduersitatibus premitur, & ideò concupiscibilis non est; qui ergo tunc fuerunt homines, cùm maiori difficultate iustitiam seruarunt, quia ipsa felicitas mundialium rerum, satis impedimentum est animæ ad iustitiam faciendam.*

Matth. 20.

Secunda fortuna est pondus diei & æstus.

Imperfectus

94. Discessurus ex hac vita Seruator, cùm longam habuisset orationem ad charos discipulos, inter cætera illud Ioan. cap. 14. vers. 30. *Iam non loquar multa vobiscum; venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam:* Quam sententiam, eò quòd Ambrosius, cuius verba posteà daturi simus, lib. 4. in Lucam, ad cap. 4. eiusdem Euangelistæ, ad Christi summam paupertatem refert, vt qui in hoc sæculo vixerit, non habens vbi caput absconderet, facit nos opinari, alludere Christum hîc ad aliquam ex iis, quas in deserto passus est, tentationibus nempe, id fuisse temporis, cùm Princeps huius mundi ad eum venerat; At, quæ aduentus causa? scilicet, assumpsit eum Diabolus in montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Matth. cap. 4. vers. 8. Gaudet igitur nunc, & exultat morti proximus, quòd velut à prosperitate deiectus non sit, quòd in summa indigentia perpetuò vixerit; Equidem ex piis viris aliqui, Deo impulsore, cùm ad peregrinationis metam deuenêre, si aliquo insigni periculo liberati sint, solent speciales gratiarum actiones ergastulum corporis relicturi, pro tam cumulato beneficio, referre: sic aliquis dicit, speciales Deo se gratias habere, quòd ex naufragis sæculi vndis ad stationem securam religiosi status vocauerit: alius benedicit, quoniam honori, & ambitionibus viam præcluserit: alter, quòd illibatum corporis florem seruauerit. In hunc igitur morem, velut Patri speciales gratias Christus agit, quòd à prosperantis fortunæ lenociniis defenderit. O Genitor, quales, quantásque tibi gratias acturus, quòd Princeps huius mundi nihil apud me inuenerit, non possessiones, non auri talenta, non gemmas! Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar in sepulchrum: Itaque diuitiarum tantum discrimen Christus opinatus est, vt singulari tulerit beneficio, quòd his carere Pater concesserit, vt qui aliquo modo quasi metuere videretur, si locuples extitisset, cùm tamen vi vnionis hypostaticæ peccare non valeret: sed equidem, si per impossibile vllo pacto casurus, maximè ob prosperitatem.

Ioan. 14.

Matth. 4.

Christus exultat morti proximus quòd in summa paupertate perpetuò vixerit.

95. Potest quoque aliter explanari ex piorum virorum sub extrema hora vsu; quæ enim toto vitæ decursu celauerant specialem in eos Dei indulgentiam, abituri ad patriam beatam, amicorum fideliſſimis patefaciunt: vt, quòd hæc, vel illa

illa reuelata sint eis, aut Regina cœlorum MARIA, aut Christus eos visitauerint, aut ex vehementi aliqua pugna triumphatores euaserint: Iam verò, dum Seruator in deserto per quadraginta dies, atque noctes ieiunaret, cùm solus ageret, nescierant Apostoli, (quanquam in eius discipulatu tunc fuissent,) quid contigisset; nunc igitur fato vicinus reuelat singularem Patris fauorem Discentibus suis; nimirum, vt cùm Dæmon temerarius accesserit, & imperia mundi cum omni eorum fastu obtulerit, nihil tamen in eo inuenerit, id est, ne affectum solum, aut propensionem aliquam ad tam honora; sic, quibus modis cunque exponamus, reperitur semper Christus inter prima beneficia numerasse, quòd opes non possederit, non regna habuerit, non clientelam, non alium externæ gloriæ apparatum; Verùm, ne differamus vlteriùs Ambrosij exhibere, quam polliciti sumus, orationem: confert autem eò loci Christum cum Iobo: *Non vnum telum Diabolus habet, (inquit) frequentat spicula, vt aut præmio vincat, aut tædio: auaritiæ damno dines vrgetur, pater dispendio filiorum, homo doloribus, quanta hæc tela? Vnde Dominus habere noluit, quod perderet, & ideò pauper huc venit, ne haberet Diabolus, quod auferret; Vis scire, quàm verum sit: audi ipsum Dominum dicentem; Venit huius mundi Princeps, & in me inuenit nihil.*

Inter prima beneficia paupertas à Christo semper numerata. Ambr.

96. Psalm. 15. Neque Dauidem latuit, quantùm in prosperitate discrimen, Psalm. 15. vers. 8. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear*; Verùm, quare tota prouidentia pro dexteræ incolumitate? Cur non etiam læua protegatur, præsertim, cùm hæc infirmior portio existat? Nempe, sinistra paupertatem, miseriam, egentiam denotat; hæc sibi sufficienti præsidio sunt, non egent adminiculis: dextera autem ridentem fortunam & prosperam indicat; hîc verò tantùm periculi est, vt non de Prophetis aliquem, non de Apostolis, non de Angelorum Hierarchiis sibi assistere contentus sit; quasi parum tutus, si alius, quàm Deus ipse, patrocinetur; tanta est periculi magnitudo: *Ideò prouidebam Deum in conspectu meo.* Bernard. serm. 7. in Psalmum 90. *Tondeatur interim, & tondatur latus sinistrum, pulsetur iniurijs, vellicetur opprobrijs; libens illud expono, dum à te custodiar, dummodò sis ipse protectio mea super dexteram meam.* Sed, postquàm arbitratus est dexteram satis communitam, annectit, *ne commouear*; Concedamus autem exemptam esse ab omni periculo, quod prosperitas afferre valeat, itáne ob hoc certus nó commotum iri deinceps? Nónne sunt alij, qui insidientur hostes præter bonam fortunam? Quid gula, quid luxuria, quid ambitio, quid pecuniarum amor, & excandescentia? Nónne isti omnes formidabiles inimici, qui & commouêre, & loco disturbare valeant? Verùm certè tam leue discrimen ab aliis vitiis impendere cogitat, si prosperitati conferantur, vt qui ab huius spiculis tutus sit, cæterorum inimicorum iras nihili faciat; tantùm à prosperitate liberetur, cum reliquis in arenam descendere non vereatur.

Bernard.

97. 4. Reg. 2. *Regula: Duplex pro forti in Scriptura.* Cùm in æthera subleuandus esset Elias, qui comitabatur Magistrum Eliseus, obtestabatur supplex, vt fieret in eo spiritus Præceptoris duplex, Reg. 4. cap 2. vers. 9. ac primùm sequamur eam expositionem, quæ pro duplici, magnum, fortem, validum intelligit spiritum: sic enim ea vox significare nonnunquam consueuit, vt probat noster Sanchez eum ad locum Regum, n. 7. Difficilem ab eo postulatam rem Elias respondit attamen subnectit: *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petisti: si autem non videris, non erit*; Præfato capite, vers. 10 Sed quamobrem ob attentâ contemplationem ascensus Eliæ, communicandus spiritus strenuus atque robustus dependeat? Nimirum, cùm raperetur in aëra, pallium relicturus erat, quod & cepit postèà Eliseus: hoc igitur externo indicio vt intelligeret discipulus, volebat, ei, qui ad perfectionis apicem anhelet, & cupiat forti atque strenuo esse spiritu, in primis curandum, vt pallium, hoc est, carnis omnem voluptatem contemnat; temporalia verò bona, & Mammonam iniquitatis ante cætera deserat; sic enim continget, vt cùm nudus omninò appareat, à prosperitatis Scylla, atque scopulis nullum imminere periculum illi valeat: hoc autem semel liber discrimine, reliqua in tuto esse, atque spiritum, cùm obstacula non habeat, in dies magis, magisque augendum, donec euadat duplex, id est, robustus atque valens; Porrò nomine pallij mysticè adumbratam huius vitæ iucunditatem, atque vanam carnis pompam Ambrosius docebit libro de Isaac, cap. 6. & serm. 7. in Psalm. 118. ad vers. 7. Pro tractatu præsenti Laurentius Iustinianus libro de disciplina, & perfectione monasticæ conuersationis, cap. 4 *Sic Elias Prophetarum eximius cum esset cum Eliseo, & incedentes sermocinarentur, vellétque eum Dominus per turbinem eleuare in cœlum, antequàm igneum ascenderet currum, pallium suum Domino permittente reiecit: voluit tunc sub figuris Spiritus sanctus posteros admonere, ne ad perfectionis statum auderent accedere, antequàm carnales affectus de cordis habitatione expellerent.*

Sanch. Ambr. Laur. Iust.

98. Verùm & in eius gratiam expositionis, quæ coniectatur, ab Eliseo petitum, vt eius spiritus duplo maior fieret supra Magistri spiritum, mutuemur ab Auctore de mirabilibus sacræ Scripturæ singularem declarationem; Is igitur collata vita vnius cum alterius gestis, comperit Eliam ratissimè in oppîdis agentem, solitudinis impigrum amatorem, aulæ in primis fugisse aspectum, & eorum familiaritatem, qui in domibus Regum sunt; è diuerso autem coactum Eliseum iustas ob causas, vrbes adire, Curiam terere, cum Monarchis atque Optimatibus sermones miscere: Quoniam igitur ad hoc adigendus erat Eliseus, superno instinctu duplicem Eliæ spiritum concedi rogauit sibi, vt qui timebat, ne simplex Magistri spiritus insufficiens fuisset Regum intra ianuas ituro, Palatinum conspecturo fastum; Ibi, ibi spiritus multiplex necessarius, vbi prosperitas. O regnorum miseram sortem! ô aulæ pericula, aduersùs quæ tam validè opus sit communiri Eliseum! Vtinam Reges terræ, quando ita expediens sit, vt de Monasteriis extrahant, qui aulam ingrediantur, siue ad hæc, siue ad illa ministeria, saltem concederent hanc gratiam Cœnobiis, quæ amant, quæ honorant, vt viros ad tantum sustinendum onus eligerent, in quibus spiritus duplex! O quantùm à talibus emolumentum Regibus, Religioni bonus odor, Ecclesiæ incomparanda vtilitas! Verùm proferamus eius, quem nominauimus Auctoris verba ex libro 2. cap. 26. *Sed potiùs hoc duplicem gratiam Eliæ esse in Eliseo pronunciat, quòd Eliseus imperando, quæ Elias orando, & postulando impetrabat; siue, vt cæteri dicunt, quòd Eliseus cum magno*

Regum aulas adituro duplex Eliæ Spiritus quàm sit necessarius.

Auctor de mirab. sacræ Scripturæ.

magno honore, & ſæculi dignitate, virtutum & prophetiæ donum habuit; quod Elias profugus & perſequutus in montibus, & ſpeluncis degens, electus ab hominibus retinebat.

99. Stupeſcis, tanto ſpiritu opus fuiſſe Eliſeo aduersùs blandam, & ſplendentem fortunam, contra aulæ venenum; ego potiùs demiror, vt etiam talibus ſuffulti præſidiis non ſint penè moti pedes eius pacem peccatorum videntis; Cupis intueri quempiam duplici ſpiritu vallatum; & tamen feſtinè labentem? non recordaris eius, qui generis noſtri caput, Adami; quanto ſpiritu, obſecro, donatus? Certè duplici proculdubio, & eximio ſatis vtroque; voco autem ſpiritum geminatum gratiam internam, atque externam: internam quidem donorum, quæ animam venuſtant: quid non ex his ſublime in Adamo? externam diuinæ protectionis, qua areebantur inimici, Dæmonum, ſcilicet, mille nocendi artes: ſed qui affluebat deliciis, & voluptate, nulliſque affligebatur malis, non ſtetit diu in veritate: At femina eum decepit, aſſerueris; nullæ tam robuſtæ vires, quæ à femineis non ſuperentur illecebris; ſed quoque & feminam nactus Iob, quæ ad malum prouocaret: at, quoniam in ſterquilinio iacentem aggreſſa ſit, poſt defunctos natos, amiſſas opes, diſperſos ſodales, non potuit validum Athletam à propoſito dimouere: ergo Iobus mille petitus telis, Tartaro vniuerſo infeſtante, paupertati quaſi inconcuſſæ anchoræ adhærens, repulit facilè hoſtium ardentes ſagittas cum carbonibus deſolatoriis; Adamus, cùm vniuerſa ſubſidio eſſent, loco voluptatis conſtitutus, à deſpicabili, & puerili vitio, gula nempe, ſuperatus eſt: Eſt ſummè florida in hunc ſcopum Arnoldi Carnotenſis oratio, tract. de opere ſex dierum, parte 2. tom. 12. Bibliothecæ Patrum: *Ibi* (ſermo eſt illi de Paradiſo) *potuit Diabolus, & tentare, & vincere hominem; & multò robuſtiorem poſteà expertus eſt Iob ſcatentem vermibus, ſedentem in ſtercore, quàm illum Adam in loco voluptatis conſtitutum, manente integra & ſubſtantia, & perſona: nec deerat Iob linguæ feminea ſtimulus; ſed irriſit mens ſolida nugas vxorias, & modeſtiſſima increpatione præſumptionem muliebrem virili dignitate coërcuit; non erubeſcebat Iob, nec ad occultandam plagam ſuam, diuerſorium quærebat; quia in arce virtutum ſedens pro tribunali, de cunctis labentibus iudicabat: Adam longè aliter ſe habuit in Paradiſo, vbi omnia profectui cooperabantur; ipſe nec percuſſus, nec attritus, defecit.*

Adam victus in proſperis, Iob aduerſis minimè læſus.

Arnold Carnot.

100. Matth. 11. Præ virtutibus omnibus commendata à Chriſto diſcipulis humilitas, Matthæi cap. 11. verſ. 29. *Diſcite à me* (ait) *quia mitis ſum, & humilis corde.* Solent eximij Concionatores interdum ex multis articulis, de quibus diſſerunt, vnum ſingulari niſu plebi Chriſtianæ inculcare, & vt tenaciùs animo mandent, dicunt, ſibi ſatis eſſe, ſi ex toto Sermone, quo alloquuti ſint circunfuſam multitudinem, vnum illud pectori infigant; nimirum, quòd tale ſit vnum illud, à quo potiſſimùm ſalus æterna dependeat, quóque obſeruato cætera etiam colenda ſint proculdubio; In hunc igitur velut morem Chriſtus diſcipulis ſuis de humilitate punctum iterum, atque iterum, quàm obnixè poteſt, commendat, velut dictorum eius medullam. Bernard. ſic intellexit epiſt. 42. ad Senonenſem. Archiepiſcopum Henricum: *Quid deinde Auctor, & dator virtutum Chriſtus, in quo omnes theſauri ſapientiæ ſunt abſconditi? nónne tamen & ipſe de humilitate tanquam ſumma ſuæ doctrinæ, ſuarúmque virtutum gloriatus eſt? Diſcite* (ait) *à me, non quòd ſobrius, aut caſtus, aut prudens, aut aliquid eiuſmodi; ſed quia mitis ſum, & humilis corde.* Et de prudentia quidem, de caſtimonia, de temperantia concionem habuit; ſed contentus, vt de humilitate ſolum punctum altiùs biberent. Vt quid tàtæ monitiones de abiectione ad Apoſtolos? Vtique, ſi verba haberet ad Curiales, ad Senatores, ad Principes, cùm diuitiis, ſimúlque deliciis omnibus affluerent, ſalubre fuiſſet documentum, ne fortè animo, aut ſuperbiam, aut Dei obliuionem, aut alia vitiorum ſenticeta ſecundæ res generaſſent: ſed Diſcipuli tenuis erant fortunæ, atque inhonora ciuium portio, in reti & cymbula omnis ſubſtantia, inſuper & hoc, quàm exile erat, pro Chriſto reliquerant: Qualis igitur neceſſitas iſtis humilitatis affectum toties ingerere, quorum in abiectione tota profeſſio, qui à pompa, & ambitioſa adoratione longiſſimè aberant? Verùm & animo ſua eſt proſperitas, quantóque ſubtilior hæc, ſpiritalis nempè, tantò difficilior vincitur: aſſumebantur itaque homines prorſus obſcuri, & neque doctrinæ, neque caſtrenſis gloriæ, neque opum inſignibus clari, vt eſſent Eccleſiæ fundamentales petræ, erántque iſta lineamenta ſolùm venturi honoris, cùm ſpiritu diuino afflarentur, cùm prodigiis fulgerent, cùm ad nationes proficiſcerentur, & Philoſophorum ſcholas, Magnates gentium Euangelio ſubiugarent: Tantis igitur ditandi myſteriis, cùm nullum maius periculum ſit, quàm vt in ſuperbiam efferantur, humilitate egere plurimùm quis non continuò animaduertat, & præ omnibus hanc eis neceſſariam virtutem? Idcircò Chriſtus tam efficax, tam creber in commendanda humilitate eſt, quoniam niſi hæc altiſſimas radices egerit, etiam Apoſtolos proſperitas ſit deiectura; Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus epiſt. 71. *Vnde & diſcipulis ſuis Dominus ait: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Iam Petrus, & Andreas retia demiſerant: iam Ioannes Euangeliſta virginitatis obtulerat holocauſtum: iam telonium Matthæus depoſuerat: iam cæteri dixerant Apoſtoli: Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Attende, cur ad humilitatem inuitantur carnis hoſtes, & mundi; Attende, quo egebant ad perfectionis plenitudinem iam ſequuti Chriſtum, relictis omnibus propter Chriſtum! Magnus theſaurus magna eget cuſtodia: erat Apoſtolis pretioſus, & inæſtimabilis theſaurus, ipſa Redemptoris gratia, & diuinum eius colloquium: erat eis theſaurus ſacra menſæ communicatio, & ſpiritalis alimenti veritas: erat eis theſaurus in amorem cœleſtium quotidie, eius miraculis proficere, & exemplis: huius theſauri cuſtodem oportuit eſſe humilitatem, & eius excubijs acceſſum ſuperbiæ amoueri.*

Hildebert.

Præ cæteris virtutibus commendata à Chriſto diſcipulis humilitas.

Inæſtimabilis theſaurus ipſa Redemptoris gratia.

Laxauit Thaboris in vertice Seruator mentis inexhauſtæ gloriæ, qua Deum beatificè intuebatur, habenas, & continuò emanauêre in corpus fulgores; nam *reſplenduit facies eius ſicut Sol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* Matth. cap. 17. verſ. 2. Fuit incomparandæ iucunditatis lux illa, adeò Petrus ſubitò omnibus valedicens, dummodo in monte illo æternùm perſtare daretur; adfuêre ſocij glorioſo Seruatori Moyſes, atque Elias: Sed quorſum acceſſiti? Experiamur, quid dicant; nam fortaſſe loquela eorum manifeſtos eos faciet; Lucas

101. Matth. 17.

ſermones

sermones miscuisse affirmat de morte Redemptoris, & Crucis extrema ignominia; *Et dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem*, cap. 9. vers. 31. Sed, quis finis, in loco nimiùm gaudioso, Crucis, & ludibriorum Passionis meminisse? Equidem fuit priscorum vsus, eidem, qua triumphatores vehérentur, superbissimæ tensæ, monitorem adiungere, qui subinde auribus insonaret, ne excideret hominem esse, quo mortali concepta fragilitate tumentes spiritus comprimeret, & moderationem in tanta rerum prosperitate seruaret: Hieronymus epist. 25. ad Paulam de obitu Blesillæ, enarrans ex posteriori ad Corinthios, cap. 12. verba illa: *Datus est mihi stimulus carnis meæ: Angelus Satanæ, qui me colaphizet*, &c. *Hic monitor* (ait) *Paulo datus est ad premendam superbiam: vt in curru triumphali, triumphanti datur monitor, suggerens; Hominem te esse memento:* Quando igitur Christus in Thaboris excelso, velut de morte triumphat, (nam qui Beatorum dotibus fruuntur, triumphatores mortis, & omnium passibilitatum sunt;) rectè, quòd adiungantur tanquam monitores Elias, atque Moyses, qui de excessu, hoc est, de morte sermocinentur, vt hoc quasi antidoto muniatur triumphans aduersùs elationem, quam victoria, & felicior euentus generare possit; At dices, Christo nihil opus fuisse talibus medicamentis; nam delinquere non poterat, nec prosperitatis succumbere malis partubus; sed, quanquam vnione hypostatica careret; tamen visione beata munitus corrumpi nequierat à secunda fortuna; non enim prosperitas patriæ, sed viæ est, quæ noceat. Respondeo, sic euenire quidem: at Christus homines commonefacere voluit, & docere, quantum esset in prosperis rebus discrimen: Erant sanè beatæ visionis effectus, & vestimentorum, & faciei splendor, neque illa prosperitas dubiis casibus, aut vitio obnoxia; sed tamen quanquam reipsa patriæ est gloria illa, vtpote dimanans ab intuitiua Dei cognitione; tamen, quia in hoc sæculo demonstratur, velut timet quodammodo, ne satis secura sit prosperitas, nihilque habens venenatum: tam noxia est felicitas extra cœlum, vt etiam beatè triumphans dummodo tamen in hoc ærumnarum exilio; tanquam metuere videatur, neque vno contentus monitore, duos adhibeat, qui mortem, & Crucis dedecus menti suggerant; O mores hominum! cùm pericula, quibus valeant artibus, fugiant, nihilque sublimi gradu periculosius sit, inhiant ad opes, ad honores, ad magna nomina. O semper virtuti difficilem lætam sortem! Quis ille inter mille vnus, qui cum Dauide gloriari non fictè valeat? *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.* Psalm. 130. vers. 1. cùm tamen de post fœtantes oues assumptus sit, qui solus regnaret in Israël, non tantùm opibus abundans, sed & sapientiæ laude, & militari robore cum pauciissimis æquandus! Non talis Iordanis amnis; nam simul ac vernæ iucunditatis læta affulsêre tempora, distendit se, & intumuit, incrassatus, dilatatus est; nam ripas aluei sui, dum falx in segetes mitteretur, impleuit, Iosuë cap. 3. vers. 16.

Luc. 9.

Monitor in curru triumphantium quorsum? Hieron. 2. Cor. 12.

Omnis felicitas extra cœlum, suspecta.

Psalm. 130.

Iosuë 3.

Sherlogi Anteloq. in Cant.

SECTIO XI.

Mortis recordationem, saluberrimum esse incitamentum ad spernendam sæculi pompam, ad vitam emaculandam.

QVoniam cum Iordanis restagnatione Nili quoque excrescentiam coniunximus, probemus si quam ex hac doctrinam animabus cõmodam elicere valeamus; ac sanè tam magnum, idque continua, atque perenni indeficientia, quale sit Ægypti diluuium, nullibi terrarum scimus cõtingere, cùm omnis regionis, quæ ampla & spatiosa est, planitiem vndæ intumescentes occupẽt, adeò quotannis Noëna iterum redire tempora, & nouum instare cataclysmum verearis; Quorsum id huic vni regno concessum? Equidem Ægyptij ob soli vbertatem, óbque pinguedinem glebæ, cùm affluerent iis omnibus voluptatibus, quæ vitam hominum iucundam faciunt, malè vsi prodiga diuinæ beneficentiæ largitate, omnibus se tradiderant corruptelis, vt vix esset sub cœlo natio, quæ impietate cum illis contendere valeret: Igitur Numen, vti laxis sceleribus frænum imponeret, ideam antiquæ illuuionis, qua orbis ob peccata deletus est, ante oculos collocare statuit, atque id lætiori reuertẽtis anni tempore; ratus nullam futuram tam proiectam audaciam delinquẽtium, quam nõ mortis timor coërcere possit, cùm intuerẽtur plana vniuersa ab vndis superata, multos ab aquis præpeditos, ne in altum conscenderent, & luce hominum priuatos, eadem facilitate, qua campos operuerint vndæ, posse & colles, modò conniuere Rector magnus vniuersitatis huius vellet, vincere id si eueniat, actum esse momento de Ægypti incolis, & in eremum conuertendam florentissimã prouinciam, quando nemo vita opes redimere cuperet; In hunc sensum Anast. Sinaïta lib. 3. Hexameri; *Soli enim Ægypto ex omnibus mundi regionibus Deus ad pietatis admonitionem donauit exemplum, & monumentum indelebile; nam instar vniuscuiusque ex illis aquis, quæ aliquando tegebant vniuersam faciem terræ, per fluuium Gehon terrã Ægypti tegitur*; Atque sanè ita accidit, nullum reperiri potentius remedium, siue ad mores corrigendos, siue ad despiciendum quicquid est in humana vita splendidum & inescans, quàm de morte cogitatio, quàm de ea pauor, atque formido non vana.

102.

Annua Nili inundatio in recordationẽ Noëni diluuij Ægyptijs proposita.

Anast. Sin.

Dormientem in tentorio Saülem cum reperisset Dauid, & somno graui oppressos Duces, atque Centuriones, qui auxilia periclitaturo ferre possent, leui atque exigua admodum præda contentus, hastam sustulit, atque scyphum aquæ, qui erat ad caput quiescentis, Reg. 1. cap. 26. vers. 12. Cur tam modestus Dauid erga ferocem hostem, & perpetuò insidiantem homini innocuo, à quo egregiis affectus sit beneficiis? Quamobrem non de medio tollit, cùm facilè valeat, dirum & implacabilem, inimicum? Sed quoniam vita donasse voluptas est, vt quid non saltẽ regiis spoliauerit ornamentis? Cur paludamentum, cur armillas, cur verticis coronam non demit? nam hanc etiam præliaturi gestabant, diademate & in acie conspicui, Reg. 2. cap. 1. vers. 10. Equidem putarim, Dauidem, vt vidit Imperatorem somno

103.

1. Reg. 26.

vinctum, excitatum ad mortis considerandam
In Saüle dormiente, mortis vim imaginem contemplatus Dauid.
viuam ideam, itaque apud se philosophatus qualis esset tandem regnorum exitus, quis potentiæ, quis diuitiarum, quis voluptatum finis, nimirum, omnia sepulcrum deuorare, in cinerem abire tandem; despexit igitur continuò vanam regnorum gloriam, proinde neque purpuram, neque gemmas, neque aurum abstulit: Vt quid hæc citò moriturus æstimauerit? Hastam abtipuit, vt qui considerarit, malitiam esse vitam hominis super terram; scypho aquæ obiectatus, vt qui breue viuendi interuallum à Deo concessum ad peccata fletibus, & aquarum, quas oculi deduxerunt, riuis emaculanda, considerauerit: Hæc spolia digna Christiano, cuius in æternitate est mansio; habeant alia illa fucata & pereuntia, qui in huius vitæ oblectamentis spem suam posuerunt: Ad hæc allusisse videatur Chrysostom.
Chrysost.
homil. 1. de Dauide, & Saüle, (quanquam fateor, verborum partem respicere cap. 24. lib. 1. Reg. sed ibi nequaquam Saül dormiebat, qui ventrem soluebat;) *Hanc igitur Historiam in suo quisque corde sibi depingat, contemplatione veluti manu assiduè proponens oculis, ipsum Saülem intus dormientem, somnóque perinde vt catena vinctum, eúmque qui grauissimè læserat, dexteræ subiectum, Dauid imminentem dormienti, præsentes milites, & ad eadem adhortantes: hæc, inquam, non solum animo depingamus; verùm etiam in confessibus apud nos assiduè loquamur, huiusmodi commemorationes maximam adferunt vtilitatem; impossibile est enim, impossibile, inquam, animum in hoc genus, Historijs versantem, à cupiditatibus superari.*

104. Sanauit apud Probaticam Piscinam Seruatorem virum, triginta & octo annos habentem in infirmitate sua, & roborauit in posterum aduersùs tentamenta salutari monito; *Ecce sanus factus es,* (inquit) *iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Ioan. cap. 5. vers. 14. idémque hominum
Ioan. 5.
Repemptor vidualium lacrymarum commisertus, adolescentem, qui defunctus ferebatur extra portas ciuitatis Naïm, vitæ restituit; sed tantùm ibi, *Adolescens, tibi dico surge.* Luc. cap. 7 vers. 14.
Luc. 7.
Cur non & hîc documenta aliqua? Et erant ad peccandum maiora incitamenta, quàm in ægroto Probatici stagni; nimirum, viduæ opulentæ vnica proles, reuocabatur ad domum vberem, ad florem ætatis, ad vetera incitamenta; quanta in his offendendi Numen occasio? cur non de humanarum instabilitate rerum admonet? cur non fugitiuam eius esse gloriam inculcat? cur non marcescere breui pulchritudinem, consumi diuitias, fallere amicos docet? Equidem redibat iuuenis iste ex sepulcro ad lucem mortalium, expertus fuerat mortis pharetram & sagittas; fuit autem tam potens magistra hæc mortis experientia, eius tam efficax doctrina, vt quanquam breui apud eam commoratus sit iuuenis, tam peritus euaserit, quem instruere Christo opus non fuerit;
Quàm citò doctus quispiam euadit ex mortis recordatione.
Non sic ille morbis afflictatus: nam, quanquam fracta valetudine per triginta & octo annos, sed non tantùm didicerat tam longo annorum cursu, quantùm adolescens non multis horis sub mortis potestate, & ferula; proinde ille nouis à Seruatore consiliis communitus, iuuenis nullis armatus documentis.

105. Discedentibus ex Ægyptó Hebræis, eos quoque & incolarum ingens multitudo comitata est, abierunt quoque cum eis pecora eorum; *Sed & vulgus promiscuum* (ait Exodus c. 12. vers. 38.) *innumerabile ascendit cum eis, oues, & armenta, & animantia diuersi generis multa nimis:* Cur hos discedere, in quibus mancipia, domini permiserint eorum? cur regni custodes non impedierint, vt ad eius limites peruentum? cur Israëlitas, auri, & argenti, & vestium multùm asportantes non sunt insequuti possessores? Equidem viderant paulò anteà sublatos filios primogenitos fato insperato; tantúmque illud immaturi discessus spectaculum mentes perculit, vt opum facilè cordibus generauerit despicientiam, proinde quasi iam diuitiarum contemptores effecti sponte permittebant abire & Hebræos cum auro, & argento, & Pelusiacum vulgus promiscuum cum pecoribus; *Respondetur* (ait Tostatus quæst. 53. in cap. 12. Exodi) *quòd illi, qui custodiebant portas regni, tanta primogenitorum suorum, quos sepeliebant, angustia tenebantur, vt non inquirerent quis de Ægypto exiret; sic enim dicitur Numerorum cap. 33. quia Israëlitæ exierunt de Ægypto, videntibus Ægyptijs, & sepelientibus mortuos suos:* Atque similem ferè in modum alterum ænigma dissoluit idemmet Abulensis; nam miratus; quòd erga exploratores à Moyse destinatos Chananæi adeò fuerint humani, vt ne leue aliquod damnum intulerint; permiserint autem regionem suam obire omnem viros peregrinæ nationis: an non vident actum esse de opibus, de regno vniuerso, de charissimis quibusque pignoribus, si hos incolumes dimittant? Sanè grassabatur tunc mors in terra Chanaan, vbique aperta sepulcra, vt vix satis esset terrarum humandis corporibus; tantam igitur edente stragem lethi falce, de agris, de substantia, de thesauris nulla fuerat eis cura: nam hæc non fastidiosè contemnuntur etiam ab ardentissimis amatoribus, simul atque mors ad ostium pulsat: Nominatus iam Auctor quæst. 40. in cap. 13. Numerorum; *Dicunt enim quidam Iudæi, quòd tanta erat occupatio indigenarum terræ illius circa funera propinquorum, & amicorum: quòd licèt viderent exploratores in terra sua, non curarent: sicut dictum est de Ægyptijs, qui tanto defunctorum primogenitorum tenebantur dolore, quòd videntes Hebræos recedere, non petebant ab eis vasa aurea, & argentea, quæ commodauerant.*
Exod. 12.
Incolæ Ægypti vnde diuitiarū contemptum dicerint.
Tostat.
Num. 33.

106. Primum Adæ post creationem describitur opus, quòd nomina cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli imposuerit, Genes. cap. 2. vers. 19. & post hæc, excipit illum somnus. Vt quid tam citò quieti indulgens? Fortasse lassauerat nimiùm vocabulorum, aut multitudo, aut distinctio; sed non erat ille status, qui fatigationem Magistro nominum afferret: quare nec laborasse quidem Tertullianus asserit; verùm & tanta properantia sopori traditum, vt nec cibos gustauerit adhuc; sed neque loquutum fuisse velit; quanquam id difficile, nisi per anticipationem narratum supponat, quòd nomina indiderit; At eius sententia est libro de anima, cap. 43. *Antè dormit, quàm laborauit, imò quàm edit, imò quàm profatus est.* Verùm, quæ huius in dormiendo festinantiæ occasio, vt non edat, non recreetur, non sermones habeat priùs? Profectò sic nonnunquam contingit, vt qui grauis alicuius negotij causa peregrè veniunt, quanquam amici importunè vrgeant, nolint tamen aut sedere, aut confabulari, aut escarum minimum quidpiam sumere, donec perficiant, quæ in mandatis habuêre:
Genes. 2.
Cur Adam priùs dormierit quàm quid aliud fecerit?

habuêre: Talis planè Dauid, cùm de se testatur Psal 131. Psalm. 131. nempe, vouisse votum Deo Iacob; *Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei. si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis; donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob:* Qui autem vident circunstantes tantam adhibere festinationem, tam celerem diligentiam, inde planè colligunt, rem esse summi ponderis, quando ne punctum temporis, vel alimoniæ, vel quieti, vel amicis conceditur; Necesse est igitur, vt magnum aliquid portendat dormitio Adæ, quando in hanc statim incumbitur, postposito & sermone, & nutrimento, & voluptate: Quale tandem sacramentum? Fuit quidem somnus ille mortis repræsentatio; nam vox Hebræa, quæ ab Interprete sopor translata est, *Tardemah*, תרדמה vltra simplicem somnum denotat, pro qua vertisse Aquilam καταφορὰν, Symmachum κάρον testatur Hieronymus in Hebraïcis quæstionibus, quibus dictionibus intelligitur somnus quidam profundus, grauis, & in lethargi similitudinem, vt nihil planè à mortuo distare sopitus videatur; Denique & Tertullianus vbi suprà: *Inde deducimur, mortis imaginem etiam iam tunc eum recensere*; Sed quare mortui imaginem expressam quoad fieri potuit tanta festinatione Adam induit? Equidem, vt vidimus, (nam ante soporem accidisse omninò arbitramur) Adam in ætherea, terrestriáque animantia principatum nactus imponendo eis nomina; dominorum enim hoc proprium est vocabula indere mancipiis, vt benè animaduersum à Pererio libro quinto in Genesim, ad versum 20. cap. 2. idem & futurus in Paradiso Rex, hominúmque vniuersorum caput; ad hæc internis donis singularibus affectus: ne igitur tanta bonorum copia, aut superbum, aut ingratum, aut contumacem redderet, mortis similitudine communiendus fuerat; nihil enim, quod sic frænet atque lethi cogitatio; nihil, quod abundantis fortunæ impetum ita coërceat, proinde, vt quàm charum haberet hominem Creator demonstraret, ipso statim felicitatis exordio, ne qua ex mora obreperet superbientis ardoris scintilla, tam saluari amuleto roborauit.

Pererio.

Sopore, velut mortis similitudine, in prosperis cõmunitus Adam.

107. Extractum de Sodoma iustum Lot Angelus propitiator hortabatur, vt in montem pergeret, ibi nullum incendiorum periculum, ibi in tuto habitare posse: difficilis visa ei hæc peregrinatio, proinde obtestatus, vt in paruam ex vicinis vrbibus ciuitatem vnam proficisci sineret; concessum ab Angelo, & direxit cursum in Segor Lot; At quare oppidum dilexit magis, quando aduersùs vrbes laxari diuinum furorem cerneret? Arbitror quidem exosum montis vastitatem atque eremum, in quo & necessaria ad victum, saltem ad commodam, placidámque vitam defutura essent; in ciuitate autem & colloquia, & amici, & domus benè instructa, & cupediæ, atque voluptates indulsit igitur carnis blandimentis aliquid iustus ille, atque idcircò apud Angelum importunus, nè in montem ablegaret, quanquam speciosoincolumitatis titulo latentem sui amorem obuelauit, dicens, propterea se postulare, quòd opportunior ad defensionem locus esset ciuitas: quo in facto mihi ex Cœnobitis imperfecti aliqui adumbrati videantur, qui cùm ex iis haberi cupiant, qui maximè nosse desiderent per Prælatos, quæ sit Dei voluntas; callidis tamen quibusdam integumentis ad id pertrahant Superiorem, quod ipsis in voto est; Sed falsò sibi blandiuntur de obedientium nomine: nam, quid tergiuersetur Lot montem conscendere, quando Angelus de cœlo ita expedite nunciet? Verùm tandem & Lot expertus Angeli potiora fuisse monita; nam Segore derelicta, collis excelsa petiit: Quæ mutandi propositi occasio? Certè viderat flammis consumi circuniacentes vrbes, appropinquare mortem; Itáne, ait, lethum in foribus est? Non est bonum nos hîc esse, in Segor nempe, scilicet loco delicioso & voluptatum; eamus ad secessum, qui pœnitentiæ sedes est, vbi Anachoretæ philosophantur; Igitur mortis terror continuò egit, vt voluptati, & blandioris vitæ commodis nuncium remitteret, & ad eremum transiret; Insigniter Ioachimus Abbas lib. 5. Concordiæ noui, & veteris Testamenti, cap 43. *Sed Lot saluatus in Segor, videns seueritatem iudicij omnipotentis Dei: licet extorserit potiùs, quàm obtinuerit à Domino prece sua, vt permitteretur manere in Segor, timuit tamen manere ibi: Sed sicut priùs Angeli præceperant, ascendit in montem: quia, quod modò homines durum putant, attendentes delicias Sodomæ, & Gomorrhæ, quibus nutriti sunt, & abhorrentes asperitates montium, vbi desunt deliciæ Sodomorum: in hora illa videntes omnia esse turbata, inueniri sibi loca quietis quamuis horrida, pro magnis delicijs computabunt.*

Obedientia ad sua vota pertrahens Superiorem suspecta.

Ioachim. Abb.

Libet & alium iustum deserti interiora petentem proferre; Vidit Elias Iezabelis iniustas iras, & dedignatus regnorum superbiam, quæ excandescit vel contra innocentes, noluit vlteriùs homines habere socios; elongauit igitur se, & mansit in solitudine; verùm perrexit tantùm iter vnius diei, Reg. 3. cap. 19. vers. 4. Visitauit mœrentem Angelus Domini, & pane, atque aquæ frigidæ calice consolatus est; bibit ille, & comedit, & *ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Horeb:* Cur tam longa peregrinatio? Vt quid eremo tam profundè absconditur? Puto, velit mundum penitùs deserere: nam certè, vt omnes, qui solitudinem petunt piè victuri, sæculum reliquisse intelligantur illi maximè tamen, qui homines longiùs fugerunt; Talis decebat Eliam fuga, quæ ab hominibus ferè diuelleret; non enim perfunctoriè Anachoreta dici volebat. Sed, cur non ab initio, & priusquàm Angelus alloquutus fuisset, exilia tam longa capessebat? Equidem ad primum solitudinis amorem incitauit infida Regum amicitia, quæ citò in iras conuertitur: stimulus sanè; verùm, qui ad sobriam eremi affectionem impulit; contentus nanque Propheta vnius diei itinere à populorum frequentia abesse: Ad secundum vitæ solitariæ propositum mouit subcineritius panis; vt vidit puluerem, mortis cogitatio animum altiùs perfodit: Siccine omnia tandem abitura sint? bustum atque cinis excipiet vniuersos? talis pompæ exitus? Gradere longiùs, Elia, parum adhuc discessisti à sæculo; valete opes; valete fastus; valete deliciæ: eamus, vbi nos ampliùs visus hominis non adspiciat, condamur spelunca; mitis excipiet nos mors, si de sæculo nihil apud nos repererit: ergo mortis certè consideratio Eliæ celeres plantas dedit, sæculum vt integrè contemneret, egit; Sanè de morte interpretatus panem illum, in cuius vigore ambulauit, Stephanus Anglicus apud Tilmannum: *Hic est* (inquit)

Subcineritius panis Eliæ datus mortis fuit repræsentatio.

108.

3. Reg. 19.

Steph. Angl.

panis ſubcineritius, qui datus eſt Eliæ, noſtræ, ſcilicet abiectionis memoria.

109. Stupeſcis tam efficacem fuiſſe de morte conceptum? Audi Iobum cap. 34. verſ. 15. *Deficiet omnis caro ſimul, & homo in cinerem reuertetur.* Quid eſt deficere omnem carnem, niſi hominem velut ſpiritalem omninò fieri; ita vt in eo nihil de carne & ſanguine dominetur? Gregorius libro 24. Moral. cap. 12. taliter exponit; *Simul enim omnis caro deficit, quando iam nullis ſuis motibus ſeruit; quia præſidens ſpiritus cuncta eius fluxa reſtringit, & quodam diſtrictionis ſuæ gladio omne, quod in illa malè viuebat, interficit.* O perfectionis ſupremum apicem, quando iam caro quodammodo nihil concupiſcit aduersùs ſpiritum! Sed eſt quod ſummè demiremur, hanc tam raram perfectionis gloriam quaſi vno momento adquiri. *Deficiet*, ait, *omnis caro ſimul*; hoc eſt, omnia carnalia vitia vno, eodémque tempore deficient; id enim eſt vnà, ſimúlque deficere: At quî id fieri valeat? Quodnam eſt tam propè diuinum pharmacum, quod variis animæ morbis vnà mederi valeat? Magnum antidotum caſtitas; ſed luxuriam tollit: magnam largitas; ſed auaritiam vincit: magnum abſtinentia; ſed gulam frangit: ita quæque virtus ſuum contenta ſuperare hoſtem; Verùm neque hoc ipſum multis menſibus, non annis etiam peragitur, tantùm abeſt puncto & momento fiat extinctis ſimul omnibus concupiſcentiis: quomodo igitur Iobus adſtruat defeciſſe ſimul omnem carnem? Nónne intueris, quid ſtatim adiungat? *Et homo in cinerem reuertetur: Et reuertantur in cinerem* (ait Gregorius vbi ſuprà) *id eſt, humilientur ex infirma conditione propter hunc puluerem, ad cuius memoriam qui ſeipſos conſiderant, reuocantur.* Ergo ſanè vrnæ & cineris conſideratio tam efficax eſt, vt quod aliarum virtutum exercitamenta longo perficiant interuallo, & ſuccedentibus ſibi triumphis, nunc vincente manſuetudine, mox continentia, deinceps paupertate, aut obedientia; illa breuiſſimo interuallo ad exitum pertrahat: Sic ambulabat paulatim, vt nuper videbamus, Elias; nimirum itinere vnius diei tantùm, donec in pane ſubcineritio ſepulcri puluerem conſiderauit: tum certè graditur diebus quadraginta, totidémque noctibus. O veloces mortis ſtimulos! quàm pigrum animal, ſi talis aculei punctiones non ſentiat?

Mortis meditatio omnium virtutum in ſe cõpendium includit.

110. Putáſne & bruta ipſa morte non corrigantur? Cur in Noënam arcam bina tantùm ex omni animantium genere ingreſſa, maſculus, & femina? Geneſ. cap. 7. verſ. 14. Num monogamia irrationalibus præſcripta? Si plures habere vxores (ita loquamur) innoxium eſt, quod nunc eſt odium thori, & concubitus paſtui deditis viuentibus, quibus nihil æternum præparatum eſt? Sed vident ſæuire mortem, extingui & ferarum & hominum naturam, in occaſum vergere vniuerſa: Ad tantum funus non paueſcerent vel Armeni tigres, vel Africani leones, non libidini frænum ponerent contenti femina, quæ ſufficeret, ſpeciem conſeruare? Tum quando per ſaltus & montes liberè vagabantur, hinnirent quidem bruto more ad omnem feminam adſpectam: at nunc, cùm intertitus omnia vaſtat, opus eſt modeſtiæ ſpecimen dare, & parcè vxorios eſſe: ſic & pecudes etiam quaſi mors coërcet quidem. Tertullianus de monogamia, cap. 4. *Ex omnibus*, inquit, *beſtijs, ex omni carne, duo induces in Arcam, vt viuant tecum: maſculus & femina erunt: De animalibus volatilibus ſecundùm genus, & de omnibus ſerpentibus terræ ſecundùm genus ipſorum, duo ex omnibus introibunt ad te, maſculus, & femina: eadem forma & ſeptena ex binis adlegi mandat, ex maſculo, & femina, vno & vna: Quid amplius dicam? Immundis quoque alitibus, cum binis feminis introire non licuit.*

Geneſ 7.

Etiam bruta mortis inuitu corrigantur. Tertull.

111. Iturus ad pugnam Chriſtus, quibus inſtruerentur armis, qui certaminis futuri eſſent ſocij, docuit Matth. cap. 16. verſ. 24. *Si quis* (inquit) *vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me:* Nouum caſtrorum genus; nemò Imperatorum taliter ad congreſſum inſtructus: Chryſoſtomus oratione de adoratione ſanctæ Crucis, ad finem tomi tertij: *Vides, quemadmodum eum militem, qui ipſum ſequitur, Rex cœlorum armauit? non ſcutum dedit, non galeam, non ſagittam, non thoracem, non ocreas, non quidpiam aliud eiuſdem generis: ſed quod his omnibus eſt fortius præſidium, quod à Cruce proficiſcitur: ſignum victoriæ quæ contra Dæmonia parta eſt.* Sed, quamobrem vocat crucem, quod nec ferro, nec cuſpide munitur præſidium fortius omnibus illis, quæ recenſuerat armis? Equidem periti bellatoris eſt, iis legionem roborare adminiculis, quæ maximè ſuperandis hoſtibus, vſui futura ſint: At verò quibuſcum dimicaturus Chriſtus, atque eius centuriæ? Sanè aduersùs poteſtates tenebrarum harum, contra Rectores mundi huius, quæ ſunt ſpiritales nequitiæ: Dicebat ſæpè relinquendam eſſe mammomam iniquitatis, deſerendas opes, contemnendos filios, ſodales, germanos, patrem inſuper, atque matrem; hæc, quæ in vita chariora ſunt, vti mortales deſpicerent, crucem ſuam ſubleuare mandat; nimirum, quoties in ferale ſignum reſpicerent, quod humeros grauaret, toties mors oculis obiectaretur: crux enim ad quid niſi ad ſuſpendium? quotidie igitur crucifigendi, quotidie morituri: Quòd ſi ſanè quotidie in mortis contemplationem intendant, facilè conſequentur, vt non tantùm humana omnia quantuncunque ſpecioſa & allicientia deſpiciant; verùm & ſeipſos quoque abnegent. Chryſoſtomus vbi ſuprà: *Quid autem vult ſibi hoc verbum: Tollat crucem ſuam, & me ſequatur? An, vt lignum vnuſquiſque noſtrùm ferat? Certè non: quæ enim hæc eſt virtus? Sed, vt ad pericula inſtructi ſimus, & ſanguinem in animis noſtris circunferentes, ad cædem, & mortem quotidie parati, ita omnia faciamus, vt ſi ad veſperam nos victuros eſſe non ſperaremus, quaſi planè morientes, id, quod etiam Apoſtolus Paulus dicebat: Quotidie morior.* Ergo è cœlis delapſus Seruator, vt perſuaderet hominibus relinquendum eſſe ſæculum, calcandas voluptates, abnegandam præter extrinſeca illa, & propriam quoque voluntatem, ſpem omnem tam difficilis victoriæ in vna cruce quaſi poſuiſſe viſus; nempe, in mortis, exitúſque noſtri conſideratione.

Matth. 16.

Chryſoſt.

Sic viuere debemus quaſi quotidie morituri.

112. Adoleſcens ille porcorum vigil ad genitorem reuerſus: *Fac me* (inquit) *ſicut vnum de mercenarijs tuis.* Luc. cap. 15. verſ. 19. Cur non aut in filiorum, aut ſaltem in clientum numerum adſcribi tentat? Æ depol, filij in domo paterna ſtabiles & permanſuri ſunt; quare & ſenex in hac ipſa parabola ad maiorem natu ex duobus: *Fili tu ſemper mecum es:* Serui etiam, præſertim qui ex clientela, & honeſtiori famulitio ſunt, ad

Luc. 15.

longum

longum durant, & in omnem ſanè vitam, niſi fortè oboriatur aliqua tempeſtas magnæ dominorum iræ: Ac mercenarij, in diem, in hebdomadam, in menſem, &, vt velis producere, in annum conducuntur: Chryſologus ſerm. 2. de duobus filiis, cauſam tangens, ob quam mercenarius fieri vellet iuuenis pœnitens, *Vt locatione annua* (ait) *ſeruitus innouetur:* Ergóne certè gnatus ad annum ſolùm apud genitorem permanere deſtinet? Conſidera adoleſcentis mirabilem ſolertiam: perpendit tragœdiarum tantarum, quas perpeſſus ſit, & deplorati animæ ſtatus, occaſionem fuiſſe paternæ opulentiæ vbertatem: ſed quòd his peſſimè abuſus ſit, incitamentum fuiſſe, quoniam ſecurus ne quando à genitore domo propelleretur, gnatus ſiquidem, & viſcera parentis: hæc igitur in præcipitium miſerunt: iam itaque alius longè ab antiquo illo diuerſus futurus, quando regreſſum meditatur, vias cogitat, quibus proſperitas nocere in poſterum non valeat: placuit mercenarium eſſe; quamobrem? nempe, vt reſolutionis ſuæ tempus ante oculos ſemper haberet; nam, ſi mercenarius, ad annum tantùm apud genitorem futurus; *Nam locatione annua ſeruitus innouatur*, vt dicebat Chryſologus; igitur in annum vt differatur manſionis ſpatium perſeueraturus ſolùm, num voluptati indulgebit? num per libidines iturus ſit? Apage à viro ſenſato tam ſupinam amentiam! Pulchrè igitur non niſi mercenarius eſſe voluit, breuis ſeruitutis memoria calcaturus indifficulter ſæculi pompam, quæ tam fugitiua ſit, quæ tam volucris.

Chryſol.

Filij iunioris de numero mercenariorum eſſe optantis, mirabilis ſolertia.

113. Aberat Moyſes, & interim populus Iſraël vitulini capitis factus eſt adorator: deſcendit è monte Legiſlator, & ſtomachatus perfidiam enormem vulgi dementis, proiecit ad radicem montis, quas ferebat, tabulas; *Arripiénſque vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Iſraël.* Exod. cap. 32. verſ. 20. Quid agit Moyſes? ſibine omninò conſtans? nam, quid magis optent idololatræ, quàm Deum ſuum, aut manducare, aut bibere? nam certè apud Iobum famulorum ſummum amoris affectum teſtantium vox illa eſt cap. 31. verſ. 31. *Quis det de carnibus eius vt ſaturemur?* Quæ ad verba Chryſoſtomus Græca catena: *Ardenti enim illius amore flagrabant, ijs ſignificationibus, quæ ipſis ab illo dabantur, excitati: ſic, inquit, à me ipſi apti erant, atque pendebant: ſic me auidè complectebantur: ita mihi dediti erant, & affixi, ita me oculis ferebant, vt vel carnibus meis expleri cuperent, ipſos meos artus abſorbere, ac deuorare præoptantes; tanto erga me ſtudio, atque amore erant incenſi:* Cùm igitur amantes nihil magis optent, quàm in ſua viſcera conuertere dilectum, idololatris rem gratiſſimam fecerit Moyſes, dum liquant eum, quem ardenter depereunt, vitulinum Deum: an non meliùs, ſi in maris profundum, in voraginem aliquam, & terræ immanem hiatum coniecisſet? Verùm pro Moyſe Auguſtinus in Pſalm. 73. *O ira prophetica & animus non turbatus, ſed illuminatus! Quid egit? Mitte in ignem, vt forma ipſa prius confundatur; minutatim comminue, vt paulatim conſumatur:* Equidem homines miſeri in tantum aliquando & opes, & voluptates dilexêre, vt non ſint veriti diuinos illis honores tribuere, è quorum numero, de quibus Paulus Philip. cap. 3. verſ. 19. *Quorum Deus venter eſt.* De qua etiam turba hi ſtupidiſſimi Iſraëlitæ, qui armillis & inauribus ſuis genua quaſi Numini flexerint: quonam igitur modo tam enormi ignorantia liberaturus ſit Moyſes? quomodo perſuaſurus diuinum nihil ineſſe maſſæ auri, quæ de fornace prodiit? Equidem, in puluerem conuertat; nam ſtatim vt conſpexerint in cineres abire, mortis ſubiacere imperiis, deponent continuò errorem, & verecundabuntur coluiſſe tam fragilem Diuinitatem. O huc, adoratores voluptatum, opum, honorum! credite diuinum nihil ineſſe rebus, quarum exitus puluis, quæ in cinerem redeunt. Piè igitur Creator, vt Ægyptiorum mores ſanaret, ne luxu & voluptatibus diffluerent, lethi quotannis metu perculit, dum Nilus excreſcit, & mortem habitatoribus intentat illuuione ſua.

Exod. 32.

Iob 31.

Chryſoſt.

Auguſt.

Nihil diuinũ in rebus quarum exitus puluis & cinis

Philip. 3.

SECTIO XII.

Peccando, hominem quaſi in brutum degenerare; antiqua lineamenta velut amittere.

PEtſpeximus, quantâ Deorum ſarcinâ Gentilitas oppreſſa fuerit, vt vix quidpiam eſſet in natura, ſuum quod non ſpecialem genium ſortiretur: eò dementiæ proceſſum eſt, vt Numinibus, quæ ſolis atriorum valuis præſiderent, vix numerus circunſcribi poſſit: nam & aliud limen, & aliud poſtes, & aliud cardines, & aliud tabulata: Graviter pronunciatum à Lactantio lib. 1. de falſa religione, c. 18. *Equidem ſtatuere non poſſum, dolendúmne potiùs, an ridendum putem, cùm videam, & graues, & doctos, & (vt ſibi videntur) ſapientes viros, in tam miſerandis errorum fluctibus volutari:* Sed fuerit ita, vt Heroës in Deorum Senatum retulerint, à quibus maxima bona acceperit genus humanum, vt putà, ob monſtra edomita Herculem, ob fruges inuentas Cererem, ob repertam medicinam Æſculapium, atque ob multarum artium initia plurimos alios: quid eſt, quòd hos Diuos ſuos ſub deformi beſtiarũ vultu adorauerint, cùm hunc leo repræſentaret, illum ſerpens, iſtum caper, alterum piſcis, nonnullum ſcarabæus, aut muſca? Equidem vt erant homines vitiis immerſi, in Olympum peccatores tranſuexêre, detruſis ad Inferos, qui temperati & modeſti habebantur; ita Tartarum occupât Socrates, Diogenes, Ariſtides, Plato, Demoſthenes; cœlum poſſidet ſcortarius Iupiter, ebrius Dionyſius, mœcha Venus, & his ſimilia portenta. Quid ad hoc impulerit? Latens fortaſſe Numinis prouidentia, vt ſignificaret non ſolùm Deorum nominibus indignos, ſed nec vt homines dicerentur promeritos, quando peccando Dei characterem, ad cuius imaginem conditi ſint, ſic deformauerint, vt in beſtias tranſiiſſe viderentur: eſt enim peccati effectus, penè abolere rationis veſtigia, & homines quodammodo in pecora lugenda metamorphoſi tranſmutare.

114.

Lactantius.

Dij gentium cur ſub beſtiarũ vultu honorati?

Antequàm ad Patrem aſcenderet Chriſtus, diſcipulis amplam copiam fecit, vt nationibus, quæ in vmbra mortis peccati erant, verbum vitæ annunciarent: atque vt conſtaret, quo id iure faceret; *Data eſt mihi* (inquit) *omnis poteſtas in cœlo, & in terra, Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

115.

Matth. 28. Matth. cap. 28. vers. 19. Sed quam potestatem accepit Christus post anastasim, quam non haberet, priusquàm surgeret à mortuis? Siue enim in quantum Deus habens auctoritatem; siue in quantum homo propter vnionem cum diuinitate; hæc omnia longè anteà præcesserant. Sanè bina dominiorum genera in Deo considerare valeamus: vnum quasi independens à creatura; & hoc exercet in agentia, quæ ex ingenita conditione necessariò operantur, qualia insensibilia, & irrationalia omnia; his tanquam mancipiis, & in quibus nec ingenuitatis, aut nobilioris eminentiæ quidpiam, imperat absolutus, & despoticus Rector: alterum, cum dependentia à creatura, qualis est oblatio spontanea per vota, per consilia euangelica, per religiosum nexum, per fidei Christianæ, & mysteriorum eius amplexum; nam, quanquam cor hominis in manu Dei sit, & quocunque velit illud flectere possit, dando auxilia congrua, quibuscum videat infallibiliter esse operaturum; sed tamen sic consentit homo, vt dissentire valeat, nihilque est ex parte actus primi naturæ prioritatem constituentis, quod ad vnum, vel physicè, vel moraliter determinet; Itaque homo se liberè, & vltroneè Deo subdit, & ratione spontaneæ humanæ oblationis Deus nouum potestatis titulum adquirit contra hominem, qui deinceps obligatur, quod per votum pollicitus est, adimplere; quanquam vt voueret, liberè omittere potuit: Hæc autem potestatis ratio solam rationalem creaturam comprehendit, quoniam hæc sola arbitrij vsu fungitur. Quando igitur Christus asserit, sibi nouam datam potestatem, de secunda hac loquitur, quam vtique accepturus erat properè (nam id quod citò fit, velut iam factum reputatur nonnunquam in Scriptura, de quo Sanctius ad cap. 9. Amos, num. 5.) per gentilitatis conuersionem, vti per Dauidem Genitor promisit Psal. 2. vers. 8. *Dabo tibi gentes, hæreditatem tuam; & possessionem tuam, terminos terræ:* Igitur, inquis, antequàm Christo subiicerentur nationes per Apostolorum prædicationem, non habebat eam potestatem, quæ ad rationalem creaturam singulariter spectare videatur? Sed hoc quamobrem verum censeatur? nam tunc etiam mundus plenus hominibus erat, atque inter hos Philosophi & sapientes multi, quorum cùm esset Christus, siue quà Deus præcisè, siue quà homo Deus quoque ob vnionem hypostaticam Dominus, rationalium vtique Monarcha erat. Fateor quidem homines tunc extitisse: sed quæ lineamenta haberent, non homines spiritaliter essent: nam, cùm peccatorum sordibus fœdati essent, in brutorum numerum transierunt ob morum improbitatem. Quasi igitur bruta æstimauit ventri, & concupiscentiæ omninò deditos ferarum in normam, ac proinde tunc solùm accepisse in eos potestatem asserit, quando per fidem conuersi sunt ad veritatis agnitionem; quoniam tunc derelictâ brutorum vitâ, inceperunt rationales videri, id est, sobrij, modesti, continentes: Anselmi Commentarius in præfata Matthæi verba; *Constat, quia hoc non de coæterna. Patri diuinitate, sed de assumpta humanitate loquitur, in qua minor Angelis primùm, resurgendo à mortuis, superpositus est omnibus creaturis: & nota, quia angelicæ virtutes, priusquàm etiam à morte resurgeret Christus, homini, quem à suo Conditore specialiter assumptum esse videbatur, se iure subditas cognouerant: sed in terra cæci cæteri homines, eius virtutem etiam in miraculis intelligere contemnebant: Volens ergo sicut in cœlo, ita & in terra notam fieri potentiam suam, ait; Data est mihi omnis potestas,* &c.

Auxilij efficacis modus.

Regula: Citò faciendũ pro facto reputatur. Sanchez.

Anselmus.

116. Postquàm Adam è Paradiso eiectus est, leo, vrsus, tigris, panthera, cæteráque ferarum genera continuò amicitias negarunt, cùm anteà multa familiaritas extitisset, & ad leuem vocis sonitum promptâ obsequerentur, nulli capitaliores hostes in posterum, ita vt perpetuas excubias Adamum agere oporteret: Vnde hoc? Dicam libens: Vidisti aliquando domesticum molossum ferocientem aduersùs peregrè venientes, plenum terroris atque formidinis sæuæ animal? simul ac tamen herus accedit, deponit iras, blanditur, atque agno mitior est; Contigit ob causam aliquam dominum faciem larua abscondere, ementitos induere vultus, exuit & vestem notam, fitque alius prorsus; in hunc excandescit non minùs, quàm in alienos molossus vulnera inflicturus, si non ablata larua prodirent antiqua lineamenta: non cani indignatur herus, non verberibus, non conuiciis afficit, plùs amaturus deinceps, vt qui videat tam atrocem in exteros, qui ne domino ipsi parcat sub peregrina similitudine: Igitur, quoniam Protoplastus delinquendo amisit antiquas faciei notas, in bestiam conuersus, factus nempe iumentis insipientibus similis, idcircò animantia quasi in extraneum, quémque ignorabant, insultabant: reuerebantur, donec imaginem Dei, secundùm quam conditus est, retinebat; oderant mox, vt in iumentorum transire sortem viderant: Graui oratione Chrysostomus tom. 1. enarratione in Psalmum tertium: *Vide enim Adam, cùm nondum peccasset bestias tanquam seruos, & obedientes habentem, & eis tanquam seruis, nomina imponentem: postquàm autem aspectum peccato commaculauit, & tunc bestiæ eum non cognoscebant, & quæ seruæ erant, ei hostes euaserant; & quemadmodum canis, qui in domo est, ei seruit, qui eum alit, & cum timet, ac reuereretur; sed si eum repentè viderit vultu fuligine atrato, vel personatum, aggreditur tanquam alienum, & cogitat dilacerare: ita etiam Adam, quandiu purum seruauit vultum ad imaginem Dei, bestiæ ei tanquam seruæ parebant, quòmodo autem vultum fœdauit inobedientia, non agnoscentes dominum, tanquam alienum eum odio habebant.*

In hominem peccato maculatũ insurgunt bestiæ quia iam eũ nõ agnoscũt.

Chrysost.

117. Atque hinc intellecturus sis, quorsum Deus non contentus iis, quæ sibi confecerant vestimenta primi homines de foliis ficulneæ, emendauit habitus formam, pelliceas submini strans tunicas, Genes. cap. 3. vers. 21. nam æstimabat Creator ab antiquo Triadis sigillo degenerasse, & in bestiarum transiisse peccando sortem: quoniam igitur bruta per delictum facta fuissent, æquum arbitratus est, ne nouam creationem dissimularent, sed ferrent insignia eius, quam dilexerant, naturæ belluinæ; atque cùm animantia pellibus muniantur, præcepit, vt homo in feram commutatus, pellibus quoque tegeretur: Venustissimè Arnoldus Carnotensis tractatu de opere sex dierum, Adam pelliceum contemplatus: *Pro Diuinitatis amictu* (inquit) *morticiniorum spoliis inuolutus, in illius paludamenti gestamine, intelligebat pellem suam pelli belluinæ consimilem, imò pellibus nudo corpori superinductis, homo bestia videbatur; & omninò conuenientissimè aptatum est extrà hominibus, quod intùs erat in moribus:* Verùm obiicias, docuisse nos nuperrimè, feras propterea aduersùs

Genes. 3.

Adã per peccatũ in ferã mutatus pellibus tegitur.

Arnold. Carnot.

sùs hominem consurrexisse, quoniam sub peregrinis lineamentis contuebantur: at, si brutales vultus induerat, non erat extranea bestiis talis figura; neque erat, cur persequerentur, imò potiùs gaudere debuerant, nouam speciem ad suum aggregari genus: Sed sanè hoc mirabile est, vt cùm suum augeri numerum quæque creatura optare videatur, tamen malè ferant bruta hominem ab auita degenerare gloria. O homo, contuere, quoniam non Deus, non Angeli solùm tibi aduersantur propter belluinos mores; sed illæ ipse saltuum & camporum feræ, quæ lætitia affici quodammodo debuerant ob auctam naturam suam, ægrè ferunt, & calcibus, atque morsu abigunt! O rem mirabilem! bruta pædagogi hominis fiunt, & vapulat ob belluinos mores in schola irrationali! homo tolerat in republica intellectuali, ad quæ animantia, quæ obscœnitatis cœno volutantur, indignantur!

118. Fratricida ille, postquàm odium & dolorem concepit, quoniam respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, vultum cœlo dimouit, proinde ad eum Dominus: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua?* Genes. cap. 4. vers. 6. Verùm, quamobrem in terram defixus Caïn, ad Olympum non prospectans? num ob nimiam tristitiam, quòd iunior prælatus fuisset germanus? aut certè indignatione erga Creatorem, qui prætulisset, vt qui non ab ipso solùm vultus auerteret, quasi à declarato hoste? sed à loco, quem specialiter inhabitaret? Mœrori tribuit Caietanus, cuius effectus est à cœlo retrahere, ad terram conuertere hominem; *In demissione vultus* (ait) *tanquam non audentis respicere in cœlum, tristitia significatur.* Æstimo aliud insinuari: brutorum nanque proprium est, oculos, vultúmque omnem in terram defixos habere: hominis principis animantis est, lumina ad ætherem attollere; Notissimi sunt Poëtæ versus ex primo Metamorph.

Pronáque cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlúmque videre
Jussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Genes. 4. Caïet. Caïn vt sæua bellua, vultū in terrā deprimit, & in deserta relegatur. Ouid.

119. Quoniam igitur per iracundiæ, atque liuoris peccatum Caïn ex homine in brutum transierat, idcircò deinceps, quod brutorum proprium erat, os, atque lumina ad terram conuertebat: Est & altera huiusce rei confirmatio eodem Geneseos 4. capite: nam maledictionis incussæ pars vers. 12. *Vagus, & profugus eris super terram.* atque vers. 16. *Egressúsque Caïn à facie Domini habitauit profugus in terra ad orientalem plagam.* Cur deserti incola factus? Velitne anachoreticam vitam ducere, crudelitatis pœnitentiam facturus? Vtinam talis mens fuisset obduratæ crudelitatis. An hominum consortio indignus iudicatus consumptor generis humani? Num verò potiùs, quoniam per scelera multa brutis peior factus sit, deinceps ablegatus in nemora & saltus, vt ferarum more viueret in spelæis, in vastitate, atque eremo? Sic innuisse visus Ambrosius lib. 2. de Caïn, & Abel, cap. 10. *Repulit enim eum à facie, & à parentibus abdicatum, separata habitationis quodam relegauit exilio, eò quòd ab humana mansuetudine transisset ad sæuitiam bestiarum.*

Genes. 4. Ambr.

120. Pollicitus Isaïas exordio Vaticinij narrare, quæ viderit super Iudam, & Ierusalem, & statim quasi spiritus impetu ad longè diuersa raptatus, omisso Israële, atque Iuda, elementa duo cœlum, atque terram alloquitur: *Audite* (inquit) *cœli; atque auribus percipe, terra: quoniam Dominus locutus est.* cap. 1. vers. 2. Sanè ad ingratos diuinæ legis præuaricatores dirigebatur sermo prophetalis: animaduertit autem Vates, homines iniquos, quos alloqui volebat, rationalem imaginem exuisse, & brutis, quin & rebus inanimatis insensibiliores factos, ipsis elementis stupidiores euasisse: quando igitur cum aliquibus loquendum esset, déque insensatis, putauit hominibus minùs rudes auditores cœlum, & terram; adeò omnem sensum ingenij, peccatum quasi oblitterasse visum: Fauet apertè Chrysostomus tom. 5. homil. 3. de Pœnitentia: *Procedat igitur in medium eximius ille spectator Seraphin Isaïas: quid hic dicat, percunctemur? Visio, quam vidit Isaïas aduersùs Iudæam, & aduersùs Jerusalem: Dic visionem, quam vidisti: mihi eam edissere? Audi, cœlum; & auribus percipe terra: quia Dominus locutus est. Alia denunciasti, & alia dicis. Quænam denunciauit alia? Exorsus sermonem dixisti: Visio aduersùs Iudæam, & aduersùs Hierusalem, & omissis Iudæa, & Ierusalem, verbum conseris cum cœlo, & ad terram deflexo sermone, homines posthabuisti rationis alioqui participes, differens cum elementis nulla ratione præditis, quandoquidem homines brutis ipsis ratione vacantibus minus vtebantur ductu rationis.*

Homines impy elementis stupidiores. Chrysost.

121. Delicta hominum puniturus Deus generali vltione, quamobrem maria superinduxit orbi, & non magis aut fame, aut ignibus, aut morbis deleuit genus mortale? Cur verò saltem excelsorum montium non aquæ effugerunt vim cacumina, quò vestigia aliqua manerent telluris antiquæ? Fallor, si non intenderit Numen, vt figuram veterem terra penitùs amitteret, alioquin haud tanto studio laborasset, vt nihil fuisset, quod non operirent vndæ. Sed quare vultus mutatura sit gleba? Sanè omnium ferè prouinciarum vsu sancitum, vt si quis crimine læsæ maiestatis notatus reperiatur; nempe, qui in Monarchæ caput coniurauit; non solùm ipse de medio, mortis atrocissimo genere, tollatur; sed & ruinam atque interitum patiatur domus antiqua auorum, in qua & ipse, & progenitores in lucem editi sint, quæ proinde stirpis totius quasi parens communis sit: itaque & in lares auitos transit vltio: Iam verò inter omnia elementa, tellus vna est, quæ sit mater antiqua hominum, quæ nascentes excipit, quæ fouet, atque nutrit: Igitur & quam merebatur homo pœnam, quòd in diuinam maiestatem peccando iniurius extitisset, in hanc transitura erat: At verò homini contigit ob delictum pristina spoliari imagine: nam, cùm in honore esset, vt aliàs monuimus, scilicet, diuinæ Triadis signaculum, comparatus est iumentis insipientibus, & factus eis similis; terræ ergo accidere debuit, vt & ipsa mutaret figuram: fuit itaque ista occasio consumendi genus humanum, non fame, non ignibus, non contagio, sed vorticibus; quò tellus his omni ex parte absorpta, lineamenta genuina perderet, ob domini, videlicet, hominis perfidiam erga Creatorem. Rupertus lib. 4. in Gen. c. 28. *Nam propter homines diluuium induxi super terram, & illa, quia repleta est iniquitate eorum, penè fuit cum ipsis deleta, suámque amisit formam, dum aquæ obtinuerunt eam: at illa nihil peccauerat.* Benè positum à Ruperto: *Suámque amisit formam, dum aquæ obtinuerunt eam.* nam hac pœna afflictata est, quoniam etsi non deliquerat ipsa; erat tamen domus auita hominis, qui offenderat.

Rupert. Terra propter perfidiā hominis suā formā per diluuiū amisit.

122. Filij iunioris dum reditum ad genitorem de-

scribit

Luc. 15. ſcribit Lucas: *In ſe* (ait) *reuerſus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus?* cap. 15. verſ. 17. Profectò, qui in ſe reuerſus, & abierat à ſe: Sed quo more? Fortaſſe tanta iniquitatum ſuarum pœnitentia ductus, vt præ magnitudine doloris in animi conſternationem, & deliquium abierit; Reuerſus igitur in ſe, quando ſpiritum iterum recuperauit? Nunquid iſtud ſignificarit Patris ſermo aſſerentis: *Quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus eſt.* verſ. 32. O ſanctum à ſemetipſo diſceſſum! Quis mihi tribuat, vt ſic moriar tecum, feliciſſimè adoleſcens? Non miror, qui ſe conuertitur, quòd pater excipiat eum lætus, deoſculans, quòd nullam imponat rigidiorem ſatisfactionem; verè dimiſſa ſunt huic iuueni peccata multa, quoniam dilexit multùm: An tamen in ſe reuerſus, quoniam dolendo recuperauit formam, quam peccata abſtulerant? Ergo quaſi alter Nabuchodonoſor in feram conuerſus eſt vir iſte? Sed, qualis beſtia euaſit? Porcus, nimirum, qui cupiebat ventrem ſuum implere de ſiliquis? hoc nanque porcinum eſt: Verùm, quam velitis, beſtiam faciatis: tantummodo ſtatuatis, humanam exuiſſe formam, & inter irrationalia recenſitum, donec à patre aberat? Si nimiùm dixiſſe videamur, præſtabit fidem Chryſologus ſerm. 2. de duobus filiis; *In ſe antè redit, vt rediret ad patrem; qui à ſe anteà receſſerat, cùm receſſit à patre: à ſe migrat, & ab homine totus tranſit in beſtiam, paternæ pietatis immemor:* Et animaduerte, vt nemo à patre recedat, quin à ſe quoque abeat, ſaltem amor proprius manere apud patrem cogat, quando ſi non apud patrem maneat, nec apud ſeipſum manere valeat.

Chryſol.

Qui à Deo recedit, à ſeipſo excedit.

123. Iuſſus Abraham de terra, & cognatione ſua egredi, dêque paterno atrio, *tulit Sarai vxorem ſuam, & Lot filium fratris ſui, vniuerſámque ſubſtantiam, quam poſſederant, & animas, quas fecerant in Haran.* Geneſ. cap. 12. verſ. 3. At, quæ animæ ſunt iſtæ? Sed & eas quomodo facere potuiſſent, quæ virtute creatiua, Dei propria, producuntur? Percipiamus, quid Abulenſis de controuerſia ſentiat quæſt. 22. ad finem; *Vel dicuntur animæ, quas fecerunt, id eſt, homines, quos ad cultum veri Dei in Haran conuerterunt: quia docentes, vel conuertentes alios, facere eos dicuntur, & gignere eos: ſic enim dicit Apoſtolus ad Galat. cap. 4. Filioli mei, quos ego parturio, donec formetur in vobis Chriſtus; Et fortè iſta ſententia eſt melior; ſcilicet, quòd illi, quos conuerterant in Haran, ſequuti ſunt eos venientes in terram Chanaan, vt magis ab eis erudirentur, & ne in terra illa idololatrarum manentes, rurſus ad idololatriam verterentur:* Solet ex arcani ſermonis vſu,) nec reſpuit idipſum profana litteratura) is, qui aliquid, aut dirutum reſtaurauit, aut tenuiter & obſcurè inceptum amplificauit, auctor eius abſolutè vocari, & conditor nominari: Abraham verò animas illas antiquo nitori, quem ſi non homo lapſus fuiſſet, per gratiam habituræ erant, reſtituit; idcircò animas illas creaſſe dicitur: At, quando, inquias, veterem, genuinámque formam deperdiderunt? Nempe, cùm peccarunt, & Numen ſceleribus ad iracundiam concitauerunt: per Abraham autem conuerſi, quemadmodum filius prodigus, de quo paulò antè, in ſe reuerſi, & priſtina donati ſunt pulchritudine: ille igitur ſic reædificans, quod collapſum erat, Auctor animarum, & earum Creator ſimpliciter dictus eſt, cùm tamen ſolùm redintegrauerit oblitteratum characterem numiſmatis Dei, adeóque Trinitatis totius forma inſcripti.

Geneſ. 12.

Abul.

Animas feciſſe dicitur Abraham, quòd eas ad imaginem Dei reſtituerit.

Irriſit patri, venerando Noë, filius indiſciplinatus; 124. euigilans ſenex maledixit inuerecundæ proli aſſerens: *Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Geneſ. cap. 9 verſ. 25. Sed, cur non alio vulnere afflixit, breuis vitæ, pauperis, morbis concuſſæ, potiùs quàm ſeruitutis? Conſidera ante hoc, homini aduersùs eiuſdem naturæ creaturas, pariſque dignitatis ſecundùm creationem, alios videlicet homines, non fuiſſe conceſſam poteſtatem: itaque brutorum ſolùm erat famulari intellectuali creaturæ, quare Adamo dictum ab exordio: *Vt præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, omnique reptili, quod mouetur in terra.* Geneſ. cap. 1. verſ. 26. atque poſt diluuium iis, qui ſecundi orbis propagatores futuri erant: *Et terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli, cum vniuerſis, quæ mouentur ſuper terram, omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt.* Geneſ. cap. 9. v 2. vbi nihil de auctoritate in hominem, vt qui ſeruus futurus eſſet; Quæ verba expendens Gregorius Romanus lib. 21. Moral. cap. 11. *Terror* (inquit) *ac tremor veſter ſit ſuper cuncta animalia. Non ait, ſit ſuper homines, qui futuri ſunt? ſed ſuper cuncta animalia terræ; homo quippe animalibus, non autem cæteris hominibus natura prælatus eſt:* Quando igitur ſeruituti bruta animantia addicebantur, & hoc eorum proprium; ſignificaturus Noë, qualiter peccando filius eius in brutorum ordinem tranſierat, & hominis dignitatem, quanquam manerent externæ oris notæ, amiſiſſet, ſeruum eum denunciauit; neque certè vtcunque mancipium, ſed viliſſimum omnium? nam id conduplicatio vocabuli, *ſeruus ſeruorum*, denotat; ſicut & Canticum Canticorum, eſt quod in metris ſuperexcellit reliquis; quo percipiamus, hominem ſi ſemel in brutum tranſeat, non qualitercunque beſtiam euadere, ſed ſtupidiſſimis rudiorem etiamnum, ſic enim contingit, vt qui ex eminenti gradu lapſi ſunt, omnium ſceleſtiſſimi, teterrimi euadant, & fiat in vitiis Coryphæus, qui erat in bono Anteſignanus: Verùm, vt propter peccatum veteri humanæ naturæ conceſſa nobilitate ſpoliatus Chanaan, atque ideò inter bruta, quibus id genuinum erat, relatus, audiamus Chryſoſtomum confirmantem hom. 29. ſic nanque illum interpretor, cùm planè teſtetur, ſeruitutis inchoamentum tunc fuiſſe, vt quæ in eum diem brutis conuenerit tantùm; Sed eius oratio talis: *Ecce enim fratrem, eadem natum puerpera, eodem egreſſum vtero, vt ſibi vindicauit peccatum, ſeruum fecit, & ablata libertate, ſubiectionem illi iniunxit; vnde poſteà ſeruitus ſumpſit originem: neque enim ſolebant ita molliter agere, deliciari, & aliorum miniſteriis indigere, ſed ſibiipſis miniſtrabant quique: erátque par omnium honor, & ablata è medio omnis honorum diuerſitas; peccatum autem vbi intrauit, libertatem perdidit, & corrupit poteſtatem naturæ datam, ſeruitutémque introduxit, vt continua ſit doctrix, & admonitrix humanæ naturæ, vt fugiamus ſeruitutem peccati, & ad virtutis libertatem redeamus; Cogitet itaque ſeruus, ideò ſeruitutem incepiſſe, quia Cham in tantam peruenerat temeritatem; & dominus quoque cogitet, quòd non aliunde ſubiectio, & ſeruitus cœperint, quàm, quòd ille peruerſam habuerit voluntatem.*

Geneſ. 9.

Seruitus, quãdo in mundo inceperit.

Geneſ. 1.

Geneſ. 9.

Greg. Papa.

Chryſoſt.

Cùm

125. *Goliath pro bellua à Dauide habitus.*

Cùm nemo reperiretur, qui singulari certamine cum Goliath dimicare vellet, prosiliit animosus pastor, filius Isaï Dauid, belliquè discrimen amplexus ridenti vultu exhilarauit Monarcham Saülem, verùm longam Philisthæi in pugnando, multámque considerans peritiam, subitò demortua est lætitia, inquiebátque Dauid: *Non vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare aduersùs eum, quia puer es; hic autẽ vir bellator est ab adolescentia sua* Reg. 1. c. 17. v. 33. At Regi vt metum excuteret, & quam de victoria dubiam conceperat spem, narrat quas habuerit, cùm ephebiam vix reliquisset, cum ferocioribus bestiis frequentes pugnas, in quibus semper triumphator euasit; *Nam & leonem* (ait) *& vrsum interfeci ego seruus tuus; erit igitur & Philisthæus hic incircuncisus, quasi vnus ex eis:* Verùm, an satis firma hæc argumentatio? nam, vt cum bestiis ineundum esset prælium, benè quidem; sed cum homine certandum est, in quo præter robur, ars quoque eminet; solet autem ad victoriam multò plùs conducere ars, atque stratagema, quàm corporis vigor; non igitur benè infert, quoniam superauerit bruta, quæ duce natura, non ex artis regulis dimicant, vincendum quoque iri hominem, in quo metuenda sit disciplina potiùs, quàm corpus quantuncunque validum; Equidem reor, Dauidem, Goliathum contemplantem, idololatria nimirum, & aliis vitiorum capitibus coinquinatum, bestiam se videre, non hominem, cogitasse, cùm impietas in ferinam conditionem transmutet rationale animal; quando igitur bestiam esse æstimauerit, rectè qui bestiarum immanissimas vincere solitus esset, leonem & vrsum; asserit futurum, vt Goliath quoque superet, qui & ipse brutum sit maximum ob scelera & nequitiam; Chrysostomus tom. 1. hom. de Dauid, & Goliath; *Namcùm pascerem gregem in campo, ouem mihi à leone, & vrso abreptam, his belluis interemptis, ouem eripui, nocentes bestias interfeci: Hoc exemplo etiam istam immanem belluam prouocem bello, pugna congrediar, Dei populum de eius manu eripiam, & ipsum, vt nocentissimam belluam Dei virtute percutiam.* Cerne quoties Goliath Chrysostomus belluam appellat!

1. Reg. 17.

Chrysost.

SECTIO XIII.

Non esse in longum differendam vitæ correctionem; difficilem esse veniam spatiosæ, & contumacis malitiæ.

126. QVòd huius Epithalamij nubentes, quandoquidem castos amauerint amplexus, ipso ætatis flore coniuncti sint, eam esse matrimoniorũ optimam legem ostendimus: oportet enim, si nuptiæ diligendæ sunt, prolem habere maturæ ætatis, quæ fractis parentum annis solatium adferat, & substituat patrifamiliàs, quem senectus grauat; hanc autem voluptatem non consequuntur, nisi, qui multò ante canos, albentésque annos prolem susceperint; Sed spiritaliter ista monent, bonorum operum partus non esse in vltima vitæ spatia reiectandos; sicut enim iuxta naturæ vsus contingit, vt ratò homo senex, & effœtæ virtutis (quanquam femina sit apta concipere) prolem suscipiat; ita & in mysticis euenit, vt videamus, paucos esse mortalium, qui si reliquã vitam in omni consumpserint immunditia, egregium quidquam meditentur, cùm vitæ inclinatur dies, & vespera incumbit. O supremam mortalium negligentiam! reseruantium temporis iniquiorem partem iis, à quibus pendet æternitas, negotiis! O homo, si cognouisses in hac die, quæ nunc tibi est ad pacem, qualis erit horæ illius timor, atque tremor, cùm derelinquetur filia Sió, vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas, quæ vastatur, in qua lapis non relinquatur super lapidẽ! O tu, qui euangelizas huic miserabili Sion, exalta vocem sicut tuba, clama in fortitudine, vt cõuertatur in tempore opportuno, antequàm veniat indignatio, & ira furoris Domini: Dic ei cum Augustino hom. 41. ex quinquagena homiliarum: *Vis te dubio liberare? vis, quod incertum est, euadere? age pœnitentiam, dum sanus es: si sic agis, securus es: Quare securus es? quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti: si autem vis agere pœnitentiam ipsam tunc, quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.*

Quanta securitas citò pœnitentiam agere.

Aug.

127. Aquarum in falerna conuersionis rarum prodigium sic visus extenuare Augustinus, vt putauerit, quotidie in vitibus similia contingere; quæ nisi vsu vilescerent, non minoris portenti fuissent, vt taceantur alia naturæ miranda plurima; sic verò differtat tom. 9. in Ioan. tract. 8. *Maior virtus est in creatione, & gubernatione cœli, & terræ, & quòd quotidie pluuiæ aqua per vites in vinum vertitur, & quòd ex paruo seminario fruges creantur: sed, quia hæc naturaliter fiunt, iam ex vsu viluerunt:* Verùm assertio ista, nisi Augustinum Patronum haberet, difficilis appareret; nam, quòd in Cana Galilææ latices in vina transmutarit, inter præcipuas Seruatoris operationes numeranda videatur: *Hoc enim fecit initium signorum* IESVS *in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.* Ioan. 2. vers. 11. In qua attestatione Euangelistæ non pauca sunt, quæ, quod à nobis asseritur, corroborant: Nam sanè egregij artifices, cùm prima edunt specimina ingenij, omnem conatum ponunt, vt quàm perfecta ea quæ in publicum daturi sunt, tunc speciatim prodant; dependet enim ab exordio illo omnis sequuturæ famæ splendor; cùm igitur inter signa à Christo edenda, hoc de aquarum conuersione primum extitisset, oportebat fuisse ex quasi præcipuis Omnipotentiæ laboribus; Tum etiam illud iuuat, quod Ioannes aduerterit, patratum idem miraculum à Christo, *vt manifestaret gloriam suam*; At Monarchæ gloria non ostenditur, nisi per ea, quæ in thesauris principem sedem obtinent; quin & cùm gloriæ ostensionem affectant, rara quædam meditantur, & de singulariter exquisitis; sic Assuerus, cùm monstrare optasset iactantiam potentiæ suæ, inauditum symposij modum concepit, nimirum, durantis centum, videlicet, & octoginta diebus: Denique nemo ignorat, quòd propè accedat ista conuersio ad eucharisticam, quæ certè non tantùm miraculum est ingens; sed stupor quoque miraculorum, vtpote memoria, & recapitulatio mirabilium diuinorum: necesse est igitur, istud portentum longè excedere naturæ operibus, quanquam illa consuetudine non vilescerent apud homines: Sed in quibus naturæ industriam vincat ista conuersio: nam sanè Augustini strenuum videatur esse argumentum: quid enim hîc eximium? aquam nimirum in vinum transire? verùm

Aug.

Ioan. 2.

Fama splendor ab initijs pendet?

ista quotànnis, ait sanctus Doctor contingunt; *nam aqua pluuiæ per vites in vinum vertitur:* Arbitror sanè, Christi factum commendari à celeritate; igitur, quod natura longo & fastidioso labore sæpiùs ægrè ad exitum perducit, hoc Seruator momento peregerat: est autem hoc tam rarum, atque admirabile, vt non aliud elegerit signum, quo aut gloriam manifestare, aut à quo stupendorum operum exordium ducere, æquum, conueniénsque iudicauerit: & quidni certè de apicibus miraculorum istud? Nam sanè conuersione illa significatam animorum mutationem, cùm à Dæmonis seruitute in libertatem filiorum Dei adsciscuntur, Augustinus, & Beda in Ioannem, multis declarant; ostendit Bernardus serm. 1. in Dominicam 1. post octauam Epiphaniæ: *Sed diuina virtute* (inquit) *aqua mutatur in vinum, quando perfecta charitas foras mittit timorem*; Solet autem huiusmodi conuersionis duplex esse modus: nam alij ab exordio ætatis pugnam contra vitia inchoant, qui sub vitæ exitu suauissimos fructus continuati certaminis colligunt; in quo desudauerunt quidem, & non tantùm æstum diei, sed & frigus tolerauerunt; verùm fuit suauis labor, quoniam non præproperus & vrgens; sed cum mora, atque pedetentim; hos adumbrat aquæ pluuialis per vites in vinum conuersio, quæ ab anni principio agere inceptat, & paulatim procedit, donec post tolerata & hyemis, & æstatis iniqua, generoso Lyæo possessoris diligentiam compensat: Alter conuersionis modus est, cùm inopinatò magnus in ciuitate peccator septem Dæmonia euomit, & ex lebete fit vas honoris in templo Dei: huius figura conuersio aquarum subitanea in nuptiis Canæ Galilææ: Vtraque conuersio mirabilis: sed certè festina hæc conuersio signum magnum est, & rarò apparet: O vide, peccator, quoniam non nisi semel legitur Christus Iesvs fecisse hoc tam stupendum prodigium; & vide, vt concitante eum Maria benedicta, cui nihil denegare consuerit dulcissimus filius; tamen subirasci videatur intemeratæ Genitrici, quòd talem rem postulauerit, tam arduam: *Quid mihi, & tibi est* (inquit) *mulier? nondum venit hora mea!* Noli, obsecro, æternæ spem incolumitatis sic affligere, vt non nisi tam ingenti prodigio saluandus sis, quale illud fuit, quo aquæ in Canæ epulis conuersæ sunt in vinum: Si sapis, ama quotidianam aquæ per vitem in vinum conuersionem: nam frustrabere, si expectas aliam eam, & erit sors tua cum hypocritis in Inferno.

Aqua in vinum conuersio animorũ mutationem significat. Augustin. Beda. Bernard.

128. Eduxit spiritus Domini Ezechielem, *Et dimisit in medio campi, qui erat plenus ossibus, atque illa multa valdè super faciem campi, siccáque vehementer*, cap. 37. Ezechielis, vers. 1. & 2. Dum horum contemplatione stupefactus Vates, huc, illúcque prospectat, cernit à quatuor ventis delatum spiritum insufflasse super interfectos istos, & reuixisse; *Vt quomodo* (asserit in eum locum Hieron.) *in prima conditione hominis insufflauit Deus in faciem eius, & factus est in animam viuentem; sic & secunda conditio, id est, resurrectio mortuorum, insufflante spiritu viuificetur:* Igitur idem fuit spiritus, qui vigorem ossibus his arentibus restituit, ac qui hominem initio vegetauit; ita quidem: At, cùm idemmet vtrobique, cur hìc nunc à quatuor mundi partibus allatus, secùs atque in prima molitione? Sanè illa, de qua Adam plasmatus est, terra, infantilis erat, & recèns formata, proinde mollis & apta quancunque recipere formam sine multo labore; cæterùm ossa illa vehementer sicca erant, vtpote de gleba exhausta & senescente, proinde quasi vnus non sufficeret spiritus ad tam arida vegetanda ossa, ab omnibus orbis angulis vocandus fuit: O difficilem aridorum ossium conditionem, quorum animatio tanto spirituum adiuuamento indigeat! Sed, quæ hæc multæ vetustatis inhumecta ossa, nisi peccatores in vitiis senescentes? quàm ardua & impedita horum conuersio? opus est, vt mundus conspiret vniuersus, non sufficit ab Occidente flare spiritum, non à meridie, non ab Arcturo, simul coëant necesse est, graue onus est, cunctorúmque vires desiderans. Non sic Adam ille felix, quoniam non in senectute infundebatur ei vita, sufficiebat ex vna orbis plaga vocatus spiritus: Certè bonum est viro, cùm ab adolescentia portauerit iugum Domini, vt non opus sit tantis ventis, qui nauem propellant: infrequenter enim contingit, posse associari simul omnium climatum ventos: at si non emittantur isti, quid fiet de ossibus aridis, nisi vt in ignem mittantur?

Ossa arida, peccatores in vitijs senescentes.

Ezech. 37.

Hieron.

129. Christum in ligno sacro pendentem clamasse voce magna dicentem: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* testatur Matthæus c. 27. vers. 46. Monet autem ita vociferatum circa horam nonam: huius autem clamosi sonitus scopum fuisse affirmat Drogo Hostiensis Episcopus, ne tenebræ quæ ab hora sexta in nonam perseuerauerant, ad decimam transirent: Verùm, quid si in decimam, & vlteriùs producerentur, num sufficiens causa ista, vt filius palàm asseruerit, se à Genitore tanquam derelictum? Sed audi, & concipe tenebrarum nomine mentis peccatricis noctem; est verò decima hora diei, quæ huius vitæ extremum cursum denotat; itaque optabat Filius Dei, ne error atque malitia vltimam nostri æui periodum occuparet: Quamobrem verò? Quoniam certè intuebatur tam difficilem esse malorum pœnitentiam, vt rari inuenirentur qui cùm omnem ætatem in libidinibus prauis consumpsissent, sub exitu vitæ seriò conuerterentur: hoc autem si contingeret, frustrari in his pretium sanguinis sui, ac proinde se derelinqui, vti exponit mira cum dulcedine Arnoldus Carnotensis tractatu de septem verbis Domini in Cruce, ad hæc ipsa verba inquiens; *Pro his igitur* (nempe, summis peccatoribus) *ad Patrem conuertitur, & inauditum dicendi genus nouus Orator assumit; & inimicorum in causa allegans, ipsis inuitis, atque negligentibus parti contrariæ suffragatur, & vtrùm plus possit peccatum, quàm iustitia, Deo Patri quæstionem proponit:* Ergo validè clamat Seruator, ne tenebræ in horam decimam procedant, quoniam si tam densa nox peccatorem comprehendat, derelinquetur iusto Dei iudicio in pœnam longæ præuaricationis, & cùm ei auxilia efficacia negentur, peribit in æternum: Sed iam percipiamus de hora nona floridè differentem Drogonem Episcopum libello de Sacramento Passionis Dominicæ; *Ecce iam hora orationis nona est, inclinata est dies, propè est nox; hora, inquam, orationis nona est; orasti hac hora pendens in Cruce, orasti inclinato capite, clamans voce magna, & exspirasti; orasti inclinato capite in spiritu humilitatis, & clamans voce magna, altissimo, & sacratissimo affectu paterno, & nostræ charitatis: erat autem hora orationis nona: Et quare nona orationis erat hora? quia tenebræ factæ sunt vsque in horam nonam; repellendus erat horror tenebrarum, quæ vniuersam operuerant*

Drogo.

Pauci sunt qui sub exitu vitæ seriò cõuertuntur.

Arnold. Carnot.

Drog. Host.

operuerant terram; expellenda caligo populorum, quæ ex tunc cœperat abundare.

130. Discedente Elia, postulatum ab eius discipulo Eliseo, vt fieret in eo spiritus eius duplex, Reg. 4. cap. 2. verf. 9. ac docuimus aliàs hac phrasi significatum, vti superaret discentis spiritus præceptoris spiritum; sed penes quæ geminatus in Eliseo spiritus? Refert opinionem Auctor de mirabilibus sacræ Scripturæ, qui ad miraculorum gratiam traduxit: eius sermo lib. 2. cap. 26. *Interea post mortem Elisei, cùm quadam die familiares eius mortuum quendam portantes, latrunculos videntes pertimuissent, in sepulcrum Elisei, quòd propè erat, mortuum proiecerunt; quod dum tangeret ossa Elisei, reuixerat, & ambulauit: vnde quidam præscriptum sermonem in hoc signo impletum fuisse dicunt; hoc est: Spiritus, qui in te est, fiat duplex in me. Quod necessariò impleri debuit: Elias ergo in vita sua, priusquam reciperetur, mortuum resuscitasse vnum scribitur: quod similiter & Elisæum fecisse tam cernitur: sed & alium, id est, istum post mortem suam, videlicet, in sepulcro reuiuificasse videtur:* At sententiam hanc quasi infirma innitentem basi idem continuò refutat Auctor; *Sed etiam hoc duplex gratia facto esse non apparet: quippe, quod enim Elias semel fecerat; bis, ac ter, si necesse esset, iterare posset:* Verùm non malam eam interpretationem iudico, dummodo ad spiritalem sensum referatur: nam certè Elias defunctum suscitauerat; sed eum, qui nondum busto commissus esset, in quo sanè figurabatur peccator: at, cuius in delinquendo malitia non fuisset pertinax, ex humana tantùm fragilitate prolapsus; Eliseus autem corpus mortuum sepulturæ traditum vitæ restituens, eum adumbrat peccatorem, qui in malis perseuerans sit, & in foueam, atque voraginem iniquitatis ceciderit; Præclarè igitur ad extrahendum huiusmodi peccatorem, qui induratus sit in impietatibus suis, duplicem spiritum Eliæ postulat Eliseus; quanquam enim excellens Eliæ spiritus; sed ad opus tam difficile non sufficiens, nisi geminetur.

Auct. de mir. sacræ Script.

Duplex Eliæ spiritus ad obstinati peccatoris conuersionem necessarius.

131. Monebat discipulos Christus, vt parati essent in quancunque horam, eò quòd exitus momentum incertum esset; cúmque à vigilantibus famulis similitudinem mutuaretur: *Et si* (inquit) *venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, beati sunt serui illi.* Luc. c. 12. verf. 38. Ac sanè, quòd primam omiserit vigiliam, non demiror; cùm enim hac designetur vsu rationis carens ætas, vti in ea ætate homo peccare nequit ob libertatis defectum, sic nec dormire potest, (somnum enim modò peccatum intelligimus) quare necesse non fuit eius meminisse ætatis, in qua sopor nequeat obrepere; certum enim est, quòd ad noxam actualem, personalémque spectat, quòd obdormitio est, de qua modò sermo, non reperiri in primis vigilibus: At, quòd transierit quartam vigiliam, stuporem generat: nam, si quo vnquam tempore probrosum fuisset, tum in primis, & quia sapientiores homines sub extrema vitæ periodo, & quia ipsius vitæ marcescens splendor, monet non longè abesse occasum; Sanè, quando senectutem quarta repræsentat vigilia, quid dicemus? non inueniri tunc, qui vigilet, & somnum excutiat ac proinde, quemadmodum primæ vigiliæ memoria prætermissa est, eò quòd nemo tum dormiat, sic quartæ relictam mentionem, eò quòd rarus tunc vigilet? O & in hanc ætatem differs, miser homo, pœnitentiam, in qua lethargus & apoplexia dominantur? Quid facies tanta sensuum grauedine oppressus? Nónne vides, vt dominus quodammodo desperet, posse tunc vigilantes inueniri famulos, ac propterea tacet beatos nominare in quarta vigilia expergefactos? non quòd non tum quoque inueniantur, quorum palpebræ non sunt clausæ, & in quos non irruit sopor: sed vt subinnuat tarò contingere vt qui in senectam dormitauerunt tunc vigilare sciant; *Venis in secunda, & tertia vigilia,* (ait Drogo Hostiensis libello de Sacramento Dominicæ Passionis:) *sed beatus ille seruus, quem tunc inueneris vigilantem: Iam primæ, & quartæ vigiliæ nulla mentio fit; quia nec primæua ætas sensum recipit vigilandi, nec vltima spem proximùs dormiendi.*

Luc. 12.

In quarta vigilia, id est, in senectute vix qui quæ de conuersione cogitat.

Drog. Host.

132. Veniente Christo in regionem Gerasenorum, *occurrerunt ei duo habentes Dæmonia de monumentis exeuntes, & clamauerunt dicentes: Quid nobis, & tibi,* IESV *Fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos.* Matth. cap. 8. verf. 29. Cerne, quàm temerariè mentiatur Satan; Effluxêre quater mille anni, ex quo sub peccato vinctus tenebatur homo, & cùm post tot sæcula adfuisset Redemptor, præproperè venisse queritur: O crudelem impiissimi hostis sitim, cui tot annorum myriades breue videbantur spatium! Qualis quisque in se est, tales arbitratur alios: cum sancto sanctus eris, cum peruerso peruerteris: nam sancti etiam malos, bonos putant; & improbi innocentiam sceleris traduxêre: quoniam nebulo ipse sepulturæ ante mortem condemnans consueuit tempora præcidere, iudicabat venisse idipsum Filium quoque Omnipotentis; atque vt in culpa fuisset IESVS, nemo tamen minùs corrigere, nemo fugillare debuisset quàm Diabolus, vt qui in eadem existeret damnatione: Sapienter increpat Chrysologus serm. 16. *Auctori temporum tempus opponunt, de tempore sic queruntur: Tempus abscindit, præuenit mortem, sepelit viuos crudelitas immatura, & de tempore queritur, de tempore causatur nequitia sæculi indurata.*

Matth. 8.

Dæmones torquentur cùm spes salutis affulget hominibus.

Chrysol.

133. Sed tamen intueamur, num esse possit ansa querelæ: dicunt quidem, venisse Christum, eos ad torquendum: Porrò Dæmones tunc potissimùm torquentur quando spes salutis affulget hominibus; nihil enim tam molestè tulêre, atque peccatorum ad Numen regressum: Venit autem Christus in hunc mundum sub virili eius ætate (neque enim senectus est, donec vltima adfuerint tempora) quoniam igitur ante senectam orbis venerit, asserunt venisse ante tempus; nam venisse illis ante tempus, est, venisse, quando torqueri possint: Ponamus autem venisse Christum, postquàm mundus senuerat, nónne etiam tunc Dæmones torquerentur, & ita quandocunque venisset, conquererentur ante tempus adproperasse? Sanè, vt diximus, malorum Angelorum vexatio est, quòd homines è viis prauis ad Deum conuertantur: cernunt autem tam paucos esse, qui cùm peccata in vitæ limitem transtulerint, tum conuertantur, vt putarint hac experientia edocti, mundum à Christo non conuertendum, si Christus sub mundi senecta venisset: orbe autem non conuerso ipsi nec torquerentur; quia igitur Christus venit ante mundi senectutem, tempore nimirum conuersioni idoneo: deflent quòd citò venerit, quódque descenderit è Patris sinu ad ipsos torquendos: nam festinus illis aduentus est quicunque ante senectam est.

Queruntur Dæmones quòd Christus venerit ante mundi senectam, quare?

134. Post viginti seruitutis annos: discessit ex Labanis

domo Iacob, & conquestus socer, quòd tacitam fugam arripuisset; *Cur ignorante me* (inquit) *fugere voluisti, nec indicare mihi, vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & cytharis?*

Genes. 31. Genes. cap. 31. vers. 27. Omitto historicum silentis fugæ Iacob sensum; mysticè autem Laban, vel mundum, vel potiùs Dæmonem significat, quæ est Patrum non paucorum opinatio; Iacob autem hominem fidelem denotat, sed qui in miseram peccatorum seruitutem ipsis viginti annis, per quos significatur tempus longum, incidit. Hic igitur prolixi famulitij, imò captiuitatis quidem vir, & qui sedit in cathedra pestilentiæ multùm pausans in via iniquitatis, si quando cupiat Dæmonis tyrannidi se subducere, clàm ei fugiendum sit: ô fugam mille periculis obnoxiam! Sanè illorum est clanculariam fugam meditari, qui custodia detinentur, quorum vita in lubrico est: Deum immortalem! quibus fluctuat mens procellis, dum de eiusmodi fuga cogitat! angustiæ sunt vndique: nisi enim fugiat, mors est; atque si fugiat quoque, propter vigilum solertiam, mors etiam terret: O qualem in labyrinthum intrauit ob viginti annorum seruitutem! Iam verò, quàm pauci sunt, quibus ita concessum clàm fugere! vnus inter mille felix, plerisque maius damnum extitit fuga ipsa, & mortem accelerauit mortis euitandæ remedium: ergo hoc est seruitutis longæ damnum irreparabile, vt quando etiam fugere tentet, quæ tota salutis anchora, non possit nisi clàm discedere, id est, summo cum discrimine; ita occluditur omnis incolumitati via: O ter beati qui nunquam Labani seruierunt! sed, quando seruiisse contigit, felices, qui diu apud eum permanere respuerunt; non enim his necessaria fuga occulta, quæ millenis subiacet periculis, qua si quispiam liberetur, fors totum id est: Et certè prudenter Iacob latentem fugam meditatus, ne Labani innotesceret; si enim cognouisset abiturum, nullum non moueret lapidem, quò maneret; nam considera, quàm erga generum inhumanus vsque in hunc discessum, *Die, noctúque, æstu vrebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis, sícque per viginti annos in domo tua seruiui tibi*: Quid istis immitius esse valeat? & nunc, vt apud se retineat, ne seruituti liberetur, tympana spondet, & gaudium, & cantica. Benè Oleaster: *Impij nunquam meminerunt bona facere, nisi, cùm non est tempus faciendi.*

Quàm sit difficile è Diaboli captiuitate exire.

Oleaster.

135. Noluerunt toties vocanti Numini respondere, & deserere prauas illecebras; veniet tempus, quando implorabunt, & non exaudientur: negabitur illis auxilium congruum in pœnam spatiosæ præuaricationis, & quòd conuerti distulerint in finem dierum; Fecit quidem homo Rex nuptias filio suo, & accersitis è viarum biuiis hospitibus, quoniam aut familiares, aut cognati se excusauerant, *tandem impletæ sunt nuptiæ discumbentium*, Matth. cap. 22. vers. 10. Stomachatus autem symposiarcha, quòd homo absque cœnatoria veste epulis se immiscuisset, iussit ligari pedes, manúsque, atque ita vinctum mitti in tenebras exteriores: Neque sanè stupeo, quòd ergastulo intruserit, verùm, quamobrem & pedes, & manus innectit? neque enim aut fugere valeat, aut cædem machinari mœnibus, & ferrata Tulliani ianua præpeditus; sed attende, humanissimum Principem homuncioni isti, cùm aulam conuiuij ingrederetur, diuitem obtulisse vestem, qua glorioſus appareret in loco festiuo: (sic enim vetetem vsum fuisse probauimus elapsi Anteloquij num. 33.) quin & rogarat suppliciter, ne liberalitatem contemneret; ergo, qui noluit supplicis Monarchæ vocibus obsequi, iustum est, vt quando velit, non possit, proinde ne in nuptiale theatrum aliquando ingredi valeat, pedes vinciantur, ne delicatis escis pompæ genialis vesci possit, quanquam apponerentur, manus impediantur, & ne quod vel ab aspectu solatium proueniat, densissimis tenebris amandetur eæ sunt, nimirum exteriores illæ: Galfridus apud Tilman. ad c. 22. Mat. *Sed, quæ sunt vincula, quibus liganturmanus, & pedes? Sanè funiculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur*: O putas & in illa hora bona pauperibus distribuere, viduam & pupillam consolari: sed ligabuntur palmæ, neque extendentur ad pauperem sed ad domesticos & cognatos, qui lusu, & voluptatibus consument; Putas, quòd monebuntur gressus tui, ne ampliùs ambulent in semitis malitiæ? at erunt compedes, quæ te detineant, ne loco mouearis; Putas scientiæ & ingenij acumine fisus, quod affulgebit tibi lumen, quo mundi vanitatem cognoscas, atque despicias, æternos pertimescas cruciatus, sanguinem pro te à Crucifixo effusum, quanquam serò, æstimes? verùm certè caligo operiet te, & nox comprehendet obscurissima: Sic, sic magnus ille Deus, qui toties ad pœnitentiam inuitauit, reddet vltionem terribilem superbis in illa die, negando eis auxilia efficacia, sine quibus certissimè peribunt.

Galfridus.

Peccatorum vincula coërcent animam à pijs operibus.

Certè, in illa die Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum; astra quoque cœli faciem abscondent: Quidni quidem? Nam, quid ab initio præceptum eis? *Fiant luminaria in firmamento cœli, vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram.* Genes. cap. 1. vers. 14. statímque de stellis iterum, *Et posuit eas in firmamento cœli, vt lucerent super terram*: Cur semper terra, & nunquam maria? Periculosior est via maris: quid facient absque luminibus? imò quidem omnis nauigatio ab Helice, & Cynosura pendet: Stella est, quæ nauigantes dirigit, quæ incautis liberat scopulis, quæ in portum ducit: igitur astra potiùs condita, vt mari illucescant, quàm vt terræ. Sanè, si quis in terram prolabatur, facilè adiiciet, vt iterum resurgat; habent nanque firmamentum sub se, & pedes, & manus eius: non sic, qui præcipitatur in mare, velut plumbum demergitur, & rarus est, qui superenatat: etiam Petrus ipse cernens ventum validum, metuebat: igitur terra quidem peccatores denotat; verùm quos fragilitas humana impellit, ruunt, at non diu iacent, assumunt fortitudinem, & iterum ambulant sicut anteà: mare autem præuaricatores significat, qui, cùm semel irretiuntur, delicta delictis accumulant, & fiunt nouissima semper peiora prioribus abutentes Dei patientia & longanimitate; horum maria receptacula sunt, & ideò, qui in porcorum gregem missi sunt Dæmones, statim eos in profundum gurgitis detulerunt, Matth. cap. 8. vers. 32. illic enim porcis, qui in cœno, atque immunditiis volutantur, locus est: propterea & Ezech. cap. 29. vers. 3. Pharao Rex Ægypti, qui draco magnus appellatur, eò quòd Dæmoniorum Principis figura sit, in medio fluminum cubare dicitur, ibi potestas, & imperium eius: igitur, cùm mare homines repræsentet, qui longum peccatorum funem trahunt, qui computruerunt in sordibus suis, qui addiderunt malum facere in conspectu Domini omnibus

136.

Genes. 1.

Matth. 8.

Ezech. 29.

Mare eos repræsentat qui in profundum peccatorum demergitur.

omnibus diebus vitæ ſuæ; quid nobis indicetur aliud, quàm, cùm venerit hora mortis, deſtituendos lumine veritatis, & fauorabili Sanctorum patrocinio? O quid faciet inter decumanos fluctus cymbula, nauclero vociferante ſtellam abſcondi, ſine cuius iubare omnis peritia in vanum ſit? Ibit imploratum MARIÆ clementiſſimæ opem, & beatorum ciuium ſuffragia obteſtabitur? at reſpondebunt, mandatum eſſe ſyderibus, vti luceant terræ, & non mari: Quàm vellent nunquam in mare deſcendiſſe! & vtinam hoc vel tunc, prout oportet ad ſalutem, vellent! ſed ore tantùm volunt ob inſtantem metum, cor autem eorum longè eſt ab eo; Sic filia maris vadit in æternum luitura, illa inſenſata, quæ dicebat; Non moriar, & Infernus non me deuorabit; Verùm, percipiamus huius cogitationis baſim ab Anaſtaſio Sinaïta lib. 4. Hexameri; *Ad terræ ergo illuminationem facta ſunt luminaria, non etiam ad illuminationem eorum, quæ ſunt in mari: quoniam in abyſſum à Chriſto miſſi Dæmones ſunt, expertes cœleſtis luminis illuminationis, & ab eo alieni: quòd ſi de aſtris ſenſibilibus dixit Deus ſolùm: Fiant luminaria, an non dixiſſet, ad illuminationem terræ, & maris?* Non igitur in ſenectutem ſpiritales animæ differendæ ſunt nuptiæ: filij enim ſenectutis imbecilles ſunt, ſponſi carminis huius exempla imitando, qui caſtos amplexus amores, deſpondit ſe lectiſſimæ virgini ſub ipſo ætatis viridanti flore.

Anaſt. Sin.

SECTIO XIV.

Æqualem eſſe debere & Superioris, & ſubiectorum fortunam, paria onera, ſimilem voluptatem.

137. Eccli. 31.

BEne, atque œconomicè Siracides c. 32. v. 1. *Rectorem te poſuerunt; noli extolli, eſto in illis quaſi vnus ex ipſis.* Spernit miles Aquilonem, & imbres, cùm videt Imperatorem aperto vertice Boream inimicum excipere, lætóſque ferre vultus, etiam ſub pluuioſo æthere: ſtiuam vrget gaudens arator, ſi villicum primo mane de ſtrato conſurgere intueatur in agros iturum ſeminare ſemen ſuum: ergo noſtri ſponſus Epithalamij, bonus omninò familię gubernator antelucanâ diligentiâ pergit ad vineas, pomœria inuiſit, myrrham demetit, & à purpuræ faſtu pallulùm declinans, ſeruorum gregibus ſe interſerit, magni æmulator Principis, illius vtique, qui cùm fecerit cœlum, & terram, atque omnia portet verbo virtutis ſuæ; non dedignatur tamen præcingere ſe, & miniſtrare famulis ſuis in regno patris ſui, quos & de torrente voluptatis potat. Fugiebat irati fratris minas crudeles Iacob Rebecca hortatrice: & ecce ſubdiali ſtrato recubanti obiecta ſcala inſigni longitudine, contemplatus nanque *ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum; Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Geneſ. cap. 28 verſ. 12.

Quàm diligens œconomus fuerit Canticorum Sponſus.

Geneſ. 28.

138. Alcaz.

Ac ſanè modò placeat Alcazarij noſtri exiſtimatio notatione 1. ad cap. 4. Apocalypſis, cogitantis Deum non ad ſcalæ faſtigia accumbere, ſed ad imos gradus, qui telluri inſiſtat, & exporrecto brachio ſcalam, ne quis ruinæ ſit metus, teneat; At, quorſum opus Dominum cœli, & terræ hoc tam plebeio fungi munere? Nam certè poterat ſurſum, deorſúmque ita firmari ſcala, vt nullus labendi timor extitiſſet, quanquam nemo manibus prehenderet; quòd ſi opus adiutrice dextera, verùm ſufficiebat Angelorum robur: nónne, qui & cœlorum motores, ij ſcalam tenere poſſent, validare, ne corrueret? Poterat quidem abſque Creatoris ſpeciali adminiculo ſtare ſcala, quæ nec caſura fuiſſet, ſed vide laborantium Angelorum ſuperiorem fuiſſe, qui ſcalam fulciebat; Putáſne, tam irrequieta diligentia & aſcenderent, & reuerterentur famuli, Domino quieſcente, otia captante? Igitur optimus Magiſter & ipſe ſupponit humeros oneri; Angeli autem intuentes Principem laborum ſubire partem, magnámque illam quidem, vt qui ſolus altiſſimam ſcalam ſuſtineat, tanta alacritate opus aggrediuntur, vt ne momento vno ferientur, nullus ſubſiſtit, nullus ſtat, nemo laſſatur, aut aſcendunt, aut deſcendunt continuò vniuerſi; Hieronymus ſubinnuit epiſtola conſolatoria ad Iulianum: *Iacob vidit ſcalam de terra vſque ad cœlum, & aſcendentes per eam Angelos, & deſcendentes, & deſuper innitentem Dominum, vt laſſis manum porrigeret, vt aſcendentes ſuo ad laborem prouocaret aſpectu:* Egregia vltima hæc clauſula; idcircò nanque ſcalę tolerabat pondus, vt ſuo recrearet exemplo ſubditos, vt fatigationis comparticipatione ſtimularentur, in eúmque verſos, *ſuo*, vt loquebatur Hieronymus, *ad laborem prouocaret aſpectu.*

Subditi, ſi videãt Prælatum vnà laborare, facilè quæcunque onera tolerant.

Hieron.

Vidit Daniel antiquum dierum, Patrem vtique; *Veſtimentum eius candidum quaſi nix, & capilli capitis eius quaſi lana munda.* cap 7. verſ. 9. Vidit & Ioannes gnatum, ſimilem vtique filio hominis, cuius & ipſius caput, *& capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix.* cap. 1. verſ. 14. Sed, quorſum filium, quem adoleſcentem pingere decens apparebat, adultæ ſenectutis virum Ioannes delineat? num ſignificaturus Patri coæuum Filium æternitatis eſſe, illum, quem intelligendo genitor produxit, infinitum & diuinitate præditum? Ita Rupertus lib. 1. in Apocal. *Nam huius, atque illius capilli capitis æquè candidi ſunt, vterque per candorem capitis ſenex oſtenditur nulla diſtantia; quia, videlicet, nec anno, nec menſe, nec die, nec horâ, nec momento, nec puncto, filius iſte iunior eſt illo tam ſene Patre ſuo:* Atque fuerit iſte litteræ congruus ſenſus; nos allegoriam ita meditamur: nimirum, genitor & antiquus dierum, quem Daniel intuitus ſit, patrem familiâs ſignificet auctoritate & prudentia minutum: Quid ille? num filiis, Pater quanquam, diſſimilis, & eius glorioſus ornatus, gnatorum mediocris? num aliter ipſe incedit, vtique pompoſus, & in deaurata trabea, filij groſſioribus vtantur? Nequaquã ſanè: qualis ſtirps, talis progenies: eius capilli candidi quaſi nix, aut lana alba; & huius quoque; O pulchram familiam, in qua & vſque ad capillos, pares & herus, & domeſtici! audeam affirmare eiuſmodi parentis voluntati nunquam contradixiſſe filium quem certè & obedientem vſque ad mortem, mortem verò crucis expertus ſit; non ille Patrem omnibus modis reuereretur, quem à Filio excepta Patris notione nihil diſtingueret?

139. Dan. 7.

Apoc. 1.

Filius diuinus Patri coæuus. Rupert.

Atque ab his diſce, quàm decorè pater filium corrigat, Luc. cap. 15. Reuertebatur ad charum genitorem, miſer, qui in longinquas oras abierat iuuenis & domus tripudio perſtrepebat vniuerſa; ſolus in mœrore germanus, qui & dolorem celare

140. Luc. 15. 29.

celare non valens dixit patri suo; *Ecce tot annos seruio tibi, & nunquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer.* Pater verò quidnam ad satellitia? *Et adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus & epulemur*; Quidnam est, quod pater, *epulemur* dicit, filius, *epularer?* Et sanè gnatus exteros ad symposium vocat, sodales, nempe? genitor non nisi domesticis conuiuia distribuit: At certè filius domus curam non habebat, non præerat, quamobrem eius esse potuit alius, quàm aut famulorum, aut patris victus, alia obsonia: pater verò, eò quòd auctoritate fungatur, cæterisque emineat, non potest non iisdem cibis, quibus reliqua vti familia: nam cogitas, patienter tulissent clientes ad domini triclinium vitulum deportari saginatum, cùm interim illi vix haberent de taurorum carnibus, quibus vescerentur? Edant simul, siue cum lætitia, seu cum parcitate & Prælatus, & subditi, edántque similia: si quis est filius senior, inuidiæ morbo, aliisque vitiis laborans, habeat sibi, suisque commilitonibus peculiares escas: Non sic vir grauis familiæ præses; non sustinebit alias, quàm famulorum sibi ponendas escas: ideò prudens atque maturus senex; *Manducemus, epulemur:* Hieronymus epistola ad Damasum de filio prodigo, & frugi; *Erras, Israël; dic potiùs, vt tecum epularer; aut potest tibi esse aliqua iucunditas, nisi Patre tecum celebrante conuiuium? Saltem exemplo docêre præsenti: reuerso filio iumore, & pater lætatur, & pueri: Manducemus, ait, & epulemur, non, Manducate, & epulamini.*

Idem debet esse & Superiorũ & subditorũ cibus.

Hieron.

Duos nobis viros Matthæus repræsentat; alterum ex honestis ciuibus, qui conducere optet mercenarios in vineam suam, cap. 20. alterum, regia fulgentem maiestate, qui opiparum triclinium instrauit, tauros & altilia occidit, misitque seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, cap. 22. Verùm experire prodigij instar rem! personat aula Principis dulcissima musica, nitent aulæis atque ostro parietes, splendent laquearia ab auro putiore, & onerantur mensæ dapsilibus; nemo tamen est, qui limina terat, omnis est in excusando populus, atque abierunt, *alius in villam suam, alius ad negotiationem suam:* Inuitat paterfamilias ad durum exactoris onus; nempe, vt sub ardenti Phœbo effodiant, amputent, alligent in manipulos sarmenta, atque vna, aliáque hora pergit quæsiturus, nec vnquam defuit, qui pergeret in vineam; etiam ad vndecimam horam iêre, qui tota die in foro steterant otiosi, stupendúmque hos saltem otio addictos non respuisse prouinciam absque solatio: Quid est igitur, quòd aut Regem ad voluptuosa, blandáque prouocantem deserunt cuncti, aut patremfamilias tanto nisu sectantur imperaturum difficillima? Equidem Toparcha ille, qui filij nuptiis geniale epulum præparauit, quod seruis iusserat, ipse nulla ex parte exercuit: illorum fuit tota cura, siue proximè morantes ad Hymenæi gaudia conuocare; seu longè dissitos, pérque viarum biuia dispersos ad regiam cogere: è diuerso autem vineæ possessor famulorum quieti prospiciens, exiit ipse *primo mane conducere operarios in vineam suam*; Ergo tanta vis est Prælati exemplo eadem facientis, quæ aut subditi præstant, aut facere debuissent, vt, quanquam mortales intelligant, se ad dura, atque insuauia allici, adeóque ad vineæ culturam sub calentissimo sydere; ocyùs tamen pergant, & fori gaudia spernant; iidem verò, vbi sciant dominum seruorum exercitamenta contemnere, renuant obtemperare licèt spondeat quæ mortalibus iucundissima sunt, conuiuia & hilares noctes; leuet Præsul simul, quæ subditis ardua mandat, nec iugo ceruicem subtrahat; nihil iussurus sit tam graue, quod non lubentes & aggrediantur, & perficiant.

141. Matth. 20. & 22.

Prælati exẽplo præeuntis quantùm moueantur subditi.

Hinc illa Centurionis ad Christum oratio sapiens Matth. 8. cap. vers. 9. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic; Vade, & vadit; & alij; Veni, & venit; & seruo meo; Fac hoc, & facit*, Sed inuersus modus loquendi iste videatur; oportebat enim dicere; Nam & ego homo sum potestatem habens, atque ideò his, illisque agenda præscribo; Sin autem & ipse quoque sub alterius virga sit, quamobrem imperia in alios exercet? aut certè, vt habeat, qui obediant quoque tamen istud significaturus non debuit præmittere; *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus*; ex hoc enim nullo pacto legitimè sequatur, posse eum iubere his, aut illis, imò verba oppositum denotant: Sed peritè Centurio tamen; nam habebat militiam promptissimam, & ad eius nutus celerem; stuporem autem generare possit tam exacta obedientia, in viris præsertim castrensibus, qui ferociores sunt, & difficiles iugum subire, colla inflectere; At non esse demirandum istud, monet Dux centenarius; Nam & ego, inquit, etiam sub Chiliarchi & Imperatoris potestate sum; atque sæpè hæc, illáque mandat, nec mora vlla in exequendo, statim vt vocat, respondeo; Ecce adsum, mitte me: Quoniam igitur, quæ sub me est turma, intuetur quotidie à Duce suo eadem fieri, ea expeditè perficit, quæ ipsis Dux præscribit; cùm vident caput sub iisdem laborare, quæ membra tolerant, ad prima vocis oracula obtemperant veloces, Superiori consimili obedientia eos stimulante ad implexa quæque vincenda: Iam verò ad Christum, cui persuadere volebat, relatus sermo; Quòd si ego quidem nondum alienis imperiis absolutus, qui tam longè absum à supremi moderatoris excellentibus officiis; neque enim vel legionarius esse adhuc merui, quantò minùs castrorum Promachus? tamen in qualicunque potestate constitutus eos habeo ministros, qui obsequantur cum omni diligentia; tu, qui Rex Regum & Dominus dominantium, cuius voluntati non est qui possit resistere; cùm sic te demiseris, vt Iosephi, & Mariæ legibus pareas incunctanter, eadémque operaris, quæ illi tui spiritus administratorij; talis, atque tam benignus Dominus cùm sis, seruorum paria officia amplectens, an non habiturus sis famulos, qui statim atque emiseris vnicum verbum, instar fulguris continuò proficiscantur, & iussa adimpleant? His igitur manda, vt puero sanitatem restituant, quoniam non sum dignus, vt ipse intres sub tectum meum; Anselmus: *Quia, si mihi subiecti obediunt mihi, tunc omnia tibi subiecta tibi obedient; & hoc est: Nam & ego sum purus homo, tu Deus; ego sub potestate Domini, tu Deus omnium; habens sub me milites; tu Angelos, vel omnia.*

142. Matth. 8.

Centurio exacta obedientia exẽplar subditis sibi militibus.

Anselm.

Orante ad Patrem Seruatore, postulantéque, vti ab eo transiret calix, inuisit subinde discipulos, quos secum tulerat, à quibúsque auulsus est, quantùm iactus lapidis; & cùm sopore obrutos inuenisset, increpatoria voce inquit: *Sic? non potuistis vna hora vigilare mecum?* Matth. cap. 26. vers. 40. O Domine, vide, quoniam præ mœrore dormiunt; amor autem tuus tristitiæ occasio, vt quid

143. Matth. 26.

Superior iustè redarguit subditos ab eo recedentes onere, quod ille p. v. iat.

quid miseros vexas, & vulneribus vulnera addis? Certè discipulus tuus, ille, quem diligebas, testatur, quoniam cùm perpetuùm amauisses eos, in finem tamen singulariter dilexisti; nunc finis est, & vitæ occasus: ostende specialis amoris notas, & dissimula culpas: intuere, quoniam & putabunt, quòd præ vehementia angustiarum sudorem elicientium cruoriferum, insuauior factus sis: æstimo, si aliud noxæ genus fuisset, tacuisset fortasse Magister; sed vinci eo temporis articulo, & succubuisse propter tristitiam somno, ferre non valuit; nempe, sanè, abundantiori cùm mœrore premeretur ipse, atque adeò sanguinis guttæ stillarent è sacra cute; tamen non dedit somnum palpebris suis, neque requiem temporibus suis: hoc faciebat ille Dominus, & Præses, & subditorum ob gratiam agebat; Honestúmne, vt vigilante hero famuli strato incumbant? Hoc igitur ne in mortis limine celare velit Christus; nam, quemadmodum æquum est, Ducem, atque Imperatorem primum esse in laboribus, & anteire militibus; sic intolerandum est, Antesignano dolente, subditos otio atque quiete torpere; Concinnè Maldonatus noster: *Incredibilem hæc dictio vim habet ad pungendos animos discipulorum; quasi dicat, Me non solum vigilante, sed etiam orante, sudante, pugnante cum morte; vos, qui me dormiente pugnare debebatis, ne vigilare quidem momento temporis potuistis?* Sed Marcus obseruat, ad Petrum singulariter directam Christi increpationem; *Simon dormis? non potuisti vna hora vigilare?* At, quare aduersùs hunc præcipuè obiurgatio? Num vti insinuet, quàm labilis sit humanæ pollicitationis fides? Promiserat anteà Thrasonianè, quanquam vniuersi scandalum paterentur, tamen se non passurum; & qui tam magnifica spopondit, ne vna, hora vigilare cum Præceptore audet; Vt igitur rubore suffunderet, nominauit speciatim inter tres; Euthymius, *Pudore nanque affecit eum; atque etiam alij dormiebant sed hunc vehementiùs obiurgauit tanquam magis temerarium, dicens; Mecum mori promisistis, & non potuistis vna hora vigilare mecum?* Arbitror tamen considerasse Christum, subditos Prælatorum exemplis, siue ad bonum, siue ad prauum flecti indifficulter; si impigrum videant, fortem, voluptatis osorem; excitantur ad strenua: si intueantur eneruem, deliciis fractum, indulgent sibi, & ipsi quoque; Petrus autem Apostolorum vertex à Christo constitutus fuerat; hunc cùm lassari, & soporem diligere subditi contemplati fuissent, Pastoris vestigia sequuti sunt: quasi igitur totius socordiæ causam omnem Simonem perstringit Seruator: neque enim obstupescit eo quiescente, qui caput sit aliorum, cæteros quoque dormire.

Maldon.

Marcus.

Humanæ pollicitationis infirma constantia

Euthym.

Prælatus pro subditorum culpis luit.

144. Verùm, vti Superiori iustissima est querela, cùm eo se ad laboriosa, aut viliora inclinante ministeria, detrectant subditi, quod vel onerosum, vel abiectum est; sic & persuasum habeat, nisi ad eadem se demittat, quæ inferioribus præcipit, nisi in iisdem exerceatur, nequaquam, qualem optet, aut rempublicam, aut domum, faciem habituram; Nunciauit sterili genitrici pariendum Samsonem Angelus, & è vestigio mandat; *Caue, ne vinum bibas, ne siceram, ne aliquo vescaris immundo.* Iudic. cap. 13. vers. 7. Quorsum hæc documenta? An de Hippocratis schola? Videlicet, puerperiis nocent & vinum, & sicera, & quicquid est immundum? Sed, quæ his assuescunt matres, feliciter pariunt. Quid igitur? *Erit enim puer* (inquit) *Nazaræus Dei ab infantia sua, ex vtero matris suæ vsque ad diem mortis suæ:* At verò Nazaræorum lex erat, ne de relatis quidquam probarent; Verùm, nónne id Samson obseruare potuisset, quanquam mater non obseruasset? Difficile quidem; sic enim comparatum est, vt qualis Superior, tales euadant, qui subiiciuntur; parentem nati imitantur, discipuli magistrum; Ne igitur, si vinolenta genitrix, & nasciturus puer Bacchum amet, matrem Angelus festinè admonet; Noster Serarius luculenter q. 28. in cap. 13. Iudicum, n. 6. *Vt sanctum, ac Nazaræum educeret Samsonis mater, eum vtero dum gestauit, sancta, ac Nazaræa esse, Angelo monente; debuit: & nos si sanctos in Christo per conciones, prælectiones, scriptiones (addo ego & per prælationem) generare volumus: si ad Nazaræatum; ebrietatis fugam, vitus temperantiam, verámque perfectionem adducere; ipsi sanè sancti, ac Nazaræi, sobrij, ac temperantes, perfecti, aut perfectionis amantes, ac studiosi oportet simus;* Sed obiicio istis: nam, quoruncunque Superiorum, seu bona, seu deprauata exempla, tum demum aut iuuare subditos, aut iis nocere valeant, cùm subiectorum luminibus, & visui occurrunt; quæ verò abscondunturs, neque nocumentum, neque vtilitatem afferunt; at mater Samsonis ad Nazaræorum cæremonias obstringebatur solùm vsque ad partus articulum, vt sacrum innuere Textum coniectatur Abulensis q. 10. in nominatũ ex Iudicibus caput, tum verò Samson ad matris exempla attendere non potuit: non igitur obfuisset infanti, quanquam genitrix, aut de vino, aut de sicera probasset; nihilominùs sapiens tamen Angeli animaduersio; est enim latens quidam atque subtilis influxus à Superioribus ad subiectos descendens, cuius tanta vis est in vtrumque, siue prauum, seu decorum, vt etiam tum, cùm ne sentiendo idonei videãtur esse subditi, aut proficiat, aut detrimenta afferat; quanquam igitur ad matrem ventre abstrusus Samson attendere non valeat; tamen vt genitricis exemplo lædi possit, veretur Angelus, & interdicit Nazaræatui contraria.

Qualis Superior, tales euadunt subditi.

Serar.

Abul.

De Spiritu sancto conceptum fuisse Dei Filium, notum est: cur non ex viro, cur non ex humano parente? Num propter edendæ prolis reuerentiam? Absque dubio quidem, & hæc potissima causa: sed animaduerte, quid nobis insuper subministrauerit Tertulliani ingenium; Equidem aduentus Filij Dei in hunc mundum occasio, vt renouaret Plastem suum à peccato deformatum, & restitueret antiquam numismati Creatoris imaginem; Sed Ioannes enarrat, quo more cap. 1. vers. 13. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt;* Sed, quis hic nouus gignendi ordo, vbi non solùm viri cooperatio excluditur; sed neque de viro, aut desiderium, aut voluntas permittitur? *Neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt?* Planè similis hæc forma nascentiæ Filij Dei; nam & ibi Deus, Spiritus videlicet sanctus superueniens & obumbrans, spiritaliter, & sanctè, incorruptè perfecit, quod vir carnaliter facturus erat; sed neque, aut cogitatio, aut voluntas aliqua de viro in paritura Deipara; Scitè Chrysostomus homil. 49. in Genesim; *Et quomodo fiet istud, inquis, quoniam virum non cognosco? Sanè propter hoc*

145. Ioan 1.

Chrysost.

Iudic. 13.

fieri, quoniam virum non cognoscis; nam si cognoscéres virum, non fuisses habita digna, vt huic ministerio seruires. Ergone nouum Incarnationis mysterium operaturus in terris in his, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, Dei filius aduenit? Sanè quoad eius fieri posset conatus, vt quàm proximè ad suam conceptionem, natiuitatémque iustorum natiuitas accederet: quippe dedit eum Pater in Magistrum & Pædagogum mortalibus; quos etiam regeret, quibus leges, & normam disciplinæ daret; Igitur Dux, præceptor, rector futurus debuit subditis assimilari, & esse quasi vnus ex illis: quomodo verò vnus atque par reliquis, si alia Magistri, alia discipulorum natiuitas? Ergo & ille, qui Præsul, non ex voluntate viri, sed ex Deo nascatur; & isti, qui subditi suo quoque modo ex Deo, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri nascantur; sic assimilabuntur & Dominus & seruus, erítque felix subditorum moderatio sub Præsule, quem paribus insigniri notis intueantur, & famulis quemadmodum onerosa distribuere, sic etiam & eorum, quæ glorioſa sunt, ex Deo nimirum oriri, non ex voluntate viri, partem concedere: *Nouè nasci debebat*, ait Tertullianus libro de Carne Christi, cap. 17. *nouæ natiuitatis dedicator, de qua signum daturus Dominus ab Isaia prædicabatur: Quod ergo istud signum? Ecce Virgo concipiet in vtero, & pariet Filium: Hæc est natiuitas noua, dum homo nascitur in Deo.*

Præsul & subditi non ex voluntate viri sed ex Deo nascantur.

Tertull.

146. Vulgata Scholarum sententia rerum effectorem Deum affirmat sub exordio fabricæ cuncta perfecta & ætate, & mensurâ, condidisse; itaque & homo continuò virilium annorum fortitus incrementa, iustámque corporis magnitudinem, & animantia robusta apparuêre, & segetes maturæ, & arbusta cum fructibus: Vt quid tam prodiga liberalitas? Honoraret vtique hominem, cui manus ipse admouit, sigillum suum, tanta prærogatiua, fecisset quoque, vt arbores aliquæ paucæ subministrarent escas; satis istud, neque opus vagari munificentiam per vniuersa; At nosce hominem Principem designatum & terrestrium, & aquatilium, & volatilis generis; *Faciamus* (ait) *hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs, vniuersaque terræ:* Genes. c. 1. vers. 26. Igitur potestatem habiturus talis esse debuit Monarcha: quales subditi; vna, eadémque amborum sors: sic enim postulat Monarchæ disciplina; Verùm sanè hominem in perfecta creari ætate, decens omninò erat, vt qui Paradisum & regeret, & custodiret; sed creato homine cum iusta proceritate, Principem subditi imitaturi fuerant; Creantur igitur ad eundem morem reliqua omnia, quò & Prælati, & inferiorum eadem sit conditio; talem oportuit esse Paradisi Rempublicam, in qua vna esset facies & Antistitum & seruorum: nam quale monstrum Gubernator benè curatus & pinguis: subditus exanguis & vix ossibus hærens? eius ad luxum & gloriam vestes; huius, quæ ne frigora arcere valeant? Absit à Paradiso tam deforme spectaculum! Adam floribus corpulentus, procerus: animantia cætera infantilia, pusilla, inertia: Iunilius, Africanus Episcopus, si eius tamen Opus, quod extat in Genesim, ad illud: *Germinet terra herbam virentem*, &c. *Simúlque notandum, quòd non prima herbarum, arborúmque germina de semine, sed prodiêre de terra: nam ad vnam Conditoris iussionem terra, quæ arida apparebat, repentè herbis compta, & nemoribus est vestita florentibus: atque hæc continuò sui quæque generis poma ex se, ac semina produxêre: oportebat enim, vt forma quæque rerum ad Domini imperium primò perfecta procederet, quomodo & homo in se, propter quem omnia facta sunt, in terra perfecta, hoc est, iuuenilis ætatis plasmatus esse credendus est.*

Genes. 1.

Qualis fuerit Paradisi terrestris Respublica.

Iunil.

Mirum illud Origenis effatum hom. 2. in diuersos: *Audi* (inquit) *diuinum, & ineffabile paradoxũ, irreserabile secretum, inuisibile profundum: per non factum, sed genitum, omnia facta, sed non genita:* Verùm, quid in hoc stuporis, imò si per aliũ quàm per ingenitum & Patris Verbum creaturæ vniuersæ fierent, hoc omnibus modis suspiciendum: nam, quis potens Angelos, quis animam rationalem condere, nisi solus Deus, quando ne diuinitùs posse fieri, vt instrumentum aliquod actionis creatiuæ reperiatur, præclarissimorum Theologorum iudicium exístat? Origenem subinnuere velle puto, debere inter principium & effectum similitudinem elucere: nam causa superior est, & Antistitis vices repræsentat: effectus subditorum typum gerit: debèt verò Superior quam impressurus sit formam subdito, eandem in se retinere: alioquin, si cùm licentiosus sit Præsul, disciplinatum esse cupiat subditum, incassum laboraturus sit: Iam igitur Dei natus quatenus à Patre emanat, non est factus, sed genitus: nam, quod factum est, causam sui agnoscit: repugnat verò Filio diuino esse à Patre velut à causa, quando eiusdem cum Patre naturæ, atque essentiæ: cùm igitur Filius in se non habeat hoc, quod est factũ esse, & alioqui creaturarum Dominus atque Monarcha sit, stupescit Origenes, vt potuerit creaturis, videlicet, famulis eius, atque subditis, eam imprimere formam, quæ in ipso non splenderet: & quanquam Verbi, cuius est infinita potestas, cuiúsque ars incredibiliter excellit, tam insigne opus, miratur tamen plurimùm Origenes, & appellat *ineffabile paradoxum, irreserabile secretum, inuisibile profundum:* Ergo nostri Hymenæi sponsus, cùm sciret optimi Rectoris partes, esse inter subditos quasi vnum de ipsis, deponebat interdum imperatorium fastum, & relicta vrbis pompa, in villam pergebat: ibi suis manibus serere, ibi demetere, ibi ad columbarium, ad ouium caulas, & pastorum mapalia proficiscí, neque aliquid contemnere, quæ honesti villici agere consueuissent.

147. Origen.

Quã subditis imprimere velit formã, in se habeat Prælatus.

SECTIO XV.

Humilitatem non dedecêre Optimates; quin notam esse principatus, & dominationis.

148. DIximus nuperrimè, Principem, de quo Salomonis carmen, ad vilia atque proletaria descendere solitum, neque ea respuisse, in quibus agrestes, & exiguæ exercentur animæ: sed Toparcham dedecent isthæc: & vel diuitiis nimiùm hiantem, vt qui earum gratia ad seruilia inclinet, subinnuunt: vel plebeia ortum linea, ac proinde amet indigna, affectu à sanguine deriuato: Verùm ego ob hanc præcipuè causam regio prognatum stemmate assererem, certè dignum imperio, quanquam priuatus extitisset homo, præclarè quippe mihi dixisse visus Cassiodorus lib. 5. epist. 44.

Sponsus eò nobiliorem se ostendit quò ad viliora opera se demittit.

Cassiod.

epist. 44. *Sic est in Principibus humilitas gloriosa, quemadmodum in mediocribus odiosa potest esse iactantia:* Sed probemus arcani sermonis oraculis, atque initium ducamus à Triade sacrosancta; Tertullianus libro de resurrectione carnis, cap. 6. *Recogita totum illi Deum occupatum, ac dedicatum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia & ipsa in primis affectione, qua lineamenta ducebat:* Vbi in primis aduerto, cùm asserat totum Deum *illis occupatum & dedicatum*, nempe, in formando homine, communi Patrum iudicio existimare tres diuinas personas singulariter adstitisse creando Adæ, quod ex illis verbis pluralis soni Genes. 1. vers. 26. *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. deriuant; Secundò adnoto, cùm dicit, *lineamenta* significare eum, qui tunc producebatur, hominem, fuisse vmbram, atque typum nascituri aliquando ex Virgine Filij Dei; Quamobrem subdit Tertullianus: *Quodcunque enim limo exprimebatur Christus cogitabatur homo futurus, quod & limus, & caro; ita limus ille tam tum imaginem induens Christi futuri in carne, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus:* Atque hæc quidem tam multa in typi & figure plastice; quid verò, quando qui exprimebatur imagine Christus, procreatus est? *Spiritus sanctus*, inquit Gabriel puellæ intactæ, *superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideóque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc. cap. 1. vers. 35. Nihilne de Patre? nihil de Verbo? Siccine ad lineamenta ducenda tota Trinitas apertè progressa, & cùm quòd perfectum est creatur, solum Flamen memoratur? Nunc arte potiori iure opus, cùm quod excellentissimum est, producendum sit; lineamenta mediocris opifex scripserit, rudem nanque laborem? Equidem homines ita arbitrantur, nobilitatis insigne esse quodcunque glorioſum & pompaticum est, cùm hæc à mortalibes auidissima cupiditate ambiri cernant; Vt igitur Trinitas doceat, Principatus veram contentionem de humilibus esse debere, humilitatem esse dominationis & maiestatis pignus & arrham; idcircò velut subducit se, atque colligit, cùm quod speciosum & magnificum est, operandum sit, in Filij Dei nempe conceptione; atque agenda vni committit personæ: cùm verò, quod abiectum, & inhonorum est, faciendum sit; nimirum, lutum contrectare, & lineamenta solùm ducere, ibi se manifestat, ibi partem operarum sibi omninò vendicat; Neque illud otiosè prætereundum est, quanto studio formando homini adstiterit Trinitas, *manu*, ait, *sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsa in primis affectione*; Vah! vt nihil reliquerit, quod ad hominis creationem iuuare possit, tam amans, quod humile est operis, tam eius æstimatrix.

Tertull.

Luc. 1.

Quanto studio formando homini tota Trinitas adstiterit.

149. Genes. 2.

Monuimus aliàs limum illum terræ, de quo formatus homo perhibetur Genes. cap. 2. vers. 7. fuisse puluerem non qualencunque, sed eum, qui *tenuissimus & vilissimus sit*; quæ sunt verba Chrysostomi hom. duodecima in Genesim: Itaque, cùm & non pauca de terræ gleba produxerit Creator, affectasse visus vt lutum, quod Adæ plasmando subseruiret, minoris pretij fuisset: Vt quid istud? Num, vt potentiæ atque artis magnitudinem commendaret, quæ sciret ex tam vili adiumento tam pulchra erigere? Sic Chrysostomus: Et considera, vt cùm iussa sit terra germinare herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, Genes. cap. 1. vers. 11. ibi non legitur ad fuisse Trinitas; nimirum, quia non erat de vilibus, & abiectioribus puluis ille; nunc verò, cùm, quod inhonorum est, telluris coaceruatur ad hominis fabricam, sollicita, idque supra modum adest; *manu*, nimirum *sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipso in primis amore, atque affectione*; vt cuius essent deliciæ, structio illa: Audi Bernardi monitum de Verbi ad homines descensu, *Christus enim* (ait ille serm 2. de Ascensione) *cùm per naturam Diuinitatis non haberet, quò crescceret, vel ascenderet, quia vltra Deum nihil est; per descensum quomodo crescceret, inuenit, veniens incarnari, pati, mori*; Ergo certè humilitate dominatus crescit, Monarchia extenditur, ipsa etiam Diuinitas se quodammodo maior fit atque potentior; adeò humilitas maiestati non obest, vt magis augeat, atque dilatet: Trinitas igitur, cùm per Diuinitatis naturam non haberet, quò crescceret; per humilitatem vt amplificaretur quodammodo inuenit: ideò igitur ad hominem formandum vigil descendit, vt quoniam puluis, de quo hic construebatur, omnium abiectissimus [illegible]; quod vilissimum erat exercendo, humilitate principatum distenderet; Sed neque illud aspernandum: Creandus erat homo, non vtcunque, verùm in Principem & rationalium eiusdem naturæ, & animantium cæterorum, est verò principatus nota humilitas, quóque maior, ampliórque est humilitatis & affectio, & exercitatio, eò augustior est dominatio; quò igitur constaret, hominem eum esse, qui inter creaturas, quæ sub cœlo sunt, supremam obtineret dignitatem; hunc Creator plùs humiliauit, vilissimam terræ portionem sumens, vnde consurgeret homo; Itaque non inde despiciendus homo, vel à planta, vel ab arbore, vel ab irrationali, quoniam ex viliori figula compactus sit; sed magis propterea tanquam Ducem, & Monarcham reuerebuntur submissi; alioquin ægrè laturi, vt principatu fungeretur, his si careret insignibus, quæ magis Principem faciunt, quàm aut purpura, aut virga imperij, aut diadema capitis.

Chrysost.

Dem per humilitatem quo ammodo maior. Bernard.

Ibat ad mortem gaudens Filius Dei, ibat ad feralis ligni supplicium, atque ad Genitorem conuersus, Ioan. cap. 17. vers. 1. *Pater*, inquit, *venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te:* Quæ in verba Ioannes Chrysostomus hom. 5. de Patientia Iob, ad finem; *Si enim Dominus meus miseros, & ærumnosos amans, gloriosam rem vocat, etiam id patrio throno magis adiicit gloriæ; multò ipse magis hæc gloriam existimare debeo* Quo in sermone expendo: *etiam id patrio throno magis adiicit gloriæ*; Quibus verbis innuere Chrysostomus videatur, dum Christus superiùs apud Ioannem pollicitus sit, se Patrem clarificaturum, subinnuisse amplificandos in posterum ex filij industria paterni throni splendores: At, quomodo Patris gloria incrementum admittere valeat? Ibi felix illa, & immensa plenitudo quæ exsuperat omnem sensum; cui, sicut nihil deest ad cumulum, ita nihil adiici valeat; denique ibi est Diuinitas inexhausta atque infinita, quid adiecturus sit Filius tantis diuitiis, quanquam maximè cupiat? Certè vrgebat tempus, quo Filius Virginis, quod humilitatis difficillimum est, fortiter aggressurus erat, nimirum, mortem ligno passurus inter homicidales latrunculos, ille, qui fabricator cœlorum, ille, qui Dæmonum formi-

150. Ioan. 17. Chysost.

Humilitati Christi quasi exigua quodammodo ipsa Diuinitatis gloria.

do,

do ille, qui in splendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genitus ; Tam immania igitur humilitatis documenta præbiturus, amplificari dominatus spatia quasi postulat, tanquam si exiguum etiam Diuinitatis regnum tantæ humiliationi ; *Pater*, inquit, *clarifica me* ; ego quoque te glorificabo : Instemus vterque operi, angustus est thronus honoris, adiiciamus illi; Vides humiliandum vsque ad mortem, mortem autem Crucis ? humilitati debetur principatus ; Scio apud te infinitum, diuinúmque esse regnum, sed vereor, vt tam grandi etiam imperio tam magna, tam inaudita humilitas contenta sit ; Hoc igitur innuit, quòd filius, vt inquiebat Chrysostomus, *patrio throno magis adiicit gloriæ.*

151. Apoc. 1. Qui sic humiliatur, benè loquutus apud Ioannem Apoc. cap. 1. vers. 8. *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis* ; Equidem finis, & vltimus sanè ; nam & despectum, & nouissimum virorum declarat Isaïas cap. 53. vers. 3. Sed, quomodo si tam despectus, audet primos accubitus tenere, & Alpha se nominare ? nam sanè, si primus & Ductor reliquorum, quonam more sub omnibus, atque postremis inhæret ? Equidem præclarè vtrunque ab Euangelista coniunctum : nam certè humilitati principatum iure quodam debitum firmauimus hactenus, & quò profundior est humilitatis, eò imperij gloria altior, atque sublimior ; Igitur inter abiectos humillimo debetur, quod in regnis præcellentissimum est ; Bellè itaque, si Christus *Omega* sit, id est, in ordine litterarum vltimus, vt idem & *Alpha* nominetur, qui principem occupet sedem, eóque more humillimus sublimissimus pariter euadat : Tertullianus libro de Monogamia, cap. 5. *Sic & duas litteras Græcas, summam, & vltimam, sibi induit Dominus, initij, & finis concurrentium in se figuras; vti, quemadmodum Alpha ad Omega vsque voluitur, & rursus Omega ad Alpha replicatur ; ita, vt ostenderet in se esse initij decursum ad finem, & finis recursum ad initium; & ideò in Christo omnia reuocantur ad initium.* O beata humilitas, quæ dum principatum fugis, attrahis potenter ; atque tum propiùs accedis, cùm longiùs abire videare ! O nouissimum & primum Christum IESVM ! Quis tam distantia maritare potens, nisi sedula atque perita artifex humilitas ? Humiliauit se factus obediens vsque ad patibulum ; sed propter hoc, exaltatum est nomen eius super omne nomen ; Verè Alpha & Omega, principium & finis.

Isai. 53. Humiles, quò plùs se deprimunt, magis exaltantur.

Tertull.

152. Matth. 4. Verùm, si tam humilis Christus, quamobrem Satanæ hortanti, vt de templi fastigio delaberetur, Matth. cap. 4. vers. 6. non est obsequutus ? est enim descensui amica humilitas, quæ sublimia studiosè auersatur ; Puto, exiguæ humilitatis specimen arbitratus est, tantùm de templi vertice in terras descendere : proinde quasi principatu suo non satis dignam notam respuit : Sanè Christi dominatui non qualiscunque descensus conuenit, sed qui spectabilis, egregius, stuporem generans : sic à summo cœlo in terras pelle & carnibus circundandus descendit : sic & à sepulcro in Limbum abiturus, itaque, neque superbiæ, neque tumoris est, quòd non descendat ; sed vt Satanam doceat, mediocri humilitate nequaquam contentum, vt quæ non satis manifestet, quanta eius dominatus & potestatis amplitudo sit : Chrysologus serm. 13. *Non tentabis Dominum Deum tuum. Sic vtique Dominum, se vtique Deum intelligi voluit, hoc dicendo : quia non de pinna templi tantùm se dedit ad terram ; sed è cœlis se ad Inferos vsque iactauit, vt non cadentium forma, sed esset resurrectio mortuorum.* Benè, *Se vtique Deum intelligi* : Deo igitur dignum descensum optabat, qualis ad Inferos delapsus, non qualis è templi apicibus : renuit igitur quasi non Deo idoneum ob pusillitatem, quem Diabolus suadebat, descensum.

Christo nõ est digna nisi magna humilitas.

Chrysol.

153. Isaiæ 9. Sed pingit Isaïas venturum Messiam singulari more cap. 9. vers. 6. *Paruulus*, inquit, *natus est, nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius*, &c. Quod verò principatus signum istud humeros decoraturum ? Augustinus serm. 71. de Tempore : *Tunc enim Christus principatum super humeros eius habuit, quando Crucem suam admirabili humilitate portauit* ; Eáque est Patrum vulgata opinio ; Verùm demiratur plurimùm, atque meritò sanè Tertullianus aduersùs Iudæos scribens ; *Quis omninò Regum insigne potestatis suæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut in manu sceptrum, aut aliquam propriæ vestis notam ? Sed solus nouus Rex sæculorum Christus* IESVS *nouæ gloriæ & potestatem, & sublimitatem suam in humeros extulit, Crucem, scilicet, vt secundum superiorem prophetiam, exinde Dominus regnaret à ligno* ; Aduerte, ante Christi aduentum sub multa ignorantia latuisse mundum ; nam paupertas in opprobrio erat ; sterilitas, vitium ; iniuriarum patientia, ignauæ mentis socordia dicebatur : honorum despectus, insipientia : venit hæc vniuersa correcturus Seruator ; Sed inter errores & eum reperit apud vulgus mortalium, vt Regem tantùm nominarent, quem, aut corona, aut trabea ornatum conspicerent ; Quemadmodum igitur de præfatis, quam biberant opinionem, vt dedisserent, fecit, & nossent deinde pauperes, spadones propter regnum cœlorum, opum contemptores omnibus encomiis dignos esse ; ita nossent vera principatus insignia, humilitatem esse, & quò quisque se magis demitteret, eò plùs dominaturum : debere idcircò, quæ principatum significarent, non esse de pomposis & de turgentibus, sed potiùs de abiectis : quando autem ex vilibus & contemptis aliquòd desumendum signum fuisset, Cruce nihil magè idoneum, vt quòd mortales summè despicerent ; igitur præclarè ad principatus significationem patibulari ligno humeros oneranit Rex nouæ disciplinæ, ac de eo ab Isaïa cantatum : *Et factus est principatus super humerum*, non in capite, aut veste, vti alij Toparchæ.

Augustin. Crux, vnica principatus nota.

Tertull.

154. Ioan. 13. Ac certè idemmet nouus Rex transiturus ab hoc mundo ad Patrem, *surgit à cœna, & ponit vestimenta sua : & cùm accepisset linteum, præcinxit se, deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Ioan. cap. 13. vers. 4. Sanè Apostolorum seruus Magister factus est, dum conuiuium pinguium medullatorum celebrat ; nam mancipiorum est præcingere se, & à deambulando contractas sordes diluere : Præstabit fidem Alexandrinus Dionysius epistola contra Paulum Samosatenum : *Dominus, & Deus Apostolorum cùm accepisset formam serui, cœna mystica facta surgit à cœna Deus Apostolorum* IESVS, *& ponit vestimenta sua, & cùm accepisset linteum, præcinxit se : hæc est forma serui :* Quæ huius tam abiectæ, & despicandæ formæ ratio ? An gratia Sacramenti ? Sed in instituendis aliis Sacramentis nunquam talis

Eucharistia inter Sacramenta sepiè principatum habens.

Dion. Alex. Seruorũ est, præcingi.

talis visus Seruator: Equidem inter Ecclesiæ septem pignora, Eucharistia potissimum obtinet locum; Sacramentorum Rex est, quemadmodum Phœbus septem inter Planetas: quoniam verò Dominatus & Monarchiæ indicium humilitas est, tum filius Dei se mximè demittit, cùm Princeps Sacramentum constituit, vt ex ipso instituentis habitu diuerso quàm in aliorum institutione Sacramentorum, qui totus spiraret humilitatem, colligerent facilè Discipuli, quantùm præcelleret aliis Sacramentis, illud in quo instituendo Seruator tantùm se exinaniret; Igitur, quòd in Eucharistia fundanda humilis apparet Dei gnatus, Principatus indicandi causa accidit.

155. Iam à Christo ad MARIAM: ille serui formam induit, hæc ancillæ: venit ab empyreis Archangelus, & nunciauit in Dei matrem electam: exemplis Elizabethæ firmauit: qualem paritura gnatum viuis coloribus depinxit: & post stupores Virgo: *Ecce ancilla Domini*, inquit: *fiat mihi* Luc. 1. 38. *secundum verbum tuum*: Sed, quid Deo refert MARIA his verbis pro omnibus, quæ retribuit illi? Nónne ratione creationis ancilla Domini facta, vt fileam alios multos titulos? Nunc igitur, quorsum idem ingerit, velut magnum aliquid & speciale offerat? Sanè ancillæ vocabulo vsa est humilitatis causa, videlicet, ne inter tam fortunata obreperet gloriæ vana, leuisque aura: aut potiùs, rear, pro nostri instituti scopo: audierat nominari se à Legato MARIAM, hoc est, Dominam, regnatricem, imperia habentem; id enim vox denotat: igitur vt compellari se Dominam audiit, accurrit ad dominatus insignia: his enim fulgere oportebat: nouerat autem Monarchiæ indicem, humilitatem esse, humilitatis pignus seruilia ministeria: Quò itaque Domina videatur, humilitatem appetit: quò humilis, ancillam se nucupat. Chrysologus serm. 142. *Quæ vocatur ab Angelo, ipsa se cognoscit & confitetur ancillam: quia deuotus animus infulis beneficiorum crescit ad obsequium, augetur ad gratiam, non ad arrogantiam prosilit, non ad superbiam pertumescit*; Monuerat initio concionis, quo pacto Domina nuncupata sit ab Angelo: *Nam* MARIA, inquit, *Hebræo sermone, Latinè Domina nuncupatur, vocat ergo Angelus Dominam.*

MARIA *idem quòd Domina.*

Chrysol.

156. *Mihi autem absit gloriari* (inquit Paulus ad Galat. c. 6. vers. 14.) *nisi in Cruce Domini nostri* IESV *Christi*? Quem locũ Augustinus explanans serm. 20. de verbis Apost. *Poterat*, inquit, *Apostolus gloriari in sapientia Christi: & verum diceret: potèrat in maiestate, poterat in potestate, & verum diceret: sed dixit, in Cruce; vbi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit, vt qui gloriatur, in Domino glorietur; Quo Domino? Christo crucifixo, vbi humilitas, ibi maiestas: vbi infirmitas, ibi potestas*: Sed, quare Paulus relictis cæteris attributis, in eo, quod infirmum, & humile est, solùm velit gloriari? nunquid vt Magistrum Christum ad viuum imitetur? Christus autem præ choro gratiarum, humilitatem singulariter dilexit, proinde hortabatur asserens: *Discite à me; quia mitis sum, & humilis corde*, nempe, vt speciatim humilitati addicerentur: Sanè alibi idem discipulus, nimirum, ad Corinthios posteriori epist. cap. 12. vers. 9. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*: Vocat autem virtutem Christi antonomasticè humilitatem, quam à se adeptam iri desiderat, quoniam amator verus IESV eidem per omnia assimilari optabat: Bernardus in fine tractatus de gradibus humilitatis, expendens illa Paulina: *Nam virtus in infirmitate perficitur: Quæ virtus?* (ait) *Ipse Apostolus respondeat: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi: Sed nondum forsitan intelligis, de qua specialiter dixerit: quia Christus omnes virtutes habuit, sed cùm omnes habuerit, præ omnibus tamen vnam, id est, humilitatem in se nobis commendauit, cùm ait: Discite à me: quia mitis sum, & humilis corde*; Non malè istud, sed longiùs à nostro proposito: Pro themate nostro aduerto, Paulum, ex quo in Apostolorum numerum transiit, Principem Ecclesiarum constitutum, iuxta quod vaticinans prædixerit Dauid Psalm. 44. vers. 17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram*: Quando igitur Paulus in Principem delectus sit, humilitatem præcipuè insectatus est, vtpote imperij notam: Ac sanè, quorum vita priuata est, glorientur, siue in virginitate, siue in diuitiarum contemptu, seu in fortitudine: aut timore sancto, aliisve Dei donis; Paulus, quoniam Princeps constitutus est, non nisi in Cruce Domini gloriaturus, quoniam per hanc humilitas, per humilitatem verò principatus & regnum, & propterea splendidè Augustinus in superioribus; *Vbi humilitas*, inquit, *ibi maiestas: vbi infirmitas, ibi potestas.*

Galat. 6. Augusti.

2. Cor. 12.

Humilitas speciali titulo virtus Christi dicta.

Bernard. *Perfectus amator in omnibus dilecto assimilari conatur.*

Psalm. 44.

157. At & Pauli commilito, Apostolorum Petrus apex humilitatem, quibus potuit studiis, comprehendere nisus; ductus ad patibulum crucifigendus, nec patitur vt sursum caput eleuetur, quò more Præceptor illius defunctus sit: ordine inuerso ad sydera pedes vertit, ad tellurem caput: Theodoretus oratione de charitate: *Rogauit carnifices, ne similiter atque Dominus affigeretur, sed contrario modo, extremum enim eligere non in honore solùm, sed & in ignominia discimus*: Sed cur Simon vnus inter Apostolos ignominia crucis non contentus, quod tamen ad mirandam humilitatem satis fuisset: inuenit etiam in ipsa cruce, quò ampliùs descenderet: nempe, vt inuerso ordine crucifigeretur? non sic Andreas, non alij condiscipuli, cùm tamen votis omnibus pro Christo, & eo crucifixo mori desiderassent? Ecce humilitatem principatus indicem monstrauimus; iam & diximus Apostolos Ecclesiarum Principes factos: sed aliter Andreas, siue alius de crucifixis sodalibus, aliter Simon, nempe Andreas Ecclesiarum vnius, aut prouinciæ, aut regni Princeps; Petrus omnium Ecclesiarum Pastor, & Princeps Pastorum quoque: Quòd si igitur, quæ per crucifixionem humilitas est, principatus lingua & indicium sit, quonam modo Andrea maiorem cognosceremus Principem esse Petrum, nisi in Petro maior eluceret humilitas? Igitur, quemadmodum Princeps est constitutus super omnes Apostolos, & eius humilitas Apostolorum vincat humilitatem, oporteat; ac proinde aliter quàm Apostolorum quisquam, hoc est maiori cum dedecore, capite, scilicet, ad terram deflexo crucifigatur.

Theodor. *Inter ipsa vilia quod vilissimum est, eligere debemus.*

158. *Accessit ad* IESVM *mater filiorum Zebedæi cum filijs suis adorans & petens aliquid ab eo.* Matth. cap. 20. vers. 20. & cùm, quod postularet, significasset, nimirum, vt ex gnatis in loco regnandi vnus sinistram occuparet, alter dextram; quasi excanduit Seruator, & non nisi per egregios difficilésque labores adipisci posse innuit, dicens: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum*

Matth. 20.

Humilitas ad cœlũ facilis & plana via.

Proh!

Proh ! quantùm ſudabant fratres , ſi de eodem poculo hauſturi, de quo Chriſtus, bibens quidem de torrente in via , & bibens in cruce fel atque amaritudinem ? Sed hunc eundem, qui tam ardua cognatis ſuis, Zebedæi natis, proponit, video mitiorem factum apud Lucam cap. 12. verſ. 32. Luc. 12. Neſcio in quos incidit , paucos quoſdam atque deſpectos, & timidæ mentis conſolatur extemplò : *Nolite*, inquit, *timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum :* Nónne hoc ipſum, quod vltrò iſtis offert, auebat tantoperè proli mater filiorum Zebedæi ? Et vbi calix ille plenus tyrannici furoris , atque minarum, de quo num bibere valerent, interrogauit ? Cur non & modò ad exiguum gregem ? Non eſt meum dare vobis regnum. O vide , quantùm proficiat humilitas ! vt ad regna viam facilem ſternat ! quoniam in filiis Zebedæi non elucebat humilitas, ſed magis tenuis aliquis ambitionis odor, non niſi per torturam, per equuleos & vngulas capeſſere poſſe cœlorum regna ediſſerit ; quia verò puſillus grex totus in humilitate & ſubmiſſione , quanquam non abſque meritis, & agone Olympum adituri ſed breue & tolerabile compendium eorum, cùm per anfractus , & ſcopuloſa ſubeundum illis ſit, quos excellens quædam humilitas non ductat ; adeò ſemper humilitati coniunctum regnum , atque principatus.

159. *Filius vnius anni* perhibetur fuiſſe Saül Reg. 1. 1. Reg. 13. cap. 13. verſ. 1. cùm regnare cœpiſſet, duobus autem annis regnaſſe ſuper Iſraël ; vtrunque æquè difficile ; nam conſtat, adultum, & proceræ magnitudinis fuiſſe , cùm imperij habenas capeſſeret ; ſed & quadraginta annis regnaſſe ſuper Iſ- Act. 13. raël perhibetur, Actor. cap. 13. verſ. 22. Quonam igitur more, aut vnius anni ſub dominationis exordio , aut duobus ſolùm regens annis populum ? Equidem , cùm puer vnius anni dicitur *Saül propter ſummam humilitatem filius vnius anni dicitur.* Saül , magna eius ſimplicitas atque humilitas commendatur ; huius enim character & ſymbolum aptiſſimum pueritia : at verò dominationis & imperij cuſtos, atque pignus humilitas eſt ; quoniam ergo, quæ imperij indiuidua comes eſt humilitas, duobus tantùm annis manſit cum Saül, ideò duobus ſolùm annis Rex fuiſſe declaratur, quoniam Regem eſſe abſque humilitate non minùs impoſſibile ſit, quàm abſque ſceptro & diademate ; non minùs eſt hæc imperij inſigne, quàm illa ſint: Gregorius Romanus lib. 5. expoſitionis in 1. Reg. ad præfata verba, cap. 13. *Nam* Greg. Pap. *ad litteram , vnius anni quomodo filius eſſe potuit, qui vniuerſo populo ab humero, & ſurſum eminebat? Quod ergo ſecundùm litteram intelligi non poteſt, intelligi per interna intelligentia rationem debet; vnius nanque anni Rex eſſe deſcribitur, vt donum pueritiæ in perſona Regis , innocentiæ bonum ſignet ; de Rege ergo, qui prius bonus, poſteà malus extitit, dicitur : quia vnius anni fuit , cùm cœpit regnare , & duobus annis regnauit ; licèt enim multis annis regnauerit, illis ſolis regnare dicitur, in quibus humilis & innocens fuiſſe perhibetur.*

160. Reprobato Saüle, de Iſaï filiis vnus in Monarcham iuſſus vngi per Samüelem ; prodiit ante omnes primogenitus Eliab , de quo cùm Dominum conſuluiſſet Vates, *Ne reſpicias*, inquit, *vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius , quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico*, 1. Reg. 16. Reg. 1. cap. 16. verſ. 7. Equidem homines , quem videbant pulchro eſſe corpore , & iuſta ſtatura, regno dignum iudicabant , quare & prouerbialis inde apud veteres loquutio ; *Priami ſpecies digna imperio* , vt docet Porphyrius in Iſagoga, monet Nazianzenus 2. Inuectiua in Iulianum , & conſuluiſſe viſus Plato lib. 7. de Republica : hæ igitur erant notæ eius , qui ad regendum idoneus extitiſſet apud mortales ; At Numen æternum, *Nec iuxta intuitum hominis (*ait*) ego iudico, homo enim videt ea, quæ parent ; Dominus autem intuetur cor* ; Quid eſt intuetur cor ? nempe, ad imperandum ſpretis externis indiciis , explorat , num quiſquam verè, id eſt, corde , & animo humilis ſit, qua ſi videat præditum virtute, imperio conuenientem iudicat , quoniam humilitati poteſtas annexa ; erat autem mente elatus Iſaï maior natu filius, ac proinde à dominatione repulit ; Abulen- Abulenſ. ſis quæſt. 25. in cap. 16. lib. 1. Reg. *Quæret aliquis, quare Dominus abiecit Eliab ? Reſpondet Nicolaüs, & Hebræi, quòd hoc factum eſt, quia Eliab erat ſuperbus corde , & iracundus ; quod patet ex eo, quod dicitur ſequenti capite, quia iratus eſt contra Dauid , & increpuit eum durè dicens : Ego cognoui ſuperbiam tuam, & duritiam cordis tui, quia, vt videres prælium, deſcendiſti.* Quando igitur humilitas principatus atque imperij nota ſit , potuit Canticorum ſponſus , quanquam magnus Princeps, ruſticanis, humilibúſque laboribus aliquando delectari,

Pulchritudo & ſtatura imperio digna ex veterũ ſententia. Porphir. Nazianz. Plato.

SECTIO XVI.

Non ignominiæ , ſed gloriæ ſeminarium Crux , atque Paſſio.

161. RVertamur tandem ad alterum ſponſæ nomen ; nam Sunamitem, hoc eſt, *coccineam*, quòd, ſcilicet, coccolanas tingere didiciſſet, appellatam oſtendimus præteriti Anteloquij Sect. 5. Subſect. 1. n. 83. Proh ! quantam in lucem, eámq; clariſſimam, & quæ vel multùm fortunatis inuidiam parere poſſet, nomen hoc, quod mechanicum, & abiectum apparebat, euaſit ? Certè eam, quæ his afficiebatur titulis tantùm non deſpicere Reginæ, & concubinæ auſæ, vt beatiſſimam potiùs dixerint ; Auroræ, Lunæ, Phœbo ſplendorem micantiſſimum comparauerint, filiæ Tyri eam muneribus adorauerint , omnes diuites plebis vultum illius deprecati : Quòd ſi tantæ magnitudinis apicem, ea , quæ ob conuicium appellabatur *coccinea*, conſcendit ; quid infame quondam lignum , & viliſſimis homuncionibus dicatam crucem, nunc in frontibus Regum fulgere demiramur ? nam & ipſa coccinea, poſtquàm Seruatoris reſperſa cruore ; O patibuli radios ſeptemplici Sole lucidiores ! ô gloriam , vereor , ne & ipſi Chriſto difficilem propter ſummam illius amplitudinem ! Nam, quid ipſe inclamat Pſalm. 22. Pſalm 21. verſ. 22. *Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornis humilitatem meam* ; Opportunè quidem à rugientis leonis ſæuiſſimis faucibus liberari anhelauerit, ſed cornua vnicornium cur refugit ? quid *Cornua vnicornium venena diſpellunt.* in his atrox, quæ magis venena diſpellunt ? Non, ſi immania fuiſſent, Ioſepho viro etiam cum hoſtibus miti , atque largifluo , Moyſes tribuiſſet Deuteron. cap. 33. verſ. 17. *Cornua rhinocerotis (* ait *) cornua illius , in ipſis ventilabit gentes vſque ad terminos terræ*; Quæ igitur cornua, à quibus expediri deſiderat ? forraſſe crucis brachia ? Deut. 33. Ita ſanè, Genebrardo expoſitore: *A cornibus vni-* Genebrard. *cornium*

cornium (inquit) *id est, à cruce, nam cornu vnicornis, crucis solius figuram refert:* Est & vetustissima interpretatio? nimirum, Tertull. lib. 3. aduersùs Marcionem, *Saluum*, inquit, *fac me ex ore leonis vtique mortis; & de cornibus vnicornis humilitatem, de apicibus, scilicet, crucis, vt suprà ostendi:* Ostenderat, videlicet, paulò antè cùm allegata Deuteronomij verba tractaret; *Nam & antennæ* (ait) *quæ crucis pars est, extremitates, cornua vocantur: vnicornis autem media stipitis palus; hac denique virtute crucis, & hoc more cornutus vniuersas gentes, & nunc ventilat per fidem, auferens à terra in cœlum*; Atque hac quidem admissà declaratione, ecce, quanta insurgat quæstio: nam à cruce vindicari humilitatem quorsum postulat, tanquam humilitati nocere valeat patibulum? Quòd si ea trita spiritalium Magistrorum doctrina est, conducere plurimùm ad humilitatis perfectam acquisitionem, in iis exerceri libenter, quæ viliora sunt; quid cruce abiectius? Hanc exoptasse Christum decebat, non fugam ab illa quærere: Ita quidem verum est, humilitatem confortari amore eorum, quæcunque contemptum generant; quemadmodum ex opposito, & fastus, & gloria, atque pompa omnis illam eneruant; Christus itaque, cùm præsagiret, quantum honorem allatura esset crucis perpessio, ne non esset sufferendæ tantæ maiestati eius, quanquam humilitas, velut timebat; Gloriæ igitur Oceanum ingressurus, ne humilitas naufragium patiatur, exorat; ideò ab apicibus crucis liberari humilitatem suam æstuat; quandoquidem nihil est, quod sic aduersetur humilitati, quemadmodum gloria atque splendoris aura.

Dicat & plura nobis Dauid de Christo filio
162. eius: *Singulariter* (ait in persona Seruatoris Psal. 140. vers. 10.) *sum ego, donec transeam*; id est, incomitatus quidem, absque satellitibus, absque
Psal 140. ministrantibus donec ex hac vita ad Patrem transferat, Augustinus in eum Psalmum, *Quid est ergo, donec transeam, nisi de hoc mundo ad Patrem? Donec ergo transeam, singularis sum, cùm transiero, multiplicabor; post Pascha tam non ero singularis; post transitum non ero singularis; multi imitabuntur, multi sequentur:* Verùm, quid est,
August. quod absque sociis extitisse dicat, antequàm ex hoc mundo abiret? Nónne discipulorum caterua munitus semper? Certè & Angeli assistebant, neque exilis cohors; nam & Simoni loquutus Matth. 26. vers. 53. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum?* Quis
Matth. 26. vnquam Principum terræ tam egregia multitudine cinctus? Verè hic solus Dominus fortis & potens, cui militia tam ingens, cuius fortitudo & decor indumentũ eius; Quî igitur solitarius & agminibus destitutus? Sed attende, quid prædixerat; destitutum se nanque, donec pateretur, donec transiret; Non igitur omni carere se
Quanta cliẽtum gloria Christo ex Passione accreuerit, innuit satellitio; verùm adeò exiguam multitudinem comitantium ante passionem, vt si cum turmis ministrantium post superatam mortem comparentur, quasi incomitatus fuisse videatur; Itaque ob crucis passionem tantam consequutus gloriam, tam magnificam clientelam, vt cum his collati primi honores, nullius appareant splendoris; At declaremus exemplo aliquo quod fortunæ volubilitas, & humana inconstantia nonnunquam suppeditare consueuit: Sit quispiam potens, & beatus, prouinciarum amplissimus Monarcha; millia millium obsecundent, & clientelæ eius non sit numerus: stupescat orbis, plures in eius vnius reperiri aula mortales, quàm in aliorum regnis; tandem aut ciuili tumultu, aut maiori superueniente hoste, victoris arbitrio supponatur: ille autem induperatoriam maiestatem in particularis Dynastæ moderatam pompam commutet: itaque nunc Marchio, qui fuerat aliquando Rex diues & abundans: satellites quoque habet, pueros & ancillarum greges, fastus etiam non contemnendam omninò similitudinem, gemit tamen præteritorum saucius memoria; demirantur exteri, quòd tristior incedat, auditáque luctus ratione, quoniam de solitudine & egestate querela est, stupescunt magis: Quin viuis (inquiunt) felix & iucundus, cui tot villæ, tot fundi, tantum pecus in montibus, & in campestri loco, habes mancipia & clientes. Ille tamen semper ingeminat lamentum: *Singularis sum ego*, sine domo, absque possessionibus, seruorum atque ornatus vacuus; Quid verò est, singularem esse eum modò, nisi, quoniam, si posteriores gloriæ cum prioribus assimilentur, subseruientium numerus penè nullus computandus sit? Sic igitur Christus, antequàm patiatur, singularem, desolatúmque se vocat quòd equidem duodecim legionibus Angelorum etsi vallatus, tantæ tamen pompæ magnitudo cum ea, quæ Passionem subsequutura sit collata, solitudo magis, quàm frequẽtia digna sit, quæ nũcupetur.

Video sanè Petrum in reliquis voluisse Ma- 163.
gistrum imitari, nisi cùm ad patibulum ventum est: hic diuersam in crucifigendo formam rogat suppliciter, & impetrat; itaque plantæ summitatem ligni attingebant, caput deorsum tendebat vice versa atque Præceptor illius: Quid hoc, Simon? Nónne ad crucis æmulationem tam bonus hortator semper incitabat? *Qui vult* (ait) *venire post me, tollat crucem suam:* Quin & Ioan 21.
Apostolorum Coryphæo singulariter Ioan. c 21. vers. 18. pronunciatum, clarificaturum illum Deum hoc mortis genere? Percipiamus igitur ex Ambrosio, quamobrem hac vna in re Ducem Ambros.
æmulari Petrus desierit, *Non fuit* (ait serm. 20. in Psalm. 118. ad illa: *Pax multa diligentibus legem, &c.*) *opprobrio Petro crux Christi, quæ tantum ei gloriæ dedit, vt vniuersis Christũ honoraret vestigiis, metuẽs, ne si ea specie crucifixus esset, qua Dominus, affectasse Domini gloriam videretur: Crux ergo opprobrium perfido; fideli autem gratia,* &c. Sed quidem difficilis hæc Ambrosiana thesis: *Ne* (inquit) *Domini affectasse gloriã si ea specie, qua Dominus, crucifixus;* Quam amabo, gloriam, sancte, atque doctissime Antistes? eum vocas honorem, quo pessimus quisque in republica expiat dilectorum atrocitatem? Præclaram sanè laudem, & spolia ampla Christo IESV tribuis, quam decentiori vocabulo Isaïas, nouissimum vitiorum appellauerit: egregiè tamen Ambrosius *gloriam* vocauit; Et sanè Petrus, cùm Præceptor conscenso Thaboris vertice, aduocatísque Moyse cum Elia, reuelauit ex beata visione promicantes radios, non est veritus supplicare tantorum gaudiorum participem fieri, idque ad longum: *Bonum est* (ait) *nos hic esse; faciamus tabernacula:* moremur in colle amœnissimo, in loco voluptatis: præstat hîc æuum traducere: nunc autem, quòd videat crucis tantam esse gloriam quæ solo Dei Filio quodammodo digna sit, eique velut speciali iure debita, ad tantum culmen suspirare non auder:

Cur Petrus diuersam à Christo crucifigendi formã elegerit.

Ne si ea specie crucifixus esset, affectasse Domini gloriam videretur.

164. Verùm hæc Dominici affectatio honoris arcanum quidpiam subtegere videatur: Sanè fuit quondam, cùm de Spiritibus superbiret vnus, multúsque donatus fulgoribus, cuius nempe, operimentum omnis lapis pretiosus, temerarius soli Creatori concessa fastigia superare tentauit: Isa. 14. *Sedebo* (inquit Isaiæ 14. vers. 14.) *in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Non tibi, ô Lucifer, conueniens sedere: hoc sibi incomprehensibile Numen reseruauit; te cum sociis stare in circuitu throni sufficiens est, & æterni Salomonis ambire lectum gladio super femore posito propter timores nocturnos; At loquatur Bernardus Bernard. serm. 3. de verbis Isaiæ: *Stant planè Seraphim, stant attoniti & suspensi in contemplatione sedentis in throno: tu sedere tentasti, ô impie, propterea tui moti sunt pedes, & effusi gressus tui: filius est, qui sedet in throno, Dominus Sabbaoth cũ tranquillitate iudicans omnia: sola sedet Trinitas, quæ sola habet immutabilitatem: Seraphim verò stant,* &c. Ergo, quemadmodum intra cœlorum valuas alius est locus glorioſus Regi sæculorum immortali, alius angelicæ naturæ, cæteríque fortunatis seruis: sic in terris quasi valeamus meditari alteram esse Christi gloriam, quam nemo de ministrantibus participet; alteram Sanctorum, Petri, Stephani, Laurentij, cæterorúmque: *Crux solium maiestatis.* Christo verò quæ possit alia maiestatis esse sedes, quàm trabs, in qua pependit, cùm super humerum factum esse principatum illius Isaias narret? Igitur Simon, ne renouasse videatur in terris Luciferi elatos animos, cùm velut cogitasset tantam esse crucis gloriam, cuius pura creatura quodammodo capax non esset, aliter crucifigi orauit, & adeptus est, ne si eodem more, quo Christus affixus est, ligno ipse quoque suspenderetur, Præceptori tantùm debitam gloriam, Luciferi adinstar, affectasse videretur.

165. Expendamus autem Augustini peregrinum dictum serm. 130. de tempore, de cruce, & latrone Augusti. ad feriam 6 in Parasceue: *Et quidem nemo Regum aliquando passus est, latronem hominem, aut quenquam alium eiusdem naturæ conseruum secum assumens ita in ciuitatem introducere: sed Christus hoc fecit, qui mortis, & Diaboli victor: & sacratissimam ingrediens patriam, secum latronem introducit, non conculcans Paradisum istius pietatis opere: sed honorans, neque confundens latronis introitu, sed illustrans:* Quibus in verbis illud occurrit in primis mirandum, quod triumphi socium quempiam admiserit Seruator, cùm victoribus in morem fuerit solos ferri; Quare, & quòd simul Vespasianus, Titúsque, genitor nempe cum filio superatis Iudæis triumphum iunxerit, stupendum apparuit Romanis: Proferamus Orosium narrantem lib. 7. cap. 9. *Vespasianus, & Titus Imperatores, magnificum agentes de Iudæis triumphum, vrbem ingressi sunt: pulchrum, & ignotũ cunctis anteà mortalibus inter trecentos viginti triumphos, qui à conditione vrbis, vsque ad id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit:* Anne igitur latrone comitatus Redemptor, quò fuisset ouatio singularis magis, atque memorabilis? Deinde, vt ad latus, vnáque adhiberet aliquem: ex filiorum numero debuerat extitisse, aut certè sponsa, de qua tamen Vates cùm præclarissima caneret, id potissimùm modulatus est: mariti adstitisse à dextris in vestitu deaurato, Psalm. 44. Et quidẽ vxor tantam gratiam sortita sit: rectè: non furcifer, & bipedum nequissimus? itáne Angeli pacis præcedunt aliqui, sequitur maxima pars? & vtraque hæc functio seruorum: ad latus feretur in pompa omnium, quæ vnquam fuerunt, amplissima, homicida, & raptor? Sic tamen Augustino iudice: nec futili argumento; quippe cùm spectaculum illud fieret Deo, Angelis, & hominibus, voluit vniuersitati probare Redemptor, quanta esset crucifixorum gloria, quídve in posterum sperare illos oporteret. Id itaque vt confirmaret, placuit eum, qui secum passus fuerat, æquali quodammodo honore donatum apparere: Cruci igitur debuit latro, quòd supra modum condecoratus fuisset; Verùm supereſt, quæ discutiatur illa particula, *Non conculcans* (ait) *Paradisum istius pietatis opere, sed honorans: neque confundens latronis introitu, sed illustrans*: Sed quid illustrauerat? diem, scilicet, illum æternitatis, cuius lucerna est Agnus, diem clarescentem mirabiliter à montibus æternis, quæ noctem ignorat? Possítne quidpiam superaddi gloriæ beatorum, quæ est mensura conferta, & superefflluens? nihilominùs gloria latronis, quoniam de cruce ea est participata gloria, tantos ex se fulgores emittit, vt non angulum aliquem, vel loca non vsquequaque lucida, sed ipsum etiam Olympum splendere magis fecerit; Hoc illud, *Neque confundens latronis introitu, sed illustrans*: O leues crucifixorum agones ad tantam celsitudinem, cùm Mater nostra Hierusalem, quæ sursum est, in omni suo ornatu non sit quasi vnus de patibulariis, sed eius, qui furabatur, tam vibrans, & radiosa sit facies, quæ valeat nouam pulchritudinem afferre vrbi perfectissimi decoris, illi cuius portæ nitent margaritis, & plateæ illius ex auro mundo. Psal. 44. *Cœlestis ciuitas ex introitu latronis illustrata.*

166. Quod si quidem splendidior reddita est aula cœlestis ab ingredientis crucifixi triumpho, non mirum, si stupefacta angelica cohors interrogat, ascendente Seruatore, & Domino, Isaiæ cap. 63. vers. 1. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* Ac suspiciunt omninò decorem summum victoris, luménque perstringens, & beatos oculos: nec sanè ignorabant, quis fuisset triumphator: nam edoctos à commilitonibus Dauid Psalm. 23. retulit, cùm audierunt Psalm. 23. Regem esse gloriæ, Dominum fortem, & potentem in prælio: Quid igitur hærent in ancipiti? Equidem comparabant vicissim, & quos Diuinitas emittebat radios, & quos mortalitatis stola sanguine aspersa, & mirabantur patientis tantùm posse lumen; reddidit hoc attonitos: Sic Nazian- Nazianz. zenus orat. 42. *Stolæ corporis pulchritudinem ex aduerso profert, quod per passionem exornatum, ac per Deitatem, qua nec amabilius quidquam, nec pulchrius illustratum est.* Nicetas in Scholio: *Formosa est stola ipsius: hoc est, corpus ipsius, quod passum est: partim ob Passionem, per quam glorificata est: partim ob Diuinitatem, per quam illustrata est: quippe qua nihil pulchrius:* Assueta erat Angelica cohors in circunscriptum videre lumen, & circunfundi Diuinitatis claritate: hæc cùm inexhausti esset splendoris, arbitrabatur impossibilem esse lucem, quæ cum ea quasi contendere niteretur: nunc cùm videant à Passione redeuntem Christum insolito fulgore verberare oculorum aciem, & ciuitatem impermutabilis Dei perfundi magis, candorem augeri, admiratione defixi

interrogant;

interrogant: *Quis est iste*, &c. tanquam afferant: Non hæc à Diuinitate oboritur tam ingens, nouáque claritas, quippe præsentem eam habemus semper, inuelatámque; & quo pacto semel affulsit, eodem modo perseuerat in æuum immutata visionis essentia: restat, vt ab humanitatis cruentata stola deriuetur iubar illustre: Sed, quæ fides, potuisse crucifixi gloriam tantùm euehi? Itáne lacera illa caro, & despecta, & quasi leprosa tam splendescens; Contemplantur igitur Angeli, & dum perpendunt, totos occupat stupor, adeò non oppressam crucis opprobrio Christi gloriam, vt sublimior multò reddita sit, cuius ipsa cum Diuinitate certare videatur splendor, & claritas.

Christi ex Cruce gloria cũ ipsa Diuinitate certare videtur.

167. Atque equidem certare gloriam illam, quæ per crucem acquisita fuit, cum ipsa Diuinitatis gloria, vel etiamnum quodam more vincere, ex Ioanne fortasse discemus cap. 12. vers. 32. *Et ego* (ait Christus) *si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*; Quæ verò est hæc exaltatio; nimirum, ligno indignè suspendi, & deputari cum latronibus? Augustinus tract. 52. in Ioannem; *Hoc refertur* (inquit) *ad illud, quod superius ait: Si autem mortuum fuerit granum, multum fructum affert: nam exaltationem suam quid aliud dixit, quam in Cruce Passionem? Quod & ipse Euangelista non tacuit: subiunxit etenim, & ait: Hoc autem dicebat, significans, qua morte esset moriturus.* Sed, quare post obitum cogendos homines asserat? nempe, qui compellendi, qui trahendi sint? An immitior post mortem conculcatam redditus, vt vim in posterum inferre velit, qui amore & suauitate anteà alliciebat? Dicebat nanque ad afflictum; *Vis sanus fieri*? Vt humanum omninò appareret beneficium, quod spontaneum quoque extitisset; Quòd si, aut Diuinitate, aut passibili natura attrahendi sint, vtrunque in diebus carnis suæ Dei Filius sortitus; Quamobrem non trahebat post se reluctantes Iudæorum animos? Puto quidem his delineari quàm dispar fuerit humanitatis Christi gloria, dum in viuis ageret, atque post obitum eius: nempe, priusquàm patefieret, glorioſus quoque fuit vultus eius: *Igneum enim quiddam, atque sydereum radiabat ex oculis eius* (vti ait Hieronymus ad cap. 21. Matthæi) *& Diuinitatis maiestas lucebat in facie*: Verùm hic omnis splendor fidei lumen imitabatur, quod quidem excellens est: sed tamen ita repræsentat obiecti bonitatem, vt non voluntas necessariò rapiatur post illud: at gloria, quam morte in ligno passa adeptus est, patriæ instar claræ erat visionis, proinde, quemadmodum illa, quas in Deo referebat perfectiones, sic ostendebat, vt arbitrium sui esse iuris non sineret propter magnitudinem bonorum; sic & humanitatis crucifixæ ita ignominia patibuli adaucta gloria, vt eius granditatem cùm ferre non valeret humana mens, duceretur post illam impotens ipsa se cohibere: Vultis his maiora pronunciemus, & potuisse quasi supra Diuinitatẽ, diuitias gloriæ humanitatis? Perpendite, quid Ioãnes pronunciet: *Omnia* (inquit) *ad me ipsum trahã: Non autem dicit* (innuit Augustinus tract. 52. in Ioannem) *omnes*; *sed, omnia*: Itaque præter humanum genus alia quoque animantia, stipites, & mõtes, cuncta demum elementa, vt nihil intra fabricam visibilis mundi sit, quod non rapiat; Sanè Augustinus: *Non itaque hoc ad vniuersitatem hominum retulit, sed ad creaturæ integritatem, id est, spiritum, & animam, & corpus; & illud, quo intelligimus, & illud, quo viuimus, & illud, quo visibiles, & contractabiles sumus; qui enim dixit, Capillus capitis vestri nõ peribit, omnia trahit post se*; At visio beata Creatoris non aliquid prærer rationale rapit post se: nam, quibus est intelligentiæ defectus à naturæ impossibilitate, quemadmodum videre nequeant, & vitaliter moueri; sic neque à visione rapi, ergo potentior vis gloriæ humanitatis passæ quodammodo, quàm Deitatis ipsius; quando rationalia solùm trahit Diuinitas, ídque tantummodò si clarè, & intuitiuè repræsentetur; Christus autem post mortem exaltatus, omnia ad se rapiat, id est, non homines, aut Angelos, sed præter ipsos alia quoque, quicquid, scilicet, intra ambitum naturæ versatur; hoc nanque est, omnia trahere.

Igneum & cœleste quiddam lucebat in vultu Christi. Hieron.

Augustin.

168. Æstuabat Moyses desiderio beatæ, diuinæque visionis, & ausus rogare Numen: *Ostende mihi* (ait Exod. c. 33. vers. 18.) *gloriam tuam*: Sed inter ciues fortunatos Moyses censeri non posset, antequàm mortalitatis exueret fragiles amictus, oportebat autem adhuc apud viuos remanere: ne tamen fideli seruo omninò denegasse, quod peteret, videretur Deus, respondet, contingere non posse, vt vultus intueatur: *Non enim* (inquit) *videbit me homo, & viuet*, facturum se tamen, vt aliud contempletur æqualis quodammodo cum ipsa clara patriæ visione, gloriæ; nempe, ostensurum se ei in spiritu, manuum, vestigiorúmque foramina, quibus plagatus sit in domo Dei: hoc illa denotant, quòd in petræ cauerna eum locaturus sit, quòd conspecturus sit posteriora illius, id est, sacram humanitatem vulneribus confossam; Lyranus, *Ponã te in foramine, id est, retinebo te in contemplatione Christi passi*: Augustinus quæst. 154. in Exodum: *Stabis, scilicet, supra petram, putà post transitum Christi, id est, passionem, & resurrectionem*; At, nónne cruentati & laceri sacratissimi corporis intuitus, mœrórem potiùs, & largos singultus Moysi allaturus sit, quàm gaudium & consolationem? quis enim ad tam indignam crudelitatem fletus cohibere valeat, Myrmidonum etiam Dolopúmve, aut duri miles Vlyssis? Verũm non tam ipsam crucis tragœdiam reuelaturum se Legislatori promittit, quàm hanc consequutos triumphos: *Ponam te* (ait) *in foramine petræ*: id est, cicatrices tibi monstrabo, *& protegam manu mea, donec transeam*; hoc est, abscondam ab oculis tuis, quæ luctuosa sunt, & aperiam gaudentia, eritque, vt ab huius delectatione victoriæ quasi tantùm in te dulcedinis deriuetur, quantùm si ab ipso voluptatis torrente inebriatus, biberes de æterni & incommutabilis vultus clarissimo lumine: Facie igitur ad faciem me non videbis, quoniam populo meo adhuc es necessarius: huius tamen inexhaustæ consolationis recompensabo absentiam, detecta tibi ea, quæ per crucem, & tormenta adipiscenda sit gloria: hanc tolerabis etiam inter viuos perstans: ea cùm fruêris, donabere æquali quodammodo cum ea, quæ beatorum est, gloria: atque ita simul, neque postulata omninò accipies neque iis tamen fraudabere.

Exod. 33.

Lyran. *Cauerna petræ est contẽplatio Christi passi.* Augustin.

169. Sed, antequàm à Moyse recedamus, duo eius cum Verbo colloquia exploremus; Exodi cap. 33. verticem montis occupare iussus, cùm per longum quadraginta dierum interuallum cum Deo versatus, quocum sermocinabatur, tandem ad suos reuersus de claritate Numinis participauit quidem, sed diminutè solùm, vultus solùm lumine circundante: at idem non per multas horas in Thaboris apicibus moratus cum Seruatore, paulisper confabulatus, totus inclaruit, & faciem, & manus,

Exod. 33.

Cur gloriosior in Thaboris vertice apparuerit Moyses, quàm in cacumine Sinai.

& manus, & veſtigia, vniuersûmque hominem perfundente luce excelſa, & glorioſa; Sed referat nobis Origenes homil. 12. in Exodum: *Nihil ergo aliud in lege glorioſum habet Moyſes niſi ſolam faciem; in Euangeliis autem totus glorificatur ex integro; audi enim, quid dicatur in Euangeliis; Cùm aſcendiſſet* IESVS *in montem excelſum, aſſumens ſecum Petrum, & Ioannem, & Iacobum, transformatus eſt ibi coram ipſis, & ecce apparuerunt, inquit, Moyſes, & Elias in gloria, colloquentes cum eo; Hîc non refertur, quia glorificatus eſt vultus eius, ſed, quia totus apparuit in gloria colloquens cum* IESV: Quorſum igitur tam ingens claritas deriuata eſt in Moyſem? Sanè, quoniam longè diſpar fuit ſermonum materia: nam in monte Sinai diſcurſus fuêre de ordinanda. Hebræorum republica, vt ambularet in viis Domini, in ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus: in faſtigio autem Thabor, quemadmodum Lucas Euangeliſta perhibet cap. 9 dicebant *exceſſum eius, quem completurus erat in Hieruſalem:* Hoc eſt, interprete Nicolao, *Paſſionem eius futuram, quam ſuſtinuit ex maxima charitate, quæ dicitur exceſſus; non, quia exceſſerit modum virtutis; ſed, quia excellentiſſimum eius gradum attingebat:* Igitur ex illis tractatibus, quoniam à Deo erant, gloriam quidem participauit Moyſes; decet enim, vt eos, quibuſcum ſermocinatur, Numen glorificet: ſed, quoniam non à Deo citò crucifigendo fiebant verba, aut certè non de Paſſione, quamuis diſtaret tunc, miſcebantur alloquia; propterea parua dimanatione communicati honores, faciem ſolùm condecorarunt; nunc autem in Thaboris culmine, quoniam præmonſtrantur vibices, & colaphi, & ſputa, ex horum tantùm memoria, ſplendidiſſimę, & incomparandæ lucis ea oboritur copia, quæ noctem omnem diſpellat, & Moyſis non vultum ſolùm, ſed corpus omne radioſum faciat.

Origen.

Luc. 9.

Lyran.

170. *B. Franciſco eur ſub forma Seraphini crucifixus apparuit.*

An nos & de his quoque inſtruat Seraphicus ille, qui humili maximóque Franciſco cruci affixus apparuit? quid enim hanc formam ſumpſerit potiùs, quàm Cherubim, Dominationum, alteriúſve ordinis? Miſit fortaſſe Deus ex potiſſimis miniſtris aliquem, vt, quàm ſibi placeret inaudita Viri humilitas, ſignificaret? Aut, quia humilitati coniunctior amoris Angelus Seraph, quâ Spiritus, in quo eſt plenitudo ſcientiæ, Cherub? quippe ſcientia inflat, charitas patiens, humilis, atque manſueta eſt? Sanè, quantùm ex Scripturis indagare valeamus, Seraphini ſolius gloriæ Cõditoris miniſtri ſunt, cùm thronum excelſum & eleuatum circunſtent ſemper, neque inde ad alia transferantur: nam ad Iſaïam vnus quidem miſſus, qui labia purgaret Vatis; at id in conſpectu ſolij gloriæ, quin in longinquum abiret; Cherubim autem & ipſi vident faciem Patris, qui in cœlis eſt, & canticum, *Sanctus,* intonant proculdubio: ſed nobis repreſentantur, qui & alio fungantur munere, neque vno tamen: excubant, nimirum, ad Paradiſi valuas, Propitiatorium obumbrant, Dei aurigatores, & carrucæ pariter ſunt, cùm ambulat ſuper pennas ventorũ, aliáque non pauca apud Ezechielem exercent: Igitur ad Cherubim etiam negotioſa ſpectant; vultúſne & laborioſa nominare? Ad Seraphim gaudioſa tantùm, cùm à gaudio Domini, quæ gloria eſt, non recedant: Ob hanc officiorum differentiam non fuiſſe depicta in Salomonis tẽplo Seraphim, quibuſdam opinio extitit apud Abulenſem quæſt. 19. in cap. 25. Exodi: *Quidam* (inquit) *reſpondere voluerunt aliter: ſcilicet, quòd Cherubim ſunt ad miniſterium Dei, vt alis ſuis velarent ſedem Dei: Seraphim autem ſunt ad gloriam: quod patet, quia Iſaiæ c. 6. dicitur: Et clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius: In præſenti autem vita non eſt nobiſcum gloria Dei: ergo non debebat fabricari Seraphim ſuperpropitiatorium, ſed Cherubim:* Iam ergo & illud attende, Oratorum, qui mittuntur delectum quendam eſſe apud Creatorem: nempe, vt quale ſit perficiendum opus, talis ſit Legatus, & cognationem cum gerendis vocabulo ipſo præferat: Moneat Greg. hom. 34. in Euang. *Hinc enim eſt,* (ait,) *quòd ad* MARIAM *Virginem non quilibet Angelus; ſed Gabriel Archangelus mittitur: ad hoc quippe miniſterium ſummum Angelum venire dignum fuerat, qui Summum omnium nunciabat; qui idcircò etiam priuatis nominibus cenſentur, vt ſignetur per vocabula, etiam in operatione quid valeant:* Quod deinde ad longum expendit atque probat, comparato miniſterio cum vniuſcuiuſque appellatione. Igitur, quando oſtendimus, in cruce ſummam eſſe gloriam, qua vix alia potentior eſſe valeat: gloriæ, & decoris Franciſco impreſſurus notas, glotiæ is debuit eſſe miniſter: alioquin angelica operatio vocabulo non reſponderet, quod Gregorius minimè ſufferat Pontifex: quoniam itaque gloriæ erat illa functio, non Cherub, non Dominationes, aut Poteſtates legationem exercent: ſed, ad quem eſſe pertinebat gloriæ miniſtrum, Seraphim: O vile quondam, & plebeium Sunamitis nomen, poſt huius ſponſæ nuptias ter beatum, ipſiſque Reginis ſuſpiciendum! O & hoc adumbratum nomine dulce lignum, in quo ſalus mundi pependit! tu quondam nemoris vniuerſi vitium, horror populorum: nunc tam diuina arbor poſt Redemptoris mei charos amplexus, qualem nulla profert ſylua: Vtinam dulceſcat tandem palato meo fructus tuus: & timida hæc, atque ignaua anima totis te circundet vlnis! Egredere in ſalutem miſeri huius cum Chriſto tuo, vt fugiant à facie tua, qui oderunt nos: vóſque filiæ Sion quæ Salomonem in omni gloria ſua intueri tantoperè deſideraſtis, egredimini, & videte eum cum diademate, quo coronauit eum Mater eius Synagoga, in die, quo clamauit ſæpiùs; *Crucifige, crucifige, illum.*

Abul.

Qualia miniſteria Angelorũ, talia & nomina.

SECTIO XVII.

Reipublicæ, familiarúmque moderatores munia quæque noſſe, quandoque & exercere præſtat.

171. DOcuimus proximè elapſa Iſagoge, ſectione 6. fuiſſe, quibus arduum apparebat, ſponſum Canticorum, aut regia, aut excellentiori aliqua dignitate functum eſſe, eò quòd inſpexiſſent proletariis quandoque occupatum miniſteriis; putà, ipſe columbarium luſtrabat: vinitoribus præerat, quos ad laborandum incitabat: myrrham cum aromatibus demetebat: inuiſebat & Paſtores, & hortorum cuſtodes: Sed à nobis præmonſtratum eodem loco, Principem haud dedecere eiuſmodi exercitamenta: quin abſque controuerſia breuiſſimo interuallo

Sponſus Cãticorũ in omnibus exercitatus.

Reſpublicæ

Reſpublicæ ad felicitatis culmen peruenisſent, ſi talibus donatæ Topharchis, atque gubernatoribus eſſent, quibus honor, voluptáſque extitisſet, eruditos eſſe omni politica, atque œconomica ſcientia; Itaque, ſeu mari gerendæ res, quæ ad commune ſpectarent emolumentum, ſeu terra, ſiue pacis, ſeu belli tractanda ars; ipſe, qui cęterorum Dux, omniũ eſſe peritiſſimus; ipſe nauem conſcendere nonnunquam, ſub pellibus agere, Iudicum ſubſellia tenere, & integritatem, doctrinam, diligentiam Miniſtrorum obſeruare; Hæ Dynaſtarum veriſſimæ notæ; non autem productæ in longam noctem compotationes, & ludi; non calamiſtratus capillus, aut ſuffumigans veſtis; atque illa tota muliebris inertis aulæ facies; & ſi quando diſcurſus acuantur poſt rubiginem multam, & ingenij ſcintilla affulget, nulla de amplificandis imperij finibus; ſed ne de conſeruando veteri patrimonio cogitatio, non legiones, non roſtra, non Academiæ reformantur; ſed nouas oppreſſiones, noua ſubditorum onera conſultatio parturit.

172. Callidus ille Satan exploraturus, num Chriſtus, Dei Filius eſſet, ac inde & ſupremus Monarcha; nempe, cui Pater omnia tradidiſſet: *Dic,* (ait) *vt lapides isti panes fiant.* Matth. cap. 4. At, ſi Regem eſſe indagare volebat inimicus, cúmque, qui maxima niteret auctoritate, nónne potiùs ſupplicare oportebat, vti Angelis mandaret, lapides in panem conuerteret? hoc enim tantam poteſtatem decebat, per alios, quæ agenda eſſent, perficere; non ipſam ad minuta ea deſcendere? Sed tamen aſtutiſſimus ille meminerat, cùm Orbis conderetur fabrica, Patrem non commiſiſſe Angelis rerum molitionem; verùm in Filio, pérque Verbum omnia operatum eſſe, atque reſonaſſe crebrò tum dictionem, *Fiat*, quemadmodum Geneſeos atteſtantur exordia; itaque ab eo tempore didicit, apud diuinos Reges, Monarchaſque illos, quorum potentia inſuperabilis eſt, in more poſitum eſſe, vt ipſi ſuis manibus quæque attrectent; neque tantùm ad capitales ſpectabiléſque cauſas inclinent, verùm & leuibus etiam interſint: quare & hominem, & formicam pariter idem artifex conſtruxit, hoc dedecere minimè ratus Diuinitatem, quin magis Deum æſtimari, propterea quòd vniuerſa ædificauerit; Igitur, cùm ſciret à creationis initio Dei Filium, quæ facienda eſſent, ſua perfeciſſe opera, atque in difficiliori hominis opificio, non à creatura aliqua, & quopiam de ſeruorum turma mutuatum auxilium, ſed conuocatas alias diuinas perſonas, iudicauit, ſi modò is, quem aggrediebatur, ore ſuo pronunciaret, *Fiat* panis, neque id vicario Angelorum iuuamine, non poſſe non Dei Filium cenſeri, vtpote cui id antiquiſſimum fuerit, & qui optimo imperio dignum putauerit à Rege ipſomet ſingula peragi, cum cuncta ſcire, imò Principis ſcientiam ſupra modum vincere omnem ſubditorum artem; Scitè Paſchaſius Abbas in Matthæum; *Nouerat cæcus ſcripturarum inſpector, Deum in principio dixiſſe, Fiat, & ſic omnia feciſſe ex nihilo; nec tamen intellexerat, quòd hic eſſet illud Verbum, per quod Pater cuncta crearat: quod volens formidoloſus explorare, perſuaſit eo tenore dicendo, vt lapides panes fierent, quo didicerat, Moyſem litteris mandaſſe, Deum vniuerſa creaſſe*; Hæc ergo Verbi inſtitutio eximiis quibuſque Gubernatoribus imitanda: ſi cœli, aſtrorúmque diſponendæ legiones admirandæ pulchritudinis, ipſe agat Rector prouinciarum, aut certè facere ſciat, & inferiores Duces corrigere, quoties opus deſideret: ſi maria, fontéſque per ſuos diuidenda meatus, ſi telluris cultura vrgeat, ſi rationis capax, & quod in cætera dominatur, effigiandum animal, ipſe in labore primus, ipſe, à quo reliqui diſcant. Quàm ſub tali Imperatore glorioſum regnum! quàm ciuibus iucundum! quàm hoſtibus formidabile!

Matth. 4.

Vndeconiicere voluerit Satan an Chriſtus eſſet ſummus mũdi Monarcha?

Paſch Abb.

Atque ob hanc rationem arbitror priſci æui mortales Apollini inter Planetas regia tribuiſſe ornamenta. Diximus hoc de argumento ſuperioris Præludij Sect. 5. Subſect. 3. num. 91. & 99. nam, vt eodem loco affirmabamus, cæteræ conſtellationes à Phœbo claritatem, viréſque, quibus ſubiectis orbibus vtilitatem afferunt, accipiunt: proinde & ipſum adinſtar cauſæ vniuerſalis concepimus, quæ agat cum minoribus aliis, particularibúſque cauſis: ergo certè cum Marte bella exercet, cum Mercurio ſcientias docet, cum Ioue fulminat & tertet, cum Venere placidior eſt: ita in omnem gubernatum ſolus ſufficit. Nec miror iam per millena annorum curricula ſtabiles temporum vices, inconcuſſam rempublicam, & ſuo adhuc flore vigentem ſub tali rectore: quid enim non timeat Mars, quemadmodum acies diſponat, inimicum adoriatur, cùm armorum ſpectatorem habeat eum, quo nemo peritior; qui ſi fortiter agentem videat, gloria & muneribus cumulet; ſin ignauum, aut indoctum animaduertat, ſeuerè puniat? Quàm lætus ſuggeſtum Mercurius conſcendat coram Principe, cui non ſit neceſſe ex alienorum fide iudicium ferre de Oratore; ſed ipſa ad nectareum loquentis flumen ſtupeſcat attonitus & defixus, & inter primos regni arbitros connumeret os aureum, ad Magiſtratus euehat? Sic igitur quando & Principem, & Miniſtros idem rapit ardor, Reſpublica efflóreſcit, & compendio ad magnitudinis apicem peruenitur. Nunquid hoc inſtruat Ioſuë illud præceptum ad mundi egregia lumina? *Sol, contra Gabaon ne mouearis* (Ioſuë cap. 10. verſ. 12.) *& Luna, contra vallem Aialon, Steteruntque Sol, & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis:* Verùm, quamobrem ad Lunam quoque directus ſermo? non enim Diana poterat regnare, & noctem terris attuliſſe, niſi fratre eius cedente, Phœbóque in occaſum properante; Sufficiebat itaque, vt Sol ſtare iuberetur; nam eo ſtante Lunam quoque ſtare neceſſarium fuiſſet: Ac ſanè, quod ad ſtrictam attinet ſignificationem, puto repetitionem eſſe vnius eiuſdémque materiæ, à qua ſacra non abhorret pagina; Dabit exempla Ribera ad cap. 1. Sophoniæ, num. 5. & n. 26. Sed in ſubſidium præſentis ſcopi vtemur opinione Auctoris de mirabilibus ſacræ Scripturę, tom. 3. Operum Auguſtini, lib. 2. cap. 4. *Non enim,* (inquit,) *quia ad belli illuminationem Luna tunc in præſentia Solis proficeret, ſtare imperatur; ſed, ne quid incongruè luminarium meatu, per vnius quietem, & alterius curſum deſtrueretur; Nam, ſi vnum luminare curreret, dum alterum interim requieſceret, dierum, & menſium, & annorum aſſuetum curſum conturbaret:* Itaque Sole, aut immoto, aut currente, aſtrorum nanque Rege, cætera vel properant ſydera, vel quieſcunt: id tandem quid denotat? Scilicet, non poſſe alios eſſe Reipublicæ mores, quàm ſint Principũ: nam ab eo lumẽ mutuatur velut à Sole Latona: Quare, ſi torpor Monarcham occupat, & otio indulget iners, langueſcent ſtatus,

173. *Phœbus cur Rex aſtrorũ nũcupatus?*

Ioſuë 10.

Regula: Repetitio eiuſdem ſententia in Scriptura.

Ribera.

Auct. de mirab. 3. Script.

ex quibus conflantur prouinciæ ; ſi raptor , ſi tyrannus , ſi indoctus ; producet momento ſimiles ſibi innumeros : ſin autem exurgat ,& properet, & tanquam gigas exultet ad currendum,ſaliens in montibus ; id eſt, nunc caſtra & militarem diſciplinam exploret ; nunc Proconſules , Tribunos plebis , & Magiſtratuum ordines videat atque ſcrutetur , in primiſque de Iudicum ſapientia & æquitate diligentem quæſtionem moueat ; ſciat, & quales habeant publicæ Scholæ Præceptores ; fiet , vt cùm ipſe omnia peruadat , intueatur,penetret , tanto incitati exemplo ſubditi non ſolùm poſt eum currant ; ſed feſtinandi ſtudio aſſumant pennas vt aquilæ ad volandum : alioquin ſanè, ſi dominorum , eorúmque , quorum obedire eſt, heterogenea placita , atque vno quieſcente,alter in oppoſitum declinet , & moueri cupiat, turbabuntur omnia : *Si enim vnum luminare curreret,& alterum interim requieſceret , dierum, & menſium, & annorum curſum conturbaret.*

174. Dauid moriturus hæredi purpuræ Salomoni indicauit , ne inultum abire ſineret Ioab : Reg. 3. c. 2. *Tu quoque noſti* (inquit Reg. 3. cap. 2. verſ. 5.) *quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ , quæ fecerit duobus Principibus exercitus Iſraël, Abner , filio Ner, & Amaſæ , filio Iether, quos occidit , & effudit ſanguinem belli in pace* , &c. Iuſtiſſima quidem hæc vindicta, dignúmque ad nouum Regem Dauide monitum ; Verùm, cùm propterea admiraduerti in Ioab præceperit , quoniam is necem intuliſſet viris innoxiis,à quibuſque læſus non fuiſſet, cùm idemmet Ioab in cauſa fuerit, vt de medio tolleretur Vrias Hethæus , quemadmodum Regum liber 2. cap. 11. enarrat , fuerit autem Vrias ab omni crimine liber ; quamobrem non & huius interemptionis memoriam fecerat Dauid , & ſaltem hanc gratiam erga defunctum oſtenderet ? Sanè Vrias ſuccubuit Rege ſciente , imò eius decreto ; Abnerem , atque Amaſam inconſulto Principe Ioabus priuata auctoritate ſuperbus occiderat : Fuit autem hæc potiſſima occaſio interimendi Ioab ; ſic enim Salomon Reg. 3. c. 2. verſ. 32. *Et reddet Dominus ſanguinem eius ſuper caput eius ; quia interfecit duos viros iuſtos , meliores ſe , & occidit eos gladio , patre meo Dauid ignorante* At , nónne Regi multò commodius fuiſſet , vt etiam eo inſcio caderet in bello Vrias? ſi enim omninò illum latuiſſet, crudelitatis vitio non verteretur illi , nec ſupra adulterum , homicida pariter extitiſſet ? Cur igitur tantúm aggrauat Salomon , quòd præter genitoris opinionem occiſi fuiſſent Abner , & Amaſa ? Equidem hîc edocemur , ſic Principem ad vniuerſa, quæ intra Reipublicæ ambitum perpetrantur , attendere debere , vt non leuem regiæ Maieſtati iniuriam inferri arbitremur , ſi quidpiam dignum agatur , eius quod fugiat prouidentiam ; tam vigilem ad omnia Regum eſſe oporteat animum : Condecoremus hæc Toſtati Commentario , quæſtione 39. in cap. 2. lib. 3. Regum : *Patre meo Dauid ignorante , quaſi dicat : Si pater meus iuſſiſſet ei , quanquam malum eſſet , ipſe aliqualiter excuſaretur : ſicut fuit in occiſione Vriæ, quia fecit illum mori in bello de præcepto Dauid ; & tunc pater meus culparetur.* Ergo præcipuum Ioabi crimen , quòd Rege ignorante auſus ſit quodpiam aggredi. Heu! ſi & nunc idipſum Principes , atque Miniſtri intelligerent , hoc eſſe, quod ſupremos Dominos maximè vexaret , ſi inconſultis ipſis aliquid definirent ! Vix quibuſdam Dynaſtis præter nomen aliud relictum : ex amicorum nutu omnia geruntur ; & ſolus cuncta ignorat , qui ſolus omnia nouiſſe debuerat. Sed erit , cùm pro omnibus Rex Regum , qui lucem habitat inacceſſibilem , rationem exigat , quando iam ampliùs non liceat villicare.

Nihil inſcio Rege gerendum.

Toſtat.

Stupeo Angelum in ſomnis apparere ſemper 175.
Ioſepho , Virginis intemeratæ ſponſo , & cùm in Ægyptum itur , & cùm in Iudæam poſtliminio redeunt Mater cum puero , Matth. cap. 2. quippe Matth. 2. ſub veteri Fœdere non ita ; nam expergefacto Ioſuë oblatus Angelus Ioſuë c. 5. verſ. 15. & Ioſuë 5. Tobiam peregrinantem alter ex Spiritibus Raphaël comitatus : Verùm hoc præſtantius apparitionis genus , quando mens ſui capax integrè; decuit autem excellentiori viſione donari homines ſub lege gratiæ , & poſt Chriſtum : quid , quòd ſpeciali quodam iure ob præclariſſima merita debitum Ioſepho , quòd excelleret magis? Sanè , dum vetus perſiſteret Inſtrumentum , abſens erat quodammodo Princeps : nam Verbum erat apud Deum ; quare tum quidem permittebatur miniſtris palàm atque manifeſtè ſe in luce oſtendere,& quæ gerenda eſſent , ordinare, quèadmodum Proregibus licet ob Principum diſtantiam : illuceſcente autem gratia aderat Imperator , humanos nanque induerat artus Dei Filius, & ſpectabatur in forma viſibili : cùm verò diuinus hic Induperator aſſueſcat ipſum ſe in his , quæ peragenda ſint , exercere , Miniſtri autem norint, ab illis,niſi clam & latenter, non eſſe faciendum aliquid , quoties adeſt Princeps: propterea Angelus Ioſephum non audet palam alloqui , ſed cùm ſopor homines opprimit eius ſe menti infudit : Rupertus ad illud cap. 2. Matthæi: Rupert. *Ecce Magi &c. Ante minorationem talis Filij manifeſtè viſos fuiſſe Angelos legimus hominibus , ſeruis,& ancillis Domini; interim autem dum minor eſt, non manifeſtè,ſed in ſomnis:* Grata igitur, & iucunda poſt Euangelium inter Chriſtum , Angelóſque exorta contentio : nam, quoniam Angeli adminiſtratorij Spiritus ſunt in hominum ſalutem deſtinati , vellent opus perficere , ad quod miſſi fuêre ; non audent tamen præſente Domino , quòd hunc delectari norint , ſi ipſe adimplenda operetur per ſe , & abſque ſuſtituto : Quando itaque in publicum verentur prodire , & tamen miniſtrare deſiderant , ne officij inanis ſit titulus, dormientibus ſaltem adiunguntur , & hos velut furtiuè inſtruunt.

Grata inter Chriſtum & Angelos contentio.

Iſaïæ labia cùm purgare oporteret , *Volauit ad* 176.
eum vnus de Seraphim , & in manu eius calculus , quem forcipe tulerat de altari , & tetigit os illius. Iſaïæ cap. 6. verſ. 6. Ieremiæ tamen cùm lingua Iſaïæ 6. quoque emaculanda eſſet , non ex hierarchica Spirituum claſſe quiſpiam mandauit , ſed Deus ipſe miſit manum ſuam , & tetigit os , Ieremiæ cap. 1. verſ. 9. Quæ differentiæ occaſio ? an quòd lueret Iſaïas delictorum pœnas : gratia verò potiùs fiebat Ieremiæ ? ſic enim Hieronymi in cap. Hieron. 1. Iſaïæ interpretatio denotat : *Ibi enim* (ait) *mittitur vnus de Seraphim qui non manu, ſed forcipe, & carbone tangat os eius , & iniquitates auferat , & mundet peccata ; hîc autem ipſius Dei manus mittitur, non vt peccata auferat, quæ per pueritiam multa non fecerat ; ſed vt loquendi gratiam tribuat:* Decet verò ſupremam bonitatem per ſe ipſam beneficia præſtare ; quæ autem mœrorem afferunt, & cruciant , per alios exequi : Alia nobis cogitatio. Cùm Iſaïæ abſtergitur palatum , ſolius ipſius

Deus per ſe benefica exequitur, per alios ſeuera.

Variis

Vatis causa agitur; nempe, punitur, in quibus offendit; scilicet, quoniam fauces non aperuerit, & Numen vnà cum Seraphim non extulerit, quemadmodum Chrysologus putauerit sermone 57. in Symbolum Apostolorum; *Superhumano (ait) percellitur hic dolore; quia, quod de Deo sentit, & videt, loqui non valet, annunciare non potest:* Hæc igitur, quia neque latè patet causa, neque magnum scelus fuit, moderatum examen desiderat solùm; quasi sufficiens est ex Regis præscripto destinari Ministros, vti hîc contigit: nam pro eo, quòd Vulgatus; *Et volauit ad me vnus de Seraphim:* Septuaginta transtulêre; *Et missus est ad me vnus de Seraphim,* & coram Principis oculis modum castigationis perfici: Quòd autem Ieremiæ detergantur labia, quoniam purificandi occasio non paucos aliquos comprehendit; sed orbem penè complectitur, propterea grauissima est causa: quippe mittitur Legatus seuerus admodum & formidandus ad vniuersas penè nationes: Quid autem facere iubetur? *Ecce ego constitui te hodie super gentes, & super regna; vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes:* O horridum prouinciis nuncium! qualem tam ampla potestas desiderat Iudicem? Quanta in eo modestia, ne Regibus maior factus superbiat? quanta aduersùs contumaces magnanimitas? quæ erga miseros clementia? & prudentiæ quàm magna vbique necessitas, ne aut præpropera, aut lenta sit vindicta? Tot igitur cùm in Ieremia requirantur, non arbitratus est Monarcha expedire, vt de tam graui causa Ministri iudicarent; oportet nanque, quamuis sapientissimis abundet Consiliariis Princeps, & Aristides numeret plurimos; tamen, quoties grauiora vrgent & expediuntur edicta, quibus non mediocria aliqua continentur, verùm de possessionibus, de existimatione, de capite agitur, & quæcunque mortalibus charissima existunt, ea in discrimen vocantur, oportet sanè tunc à Reipublicæ Duce expendi, & commata, & apices; ipsum cogitare de cunctis, & à Senatoribus discere quidem, eorúmque in primis, & experientia & doctrina iuuari; sed non ipsi vt vniuersa agant, dissimulare. Ob hæc itaque Deus ipse manu sua os Ieremiæ tetigit, simúlque & in Legati, & in populorum solatium; lætantur enim plusquàm credibile sit, cùm animaduertunt subditi Principem sedulò incumbere in publici commodi incrementa, & disquirere ipsum, & perpendere capitalia omnia, eiúsque prouidentiam nihil altiori cogitatione dignum fugere; atque tum quidem Ministrorum reprehensiones ferunt mansuetè, quòd sciant, vnam, eandémque esse, & Magistratus, & supremi Rectoris sententiam.

Chrysol.

177. Quòd si aliter eueniat, & Ministrorum vicaria diligentia contenti Antistites subtrahunt se, ipsíque nihil agant; sed omnem in alios potestatem congerant; timor est ingens, ne vnquam subditi salutem, robúrque consequantur. Accessit ad Elisæum Sunamitis deiecta, & tristis: erat nanque anima eius in amaritudine, eò quòd filium, quem Vatis beneficio receperat, amisisset: indoluit Propheta, misitque puerum Giezi cum baculo suo, quem poneret super faciem eius, qui mortuus fuerat: paret imperatis Giezi: dat se continuò in viam: & vt peruenit ad ædes orbatæ genitricis, posuit quidem baculum super faciem pueri; sed incassum planè: *Nam neque erat vox, neque sensus,* (Reg. 4. cap. 4. vers. 31.) Quare reuersus in occursum Præceptoris, nunciat laborasse in vanum; non enim (inquit) *surrexit puer*; Itáne rediret defuncti spiritus tali antidoto, tam duro, atque acerbo? Erras, Giezi, si baculo animandos putas mortuos: foue, blandire, imprime labiis oscula, iniice in colla brachia, profer stolam primam, resonet in aula cytharista doctior, macta vitulum opimum & saginatum: sic pater misecors inuenit filium, qui perierat; sic reuocantur in vitam peccatores defuncti; vide, quid ipse Magister tuus agat, baculum abscondit, & ad oscula conuertitur, quippe *posuit os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius:* Discè igitur in posterum, non baculo sanare peccatorem; sed visceribus misericordiæ, longanimitate, dulcedine: Atque equidem hæc sufficiens causa, ne halitum recuperaret, qui excesserat; sed non potissima hæc tamen, verùm quòd Eliseus Vicario tantum opus commiserit; quid enim Vicarius facturus esset, ad quem de ouibus cura non pertinet? Certè non vitam daturus illis, abrepturus magis, quando neque lana, neque lacte contentus, pellem quoque miseræ ouiculæ detrahat: præclarum sanè Medicum! Verùm percipiamus à Bernardo sermone 2. in Cantica; *Probet veridicos nuncios suos Deus. si tamen nuncij eius sunt; & sequatur eos ipse, vt sapius promiserunt: quia sine ipso nihil possunt facere; misit puerum. tulit baculum, & necdum est vox, neque vita. Non surgo, non suscitor, non excutior de puluere, non respiro in spem, si non Propheta ipse descendat, & osculetur me osculo oris sui:* Et potuisset quidem Giezi rursus vitam in antiquos artus reducere, cùm vix Eliseus ille tam magnus & potens, qui duplici Eliæ spiritu donatus, potuerit? Certè non absque conatu maximo: quantus enim labor, & os ori admouere, & oculos luminibus coniungere, manibus aptare manus, quodque difficillimum, incuruare se, & puerum iterum fieri? Nouerint igitur populorum Antesignani & Duces, modò eos desiderium aliquod stimulat, vt aut Respublica conseruetur, aut iuxta pristinos dies, cùm gloriosè florebat, iterum ambulet; necessum esse, vt ipsi incuruentur, ipsi super puerum incumbant; nam, si virgam imperij indicem alteri tradant, non suscitabitur in æternum puer, non respirabit quidem in spem vitæ, donec Propheta ipse veniat, & osculetur eum osculo oris sui; ab eius, non ab alterius halitu frigida mouebuntur membra.

Cum peccatoribus blandè, & suauiter agendũ.

Bernard.

Prælati non debent Vicarijs totum committere: sed ipsi quoque pertractare causas.

4. Reg. 4.

178. Pugnatum à Iosuë contra Amalec, & interim Moyses stabat in vertice collis; *Cúmque leuaret Moyses manus* (Exod. cap. 17. vers. 11.) *vincebat Israël: sin autem paululùm remisisset, superabat Amalec:* Atque equidem conueniens fuerit, Moysem, interim dum à militibus dimicatur, orationibus vacare, hoc victoriæ ingens subsidium: Verùm, quæ necessitas tollendi in altum manus? Præbeamus & hoc ab eo reuerentiæ gratia perpetratum; sed poterat dimittere, cùm grauari inceperant, neque tam operosum quærere adminiculum, quod Hur, & Aaron tantùm accresceret laboris: Peruagata sanè expositio est adumbratum typo illo Crucis vexillum, in quo significabatur vincendos inimicos: at, cùm hanc etiam virga referret, quam manu portabat Moyses sufficiebat tantùm virgam prætendere, nisi fortasse puderet Moysem, qui cæterorum Dux existeret, otiosum quietúmque esse laborante subditorum multitudine; tamen si verecundabatur legislator, quòd nihil ageret in tanto omnium tumultu, poterat

Exod. 17.

Pudet, Ducẽ otiosum esse, laborantibus militibus.

discurſare per acies, hortari ad triumphum; ſin minùs ipſe ſcutũ, atque gladium arriperet? Quòd ſi orandi modum docere ſcopus fuit, meliùs genibus poſitus oraſſet, quàm ſedens; id, quod à Tertulliano adnotatum libro aduersùs Iudæos, & lib. 3. contra Marcionem: *Iam verò Moyſes* (ait) *quòd vtique tunc tantùm cùm Ieſus aduersùs Amalec præliabatur, extenſis manibus orabat reſidens, quando in rebus tam attonitis, magis vtique genibus poſitis, & manibus cadentibus pectus, & facie humi volutata orationem commendare debuiſſet*, &c. Facti hanc rationem meditati ſumus; gubernatorem in partem operum deſcendere præſtat; itaque & ab eo fieri, quæ ſubditi agant; nam, ſi alienæ curæ totum commendet, operam & oleum conſumet infructuosè: neque, ſi oneret miniſtros, ipſe autem iucunda, beatáque fruatur vita, patienter laturi ſint: Iam igitur Hebræi Moyſis ſubditi, cùm toto fatigarentur corpore, neque vlla requies daretur; manus tamen præcipuè laſſabantur; nam penes has omnis ferè exercitatio; illæ ferire hoſtem, illæ defendere amicum, illæ protegere bellatorem: Quando itaque in pugnam mediáſque acies intrare Legiſlatori negatum; puderet autem, Dux cùm eſſet reliquorum, non eadem experiri mala, quæ ſuſtinerent ſubditi; manus in altum ſuſtulit ad fatigationem vſque, vti liceret & Promacho gloriari, eandem ab eo verſatam molam, ratus hoc Imperatoris poſtulare titulum; neque tanto nomine dignum, qui non ipſe quandoque ſaltem eadem exerceat, quæ inferiores: Ac quidem tanto hæc à Moyſe commodo perpetrata, qui ſi aliud egiſſet, Amalecitam non fudiſſent milites? quid enim refert ſacer Textus? *Cúmque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſraël; ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec:* Quibus in verbis conſideranda particula; *Sin autem paululum remiſiſſet*; Quippe, ſi Ducis ardor, non dicam penitùs frigeat; ſed tepeſcat modicùm, inimici continuò extolluntur, & prævalent; ſuperabat nanque Amalec, cùm vel paululùm remittebat.

Tertull.

179. *Ex communium officiorum exercitio auctoritas non redditur contemptibilis.* Ioſuë 10.

Ergo Imperatoris ſummus honor, Reipublicæ vtilitas; maximè ſi eodem, & Præfectus, & miles agone contendant; neque contemni auctoritatem arbitrentur exercitio communium officiorum; Diximus exordio penè huius Sectionis, à Ioſuë imperatum Soli, contra Gabaon ne moueretur; ſubditque Hiſtoria ſancta; *Stetit itaque Sol in medio cœli: & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei: Non fuit anteà, nec poſteà, tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſraël.* Ioſuë cap. 10. Qua in ſententia peculiare viſum, quòd Deus hominis voci obediiſſe dicatur: Cur amabo homini? neque enim præter Ioſuë alius apparet? At Ioſuë Creatorem alloquutus non eſt, Solem, Lunámque adiurauit tantùm: ergo hæc Numinis quò ſpectauerit obedientia? Sanè volebat Creator, vti cœleſtes faces bellantis Miniſtri iuſſis obtemperarent; cùm verò noſſet optimum quéque Ducem eadem facere oportere, quæ ſubditis præcipiat, atque hac humanitate ſubiectorũ animos, pluſquàm dici valeat, excitari, obediuit ipſe; vt cùm Antiſtitem quoque parêre humanis imperiis viderent duo fulgentiſſima Olympi Lumina, ſine mora obſecundarent, quod & ab eis factum; & hoc, quòd Dominus hominis voci attendiſſe narratur: Parémque in ſcopum collimant illa; *Et pugnante pro Iſraël:* nempe, eodem Domino; ſcilicet, cùm intueretur ætherem obarmatum magnos grandinis iaculari lapides, de quibus recenſitum verſ. 11. plures illis obtritos, quàm gladius peremerit; ne ſegnis haberetur ſpectator, prælio ſe immiſcuit & dimicauit pariter.

Denique, ſi qualem eſſe deceat Principem, ſcire voluptas eſt, paucis docebit Eccleſiaſticus cap. 32. verſ. 1. *Rectorem te poſuerunt, noli extolli: eſto in illis quaſi vnus ex ipſis*; Nimirum, ſi veſtium cohibendus luxus, ſi gulæ ponenda meta, ſi ad pauciores redigenda clientela; ſit quaſi ex ſubditis vnus Toparcha, & ab eius exemplo aulæ, ad reliquas potentum diuitúmque regula prodeat; Conſulitur de nauali, de pedeſtri certamine, & qui Duces, qui ſcribendi milites, quæ optima bellandi ratio, quę vtiles machinæ, quando ineunda pugna, quo loco, quibus circumſtantiis; ſit quaſi vnus ex illis; videlicet, quibuſcum ea de materia tractandum, vt nemo ſit inter peritiſſimos legionarios, qui ſupremo Monarcha aptiùs loquatur, ſubtiliùs vniuerſa deſcribat; ſin autem de togæ, pacíſque cauſis ſermo incidat, & de ærario, de vectigalibus, de vrbium, arciúmque munitionibus diſputetur, aut fori negotia immiſceantur; ſedeat & ipſe in porta cum Senatoribus terræ; quaſi vnus ex ipſis depromat, quæ doctum oſtendant, mirentúrque Conſiliarij longas ſtudiorum ſuorum noctes vinci à deliciis enutrito; Quanta eſt oblectatio vel ſcribendo talem fingere Principem! Sed, cùm in his omnibus excellere ſummoperè optemus, tum ante omnia, vt modeſtia, grauitate, religione non ſolùm euadat qualis vnus ex ipſis, verùm vniuerſos ſuperet: Percipiamus à Bernardo epiſt. 42. ad Henricum, Senonenſem Archiepiſcopum; *Principem* (inquit) *te conſtituerunt; eſto inter illos tanquam vnus ex illis: Quomodo, tanquam vnus ex illis? Manens inter humiles ſuperbus, inter ſubditos rebellis, immitis inter manſuetos? Vt te putemus tanquam vnum ex illis, videamus tam exhibere paratum, quàm exigere obedientiam: videamus tam libenter Præpoſitis obtemperare ſubiectum, quàm imperare ſubiectis:* Huiuſmodi ſanè Princeps Canticorum ſponſus; nam quocunque te vertas toto Epithalamio, ſemper inueneris quaſi vnum ex ipſis nimirum, ſubditis: ſi enim bella vocant, electum ex millibus, ſeu, vt alij, vexilliferum inter mille reperias; ſi Capitolium, & Senatores interpellant, labia eius lilia diſtillantia myrrham primam, guttur illius ſuauiſſimum: & qualis in publico, talis intra penates; adit paſtores, confabulatur cum vinitoribus, in hortum ad areolam aromatum deſcendit, vt colligat lilia: atque ita omnibus omnia factus Dynaſta humaniſſimus, omnium amor eſt, omnium admiratio, vt non immeritò, quæ eius dilecta eſt, appellarit illum *totum deſiderabilem*; Quid enim in tam ſancto ac diuino Principe diſpliceat?

180. Eccli. 32.

Modeſtia, grauitate & Religione Princeps vniuerſos ſuperet.

Bernard.

SECTIO XVIII.

Euchariſtiæ epulum conuiuas ex prima nobilitate deſiderare, qui & Principes ſint.

181. DVm antíquum conuiuiorum morem proſequeremur anteactæ Præfationis Sect. 3. probauimus Subſect. 2. n. 23. quoties ſolenniſſima, & in paucis conſpecta ab Optimatibus ageretur pompa, vocatos ad ſympoſium, genialémque lætitiam

lætitiam laceros etiam & abiectos, & infima quæque Reipublicæ membra, quanquam non nisi benè compositi, & cœnatoriam induti vestem aulam ingrederentur, locúmve epulis destinatum; sed tamen hæc quamuis acciderent; nequaquam tamen vulgus hoc promiscuum vnquam ad Principis admissum triclinium; verùm ex procerum delectos turma tantùm cum Monarcha accumbere solitos: itaque ad mensam eam, quæ Regis splendebat persona, nemo sedere ausus, qui non ex flore nobilitatis, putà, Magistratuum præcipuos, castrorum, & militiæ lumina, aut paris ipso cum Monarcha auctoritatis; scilicet, purpura quoque, & imperio claros. O sacras conuiuiorum leges, & æternùm venerandas! quàm pulchrum magni artificis inuentum, Principes esse oportere, qui cum Principe recumbant! Quid, si illud conuiuium omne delectamentum in se haberet? Quid, si panis de cœlo esset, vinum germinans virgines, & caro Deitati coniuncta! Ad hoc epulorum genus, iustè Optimates, iustè Principes requiruntur: si quis Princeps non est, ei panis iste iucunditatem non afferet, quoniam panis hic pinguis tantùm Regibus delicias præbebit; edant rustici, & saturentur de aliis mensis, in quibus est ebrietas & luxuria; ad hanc mensam ingenuus solùm accedat: mensa hæc nobilium, & Dynastarum tantùm, in qua Deus ipse sumitur.

182. Vultis intelligere, non nisi Principes de sacri Corporis Sanguine participare? Num excidit vobis, quo loco Redemptor crucifixus? *Et venerunt* (inquit Matth. cap. 27. vers. 33.) *in locum qui dicitur Golgotha, qui dicitur Caluariæ locus*; Ac equidem Caluariam, id est, Cranium, appellatum spatium illud, nempe, quod in eo repertum sit primi hominis, Adæ videlicet, caput, qui ibi sepultus, Origenis, Athanasij, Augustini, Chrysostomi, Ambrosij, aliorúmque Patrum, quos numerat Maldonatus, & vetus & nobilis cogitario fuit; Sed, quorsum hunc passioni locum specialiter destinauit Christus, & in quo Crucis exaltaretur vexillum? Num, vt tam diuino liquore madefacta ossa arentia certam spem resurrectionis conciperent? nam hic de fructibus cœlestis huius alimoniæ: atque id significare visum Tertulliani carmen:

Matth. 27. *Caluariæ loco num sepultus primus homo Adam.* Orig. Athanas. August. Chrysost. Ambros. *Eucharistia immortalitatē præstat.* Tertull.

Golgotha locus est capitis Caluaria quondam:
Hic patitur Christus, pia Sanguine terra madefit:
Puluis Adæ vt possit veteris cū Sanguine Christi
Commixtus, stillantis aquæ virtute lauari.

Sanè nullus vnquam inter humanos Monarchas extitit, cuius imperium & potestas Adæ dominatui conferri valeat: quippe orbi integrè præpositus, & animalia quoque nutus obseruabant; super his Paradisi moderator; Principum ergo ille Archiprinceps: ad hunc itaque confluebant de alto cadentes sanguinis stillæ, vt cùm à Regum maximo excipi cruorem immaculatum animaduerterent mortales, colligerent, quales esse deberent, quibus Christi Sanguis creditus sit; nempe, Reges, & quidem qualis Protoplastus, qui animalibus imperent, quibus inferior sensitiua obtemperet portio; Super hos exurgit gloriosè Crucis victoriale ferculum, & solatur inter cruciatus, & vulnera Redemptor, dummodò similes inueniat, à quibus bibantur decurrentes è sacro vertice riui.

183. Cùm fugeret persequentem Saülem Dauid, diuertit ad Achimelech Sacerdotem, atque fame vexatus; *Nunc ergo* (inquit) *si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quicquid inueneris.* Reg. 1. cap. 21. vers. 4. *Respondens Sacerdos ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum; si mundi sint pueri, maximè à mulieribus, manducent*; Atque equidem fuisse panem hunc Dominici Corporis symbolum testatur Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, Ambros. lib. 5. in Lucam, ad cap. 6. Euangelistæ. Procopius in allegatum hîc ex Regibus locum, Lyranus ibidem explanatione morali, Abulensis quæst. 13. Verùm, cur à mulieribus præcipuè desiderat purificatos esse? an quòd hoc malum plusquàm reliqua vitia mensa illa abhorreat infiniti nitoris? Sic Tostatus, vbi nuperè allegauimus: *Maximè ait à mulieribus, id est, ad comedendum de pane sancto requiritur omnis munditia, & maximè munditia à mulieribus: quasi dicat: Etiamsi non essent mundi quantum ad alia; dum tamen essent mundi à mulieribus, poterant comedere de sanctificato pane.* Sed, quæ litem potiorem excitat, altera est horum verborum translatio, quæ pro mulieribus *vxores* legit: placuit Hieronymo 1. contra Iouinianum libro: *Panes enim propositionis* (inquit) *quasi Corpus Christi de vxorum cubilibus consurgentes edere non poterant: ideò dictum est ad Dauid fugientem: Si mundi sunt pueri ab vxoribus.* At quam poterat labem aspergere accessus coniugalis, sub veteri præsertim Fœdere? nam tum in honore matrimonia? Scio quidem animaduersum à Tostato piè, atque sapienter, quæst. nominatæ 13. *Honestum esse obseruare in coitu coniugali, vti, scilicet, qui Eucharistiam suscepturus sit, caueat coniugalem accessum per aliquot dies saltem per tres; nam, quanquam* (ait) *Ecclesia non obliget sub pœna peccati mortalis suscepturos Eucharistiam ab vxoribus abstinere per aliquem diem; tamen per modum consily, & honestatis dixit, quòd per tres dies ante susceptionem Eucharistiæ ab amplexibus coniuges abstinerent*; Salubre hoc monitum sanè: verùm quod satis fuerit in gratiam veri Panis atque viuifici obseruari, non in fauorem ænigmatis. Dicemus igitur, loquutum in parabola Achimelech, & respexisse ad Panem sanctum nouæ legis, cùm, vtrùm ab vxoribus puri essent, interrogauit? Nempe, differunt, qui matrimonio iuncti sunt, ab iis, qui soluti, quòd regiam quandam potestatem repræsentant coniugiis liberi; nimirum, sui integrè iuris sunt: at, postquàm vir vxori alligatus est, iam non suus omninò; sed vxoris quoque, quæ in mariti corpus ius habet. Igitur significat ab vxoribus liberos esse debere, quòd sic quidem Reges facti, tum demum idonei existant, qui Dominico vescantur Corpore: quoniam comedentes postulat, qui Principes habeantur, qui regia eniteant auctoritate; ideò signatè interrogat, num ab vxoribus mundi sint.

1. Reg. 21. Ambros. Procop. Lyran. Abulens. *Eucharistiæ mensa luxuriam specialiter detestatur.* Hieron. *Suscepturi Eucharistiæ per tres dies soliti ab actu coniugali abstinere.* Tostat.

184. Implexus Isaïæ versus quintus cap. 21. *Pone mensam, contemplare in speculo comedentes, & bibentes: surgite Principes, arripite clypeum:* Ac sanè, quoniam hac non vacat data occasione expendere pro dignitate, acquiescamus communiori placito, nempe ad Balthasaris epulum respexisse Prophetam, quando scribentes in pariete digiti monuerunt, affuturum velociter hostem, & relinquendos scyphos, arripienda arma. O labiles nimiùm mortalium choreas, & gaudia ab ipso statim initio fugientia! Vix ad mensam accumbitur, & cùm deberet plectrum resonare, intonat

Isa. 21. *Humanum gaudium instabile.*

Bellona

Bellona classicum, & irroratur sanguine pauimentum, quod paulò anteà vina odorata madefecerant! Fruatur amodò infelicibus epulis gens absque consilio: veniat super illos interitus, quoniam intelligere noluerunt, & vasa magna Dei profanarunt; eamus nos ad sapientiæ domum excisam columnis septem, & ipsa immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam; De ea, in qua Christi manducatur Caro, vti Hieronymus, atque Glossa Isaiam interpretati, Stridonensis sanctus in illud, *Corrui, cùm audirem*, &c. *Vnde Propheta præcipitur, vt vescens in mensa Domini, & illius saturatus cibo, diligentiùs contempletur, quæ ventura sunt mundo: dicitúrque per eum ad omnes credentes, vt comedentes, & bibentes Corpus, & Sanguinem Domini, vertantur in Principes Ecclesiæ, & cum Apostolis audiant: Surgite; arripiántque clypeum fidei de armatura Apostoli Pauli, in quo possint ignita Diaboli iacula extinguere*: Sed, quare Principes surgere iubentur, & à iucunditate ad labores transferuntur? Quare clypeo obtegi, arma assumere? Nónne seruis potiùs id præcipiendum fuerat? Videlicet, vt quiescentibus dominis, séque oblectantibus illi dimicarent? Sic, nimirum, quotidie accidit: ducunt in bonis dies suos Reges, atque Toparchæ; interim decertant subditi: Sanè arbitror, Prophetam sic iussurum, si quempiam contemplatus fuisset seruilis, inferioríque naturæ: at vniuersum cùm lustrasset triclinium, neminem intuitus, qui non esset de Principibus; quare nisi ad Principes non potuit esse adhortatio; Sed, quorsum in ea cœna nullus, qui non ex Proceribus? Scilicet, erat conuiuium eucharisticum, quod alios quàm Optimates non admittit ad accubitum; Atque attende, vt huius mensæ hospites speciatim ad bella excitantur; sunt quippe firmamentum & robur matris Ecclesiæ: Nónne obstupescitis, qualis euaserit Aquinas hoc potatus calice, hoc saginatus pabulo? Princeps vtique diuinioris scientiæ: quanta vnus edomuit monstra, quot vicit hæreses, qualem subiugauit impietatem?

Hieron. Glossa.

S. Thomæ Aquinatis laus.

Dicamus de altero Principe, quem hæc dedit
185. mensa, cùm adhuc in imagine, & sub lineamentis esset; *Humiliatúsque est Israël valdè in conspectu Madian, & clamauit ad Dominum, postulans auxilium contra Madianitas*: Iudic. cap. 6. vers. 6. Misertus Creator populi sui, misit de conuexo in solamen Angelum; habuerat autem in mandatis supernus Minister, vt Ducem, Principémque multitudini nominaret, cuius fortitudine, atque industria de hoste triumpharent; *Cúmque Gedeon excuteret, atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini, & ait; Dominus tecum, virorum fortissime: vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israël de manu Madian*: Obsecro, quæ hactenus documenta præbuerit Gedeon roboris, atque magnarum virium? Num vrsum, aut leonem interfecit, quemadmodum Dauidi vix pubertatem egresso contigit sequuturis temporibus? aut paucis associatus de conferto exercitu victoriam reduxit? Nouimus hactenus solùm hominem agricolam esse, doctum purgare triticum in cellario; sed alia est agricolandi disciplina, alia castrorum scientia: Prouidè tamen Angelus ex omni populo maluit, Gedeonem Imperatorem declarare, idque quòd aspiceret inter frumenta versantem: quid enim illud frumentum sub emblemate, nisi Christi Corpus? Atque Synagogæ vexatio, Catholicæ Ecclesiæ labores repræsentabat: Quis igitur idoneus ad liberandam Matrem Ecclesiam, ad confringenda inimicorum capita? Quis dux, quis Princeps in exercitu! Sanè qui tritici ingrediuntur torcularia, qui edunt de Corpore Domini, déque illius bibunt calice salutari: hi aduersùs Madian procedunt impigrè, quibus & ipse panis gladius est; sic enim per somnium Gedeoni oblatum; & quamuis ad hostiles acies comparati numero pauciſſimi sint, vincunt tamen facilè: nam fortissimi virorum sunt, quemadmodum & Gedeon, à quo ductantur, tales, qui triticum purgant, qui Dominicæ assuescunt mensæ, Ambrosius videbitur fortasse aliquantum insinuasse Proœmio in libro 1. de Spiritu sancto: *Hierobaal* (inquit) *cùm sub arbore, vt legimus, quercu, tritici messem virga cæderet, accepit oraculum, vt à potestate alienigenarum in libertatem Dei populum vindicaret: nec mirum, si est electus ad gratiam, cùm sub vmbra iam tum sacræ Crucis, feracis segetis sensibilia de latibulis frumenta produceret.*

Iudic. 6.

Ambr.

Duæ mortalium classes Christum in præsepi
186. vagientem & viderunt, & submissis coluêre votis; Reges ab Oriente syderis tracti fulgoribus; Pastores ex vicinia angelico impulsi hortatu: verùm non satis apta hæc apparet coniunctio; neque Verbi subseruiens finibus, quos sibi præfixerat: quippe, si humilitatem ab exordio docere voluit, id, quod & iumenta, & stabulum indicant, quid vilem domum subintrant Reges, aurum, myrrha, suffitus? & Arabum circundatur multitudine, replentur dromedariis circuniacta spatia? Itáne humilitatem persuadeat, si Reges vestigia lambant? Quid supra hæc Orbis Monarchæ? Imò nemini tantùm gloriæ aliquando concessum: Quòd si vnus quasi de Principibus terræ haberi voluit, quorsum ad oscula abiectissimam ruris plebem admittat, & fœno recumbit genitrix? Hoc quidem est, neque humilitatem, neque maiestatem profiteri; Veruntamen sic fecisse oportebat: Venerat Seruator, vt ab eo homines discerent submissionem, paupertatem, despectum: horum gratia & accersiuit pastores, humile vulgus, & cum animantium stultioribus versatus ab exordio, præsepis angustias quoque non abhorruit: sed cùm in Bethlehem, quæ panis domus explicatur, nasceretur, indicabat, & venisse se, vt Corpus aliquando sub panis, Sanguinem sub vini speciebus præberet hominibus in salutis pignora; nam rectè Gregorius ex homiliis in Euangelia 7. *Qui benè etiam in Bethlehem nascitur: Bethlehem quippe domus panis interpretatur: ipse nanque est, qui ait: Ego sum Panis viuus, qui de cœlo descendi: Factus homo, fœnum nostrum vertit in frumentum, qui de semetipso ait; Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: Vnde & natus in præsepio reclinatur, vt fideles omnes, videlicet, sancta animalia carnis suæ frumento reficeret: ne ab æternæ intelligentiæ pabulo ieiuna remanerent*: Quemadmodum igitur, eò quòd humilitatem docere venerat, quales essent futuri discipuli, quos ad huius gymnasia virtutis admitteret, pastorum accitu indicauit: sic, cùm in domum panis descendisset, quales futuri essent, qui eo ex Pane vescerentur, Regum demonstrauit exemplo, vt pote Monarchas, & Principes esse oportere: ac proinde congruè pariter, &

Quæ Regum & Pastorum ad Christi præsepe venientium cõnexio?

Greg. Pap.

& Optimates, & pauperes ad nati infantis venêre mapalia.

187. Isaiæ 6. Verùm materiam hanc singulariter exprimit Seraph ille ad Isaïam missus cap. 6. qui & calculo purificauit eius labia; suppono autem inter nouem Angelorum discrimina supremam arcem contingere Seraphicis; itaque apicem tenent, quemadmodum probat P. Molina ad quæst. 108. 1. partis, disp. vnica, §. *Porrò inter Angelos*, &c. Leo Castrensis ad illud Isaïæ, cap. 6. *Seraphim stabant*; Iam verò & alia eodemmet loco probatur doctrina ex Dionysio de cœlesti Hierarchia, c. 13. à Leone, eámque scholæ venustiùs accommodat noster Gabriel Aluarez ad vers. 7. *Et tetigit os meum*, &c. nempe, ex supremo ordine haud quaquam mitti Spiritus; sed committi, quæ gerenda sint, inferioribus. Quomodo igitur nunc missus fuisse doceatur Seraph, ad ministerium præsertim non speciosum, neque lucidum abstergendi scilicet prophetale labium? Sanè illius doctrinæ ea suauior fuerit interpretatio, si communiter ita contingere arbitremur; verùm aliquando, in magnis nimirum causis, secùs euenire, quod Aluarez planè sentit, & Molina pié opinatus est de suprema classe missam ad Deiparam, quod meo iudicio certum est penè, cùm, etiamsi regula fuisset, quæ vetaret mitti ex eleuatissimo ordine, MARIA communibus soleat eximi legibus; Et certè Leo Castrensis prætermissum esse hunc ordinem, & Isaïæ dignitati tributum affirmat, vt ad eum mitteretur Seraph; cuius sententiæ Patronos allegat Gregorium Theologum, atque Chrysostomum, ex quorum verbis non absurdè colligatur: ego autem putauerim, non tam gratia Isaïæ immediatè factum, quàm mysterij, quod repræsentabatur; Igitur apud eundem Castrensem Theodoretus calculo illo, quem Seraph de altari subleuauit, Christi Domini sanctissimum Corpus adumbratum autumat, quod quidem intermedia forcipe Angelus arripuit, quoniam ne angelicæ palmæ, earúmque sanè mentium, quæ ab amoris fornace nomen meruerunt, satis dignæ sint, quæ tam sublimem escam attingant; Verba apud Castrensem sunt; *Sunt supremi omnium Angelorum Seraphini, neque manu tamen diuinum Corpus attingunt, rem sanctiorem quærunt, forcipe accipiunt*: Quando igitur Eucharistiæ symbolum illud extitit, & quales esse debeant, præsertim, qui administrant, porrigente Seraphino indicatum, vide facilè arcanum omne patefactum; equidem ordo communis hierarchicæ gubernationis postulabat, vti mitterentur de inferioribus nunciis: at ordo Sacramento Corporis Christi conueniens exigebat, exerceri grandem functionem ab aliquo Principum; Iam verò monstrauimus, Seraphinos Principes esse; vtpote, quibus subiiciantur reliqui Spiritus; Cùm itaque aut vnus, altérve ordo seruari non posset, præualuit, vt maior, scilicet, potiórque ordo Eucharistiæ ministrandæ congruens, ne alius quàm Princeps daret tritici mensuram in tempore suo, ac proinde de Principibus vnus amandatus, Seraph, videlicet; Exponamus vulgari philosophantium exemplo: dicunt quidem, aquam, suanimitum grauem natura, deorsum ferri: quorsum itaque per tubos & canales sursum attollitur? num Creator se naturis rerum accommodat? Decreuêre assurgere, ne vacuum detur; Itaque, cùm à natura vtrunque sit; & ne aqua in altum subleuetur; & ne vacuum exhibeatur; præstantiori tamen iure, vtilioríque exigit vniuersitas creaturarum, ne vacuo relinquatur locus: cedit igitur, quod minus est, excellentiori. Ad hunc modum, vt ex paruis summa declaremus, cedit illa hierarchicæ gubernationis lex alteri legi exigenti, vt Minister Dominici Corporis Princeps sit, quoniam hæc de Christi corpore excellentior regula est.

Seraphim, supremus Angelorum ordo. Molina. Leo Castr.

Ex supremo Angelorum ordine num mittantur aliqui?

Aluarez. Molina.

Leo Castr.

Nazianz. Chrysost.

Theodor.

188. Sed videamus, quali officiorum genere Abrahamum è pugna reuertentem cum gloria Melchisedechus excipiat; *At verò Melchisedech, Rex Salem* (Genes. cap. 14. vers. 18.) *proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi,) benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelso*, &c. Verùm, quæ noua hîc atque nimirùm insolita excipiendi ex certamine cum triumpho venientes, forma? vbi laurus, quæ cingat victricem frontem? vbi palmæ in manibus? vbi catenati ante Duces, & Pæan canentium numerus, & vulgi confusus strepitus lætantis? Ergo redierit Abraham fame propè enectus, & solatium attulerit Melchisedech esurienti; Sic quidem Rabbini fabulantur, quos Nicolaus optimè confutat asserens; *Dictum est enim supra, quòd illi quatuor Reges, quos debellauerat Abraham, asportauerant de Sodomis vniuersa, quæ ad cibos pertinent, nec poterant adhuc omnia consumpsisse; nec fugiendo poterant secum portasse; & ideo Abraham ibi inuenit satis de victualibus, pro se, & pro populo suo; & hoc etiam patet per litteram sequentem*, &c. Deinde etiam illud mouet, cur hoc potissimùm tempore, his circunstantiis, & neque anteà vnquam hoc obsequij genus à Melchisedecho præstitum? Denique & animaduersu non indignum, quoniam, exceptis vino, & pane, alia non adiunxerit, neque ex Oceano, neque ex syluis, montibúsve petita. Verùm exploratum est, hoc hieroglyphico Christi præfiguratum sacerdotium; pane, atque vino indicatam Eucharistiam: Non profero testes in re notissima: abundant apud huius capitis Geneseos Scholiastas, & apud Paulinos Interpretes ad caput septimum epist. ad Hebræos: Ergo ante hoc tempus non patebat quidem, Abrahamum Regem esse; nunc verò eius dominationis non obscura argumenta; quòd regia pollentem auctoritate iure coniectari possimus, qui tot debellaret Toparchas, & æqualis potentiæ cum iis, quos subiugauerat; Regio igitur fulgentem splendore cùm Melchisedech animaduerteret, ratus hoc insignitum honore idoneum esse, cui Dominici Corporis committeretur alimonia, cùm Sacerdotes sub gratiæ lege ipse præferret, Abrahamo panem & vinum obtulit: sed, cùm animo statuisset Melchisedech, panis, atque vini oblatione Abrahæ triumphum cumulatiorem reddere, quamobrem non per seruorum, clientúmve aliquos donum misit victori? at ipse portitor fuit, præsertim cùm docuerimus eo, quod præcessit Anteloquio, Sectione 6. num. 127. Melchisedechum supremum Palæstinorum Monarcham extitisse, qui sub imperiis plures haberet Reges? Sanè vel ob hoc, munus alteri non credidit: ipse nanque Sacerdotem, Ministrúmque inclyti sacrificij repræsentabat; Quare innuebat tota illa actio, vt debeant quidem Reges esse, quotquot ad hanc mensam accedant; eius tamen, qui Minister, tantam esse oportere excellentiam, vt Regem dici non sufficiat, nisi Archiprinceps sit, & Regum Rex, dominantium Dominus.

Lyra.

Melchisedech panem & vinum Abrahamo obtulit non per seruos aut clientes, sed per seipsum: cur?

Vbicunque

189. Matth 24. *Vbicunque fuerit corpus* (inquit Seruator apud Matthæum cap. 24. vers. 28.) *illic congregabuntur & aquilæ*; Sed, quare non dixit, & couros, *qui & de morte pascuntur*, de cadaueribus, scilicet, vt loquitur Aug. tom. 9. in Ioan. tract. 6. atque hanc ob causam, quòd mersorum cadauerum delectaretur sagina, nõ fuisse reuersum, quem Noë Gen. 8. v. 7. emiserat coruum; idem sanctus Pater arbitratus ex quæstionibus in Gen. 13. Chrysostomus manifestè hom. 26. in Gen. *Quare* (inquit) *non redijt coruus? Fortasse, cùm sit auis immunda, incidens in cadauera hominum, & brutorum illis, tanquam inuento sibi congruo cibo, insedit:* Quod est igitur corpus, ad quod aquilis conuolare tantùm concessum? Profectò aquila volucrum Regina, quemadmodum Plinius scribit lib. 10. c. 3. atque in omnium labiis fertur: est itaque Corpus, de quo non nisi, aut Reges, aut Reginæ vescuntur, sacratissima Redemptoris Caro: de hoc verum, quoniam neque coruo, neque immundis alitibus appropinquare liceat, nisi velint iudicium sibi manducare, non diiudicantes Corpus Domini; Aquilarum esca est, quoniam illæ Reginæ; O concessas aquilis incomparandas dotes? Solem apertis, defixisque luminibus contemplantur; ipsum æthera volatus penè attingunt altitudine; celeritate Euros imitantur, si quando senio fatigantur, iuuenescunt iterum facilè; nil tam generosum inter pennata: robore, nobilitate acumine vincunt: quidni, quorum cibus manna omnem saporem suauitatis in se habens? Inuideo vestram fortunam super omnibus thesauris, super omni iucundo & delectabili, genus electum & regale, volucres sanctæ, vos aquilæ magnarum alarum, quæ de medulla cedri vescimini; Haurite à Chrysostomo de aquilis istis hom. 34. in illud cap. 10. epist. ad Corinthios prioris: *Omnia mihi licent*, &c. *Accedamus, & aquilæ in hac vita facti ad ipsum cœlum, vel potius supra cœlum; vbi enim cadauer, inquit, illic & aquilæ: cadauer, Domini Corpus propter mortem; aquilas autem appellat, vt ostendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc Corpus accedit, & nihil cum terra debere esse ei commune; neque ad inferiora trahi, & repere; sed ad superiora semper volare, & in Solem iustitiæ intueri, mentisque oculum acutissimum habere; aquilarum enim, non graculorum hæc mensa est.* Nos certè coruos abegimus, quòd immunda sit auis, & tyrannica: verùm neque graculos accedere Chrysostomus sufferat. Heu! quanti excludendi, si nec graculorum mensa sit!

Genes 8. Chrysost. *Coruus cadaueribus oblectatur.*

Augusti.

Plin.

Chrysost.

190. Atque ab his tu disce, cur ille perditi genitor adolescentis, cùm deberet pascere, vestit magis; neque quidem indigentiæ succurrit tantùm, sed in componendo, in ornando, tanquam si de thalamo processurus sit, & sponsæ obuiam progrediatur, & ipse, & seruorum occupatur multitudo: Vide Pater sancte, quoniam puer hic pane magis indiget, quàm panno: panem, non amictum desiderabat, quando nec siliquæ dabantur, atque vel mercenariorum quidem panem: Quòd si etiam necessaria vestis, quoniam & frigore penè enectus, da nunc potiùs, quibus calefiat, & spiritum recuperet; non quæ ad pompam & ornatum solùm deseruiant, annulum, stolam primam, sandalia? Verùm genitor iste portiget quidem libenter panem, & non mercenariorum, sed angelicum; dabit epulum plenum, & inebriabitur ab vbertate domus eius: sed, quoniam in gratiam illius statuit vitulum saginatum occidere, id est, dare illi Corpus suum; hoc enim vitulus ille significabat, vt interpretatur Hieronymus epistola ad Damasum de duobus filiis, Lyra in cap. 15. Lucæ: *Et adducite vitulum* (ait) *id est, Sacramentum Eucharistiæ, in quo immolatur Christus, qui est vitulus saginatus propter gratiæ pinguedinem*; non poterat ad tam grande conuiuium accedere, nisi tanquam vnus de filiis Principum, aut Consulum; *Perdiderat enim dignitatem* (ait Glossa) *& nudis pedibus Pascha celebrare non poterat*; Sed & alius in tenebras exteriores amandatus, quoniam ad cœnam intrauit non habens sympositalem vestem, proinde vt in regio decore appareat, genitor imperat stolam primam ex capsula proferri: erat autem hæc, quæ ad talos descendebat, vestis communis, & virginibus, & pueris; nam eandem & indutus legitur Ioseph, cui Israël polymitam tunicam fecit, Genes. 37. vers. 3. & Thamar Reg. 2. cap. 13. vers. 18. cum polymita etiam tunica, ex Pagnini, atque Vatabli translatione; vulgatus nominat talarem amictum, quo vsas asserit virgines Regum filias: De annulis diximus aliquid Anteloquio 4. Sect. 6. num. 44. Calceamentis verò diuisos à pauperibus locupletes, nobiliores à mediocribus; fuisse quoque Regibus peculiares calceorum formas, quibus innotescceret imperialis majestas, ostendit Dempsterus Paralipomenis ad cap. 36. lib. 5. Antiquit. Romanarum Ioannis Rosini: His adornatum insignibus, quæ regium componebant fastum, ad epulas introduci parens volebat; quoniam sic postulabat tanti conuiuij auctoritas, quod, nisi regio fulgentes splendore, hospites non admittit; vtpote, in quo non tauri pingues, non altilia, aut de mari extracti offeruntur pisces; sed manducatur Caro, & bibitur Sanguis Agni, qui occisus est ab origine mundi, qui eius venit tollere peccata: propterea & vt hoc ipsum nostrum repræsentaret Epithalamium, quamuis ad nuptiale prandium atque cœnam admissi plurimi mortales, atque ex omni hominum gradu, tamen vnà cum sponso, & eius dilecta recumbere non nisi, aut Optimatibus indultum, aut Heroïnis: Qui igitur desiderat gustare, quàm suauis est Dominus in sua dulcedinis mensa, relinquat vulgi mores, & peccatis obscuratam, quam conditionis exordio accepit à Deo regiam imaginem, redintegrare studeat: sic condecorato fiet pabulum istud in vitam æternam.

Hieron.

Glossa. *Stola, vestis nobilium.*

Gen. 37. Pagnin. Vatabl.

Calceamẽtis diuisi nobiles à plebeu.

Dempster.

SECTIO XIX.

Toleramus sine fastidio, & cum voluptate aggredimur, quæ nostræ propensioni, & studiis cognata sunt.

191. SÆpissimè demirati sumus, quid sponsum impulerit, vt derelictis patriis Virginibus, quarum maximus splendor ob generis vetustatem, ob possessiones & diuitias incomparabiles, ob ingenij acumen, & dulcia faciei lineamenta; ei fœderatus sit Puellæ, cui stirpis exordia vilia, & inhonora, quem semper paupertas comitata est; sed rectè admodum singulari iudicio præditus iuuenis: quippè huius etsi rusticanæ Puellæ & tenuioris census mores omnino similes, nam animus ad verecundiam, honestatémque formatus Adolescentis configurabatur menti;

Quoniam

Quoniam igitur Matrimonij onerosum sciebat iugum, vt quàm possit leniter sustineret, elegit spiritu sibi parem Sponsam, nec vultus gratia discrepantem; sub tantæ similitudinis affinitate nihil tam graue, aut inauspicatum, quod non cùm delectatione tolerari possit; cum tamen si Marito diametra vxor extitisset perpetuis in iurgiis vita traduceretur; ita enim comparatum est in humana natura vt quibus quisque assueuit, eas benignè amplexetur artes, & quod asperum videbatur, propensio moderetur, nauseámque similitudo facilè repellat; peregrina & insolita horrorem pariunt; scilicet hanc ob causam mitissimus IESVS cum in noua lege Sacramenta plura instituerit ad æternæ salutis compendium, voluit materiam esse, quam homines libenter adamassent quòd communibus vsibus mortalium cognata esset; talia panis, vinum, aqua, oleum, id quod perquambellè Ioannes aduertit Damascenus lib. 4. de Fide orthodoxa, cap. 14. *assueto igitur condescensu vsus, per consueta naturæ ea facit quæ sunt super naturam; & quemadmodum in Baptismate quia consuetudo est hominibus lauari, & oleo vngi, coniunxit oleo, & aquæ, gratiam spiritus sancti, & fecit illud lauacrum regenerationis hunc in modum; quia mos hominibus est panem manducare, & vinum & aquam bibere, coniunxit his ipsis suam Diuinitatem & fecit hæc suum Corpus & Sanguinem; vt per assueta, & quæ sunt secundum naturam, in iis quæ super naturam collocemur.*

Cur Christus voluit materiam Sacramentorum esse res maximè nobis communes, & consuetas? Damascen.

192. Formaturus mulierem Deus inquit: *Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Genes. cap. 2. vers. 18. disquirere placet quamobrem cætera dum moliretur animalia, non dixit eadem cum phrasi, Homini se *adiutorium* producere? imò quidem memorato nupertimè capite postquam Moyses retulit, allata animantia cum volucribus coram Adamo, vt nomina imponeret illis, subiunctum continuò; *Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius:* Quid ergò? non ad hominis subsidium leo & vrsus & panthera, qui si inimicos haberet, pro eo decertassent? nonnè ad voluptatem, quæ & ipsa opitulamentum est tam varia in auibus pictura, tam dulcis, & multiplex sonus? quorsum itaque de muliere tantùm, *faciamus ei adiutorium?* profecto & cooperabantur homini, & pro cuiusque instinctu adiuuabant cæli, terræque animantium genus, itaque non adiutorium desiderabat Adam, sed adiutorium simile sibi, eiusdem sigilli, & imaginis, proinde cum mysterio superiùs cum de animantibus Sermo, adiectum: *Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius*; scilicet non deerat absolutè qui adiuuaret; sed inopia tantùm Adiutoris similis ipsi: Verùm, quid si non similis dummodo Adiutor tamen? ô certè mirum in modum prodest Adiutorium simile esse; Nam perpende singularem penitus rem: circumseptus erat Protoplastus infinitis pulcherrimorum animantium turmis, quæ ad nutum obtemperabant; cùm tamen egregiam auxiliarem haberet manum tristatur adhuc quasi solus vniuersitatis pondus sustinere cogatur; producitur vna solùm femina quæ adiuuat, atque ob vnam sociam tripudiat & exultat potitus laborum comite; At quomodo ante hoc millia millium habens, quibuscum sarcinam diuidat, mœstus sit etiamnum? & vnius feminæ adiunctio tantam adferat hilaritatem? num robustior tot animantibus Eua delicata Virgo? haud quaquam, sed percipe vim cognati & similis Adiutorij; modò sit Adiutorium simile, licèt vnius tantum & imbecillis feminæ audebit Protoplastus orbem totum gubernare alacriter & festiuè: si tamen dissimiles tribuantur socij quanquam in millesimum excrescant numerum, mœrebit & ingemiscet quasi nimio oppressus onere, Basilius Seleuciæ orat. 2. in Adamum; *Verùm in tanta bonorum omnium affluentia agens Adamus, carens voluptatis suæ consorte, imperfectiori latitiæ sensu capiebatur; Non enim* (inquit) *inueniebatur similis eius; cùm enim alterius generis haberet seruitia, à congeneri natura solatium in vniuerso non videbat; errabundus erat hospes, Dominus in medio Paradisi palabundus desolatione paris societatis afflictabatur.* Basil Seleuc.

Quantùm alacritatis & facilitatis accedat in opere ex simili consortio.

193. Cum duobus filiis Genitor substantiam diuisit; profectus adolescentior in regionem longinquam domi manente seniore Luc. cap. 15. vers. 11. Duo hi fratres mysticè quosnam designent? Alij maiore natu indicatum affirmant populum Hebræorum; minori nationem ex gentibus: Alij potiùs adumbrari vtramque intellectualem creaturam, sed priùs conditam seniori filio præsignari Angelicam naturam: Huic sententiæ refragatur omninò Cyrillus: Nam animaduertit optimè cùm ex duobus germanis senior molestè comprimis tulerit gratiam Parentis erga adolescentem conuersum ad pœnitentiam, oportuisse allegoriam de iis componi, qui doleant super peccatorum lachrymis & fletu, cupiántque à Numine non indulgeri illis: huiusmodi autem affectus Angelis nullo pacto quadret: sed qua de causa tristari Angelos ob pœnitentiam & luctum noxas detestantium, indecens fuerit, aut verò impossibile quidem? Nempe, Angeli *administratorij spiritus sunt* (vt loquitur Paulus ad Hebr. cap. 1. vers. 14.) *in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*; hoc igitur delectabile munus ipsorum, cui à primordio conditionis assueuerunt; Quisquam-ne igitur credat permolestum & graue illis in quod tantopere propendent? Si quidem ab eorum officio alienum, propositísque ipsorum violentum cooperari vt saluentur qui aberrarunt, suspicio esset acerbè laturos vt ad reditum filij iunioris in lætitiam tota effunderetur domus; Nunc autem cùm hoc maximè appetunt, & ea se forma exercuerint ab initio, cogitare nequeamus vt lugeant; quamobrem eorum rectissimè Cyrillus opinionem amouit, qui fratre seniori Angelicam Naturam indicari putauerint; illius verba in Græca catena: *Si enim Angelis senioris filij personam tribuamus, reperiemus ipsum non fuisse vsum sermone sanctis Angelis conueniente, neque sic affectum, vt illi erga peccatorum ad pœnitentiam conuersionem; cum ipsemet Dominus, & saluator omnium dicat, gaudium esse coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Hebr. 1. vers. 14. *Delectabile est Angelis, hominum saluti inseruire.* Cyrill.

194. Vexatur locuples Auarus ob horreorum angusta latera, & fabricare laxiora meditatur: *destruam horrea mea & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea.* Luc. cap. 12. vers. 18. Sed quamobrem si & frumentorum copiam admittere cellaria nequeant, egenis & miseris non distribuit? at nihil mage exosum illi: de eo & similibus benè Luc. 12. vers. 18.

Magnus Basilius sermone 1. in Auaros; *occurſus pauperum vitas, ne fortè aliquid vel modicum è manibus coacto exeat; vnam tantùm noſti vocem, non habeo, non dabo*; opponamus huic locupleti alterum fortunatum diuitem, inter Patriarchas eximium Abrahamum, cum moreretur Lazarus; *factum eſt vt portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Luc. cap. 16. verſ. 22. diſcamus

Chryſolog. cauſas à Chryſologo, quem citant Allegoriæ Tilmanni ad præfata verba. *Sed cur Abraham ſic ambit pauperem, diuitem ſic refugit & refutat? nónne & ipſe dives fuit? reuerà dives fuit, ſed pauperi, non ſibi, & opes non habêre ſed erogare geſtiuit, magiſque in ſinu pauperis, quàm in horreis recondere ſuas ſtuduit facultates, ſicut toto vitæ eius ordine perdocetur; vnde & nunc parum ſe beatum credidit, ſi in ipſa ſuperna gloria ab hoſpitalitatis pio ceſſaret officio, & ſolus donis frueretur diuinis, qui hic crudelem ſe credidit ſi humana bona vnquam cuiquam negaret:* inſiſtamus parumper illis verbis: *Vnde & nunc parum Beatum ſe credidit ſi in ipſa ſuperna gloria ab hoſpitalitatis pio ceſſaret officio,* &c. loquitur non de exacta Beatitudine; quæ in Dei viſione intuitiua, qua non fruebatur Patriarcha in limbo, ſed de loci illius quiete, & pace; ſub tantæ iucunditatis placidiſſima malacia ſi modo hoſpitalitatis vſu careret, parum ſe felicem arbitraretur; vide in quantam proceſſit ei delectationem hoſpitalitas, cui tam altæ pacis voluptas ſine hoſpitalitate quaſi non perplaceret? Quamobrem igitur aut Diuiti horreorum deſtructori tam inuiſa pauperum cura? vel Abrahamo tam grata? nempe prior ille miſerorum hoſtis aſſuetus ſibi tantùm cupere omnia, ad ſe traducere vniuerſa; ne quidem amicis aut cognatis diſtribuebat, quantò minus pauperibus? ſed in animam ſuam congerebat cuncta: *Anima, habes bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare,* &c. Patriarchæ verò mos ab adoleſcentia cum egentibus diuidere; quoniam itaque malus Dives contrariæ erat propenſionis, nihil mage arduum videbatur, quàm vt ſubueniret egentibus: quia autem ad hoſpitalitatem ſummopere inclinabatur Abraham tam dulce illi eſt ope deſtitutis ſuccurrere, vt niſi hæc coniungatur voluptas, in limbo parum ſe beatum agnoſcat; Vnde ſuauiſſimè Chriſtus, vt diuitibus perſuaderet contemptionem opum humanarum ſacculos non defuturos ſpoponcit ad ſpiritalia tranſeuntibus lucra: *facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis*: Lucæ c. 12. v. 33. tanquam veritus ne refugerent locupletes niſi de ſacculis ſpes maneret; at verò ſi per ſacculos quærendum regnum cælorum, hilares aggrederentur difficilia quæcumque, quoniam notas calcaturi erant ſimiles, & antiquis germanas, nimirum in ſacculis, quæ vetus exercitatio: luculentè in præfata Tilmanni catena ad dictum Lucæ caput Chryſologus: *Ecce docet auaritiam, qui cœperat ſuadere contemptum; & qui temporaliter theſaurizantes arguebat, ad totum cupiditatis fomitem iubet ſacculos ſine fine perquiri; Chriſte quò te pertrahit amor tuorum? vt auarum tibi lucrifacias, facis eum quod deſiderat, non quod oporteat audire; ſacculos imperas æternos, theſauros qui non deficiant vis parari, vt auarus dum conſueta percurrit ad lucra; aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur.*

Etiam in ſuperna gloria hoſpitalitatis affectum retinuit Abraham.

Lucæ c. 12. verſ. 33.

Chryſol. Chriſtus theſaurizare iubet, vt auarus ad ſe elliciat.

195. Verbum, cùm dictione & imperio reliqua mundana procreaſſet, limum de quo fabricandus homo digitis contrectare non aſpernabatur: ceci-

nit egregiè, hominíque delatum peculiarem honorem aduertit Prudentius in Apotheoſi. Prudentius.

Tantus amor terræ, tanta eſt dilectio noſtri,
Dignatur præpinguis humi comprehendere mollè — *Quantâ dignatione hominẽ Creauit Deus.*
Diuinus glebam digitus, nec ſordida ſenſit
Hærentis maſſæ contagia: iuſſerat vt lux
Confieret, facta eſt vt iuſſerat, omnia iuſſis
Imperante nouas traxerunt edita formas;
Solus homo meruit Domini formabile dextrâ
Os capere, & flabro Deitatis figmine naſci.

Quin & nutricis, gerulæque in morem huc illuc charum ſibi pignus ſupportaſſe Irenæus memorat lib. 5. contra Hæreſes, cap. 5. *aſſueta enim erant in Adam manus Dei coaptare, & tenêre, & baiulare ſuum plaſma, & ferre & ponere vbi ipſæ vellent*; At quamobrem Numen in aliarum creaturarum molitione, quæ de limo fabricatæ, non manus, digitóſque maſſæ adiunxit? Num propter ſummæ Maieſtatis reuerentiam, quam tam vilia & abiecta dedecerent? Atqui ſi minùs oportet & vſque in limi ipſius conglutinationem deſcendere, cur Homo excipiatur? Equidem Homo verbo affinis, & coniunctus ob duos potiſſimum titulos; primùm quod animæ impreſſa quædam diuinitatis imago, quippe Dei conditus ad ſimilitudinem: Secundò, quia & de eadem, quam tunc figulabatur carnem, paria futuris temporibus indumenta Verbum ipſum ſumeret quare dicto loco Prudentius. Irenæus. *Deus in hominis creatione manus maſſæ adiũxit, non autẽ in Creatione aliarum rerum.*

Decrerat quoniam Chriſtus Deus incorrupto
Admiſcere ſolo ſanctis quod fingere vellet
Dignum habuit digitis, & charũ condere pignus.

Quanquam igitur ardui & perplexi laboris humana cogitatione in tam abiectum opus inſignem deſcendere maieſtatem, ſed nullus labor vbi ſimilitudo, & paritatis quædam ratio; omnia emollit affinitas ſiue naturæ, ſeu morum, cunctáſque ſubaufert difficultates; Quoniam itaque Verbo coniuncta humana Natura ob præfatas cauſas; idcircò irrationalem creaturam quanquam dicto produxerit, & tanquam contempſerit manibus ſuis tangere plaſtricem materiam; Hominis aliter omninò ſe geſſerat in molitione.

196. Latro ille Beatus, quàm callidus orator! in extrema vitæ periodo ſaluationem conſequi volens, dicebat ad IESVM: *Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum.* Luc. cap. 23. verſ. 42. certè rem difficilem poſtulauit, ſcilicet vſque in vltimum penè halitum iniquus, & velit purgari atque abſolui propter duo tantùm verba; Quid? nónne hac commoti indulgentia peccatores longum requieſcent in prauis voluptatum delectationibus, neque excitabuntur quoad nouiſſima hora ſit? omninò periculoſum opus velle in peccatis iacere torpentes vſque in finem; & conſidera quomodo dicat vt perſuadeat, neque enim latebat arduum eſſe quod flagitabatur; *memento*, inquit, *mei*, hoc eſt naturæ, non delictorum; ſi enim iniquitates obſeruaueris quis ſuſtinebit? at ego quanquam peruerſus, Homo tamen ſum, proinde tibi ſimilis & affinis, moueat te naturæ ſimilitudo & cognatio! ô vehementem eloquentiam! difficillimum quidem erat tam ſeræ pœnitentiæ indulgêre, ſed vbi ſimilitudinis ratio interceſſit, & luminibus propoſita eſt domeſticæ naturæ conditio, ſuperata eſt protinus difficultas, & Paradiſo facta eſt ſponſio: Cyrillus Ieroſolymitanus Cathecheſ. 13. *Non dico vt operum meorum memine-*

Luc. 23. v. 42. *Propter duo tantum verba abſoluitur latro in cruce & in extremis poſitus.*

Cyrill. Ieroſol.

rit,

ris, hæc enim metuo; mei autem memineris: Omnis enim Homo afficitur benè comiti suo; simul tecum eo ad mortem, memineris comitis tui; At si veteris meminisse socij oporteat in secunda fortuna, quamobrem Pincerna ille Pharaonis Domini restitutus gratiæ, Ioſephi oblitus fuerit? Gen. c 40. v. 23. equidem vel ob hoc ille maximè inhumanus iudicandus, qui priſtinam amicitiam contempſit; veruntamen cauſa aliqua; Nam moribus diſſimiles Ioſeph, & Pincerna; alter veri Numinis cultor, alter ementiti; alter virtutum pulcherrimarum ornamentis ſuauiſſimis conſpicuus, alter vitiorũ, plurimis formis turpatus; quomodo igitur Pincerna in ſibi contrarium propenderet, vel eius cauſa laborem quemcumque ſubiret, vt Regi placeret? Bernard. ſerm. 5. in feſto omnium Sanctorum; *Abſit, abſit à vobis animæ ſanctæ Ægyptia illa crudelitas pincernæ Pharaonis, qui in gradum priſtinum reſtitutus, ſtatim oblitus eſt Ioſephi ſancti, qui in carcere tenebatur*; *Non enim erant vnius capitis membra, nec aliqua pars fideli cum infideli, aut vlla ſocietas Iſraëlitæ ad Ægyptium, non plus quàm luci ad tenebras: Non ſic noſter* IESVS *crucifixi ſecum latronis potuit obliniſci; factum eſt vtique quod promiſſum eſt; ipſa die qua cõpaſſus eſt, conregnauit.*

Cur Pincerna Pharaonis oblitus fuerit Ioſeph.

Bernard.

197. Balaam impius de Chriſto tamen eximia imprimis vaticinatione prophetat; *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſraël*, &c. Numerorum c. 24. v. 17. cur ab ore peccatoris laus Domini? nempè, quia Gentilis erat & Idololatra? imo potiùs vel ob hanc potiſſimùm prædictionis gratia negari ei debuit; nam donum ſublime eſt, quod nõ niſi præſtantiſſimis quibuſdam Amicorum Numini communicare vſus ſit; ſanè concedamus Balaam Paganum & idololatram extitiſſe, vt ex teſtimoniis multorum oſtendimus Anteloquio ſequenti n. 70. Scitè quidem quod de venturo Seruatore eius per os vaticinetur Deus; quippè prædictio illa de naſcitura ex Iacob ſtella ſingulariter ordinabatur, vt per eam Magi qui de Ethnicorum numero, crederent, cum inſolito fulgore radiaret interdiu ſidus micantiſſimum, proditurum ex Virginali clauſtro Puellæ, quæ maritum ignorauerit, Seruatorem orbis, ſtatimque magna cum gloria editi infantis pergerent longo viarum tractu vt adorarent; quare Patrum vulgata opinio eſt, Magos illos tres qui incunabula Chriſti humilibus venerati fuêre obſequiis, poſteros, vel ſucceſſores fuiſſe huius Balaam, eiúſque hoc vaticinio impulſos, vt Bethlem peterent: Quoniam igitur ſciebat Creator cedere nos faciliùs his, quæ nobis congenita & affinia ſunt, quàm peregrinis, vt ſuauius Prophetiæ amplexarentur oraculum, voluit ex Gentilitate prædicentem eſſe, vt ſimilitudo alliceret, & domeſticis caperentur; Origenes hom. 16. in librum Numerorum: *adeſt autem non ſacrificijs, ſed in occurſum venienti, & ibi dat verbum ſuum, atque ibi myſteria futura prænunciat vbi maximè fides, & admiratio Gentilium pendet, vt qui noſtris nolunt, credere Prophetis, credant Diuinis & Vatibus ſuis.*

Num. c. 24. v. 17.

Origenes.

SECTIO XX.

Peccatores Deum laudant & magnificant quando beneficia præſtat: iuſti autem etiam quando calamitates immittit.

198. DEmonſtrauimus veneratas Gentium nationes Solem, Lunam cum cæteris aſtrorum *Sherlogi Anteloq. in Cant.* ignibus, Nilóque flumini aras extruxiſſe; tanti cultus fundamentum beneficiorum grata recordatio; ſed neſcio quàm grata, certè quàm ſyncera, vbi non largitor diligitur, ſed amatur donum tantùm; nam ſi aduerſi quidpiam intuliſſent, facilè Deos eſſe negaſſent in vindictam armatos: Hæc eſt Gentilium, hæc eſt peccatorum Religio, ſuperis dum indulgent plaudere ſolùm, auerſari reluctantes; alia ſublimior diſciplina filiorum Dei colunt ſanè benefacientem, at ſi caſtigare & affligere incipiat, nec minori proſequuntur ſtudio, imò tripudiant magis, quoniam veram dilectionem probant aduerſitates; audi electorum iucundas voces, audi gaudentium in patria iubilationem excellentiorem! *lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti; annis quibus vidimus mala.* Pſalm 89. v. 15. Quomodo non & receperunt bona quoque in vita ſua? Nónne ditatus eſt Abraham? Nónne Iobo poſſeſſiones multæ? Non regnauit Dauid? quare igitur dierum eorum recordantur ſolùm, in quibus anguſtiati? nempe vt ſe veros Dei ſeruos oſtendant, nam & gaudere pro felicitate, Numinique benedicere hoc & peccatores ſciunt; verum eius loci proferenda commentatio ex Bernardo ſerm. 68. in Cantica; *Tu putas Deum noſtrum totam habiturum ſuæ gloriæ laudem donec veniant qui in conſpectu Angelorum pſallant ſibi; lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala? Hoc genus lætitiæ cœli neſcierunt niſi per Eccleſiæ filios*; exponit Bernardum Incognitus ad Præfatam Pſalmi dictionem inquiens; *Non habebit Deus noſter perfectam gloriæ ſuæ laudem, donec de puluere ſuſcitetur qui in conſpectu Angelorum hoc carmen victoriæ ei cantet: lætati ſumus*, &c. Igitúrne ante reſeratum generi humano Olympum per Seruatorem, imperfecta erat laus, quæ cantabatur Deo ab Angelis, qui non ceſſabant intonare inenarrabili cum harmonia ſanctus, ſanctus, ſanctus, &c. Attende ſacramentum; dulcis illa muſica ſed Angeli non ſciebant niſi beneficia cantare, mala enim nunquam experti ſunt; verùm Deo ſolum iubilare propter munera quanti ſit? Quis enim non rependat gratiarum actionem pro donis eximiis? maiora Dei encomium vndequaque nobile expoſcit; etiam vt laudetur cùm iraſcitur & verberat; Quia ergo homines patiebantur, & in tribulatione extollebant: ideò antequàm horum adiungerentur voces, chorus canentium ex ſolis ſpiritibus qui mali nihil ſuſtinuerant, quaſi imperfectus apparebat.

Bernard.

Tribulationes iuſtorum perficiunt cœleſtem muſicam.

199. Daturus Moyſi legem Creator formidabilis deſcendit, *nam cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & timuit populus qui erat in caſtris.* Numeror. c. 19. v. 16. Qua de cauſa tam metuendus? Nam in natalitiis magis pax & lætitia eſt, quàm horror & trepidatio: ſin autem & tunc quaſi deſpondebatur Verbo Synagoga, accipiebat enim leges & præcepta quæ obſeruare oportebat nouam nuptam, vt in ea confideret cor viri ſui; ſed in geniali gaudio feſtiua voluptas, & ſecurum gaudium, non autem quod extimeſcere compellat: Equidem deduxit in mirabilibus quaſi pupillam oculi ſui Numen plebem Hebræorum: beneficus erga illam in vrbibus Ægypti, beneficus in mari rubro, beneficus in eremo: ipſi gratiam referre cupientes cantauerunt ei gloriosè nimis, quoniam equũ & aſcenſorem deiecit in mare Exod. c. 15. v. 1. non malè hoc: ſed puto & Ægyptij collaudaſſent pariter ſi benignitatem tantummodò experti fuiſſẽt: Quo igitur norint, modò filij Dei,

Num. 19. v. 17.

Accipiendo legem deſpondebatur verbo Dei Synagoga.

& ſancti eſſe mereantur, aliud etiã ſibi modulandum Canticum, nempe quo gratias etiam verberati, & contriti referant, qui hactenus mitis eſſe ſolum viſus eſt minas & terroré adiungit, vt aliam eſſe iuſtorum normam intelligant, quàm hominũ de ſæculo; quòd poſteriores iſti ſuperos in ſecundis rebus tantùm adorent; priores in calamitatibus fidentiores inueniantur; Theodoretus ex Catena Græca in Pentateuchum; *Sed neque aliam ob cauſam clangores, tonitrua, nimbus, ignis, fumúſque verticem montis occupauerunt; quàm vt lapidea illorum corda emollirentur; Nam cùm induruiſſent in Ægypto, & à calamitatibus poſtremò Ægyptiorum liberi penitus euaſiſſent; ne ſecuri omni ex parte dilaberentur in ſocordiam, tanquam filios perterrefecit; vt amare Deum beneficia doceant: ſupplicia ſimul & terrores cogant timêre.*

Theodoret.

Electos terret Deus ne in ſocordiam dilabantur.

200. Cùm varias clades Iobo nuncij retuliſſent, vnus inquit; *ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues, puerósque conſumpſit*, c. 1. v. 16. quorſum de cælo flammæ? quare non ex terræ viſceribus erumpentes, aut è domeſtico hominum foco? volebat Aduerſarius Iobum intelligere ſpecialem plagæ Auctorem Deum extitiſſe, proinde malediceret ei tanquàm in ſeruos acerbiori, qui virum ſumma cum iuſtitia famulantem talibus recompenſarit modis; probè Chryſoſtomus epiſtola ad Olympiam; *hanc enim ob cauſam etiam Iobum bonis ſpoliauit, non vt eum pauperem redderet, ſed vt maledicum aduersùs Deum aliquod verbum efferre cogeret:* Quid ſi blaſphemaſſet Iobus? tum quidem arguiſſet Satan inter Numinis ſinceros famulos haudquaquam cõputandum, quia horum ab infidelibus ſeruis differentia, quòd infideles ij collaudant ſolùm remunerantem continuò; ſubodoratus malitiam verſipellis ſtrenuus Athleta, Numini mitificum hymnum decantauit; *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt. ſit nomen Domini benedictum*; hoc eſt, ſiue Numen diuitias concedat, ſeu depauperare iuuat; ſub omni fortuna à me perpetuò honorandus Gerſon tract. 6. in Magnificat: *Propterea Iob afflictus, & orator peritiſſimus poſt tot aduerſantis Satanæ crudeles iniurias & perſecutiones, oraturus iudicem Deum pro liberatione ſua, conuertit totam Aduerſarij machinationem in Deum iudicem ſuum per humilem confeſſionem: Dominus inquit dedit: Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.*

Iob. 1. v. 16.

Chryſoſt.

Iob, Orator peritiſſimus.

Gerſon.

201. Poſtquam Angeli vociferatione congeminatâ prohibitus Abraham ne filium mactaret, inquit idem qui coërcuit feſtinantem ad vulnus: *Nunc cognoui quod times Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo.* Geneſ. c. 22. verſ. 12. Sed quomodo nunc certè cognouit tanquàm hactenus latuerit Numinis eximium cultorem eſſe Patriarcham? & quò tot annorum virtus inſignis? quò pietas? quò Pauperum remedia? quò exilia & peregrinationes tenderint, niſi vt demonſtrarent in diuina ſummè religioſum? Sed aduerte hucuſque bonis cumulatum Abrahamum; accepit à Rege boues & oues & aſinas & ancillas; bis concupita Sara toties inuiolata reſtituta fuit, progreſſus ad bellum ſuperauit hoſtes, denique votorum ſummam vnicam conſequutus filium nimirum in ſenectute; quamobrem quòd in retroactis Numini morem geſſerit, & cæleſtia, æternáque veneratus ſit impenſiori conatu, fecit cum pluribus mortalium, qui mites & benignos ſuperos adorant libenter: At modo exercebatur validiſſimè, cùm pignoris chariſſimi homicida eſſe iubetur; Num contriſtabatur cliuum aſcenſurus? num conuitiabatur aduerſus Numen? num recuſabat imperium tanquàm crudele; cerne vt Chriſtus ipſe pro famulo teſtetur: *Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt.* Ioan. c. 8. v. 56. quando tripudiabat Abraham? quando geſtiens lætabatur? Sanè tum cùm Iſaacum victimare optabat; Chryſoſtomus Catena Græca in Ioannem; *Diem autem ſuum hic Crucem mihi videtur ſignificare, quam in arietis, & Iſaaci oblatione præfigurauit*; ergo certè cùm ſic probaretur Abraha, quòd exultauerit & lætatus ſit, rectè quòd tum velut primùm Deum timuiſſe agnitus ſit: Nam quòd conſolatus ſit in anterioribus mirum non eſt; cui enim tam proſpera lætitiam non generaſſent? modò autem non dimittere vultum, non corrugare frontem, Deo hilarem ſe præbêre, qui tam dura præceperit, quídnam excelſius eſſe valeat? meritò ergo de timore & reuerentia Domini collaudatus, qui feſtiuior ſub tentatione, quàm ſub proſperitate.

Gen. 22. v. 12.

Cur Abrahã tribulatione probatus, tũc potiſſimum cognitus à Deo dicatur.

Ioã. 8. v. 56.

Chryſoſt.

202. Quàm ſuaue melos in auribus Creatoris, vox gemẽtiũ in tribulatione! *Dominus de cœlo in terrã aſpexit, vt audiret gemitus cõpeditorum, vt ſolueret filios interemptorum.* Pſalm. 101. v. 20. At quinam vincti? quinam compediti? Gregorius Papa in dictum Pſalmum: *Sancti viri non incongruè compediti dicuntur, quia ligati vinculis diſciplinæ Dei, nequaquam ad ea, quæ exteriora ſunt, vagantur: filij interemptorum ſunt imitatores Martyrum, qui ſcilicet carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs crucifixerunt*: æquúmne autem vt gemant & ſuſpirent qui ſancti ſunt? nonne gaudere oportebat vt iuſtos ſe probarent? piorum enim eſt lætari in aduerſitatibus: ſed conſidera non expoſtulantium querimonias & ſingultus, verùm vt doceant non quaſi inſenſibiles pati, ſed cum dolorem perferant, libenter pro Deo tolerare: iam igitur has mortificatorum voces vt auditet Numen, quorſum de cælo proſpexit? Scilicet id factum priuſquam aperirentur ſuperna hominibus Chriſto introducto, tum itaque nemine illuc mortalium adhuc admiſſo ſoli Angeli cantabant Deo: at nondum perfecta & ſuis numeris abſoluta Muſica: quamobrem nempe Angeli norunt cantare ſolum canticum pacis, & gratiarum actionis pro multitudine beneficiorum Dei innumerabili: at incompletus ſonus quoad acceſſiſſent pariter qui iubilarent pro diebus antiquis, quibus humiliauit eos, quibus mala viderunt, vt oſtẽdebamus ſuperius num. 198. ex Bernardo: Quia igitur intra Paradiſum non inueniebantur qui ſcirent canere eo quod tribulati fuerint, & mortificati tota die: proſpexit de cælo Dominus in terram, vt oblectaretur incognita olympo muſica, & audiret gemitus compeditorum.

Pſal. 101. v. 20.

Gregor.

Quinã vincti & compediti dicantur in Scripturis?

Ecce, de quibus impios arguit idem Rex Pſal. 52. v. 6. *Deum non inuocauerunt: illic trepidauerunt vbi non erat timor*: Quomodo & ſceleſti Numini non ſupplicant? non rogant, non adorant? planè & venerantur externè ſaltem; at tum cùm fortuna beatior arridet, dum conniuet & mulcet: ſi affligere incipiat, deſerunt facilè & blaſphemant: illi ergo Deum inuocare, hoc eſt laudare non cenſentur, qui ſolum extollunt quoad beneficus & indulgens eſt: Auguſtinus in memoratum Pſalmum: *Nónne quotidie tales rogant Deũ? Non rogant Deum: Attendite, ſi hoc poſſimus dicere adiuuante ipſo Deo: Deus gratis ſe vult coli, gratis ſe vult diligi, hoc eſt, caſtè amari: non propterea ſe amari*

203. Pſal. 52. v. 6.

Auguſt.

amari quia det aliquid præter se. sed quia dat se: qui inuocat ergo Deum vt dines fiat, Deum non inuocat: Quo igitur pacto inuocandus Deus, aut quãdo sanè? intelligamus ab eodem Vate; *in noctibus* (inquit Psal. 133. v. 2.) *extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum:* Quare non in diebus quoque? ergóne absque precibus vacuę transibunt luces? Non vetat, non repellit in diebus Creatorem benedici, sed vult potiùs in nocte laudari, quia nobilior laus in tenebris: Quidnam est Dies? quę Nox: res secũdæ & prosperæ, Die significantur; aduersitatum caliginem Nox repræsentet; itaque cùm prosperatur Homo in viis, Deum Benefactorem extollat; Verùm ne iudicetur laudare solùm ob munera, quod ignobilius encomium sit, laudet & quando tribulatur: iterum sanctus Doctor Augustinus in versiculum allegatæ Dauidicæ Odæ; *Facilè est benedicere in diebus: quid est in diebus? in rebus prosperis: nox enim tristis res est; dies res est læta: quando tibi benè est, benedicis Dominum*; venustè pronunciauit: *facilè est benedicere in diebus*; nam in læta fortuna & Pagani, & latrones benedicunt; iustorum est in nocte, scilicet in persecutione collaudare.

Pſ. 133. v 2.

Dies & nox prosperitatẽ & aduersitatem significant.

Auguſt.

204. Daniel cum libertate frueretur, nullísque pressus ærumnis, *trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedit, & caro, & vinum non introierunt in os eius*, c. 10. vers. 3. detruditur cum leonibus, cúmque obturasset rabidas famescentium animalium Numen fauces, & à laniatu atque morsibus abstinere fecerit, noluit tamen Vatem diutiùs esurire, operosóque ministerio delatus in Babylonem Habacuc ad prandium inuitat c. 14. v. 36. quid opus est vt manducet quem feræ non deuorant? Qui vno in miraculo liberalis Creator, alterum & perpetret, virêsque sine alimentis stabiliat: Zeno Veronensis serm. de Timore: *leonibus obiectus Daniel, & in periculo constitutus prandet, qui solet extra periculum ieiunare:* Sanè veteres illi Anachoretæ cùm ieiunando abstinerent summo rigore vsque in vesperam; tamen Resurrectionis Dominicæ festiuâ aduentantè lætitiâ, remittebant de seueritate, hilariorique gestu prandebant sobriè; idipsum & aliis paschalibus diebus obseruatum ostendo volumine 2. Vestigatione 8. n. 17. Sed quare ita faciendum putabant exactissimæ disciplinæ homines? equidem ad significandam sacratissimi temporis iucunditatem, ad lætandum in lætitia cordis sui, innuendámque externis signis mente conceptam alacritatem; hunc igitur in morem & de Prophetа auguremur, quia sanctus erat, ieiunabat multùm domi residens, periculóque exemptus; at tum extraordinariè non prandebat, sed cùm apud leones mors in horas singulas expectabatur: quamobrem? nempe singulare prandium lætitiam quandã excellentem denotabat: quando igitur lætari mirificè Danielem expediebat? scilicet, cùm à Persarum Monarcha honoratus torque & purpura donatus fuisset, cùm sui iuris, & nullo premente felix haberetur? Sed quis non ita faciat? norunt mali, norunt peccatores tum exultare; sed Daniel prospera subridente fortuna ieiunat, & maceratur; Quia autem scit filiorum Dei gloriam esse exhilarari cùm ab ipso torquentur & vapulant quasi ab optimo Parente, quòd lætitiâ eâ probent acceptam esse disciplinæ virgam; idcirco maximo versatus in discrimine prandet Daniel, vt gaudium esse leonibus, propter Numen, circumobsessum esse insinuet; ita igitur contra sæculi penitùs vsum ieiunabat extra periculum constitutus; in periculo manducabat; erudiens siue in lætis, seu in tristibus rebus Deum esse summo à nobis colendum studio, sed maiori tamen deuotione quoties aduersis conflictamur, quod sincerus in Deum amor plus multò eluceat cùm exercemur ab ipsomet, & derelinquimur.

Dan. 10. v. 3

Cur Leonibus obiectus Daniel prãdeat, aliàs extra periculum ieiunet.

Zen. Veron.

SECTIO XXI.

Animi singularis puritas desiderata ad Sacrorum Bibliorum intelligentiam, speciatim ad Canticum Canticorum Salomonis.

205. NOnnunquam exteriorem solùm considerãtibus verborum sonum, in diuinis voluminibus eiusmodi occurrunt, quæ prophanam magis sapere musam, quam entheum & cæleste Numen videantur; id, quod cum alibi eueniat, tum frequentissimè maximo in hoc Epithalamio; *Notemus* (inquit B. Gregorius Prologo in Cantica) *quàm mirabiliter, quàm misericorditer nobiscum operatur Deus, qui vt nos ad amplexus sui amoris accendat, vsque ad turpis Amoris nostri verba inclinat*; Ac licèt turpem esse amorem à nobis denegetur semper, quem matrimonialem & honestum asserimus; humanum tamen esse inficiari nequeamus, omnémque humanæ explanationis normã connubiis mortalium aptari vulgaribus, & intra carnis versari oblectamentum; Quidnam igitur opus sit? hæc scilicet vniuersa transcendere cogitatione sublimi, & defæcata; Quamobrem nominatus Pontifex continuò subaddit: *Hic etiam solerter intuendum est, ne cum exteriora audimus, ad exteriora sentienda remancamus*; *& machina quæ ponitur vt leuet, ipsa magis opprimat, & aggrauet; debemus in sensibus exterioribus corporeis quicquid interius est quærere, & loquendo de corpore extra corpus fieri:* Vide puritatem; *extra corpus fieri*; videlicet in spiritalem transire virum domitis & mortificatis omnibus concupiscentiis; si enim tales euaserimus, sciemus in cortice Scripturarum nucleum latere admirabilem, quem Deo illucescente cordibus purificatis infinita cum dulcedine eruemus, & erit quasi mel in faucibus nostris; aliter terræ affixis continget carnaliter quæ diuina & spiritalia sunt concipere, & in errorem pertrahi, atque insipientiam.

Gregor.

Sub Cortice Scripturarũ latet sensus admirabilis.

206. Dum vagatur in eremo Moyses, & huc illuc gregem adpascens deducit; *Videbat quòd rubus arderet, & non combureretur.* Exod. c. 3. v. 2. planè inaudita res; flammam aduersus rubum confligere, & non consumere, ne quidem virore despoliasse; itaque cupido ingens stimulauit Moysem propiùs accedendi vt intueretur; sed voce admonitus ne tentaret priusquàm calceamenta deposuisset: At quidnam mysticè rubus spinosus? nempè difficilis, pungénsque Scripturarum nodus aliquis; & quidni difficilis? Num carnem sonare videtur, & non nisi spiritus est, hoc est comburere & non vri? Quis enim dum Hymenæum percurrit, & oscula, vnguenta, vestes delicatas, conuiuia, dulciáque amantium colloquia haurit, non de carne suspicatur, non comburi timeat? non tamen flamma vorax est, sed ignium malorum consopitoria, pudicitiæ tutela, castarum

Exod. c. 3. v. 2.

meditationum generatrix; At quare vt Rubum hunc inſpiciat, iubetur Moyſes calceamenta exuere? nimirum calceamenta fiunt ex mortuorum pellibus; Quicquid igitur ad morté ſpectat, & peccatum, quo mors introducta eſt, ſapit, remouere præceptum eſt; peccatis autem ſuperatis, mens deiformis & pura euadit; cùm igitur animus purificari cœperit, ad Sacramentum rubi appropinquare poterit, & intelligere, quomodo in oſculis Canticorum flamma eſt, non quæ cruciat, & depaſcit viſcera ſed quæ ignibus noxiis medetur, & incendia peruerſa temperat quaſi lenis aura ſibilo; Hugo de S. Victore mirabili eloquentia apud Tilmannum in Allegoriis ad c. 3. Exodi; *Vnde & Moyſes cùm adhuc Æthiopiſſam haberet, non nouerat ignem conſumentem, & ideò mirabatur, quòd rubus arderet & non conbureretur: quamdiu enim animus, infimis, & carnali concupiſcentia vinctus nondum ad amplexus peruenit ſapientiæ, in igne conſumente eſt, & deuorante vſque ad perditionem; flamma enim libidinis, & amor carnis eos, quos accendit, conſumit; amor verò ſapientiæ lumen habet, ſed non conſumptionem, quia etſi accendit frigidos, ardentes tamen non comburit; propterea Moyſes mirabatur quomodo arderet rubus & non combureretur, & currere cœpit in concupiſcentiam ſuauiorem, & obliuiſci Æthiopiſſæ amorem, quia nigra erat, neque ſimilis ad iſtam Sunamitem, quæ ſenes calefacit, & iuuenes non vrit; huius enim Sunamitis, id eſt ſapientiæ amorem ſignificauit ignis ille, quo rubus ardebat & non comburebatur; propterea ſoluit calceamentum, libenter iam carnalibus concupiſcentijs abrenuntians degustata illius dulcedine, & agnita ſuauitate.*

Hugo de S. Victore.

Gustata dulcedine Scripturarum, facilè quis renũciat carnali dulcedini.

207. De Euangelij prædicatione, & notitia legis diuulgatæ Pſalmorum Cantor; *in omnem terram exiuit ſonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum.* Pſal. 18. v. 5. quare in terram ſonus tantùm prodiit, & non formatæ erupêre dictiones? aut cur *Terræ* continentes limites, finéſque eius potiores? *Terræ* nomine homines, qui terreſtria norunt indicantur, qui carnales adhuc & imperfecti; finis, quæ conſummatio, rerúmque vltima meta eſt, perfectionis apicem repræſentat, qui enim ad ſummum, vltimúmque peruenit, is demum perfectus cenſetur, & ideò *in finem Victori* tot Dauidici intitulantur pſalmi; dum igitur quiſque terrenus etiamnum, & infantilis ſpiritu eſt, carni adhærens Verbum Dei intelligere & penetrare nequit, ſonum percipit confuſum, nihilque amplius; at ſi ad finem perueniat, ea quæ ſunt paruuli euacuans, & vir factus in plenitudinem ætatis Chriſti, conſequetur tanto perfectionis ſtudio, vt quæ purificata eſt anima, non ſonum quod exiguum, ſed verba diuinorum oraculorum ſubaudiat, id eſt myſteriorum intima arcana ſcrutetur; Origenes lib. 8. epiſtolæ ad Romanos præfatum exponens verſum; *Quod ita intelligi poteſt* (inquit) *quia terram imperitos quoſque & indocibiles homines dicat, ad quos non verba, quibus ratio Fidei continetur, & explanatio ſapientiæ, ſed ſonus fidei communi, & ſimplici prædicatione peruenerit; finem verò orbis terrarum eruditiores quoſque, & prudentiores appellauerit; finis enim perfectionem indicat rerum; ad hos igitur tales non ſonum vocis, ſed verba & rationem peruenisse pronunciat; quia vtrique auditores ſermonum fidei, etiã ſcrutari poſſunt, & perquirere Scripturas diuinas; vt cognoſcant eorum verborum, quæ eis per Apoſtolos nunciata ſunt, veritatem.*

Pſal. 18. v. 5.

Qui adhuc Carnales ſunt, Scripturam confusè tantùm percipiunt.

Origenes.

Perdiderat drachmam femina, quam vt inueniret, lucernam accendit, & domum euerrit, quâ tam opportunâ diligentiâ, reperit & gauiſa eſt. Luc. c. 15. v. 8. ergo domum mundauit vt Drachma reſtitueretur! Drachma hæc intimis & ſacer Bibliorum intellectus, abſconditus eſt à nobis ob ignorantiæ vulnus, quod per Adam accepimus; quónam recuperabimus modo? ſcilicet lucernam accendamus Spiritus ſancti, qui cordium lumen eſt, gratiam inuocantes vt propitietur & manifeſtet incerta & occulta; num hæ ſufficiant preces? Supereſt vt habitaculum euerramus, Cor purgemus; itaque puritati ſedulò incumbendum eſt, detergenda quæque vt immaculati appareamus; cum ſic nitidiores lacte Numen conſpexerit, aperiet caliginem, & quæ occultabatur drachma emerget de obſcuro: Macarius homil. 2 *Illic enim vidua, quæ drachmam perdiderat lucernam primùm accendit, deinde domum emundauit, atque ita drachma reperta eſt ſordibus & impurâ terrâ obruta: & etiamnum anima proprias à ſe ipſa cogitationes inueſtigare, eáſve diſcernere non valet; ſed vbi diuina lucerna accenſa fuerit, illuminat domum tenebris obſitam, & tum cogitationes ſordibus, ſqualoréque permixtas incipit reuocare:* Vbi autem cogitationes abegerit prauas, quæ animum inquinabant, limpido reddito, drachma hoc eſt Bibliorum intellectio occurrit: Quamobrem Paulus cùm arcana à ſe percepta verba, quæ non licet homini loqui narraſſet 2. ad Corinth. cap. 12. verſ. 4 adiungendum omninò putauit hanc tantam ſibi gratiam factam ante annos quatuordecim; Quod ab eo propterea admonitum Angelicus exiſtimauit Doctor lect. 1. in relatum caput, vt inſinuaret nuperrimè ad Dominum conuerſum euectum ad ſecreta maxima intelligenda, & quidem Diuo Aquinate Auctore *in triduo, quo poſt ſuam proſtrationem à Domino ſtetit neque videns, neque manducans.* Actor. cap. 9. eius ſententiæ alij Patroni apud Lorinum ad nominatum de Actis Apoſtolicis caput: At quid ſi recenter conuerſus? equidem in magnis ſingulariter peccatoribus non ſtatim ab initio praui repurgantur affectus, neque momento dealbata anima omnibus liberatur næuis; gloriatur itaque præter cæterorum pœnitentium morem, ipſo conuerſionis exordio deterſas veterum malorum reliquias in tantum, vt dignus inuentus fuerit, cui abſtruſorum oraculorum adyta repanderentur, quæ non niſi corde mundiſſimis recluduntur.

208.

Sacra Scripturæ Intellectus eſt drachma.

Macarius.

S. Thom.

Paulus ipſo conuerſionis exordio à peccatorũ reliquijs ſtatim expurgatus.

Heû barbaram impietatem crudelium Agricolarum, quibus bonus paterfamilias vineam ſuam pulchram in cornu olei locauit; intolerando auſu ſeruos qui fructus reciperent miſſos poſtquam interemerunt, ſpecioſiſſimum Adoleſcentem Poſſeſſoris hæredem extra vineam proiectum occiderunt Matthæi, cap. 21. verſ. 28. in limine ſtatim de homicidis Allegoria: nónne quidem Iudæi, qui IESVM crucifixerunt? hi itaque arguuntur, quod Hero ex vinea fructus nullos retuliſſent, ſpondétque daturum ſe aliis Agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis, nempe Chriſtianis; verùm quare apud priores illos Domino inutilis vinea? erant Iudæi carnales ea quæ ſunt ſpiritus ignorantes ob malitiam; vinea autem ſanctæ Scripturæ intelliguntur; Quomodo autem ex hac Patrisfamiliâs dignos mensâ fructus collegiſſent, qui vel vſque in hodiernum diem velamen habent in oculis,

209.

&

& litteram non transcendunt externam? oportebat itaque alios quæri Agricolas, qui adorarent Patrem in spiritu & veritate; nempe iuniores Ecclesiæ filios; Hi ergo quoniam in spiritu & cum intellectu Scripturas perpendunt ad sonum verborum cùm littera sola occidere videtur non attendentes, Christum in medulla vestigant terra & carne sublimiores facti, atque ita vbertimos fructus reportant; Theophylactus, *Intellige item per vineam diuinas Scripturas, in quibus sepes quidem littera est, torcular autem defossum profundius spiritus; turris autem Theologia, quæ summa est, & diuina: has itaque Scripturas habebant priùs mali agricolæ, Pharisæi; locauit autem nobis Deus eas bene excolentibus; illi enim Dominum occiderunt*, &c.

Theophyl. *Scriptura est vinea, & torcular est ipse Spiritus seu Scripturarum sensus.*

210. Extra Paradisi ambitum relegato Adamo, collocauit Numen Cherubin, *& flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Genes. cap. 3. vers. 24. Quid hæ tam vigiles excubiæ indicarent percipiamus ex Bacchiario epistola ad Ianuarium de lapsis recipiendis: *ideò primi peccatores temporariè sub typo mœroris, tribulationisque damnati sunt, vt malagmate pœnitentiæ sanarentur; & eo vsque de ligno vitæ, id est Christi participatione exules fierent, donec ad eum per romphæam flammeam, id est, ignitam martyrij passionem, aut per Cherubin Domini, qui interpretatur multitudo scientiæ remearent*; intelligo quidem facile vt amissa Paradisi voluptas martyrio recuperari valeat, proinde & gladio, quoniam olympi ingressum peccata obstruunt, nihil enim coinquinatum illuc introibit; at martyrio omnes abstergunturs ordes delictorum: Verum quonam pacto ad hoc *Cherubin*, id est plenitudo scientiæ conducat? nam vbi altissima notitiæ profunditas est, subintrare consueuit tumor, fastúsque, scientia enim inflat; magis itaque cognitio præpedit, quàm adiuuet; At quidem non de omni vtcumque scientia intelligere valeamus, sed de ea, quæ est sacra & diuina, nempe Bibliorum & legis Domini, hæc est enim quæ propriori iure ad Paradisum Dei & sanctorum spectat: Quidnam igitur hæc sapientia in sui studiosis desiderat? equidem cordis & animi puritatem eximiam, non enim in maleuolum introibit, sed hanc munditiem Nemo adipiscitur nisi abraso vitiorum squalore, oporteat itaque noxa liberum esse quaque quoad fieri possit; iam verò si Scripturarum notitia sic purgat vt animam limpidam & indefæcatam reddat, quasi martyrij æmula euaserit, quando vtraque mundent; benè itaque Bibliorum qualis decet notitia martyrio tanquàm associatur ad viam Paradisi aperiendam; Quoniam sicut Martyrium Olympo restituit, eò quòd veterum malorum characteres omnes deleat, & aufferat iniquitatem; ita quodammodo & scientia Scripturarum cùm præsupponat animæ munditiem, ipsa quoque euerrit & abstergit noxia quæque.

Gen. 3. v. 24. Bacchiarius.

Notitia Scripturarũ animã purgat, & Martyrio associatur ad viam Paradisi aperiendam.

Non passus Creator rerum tenebras, quæ erant super faciem abyssi mundum occultare vultum, priusquàm Solem & Lunam formaret, lucem quandam produxit; at quibus, splendor ille fulgurabat? num mari? vel terræ? an ambobus? equidem in solis aquarum vorticibus, nam tellurem vniuersam tunc cooperiebant; verùm quamobrem glebæ vndis consepultæ? cur non prodirent quemadmodum aquarum elementa? scilicet, erat terra adhuc *inanis & vacua*, seu vt alij legunt *incomposita*; inornatam proinde ab aquis tergi & ablui conueniebat, quò nitens & absterfa lucis micantes radios exciperet; Anastasius Sinaïta lib. 5. Hexamer. *Prima ergo vita viuentium ex aquis; ex eis est cognitus primus aduentus Spiritus, nam super eas ferebatur; ante omnia aquæ in principio acceperunt lucis illuminationem, vt quæ ferrentur super terram, & eam alluerent, ac tingerent*; Sed quorsum terris iubar lux subtrahat, propterea quòd inculta & squallens appareret? nónne sterquiliniis, & cloacis, & sordidis quibusque angulis imminet, plenâque face irradiat? Verùm alia est conditio materialis & sensibilis lucis; alia internæ, qua intellectus perficitur, & arcana reuelantur Scripturarum vaticinationibus inclusa; humana illa & quæ sub aspectum cadit nullo discrimine æque venusta atque informia illuminat; palatij, & graueolentis mapalis nulla est distinctio; sed lux illa beata, quæ ab æternitate fulgurat, quæ Bibliorum abstrusa pandit, & libri signati volumen aperit, non nisi puris animabus resplendet, in quibus non est ruga aut macula quoad fieri queat; hoc vt perciperemus sub exordio creandorum, non prius terræ, quæ erat inornata refulsit, quam per aquas abluta mundaretur.

211. Sinaïta.

Diuersa conditio lucis materialis & intellectualis.

ANTELOQVIVM VII.

Canticorum Auctor disquisitus ; an canone sacrorum Voluminum reponendus liber?

TANDEM è geniali aula paululùm discedamus, nec totum studium rapiant nuptiæ: Hactenus fructibus depasti: sed arborem quæ protulit tam dulcia poma, ingrati fuerimus, si penitùs obliuioni committamus: Abstinuimus, ne à pompa ad luctus transiret calamus, & inspiceremus tanti Hymenæi conditorem, cùm portum ferè occuparet nauis triumphans, mergi penè ad littus, & meretriciis irretiri amoribus in ipsa senecta: verùm progrediamur, & hanc etiam magnam visionem videamus: tum, quòd ita egerunt ante nos Sotomaior, atque Delrio: tum in primis, quòd disputationis natura sic postulatura sit.

Sotomaior. Delrio.

SECTIO I.

An nosse interfit canonicæ Scripturæ artificem immediatum? Deus Canonico Scriptori an sensum rerum tantùm, an verba quoque suggerat; Conciliorum definitiones quam similitudinem cum sacris habeant scripturis? Ioannis vnus, & alter locus detenebratus: naturæ gratia quemadmodum se accommodat in Prophetis? modus citandi scripturas Apostolorum, & Septuaginta; Vaticinationes quo pacto liberæ & meritoriæ prophetantibus?

1. NE inutiliter interrogasse videamur de libri huius opifice, placuit examinasse, num quidpiam conferat ad sacram loquelam humana industria? Neque sensus huius disquisitionis est, an habitus aliquis supernaturalis quoad substantiam tota agendi ratio existat comparatione actuum, qui eiusmodi habituum concursum postulaturi sint: suppono enim, & naturam partialiter cum gratia concurrere, seu voluntas, siue intellectus operetur, seu ad aliud obedientialiter eleuetur: sed an, excepto hoc, quidpiam natura ipsa faciat, ei quod solùm attribuatur? Qua de re esse valeant duæ sententiæ: vna quidem asserit, ita canonicum Scribam dirigi à Spiritu sancto, vt quoad res, sensúmque, eius sic gubernet mentem, errori vti nullus relinquatur locus: cæterùm, quibus reuelanda verbis declarare conueniens sit, ipsi relinquere: quare gratiæ partes esse sensum, résque ipsas; ad naturam ingeniúmque proloquentis spectare, qualis euadat oratio; atque hinc sanè fieri, vt non sit prætermittendus Auctor sacri Codicis humanus, & immediatus, cùm & hic ex suo penu conferat, & sint de quibus laudari valeant, quotquot perfectam narrationem conflant; Huiusmodi opinionis meminit Azorius tom. 1. Institut. moral. lib. 8. cap. 1. vndecima quæstione; nullos tamen eius Patronos manifestat: Quanquam verò neque etiam probationes eo loco afferat, posse tamen firmari in hunc morem appareat: quippe eam Spiritus sancti sufficit assistentiam Scriptori assignasse, quæ satis est, vt scriptio ipsa, aut ea, quæ loquitur verba, Dei sermo existimetur: si enim Dei loquutio est, erit canonica Scriptura: sed ad Dei Verbum, atque certam Scripturam nihil præterea requiritur, quàm vt errores omnes rerum, quæ vel ad fidem, vel mores attinent, præcaueantur; hoc autem fieri valet, etsi Deus verba non suggerat; igitur necesse non est præter sensum, verba etiam Deum inspirare: Ostendo assumptum. Vulgata Bibliorum editio est verbum Dei, vt sacra & canonica Scriptura; De hoc, post quàm id declarauit Tridentina Synodus sessione 4. nulla inter Orthodoxos controuersia; quin verò recentiores prudentissimè aduertunt post hanc Concilij declarationem, si quando dubium exoriretur de vero atque germano Dei verbo, ad hunc à Tridentinis Patribus, & Ecclesia approbatum Textum recurrendum, & non ad Hebræos, neque Græcos fontes; hic enim Textuum omnium Rex, & Princeps est eorum, qui extant; Annuunt huic pronunciato Pineda præfatione in Iobum, cap. 10. num. 6. Pereira tom. 2. in Genesim, lib. 13. num. 43. Valentia tom. 3. disp. 1. quæst. 1. punct. 7. § 43. Bellarminus lib. 2. de verbo Dei, cap. 11. & eius defensores Gretserus tom. 1. in defensione, cap. 9. lib. 2. Bellarminiani de verbo Dei: Christophorus Sacroboscus in defensione Tridentini Decreti, & eiusdem Bellarmini sententiæ de auctoritate Vulgatæ: Tannerus in 2. 2. disput. 1. de fide, quæstione 5. dub. 2. assert. 1. Ludouicus Torrensis in eandem 2. 2. disp. 2. 2. dub. 4. Acosta lib. 2. de Christo reuelato, c. 16. Azor. tom. Institut. moral. lib. 8. cap. 3. quæst. 3. Præter hos nostræ Familiæ Viros, Canus lib. 2.

Habitus non est tota ratio agendi.

Deus canonico Scriptori an sensum rerũ tantùm, an verba suggerat?

Azor.

Trident.

Vulgatus Bibliorum Textus omnium coryphæus, ad quẽ in dubijs præcipuè recurrendum.

Pineda. Pereira. Valent. Bellarm. Gretser.

Sacrobosc.

Tanner. Luys. Tor. Acosta.

Azorius. Canus.

Basil Leg. Tena.

lib. 2. de locis, cap. 13. Basilius Legionensis quæst. 4. expositiua, cap. 10. Ludouicus de Tena lib. 1. Isagogæ sacræ Scripturæ, difficultate 6. sect. 3. §. *Meritò ergo.* Nicolaüs Ramos in assert. veteris Vulgatæ, pag. 28. Petrus Lopez de Montoïa de concordia sacrarum editionum, lib. 2. quæst. 4. Galarza euangelicarum Institutionum lib. 1. cap. 10. in fine. Placuit verò tanta auctoritate, etsi obiter solùm, oblata occasione, stabiliisse, quòd plurimi momenti æstimem persuasum esse debere catholicè sapientibus, hanc sacrosanctam vulgatam editionem regulam esse, ad quam cæteræ componantur editiones, vt quæ à Concilio, & Pontificibus declarata sit authentica, & syncera esse Scriptura; atqui ad huius integritatem Scripturæ non desideratur, vt in verbis non intelligatur aliqua esse corruptela, aut vt concipiantur verba esse, quæ Spiritu sancto suggerente prolata fuêre. Sed, vt abesse cogitetur error omnis, aut ad fidem, aut ad bonos mores pertinens; ergo neque cùm primùm etiam condita fuit Scriptura, præter hoc exigebatur aliud; Minorem huius argumentationis amplexantur grauissimi huius æui Doctores, Vega, Lindanus, Sixtus Senensis, Payua, Sanderus, Catherinus, Driedo, atque alij apud Azor, & Torres, vbi suprà, apúdque Tenam allegata ibi difficultate sect. 1. & de nostris Bellarminus, cum Gretsero indicatis ibidem locis Mariana tractatu de editione vulgata, cap. 13. Serarius Prolegomenis Biblicis, cap. 19. quæst. 11.

Ramos.

Montoïa. Galarza.

Ad Scripturã canonicã an sufficiat abesse omnem errorem ad fidem, & bonos mores spectantem?

Vega. Lindan. Sixt. Senens. Payua. Sander. Catherin. Driedo. Serar.

2.

Insuper illud obseruandum, quod ex Hieronymi Opusculo ad Pammachium de optimo genere interpretandi, hausit Ribera ad Malach. cap. 3. num. 8. & ad cap. 1. Habacuc, num. 14. solitos Apostolos, & Euangelistas in citando veteri Instrumento non obseruare morosè verba, sed sensum, quem interdum paucioribus, interdum pluribus vocibus exprimunt; septuaginta autem Interpretes non adeò ad verba attentos, vt in plerisque paraphrasim magis, aut Commentarij formam, quàm versionem exhibuerint, refert Leo Castrensis disputatione de translationibus, cap. 9. atque in plurimis Interpretem ordinarium non tam verba sequutum, quàm sensum, putat noster Ludouicus Torrensis in 2. 2. disp. 22. dub. 4. §. *Sed nonnulli*, &c. Hoc igitur cùm & Apostoli, & Interpretum Coryphæi præstiterint; fit sanè rerum atque sensus, non autem verborum habendam rationem; ac proinde, quamuis canonico Scriptori Deus verba non suggerat, sed sensum, coalescere suis absolutam numeris diuinam Scripturam, nec esse, quod ad perfectionem desit quidquam, neque ad integrum Dei Verbum; Denique & hoc pacto non est operosum intellexisse, quemadmodum Isaïas aulicè, venustè, floridè loquatur; Amos subdurior, atque horridior videatur; Ioannes inter Euangelistas sermone excellat; Pauli eloquentia delectet magis, atque supra se ad Hebræos scribens ipse exurgat: nimirum, verba ipsis relinquebat diuina, quæ regebat eos, vis; atque prout quisque à natura donatus erat maiori vocum elegantia eius oratio comptior apparebat; Atque hoc fortasse indicauerit noster Maldonatus ad initium cap. 1. Ioannis, docens: *Seruit enim gratiæ natura* (ait) *& Sanctorum lingua, quæ Spiritus sancti, tanquam scribæ velociter scribentis, calamus est, etsi omnem ab eodem Spiritu motum habet; tamen & ipsa aliquid facit, plurimique refert, quali vtatur calamo etiam optimus quisque scribendi Magister*; Eiusmodi aliud significat quoque noster Antonius Fernandez in visiones Testamenti veteris, præfat. in visionem decimam Isaïæ, num. 5. dum inquit, *Diuinum Spiritum suiipsius illapsum coaptare ad conditionem Prophetæ, vt in eloquentibus suapte natura appareat eloquens, in vrbanis vrbanus, in rusticanis rusticanus, sicut tibicen in tibijs subtilibus subtiliter sonat, in crassioribus crassius*; Quod eius effatum placuit nostro Cornelio, dum argumentum texeret Isaïcæ vaticinationis: at, si gratiæ effectu præter sensum essent verba pariter, nihil istorum contingeret; nam & rusticus æquè politè loqueretur, atque inter ciues enutritus; neque referret, an optimus, an mediocris fuisset calamus; quemadmodum, quia visio beata, supernaturalis gloriæ luminis opus est, eiusdem speciei, eiusdémque naturæ secundùm vulgare Scholarum placitum est visio beata procedens ab intellectu hominis, atque ab intellectu angelico; quamuis spectata vtriusque intellectus essentia longè præcedat humanum angelicus.

Hieron. Ribera.

Regula: Apostoli in citando veteri Instrumento, sensum, non verba referunt.

Leo Castr. Luys. Torr.

Septuaginta seniorũ versio sæpè paraphrasis.

Quare Prophetarum vnus loquatur aulicè, alter quasi hispidè? Maldon.

Fernandez.

A Lapide.

3.

Verùm, etsi hæc eiusmodi sint, quæ & momentum, & pondus habere arbitretur quisquam, amplexatáque opinione expeditum foret nobis docuisse, quorsum dilectus Salomon ad hoc scriptionis genus? nempe, cùm vniuersus sermo de opobalsamo, stacte, liliis, atque rosis, vbique conuiuia, oblectationes, & quicquid in vita iucundum est; quis de his omnibus caneret aptiùs, quàm ille, qui nihil, quod desiderauerunt oculi, negauit eis? nec prohibuit cordi, quin omni voluptate frueretur? Iam, si & varij in carmine exquisito tropi, figuræ plurimæ, & congesta in vnum Hymenæum cuncta Poëticæ ornamenta, atque illa tam abstrusa, tam varia, tam perpetua allegoria vindicabat sibi ingeniorum, & sapientiæ phœnicem, atque corculum aliquod, quem Salomoni comparabilem antiqua habuit Synagoga? Allicere poterant ista, vt subscriberemus sententiæ: nec tamen potuimus amare, quoniam fragili arbitramur innitentem basi; quare affirmamus quidem, Spiritum sanctum, qui loquutus est per Prophetas, etiam vsque ad verba eis subministrare, nec docere sensum tantùm, & res; omnium igitur causa principalis, & eleuans ipse, instrumentum illi; Sic æstimasse visus Canus lib. 2. de locis, cap. 18. in principio, & lib. 5. c. 5. P. Azor tom. 1. Institut. moral. lib. 8. cap. 1. quæsito 11. vbi putat, contrariam sententiam tutò non posse defendi: P. Suarez de fide, disput. 5. sect. 3. num. 4. Petrus Lopez de Montoïa de concordia sacrarum editionum, lib. 1 controuersia 3. Ferdinandus Escalante in suo clypeo, lib. 1. de proprietate sacræ Scripturæ, c. 4. conclus. 1. P. Valentia tom. 3. quæst. 1. puncto 7. §. 43. in principio; Ludouicus de Tena lib. 1. Isagogæ sacræ Scripturæ, difficultate 1. sect. 3. Atque idem à fortiori dicturi sint, qui arbitrantur, editionem vulgatam, etiam quoad singula verba, authenticam esse, quæ est sententia modò nominatorum, & insuper Ludouici Torrensis, & Nicolai Ramos locis præmonstratis num. 1. docuit & Basilius Legionensis 1. parte variarum, quæst. 4. expositiua, cap. 12. qui eiusdem quæstionis 1. cap. eam, quam nunc tuemur, assertionem probauit vnà cum Sebastiano Perez, Oxomensi Episcopo, in regulis sacræ Scripturæ, regula 2.

Salomõ aptus Canticorum Scriptor.

Spiritus sanctus Prophetas & res, & verba docebat.

Canus. Azor. Suarez. Montoïa. Escalante. Valentia. Tena. *Vulgata editio etiam quoad singula verba authentica.* Luys. Torr. Ramos. Basil. Leg. Perez.

Probant communiter, idque potissimùm, omnes hi Auctores, quoniam alioquin, & Ecclesiæ,

4.

&

Quæ differẽtia inter definitiones Conciliorum, & sacræ Scripturæ Textũ?

& sacrorum Conciliorum definitiones atque decreta, Scriptura censeri valeant; cùm sic propitium habeant sanctum Spiritum, vt in his, quæ ad fidem, atque bonos mores spectant, errare non patiatur: In quo igitur vincunt Bibliorum Codices? Nimirùm, quòd in his sermonem quoque condiderit diuinus Spiritus; secùs in Conciliorum Decretis: Sed ego quidem cum P. Valentia loco numero antecedenti allegato existimo, & Scripturam, & Ecclesiam, quoad asserendi infallibilitatem & certitudinem, paris esse auctoritatis; Ergo Scripturæ attingunt excellentiam? Quoad hoc sanè fateor; absolutè autem minimè ædepol; Discamus à

S. Thom. B. Thoma 1. p. quæstione 1. art. 10. quæ huius scientiæ specialis dignitas; nempe, ait in corpore; *Cùm in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsa res significata per voces etiam significant aliquid.* Hausit ex

S. Greg. Gregorio, vt ipse fatetur, 15. Moralium inquiente: *Sacra Scriptura omnes scientias ipso locutionis suæ more transcendit; qui vno, eodémque sermone, dum narrat gestum, prodit mysterium.* Atque huic subscribunt placito Interpretes eo loco, Itaque ponamus, & ab Ecclesia doctos nos, & ab Euangelista ex aperto Seruatoris latere profluxisse sanguinem, & aquam, hoc quod ab Euangelista prolatum, Scriptura est; quod ab Ecclesia, definitio; quoniam quidem præter infallibilitatem, & certitudinem, quæ Euangelistæ communis est cum Ecclesia, Spiritus sanctus, cùm per os Euangelistæ prometet verba illa, ordinauit rem per illa significatam ad mysterium, videlicet, aut ad vnionem populi cum Christo repræsentandam, aut ad Sacramenta demonstranda, aliáve, quæ illis adumbrata fuisse Doctores perhibent: cùm autem per Ecclesiæ labia loqueretur, vocum significatione contentus, non est progressus vlteriùs ad imponendam rei per voces intellectæ alteram significationem: proinde, quamuis Spiritus sanctus, aut Conciliis verba quoque subministraret, aut canonico Scriptori non supediraret, adhuc superessent aliæ notæ, quibus & Scriptura, & Conciliorum definitio possint distingui; & præter hanc à nobis adhibitam alias multas cumulat Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Conciliorum auctoritate, cap. 12. vbi defendit in Scripturis non tantùm sententias, sed etiam verba omnia, & singula ad fidem pertinere.

Proprium sacræ Scripturæ, vt eius verba, & res sint futurorum signa certissima.

Bellarm.

5.

Producit Tena Commentarium Hieronymi in cap. 3 Epistolæ ad Ephesios, vbi inter cæteta illud; *Singuli sermones, syllabæ, apices, puncta, in diuinis Scripturis plena sunt sensibus,* &c Potuisset & illud eiusdem scribentis ad Paulinum coniungere; *In singulis verbis Apocalypseos D. Ioannis latere multiplices intelligentias*; Dedimus & nos his simile effatum ex Chrysostomo superiùs Anteloquio 3. Sectione 2. Subsectione 8. num. 76. ex quibus argumentantur, & ille, atque Montoia ab homine non posse esse verba, quæ Sacramenti atque arcanorum tantum contineant; & cùm vniuersim id in verbis omnibus contingat, verba omnia prodiisse à Spiritu sancto; Sed memorato à nobis nuper loco ostendimus, ex conferta, & veterum, & iuniorum auctoritate, non nimiùm vrgendam allegoriam in Parabolarum præsertim interpretamentis; nam immisceri à sacro Scriptore nonnulla, quæ emblemata censeantur solùm, & ornatus gratia potiùs, quàm mysterij causa apposita; Quòd si exceptis his

Hieron.

Chrysost.

sententiis in reliqua locutione sensus, & oracula inueniantur, non id quidem prouenit à vocibus ipsis, sed occasione illorum, quæ voces repræsentant. Postremò, neque ea, quæ ex Euangeliis depromunt, vrgent; nimirum, Ioan. cap. 14. vers. 26. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Nam ibi pollicitatio non est de condenda Scriptura, cùm ad omnes Apostolos dirigatur sermo, & omnes nequaquam Euangelia exarauerint: si verò de alio eorum sermone concipiatur, scilicet, de concionibus ad populos; non, puto dixerint, in his sic gubernatos à diuiniori Spiritu, vt præter rerum momenta, & causas, dictionem pariter suppeditaret; Lucæ & illud cap. 21. vers. 14. *Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari, quemadmodum respondeatis; ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes aduersarij vestri:* saluatur si repentinò à Numine, atque in ipsa quæstionis hora subintimatas affirmemus rationes tam efficaces, quæ fidei hostes obmutescere cogerent, quamuis ipsorum inuentio sermo extitisset: credo & in hoc quoad expeditionem, & copiam adiutos etiam, vt inimici confunderentur, & fides vinceret Christiana, sub illis præsertim temporum initiis.

Ioannis locus ex cap. 14. denotatus.

Luc. 21.

6. Suppono itaque ex communissima Scholarum opinione, vnius, eiusdémque Scripturarum sententiæ multiplicem, variúmque esse litteralem sensum, & fortè nonnunquam penè cœlo toto diuersas res indicari. Pro hoc placito numeraui suprà triginta testes Anteloquio 1. Sectione 4. num. 24. Exempli causa, illud Geneseos 1. cap. *In principio creauit Deus cœlum, & terram,* &c. quinque, aut sex historica significata admittit, vti eo loco citati Doctores ostendunt; atque in eundem modum plures alij Bibliorum versus, quos ad longum expendunt. Quis igitur impulit, vt hæc tam varia & dissita iisdem verbis exprimeret Moyses? Quis tam insolitus narrandi ordo, vt in vna periodo complectatur materias plures; quantum onus hoc, si non humana industria per gratiam adiuuetur? Igitur non solùm rem, quam verba repræsentabant, reuelauit Deus Moysi; sed ipsa quoque verba suggessit. Declaro hæc. In illis verbis Ioann cap. 11. vers. 50. *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*; duplex est significatio: altera ab impositione humana, iuxta quam Caïphas intellexit, oportere ob reipublicæ bonum, Christum de medio tolli; altera ex vaticinio, & impositione diuina, qua Deus intelligebat, expedire, vt Christus lignum ascenderet propter salutem humani generis. Hanc vocum illarum intelligentiam ignorabat Caïphas, vtpote à Numine proficiscentem, ac proinde Euangelista subintulit, *Hoc autem à semetipso non dixit; sed, cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit, quòd* IESVS *moriturus erat pro gente.* Quemadmodum igitur hic, quod diceret, ipse nesciebat, quoniam non humana, sed diuina erat verborum impositio ad repræsentandum: sic etiam Moyses ignorare potuit, quid sententia illa portenderet: *In principio creauit Deus*, &c. atque fortasse aliquos eorum verborum litterales sensus ignorauit, de quibus loquens Augustinus lib. 12. Confessionum, cap. 32. *Nunquid, Domine Deus, & Spiritum tuum bonum, qui deducet me in terram rectam, latere potuit, quicquid erat in eis verbis? Tu ipse reuelaturus*

Locus Ioannis ex c. 11. libratus.

Regula: Prophetæ non omnia, de quibus vaticinantur, intelligunt.

legentibus

Regula: Prophetæ nõ omnia, de quibus vaticinantur, intelligunt.

legentibus posteris, etiamsi ille, per quem dicta sunt, vnam fortassis ex multis veris sententiam cogitauit; Quòd si ita est, sit igitur illa, quam cogitauit, cæteris excellentior; nobis autem, Domine, aut ipsam demonstra, aut quam placet alteram veram, vt siue nobis hoc, quod etiam illi homini tuo, siue aliud ex eorum verborum occasione patefacias, tu tamen pascas nos, non error illudat: Atque vt vniuersim latere vaticinantes possit intellectio prophetiæ, ostendimus breuiter, qui autument, Anteloquio 5. Sect. 1. num. 7. Igitur oportet à Numine discere impositionem ab ipso manantem, qua decreuit, vt verba hæc, aut illud repræsentarent; alioquin nudas solùm voces proferet, quemadmodum Caïphæ accidit; sed accipere sermonem à Deo, nihil aliud est, quàm ab eo instrui de impositione vocum, seu ad quid significandum illæ fuerint impositæ voces, sicut acceptum referre Latinum sermonem Præceptori, est doceri ab eo, quid voces illæ ex placito, & repræsentatione enuncient; Igitur Propheta accipiens à Creatore notitiam impositionis, ab eodem accipit sermonem; ac propterea sermo, quem loquitur, non est à Vate, sed à Deo, proindéque non sensum tantùm, verum & verba quoque canonico Scriptori suggerit.

7. *Versio septuaginta Seniorum miraculosa. Leo Castr. Tena.*

Confirmatur: Quoniam translatio septuaginta Virorum miraculosa fuit, Spiritúsque sancti peculiariter opus; Probat Leo Castrensis disputatione de translationibus sacræ Scripturæ, cap. 6. & ad longum cap. 11. Certè ea fuit trita veterum Antistitum Ecclesiæ cogitatio; Videndus Tena lib. 1. Isagogæ sacræ Scripturæ, difficultate 5. Sectione 3. atque cùm nouam non condiderint Scripturam oportuit, vt prioris sensum retinerent, quod ab eis præstitum, exceptis paucis quibusdam in locis Numine aliud tum volente ob iustas causas; Igitur, cùm Spiritus sanctus nouum non reuelauerit sensum; quid demùm concessit? verba quidem; nam præter sensus, & verba, aliud non fuit, quo indigerent; at verò Spiritus sanctus quamobrem verba dictauit? nempe, quia futura erat versio illa Scriptura authentica, vt docet eodem loco Tena Sectione 4. Ergo de ratione authenticæ Scripturæ est, vt Spiritus sanctus non solùm sensum; sed verba quoque inspiret; Atque ob hanc causam eorum placet iudicium, qui existimant, vulgatæ editionis Interpretem etiam diuino Spiritu adiutum. Defendit Serarius prolegomenis bibliacis, cap. 19. quæstiuncula 8. Tena eodem suæ Isagogæ lib. 1. difficultate 6. sectione 3. Potuit quidem Deus Vati quatuor, aut quinque dictiones synonymas reuelare, & præscribere, vt quam vellet ex eis eligeret; tunc in potestate prædicentis fuisset, hoc, aut illud desumere vocabulum; verùm non de his controuersia, quoniam hoc more etiam Deus semper strictè loquitur, cùm non alia verba Propheta loquatur, quàm quæ nominatim Dues illi significauit; est autem disceptatio, vtrùm liceat Prophetæ iure quodam suo his, aut illis pro arbitratu vti vocabulis, & declarandorum à Deo accipiat sensus tantùm, non autem circa distinctiones vocabulorum regulas quoque? Verba insuper accipere dicimus, quoniam aliter nec Deus cum rigore in Scripturis loqueretur, nec sacræ paginæ dictiones de fide essent.

Interpres vulgatus à Spiritu sãcto specialiter adiutus. Serar. Tena.

8. Ad obiectiones initio positas: Quod de editione vulgata post Tridentinum affirmatum, aduersùs nos inutile est, cùm putemus, idipsum de hac translatione dicendum; in ea, etiam vsque ad singula verba, quæque esse de fide; verùm concedamus, quæ ibi prolata fuêre; discrimen amborum accipe: alio quippe modo se gerit Deus in prima Scripturarum molitione, alio in earundem conseruatione: nam in primo illarum opificio, cùm ipse ordinauerit ad gloriam sui nominis, ad fidelium salutem, atque emolumentum; quemadmodum eius ab ore nihil prodiit, quod non vel ad fidem, vel ad bonos mores conduceret; ita nihil quoque dimanauit superuacaneum, aut impertinens, minúsve saltem vtile; at verò in conseruatione diuinorum Codicum, quemadmodum permisit hominibus, (quippe in quorum manu bonum, & malum positum erat,) vt Sacramentis, diuinissimóque etiam beatissimi Corporis, contumeliam non rarò inferrent; ita sustinuit lædi Scripturas: sed, quanquam permiserit, vt Corpus ipsius graui afficeretur iniuria à nequissimis; non tamen sustinuit aliquando, vt grauis error vniuersos Bibliorum Codices peruaderet; Causa fuit: ex eo enim, quòd ingratissimas nationes Corpori blasphemiam inferentes pateretur, laudi id fuit, non vituperio; quoniam commendabat infinitam Numinis, & bonitatem, & patientiam: si autem omnes vbique Codices apparerent corrupti, suspicio oriretur, an Deus in loquendo summè verax esset, quando eius verbum, eiúsque eloquium mendacium atque errorem contineret; Permisit igitur Librariorum, exscribentiúmve incuria, leuiora aliqua damna, quæ neque probatis moribus, neque fidei officerent, à quibus non fuisse liberum vulgatum sacrorum Voluminum Textum, etiam post Tridentini Consessus declarationem, existimarunt viri illi sapientes: sed, puto, hoc arbitrati sunt, antequàm corrigeretur, nunc verò post Sixti, atque Clementis castigationem, audax fuerit eiusmodi pronunciatum, præsertim cùm Bibliorum admoneat Præfatio, adhibitam esse humanam diligentiam, quanta esse potuerit; & ego existimauerim diuinis subsidiis Correctores singulariter adiutos, cùm id aggressi fuerint, quod Ecclesiæ maximè optandum erat, vt haberet sanctorum Voluminum omninò repurgatum Textum; Quare vtiliùs multò facturi sint, qui in hoc dilucidando, explanandóque textu oleum consumpserint, quàm in nouarum castigationum interpreti cõmuni quasi ex affectatione & libidine aduersantium infructuoso labore, ne dicam superbo magis, quàm Christiano, cùm Cardinales, quibus, Concilij quæ fuerit mens, vt exprimant, commissum, dixerint; *Nec solam periodum, solam clausulam, vel solam dictionem, aut syllabam, iotáve vnum admitti posse, quod repugnet huic vulgatæ editioni Latinæ*; Adi Suarium disp. 5. de fide, Sect. 3. num. 10 qui affirmat, ab his ipsis grauissimis Cardinalibus reprehensum seuerè Andream Vegam, quòd lib. 15. in Tridentium, cap. 9. maiori cum licentia hac in parte loquutus fuerit.

Deus, quare nunquam permiserit, vt graui errore Biblia inficerentur?

Post Clementis castigationem audax asserere, etiã quoad verba, errorem latere in Bibliorum Textu.

Nouarum versionum infructuosus labor. Sualez. Andreas Vega notatus.

9. *Apostoli vetus allegates Instrumentũ, quamobrem sensa reddũt & non verba quoque. Martin. Leo Castr. Maldon.*

Apostolos, & Septuaginta non verba, sed reddidisse sæpiùs sensum admittimus, & multis probat Martinez lib. 6. Hypotypos. pag. 429. §. *Aduertendum citationibus.* Leo Castrius disput. de translationibus, cap. 6. num. 7. & Euangelistas, cùm eandem narrent Historiam, non iisdem vsos verbis, aduertit Maldonatus ad vers. 2. cap. 22. Matth. hoc autem minimè egerunt, propterea quód opinarétur, exiguam verborum debere esse reuerentiam; alioquin cùm ipsi nobis proposuiti sint

sint Duces, & Magistri, quos imitemur liceret & nobis ad eorum exemplum tantundem : id verò quis concessurus sit ? cùm ne Sanctorum quidem Patrum dicta inuertisse in publicis prælectionibus, & ad populum suasionibus liceat; Atque iure optimo, cùm necesse sit mutatis vocabulis, sæpè & sensum alium repræsentari; quanta enim in Gymnasiis sæpè, & pro Augustini, & pro Angelici Thomæ mente concertatio ? atque hoc & ipsorum productis fideliter vocibus ? quid, si permitteretur aliter citasse, quàm pronunciauerint? Id igitur perpetratum, quemadmodum effatur Aug. lib. 3. de consensu Euangelistarum, cap 3. *Secretiore consilio prouidentiæ Dei, qua mentes Euangelistarum sunt gubernatæ;* Itaque licuit id Apostolis, & septuaginta Senioribus; quoniam non hoc ipsi dictabant; sed Spiritus sanctus, cui liberum & conueniens est, aliter atque aliter suum declarare sensum; atque ob hanc causam illæ omnes diuersæ phrases, Dei verbum, atque loquutio sunt; sed Apostoli aliter protulerunt, sensa retinentes, vt innuerent, eundem fuisse conditorem vtriusque, & Hebrææ editionis, quæ originaria est, & Græcæ, quam Septuaginta transtulêre, quemadmodum ex multis Augustini, & Hieron. verbis demonstrat Leo Castr. memoratis nuper capitibus: Quòd verò quibusdam in locis paraphrasim magis, aut Commentariorum imitationem aliquam Septuaginta texuerunt, ex Spiritus sancti inspiratione commissum, qui iis in locis Christum, & Euangelium expressiùs prænunciauit, vt esset, quò manifestè redargueretur Iudæorum contumacia; Notauit idem Leo in disput. de translationibus, cap. 9. & ad illud Isaiæ, cap. 43. *Cùm transieris per aquas,* &c. vti & quòd subtraxerunt quædam, ne Gentilibus mysteria paterent, Auctore Hieronymo prologo in Genesim, quando eis noto idiomate Scripturæ proferebantur, eò quòd arcanorum cognitio idololatriæ occasio tunc magis, quàm salutis futura, donec illucesceret Christus.

Auguſt.

Septuaginta cur quædam aut adiunxerint, aut demunt?

Leo Caſtr.

IO.

Quòd autem asserant, gratiam naturæ se accommodare, & huius non excludere opem, sed perficere; ac propterea Isaiæ floridiorem esse stylum, quòd is, siue naturæ, seu artis industria eloquens esset; inurbanam dictionem Amos, quoniam ruri educatus, aliter profari non didicerat; hoc à me sic intelligitur, vt quemadmodum Christus Dominus idem obiectum naturale, quod scientia experimentali mediis speciebus acquisitis attingit, cognoscit quoque per species, siue per accidens, siue per se infusas; sic eadem verba, quæ prodirent ex conceptu naturali, quem species ordinis naturæ producerent, excitari à conceptu, quem species per se, vel saltem per accidens infusæ supernaturaliter causant; V. g. *Expedit, vt vnus moriatur homo pro populo,* si simpliciter intelligantur, oportere, vt Christus de medio tolleretur, verba tum oriantur ex conceptu naturali, & quoad modum, & quoad substantiam; sed eadem phrasis, quatenus prophetia est, & Dei loquutio, nascetur ex conceptu, aut secundùm substantiam, aut quoad modum, vt minimùm supernaturali; Sic igitur, cùm Isaias suis verbis vtatur, id est, quæ ex naturali conceptu proficisci valeant: non tamen ea solius Isaiæ sunt verba, cùm prophetat, sed Dei principaliter; quoniam tum generantur ex speciali motione, superna producente gratia conceptum naturæ vires excedente; atque Deum naturæ in hanc formam se accommodare, vt dixerint, non grauatè consentiemus; id est, excitare mediis speciebus apprehensionem supernaturalem verborum; qua posita apprehensione voluntas supernaturaliter stimulatur ad imperandam prolationem extrinsecam vocum, quæ significant ex diuina impositione, repræsentántque hoc, aut illud; Dixi voluntatem imperantem supernaturalem, eò quòd voluntas, quæ per se supponit cognitionem naturæ vires transcendentem, eiusmodi sit, cuius generis ea est volitio; nam exigit apprehensionem; aut iudicium Dei in verbis impositionem repræsentantem; nequit autem cognitio hæc assequi naturali industria, cùm impositio illa ad ordinem naturæ non spectet; sed ad fidem, & reuelata; Neque tamen puto ad naturæ dotes, maiorémque in dicente elegantiam attentum eum, qui in publicando Euangelio Rhetorum, & philosophantium adminicula respuit: sed loquutum in Amos simpliciùs, in Isaïa politè, quoniam sic placitum fuit; fortasse & per Isaïam sublimiùs intonasse, vt Euangelij, in quo prædicando totus versatur, maiorem gratiam, atque splendorem significaret; atque ob id, quòd spiritus distribuebat singulis, prout volebat, ex Euangelistis alium in humanitate Christi describenda, eiúsque in carne gestis distentum; alium sublimiùs attolli, & pertingere vsque ad Verbum Patris; alium depingere Magorum aduentum; alium Archangeli cum MARIA colloquium; quæ omnia tamen vnusquisque potuisset enarrare, nisi Spiritus ad diuersa impelleret.

Natura quo pacto se accommodat gratia?

Quare ex Prophetis vnus politè, alter velut inculcè loquatur?

Euangelistæ, cur non omnes eadem narrant?

II.

Denique ex hoc fonte manauit, vt cùm propriissimè, aptissiméque omnia loquutus sit Deus per Prophetas, & Euangelistas, cæteróſque Bibliorum Structores; non tamen eo sententiarum nitore, aut luce, vt non potuerint & venustiùs, atque maiori cum claritate efferri; Quare Psalmus ille, qui Reg. 2. cap. 22. legitur & ponitur; *Dominus, petra mea, & robur meum*; limatior est in volumine Psalmorum, qui ordine decimus septimus cernitur, vti probè animaduersum à nostro Sanchez ad nominatum Regum locum; & septuaginta Senes pluribus in locis dilucidiùs effati, vt probat sæpè Leo Castrensis disputatione de Translationibus, atque idem ad illud cap. 28. Isaïæ: *In loquela labij*, &c. canonem ex Origene tom. 7. in Ioannem, promit, quo monet, solere Apostolos mutare voces obscuras in planiores, & dilucidiores; atque ipsum hoc Vulgato contigit Interpreti, qui cum Spiritus sancti directione verteret in Latinum sermonem, aut Hebræa, aut Græca, dictione expresserit, quam delicatæ aures fastidierint: verùm, si debita religione, atque obseruantia præditi fuissent, animaduertere debuerant superna id actum dispensatione, nolente ob latentia causarum, grauissimáque momenta, aliter loqui, per calamum suum velociter scribentem Numine: Quamobrem, quòd ob huius generis aliqua, tanquam menda fuissent, Interpretem perstringere non sit veritus Sixtus Senensis, & glorietur à suis emaculatum commilitonibus, mihi neque aptè, aut pronunciasse, aut gloriatum esse visum: sed eius verba sunt lib. 8. Bibliothecæ sanctæ, hæresi 13. de Translationibus sacræ Scripturæ, § *De vtraque tandem*, &c. *Ingenuè fatemur, & nos in hac nostra noua editione nonnullas inuenire mendas, solœcismos, barbarismos, hyperbata,*

Scriptores canonici nitidius loqui poterant, quàm sint loquuti.

Sanchez. Pſal. 17.

Leo Caſtr.

Regula: Apostoli solent mutare voces obscuras in clariores.

Sixti Senensis displicet effatum.

Quid de vulgati Interpretis increpatoribus cẽsendum?

hyperbata, & multa parum accomodatè versa, & minùs Latinè expressa, obscurè, & ambiguè interpretata; itémque nonnulla superaddita, aliqua omissa, quædam transposita, ac vitio Scriptorum immutata, quæ Sanctes Pagninus, Thomas, Caietanus, Franciscus Forerius, & Hieronymus Oleastrius, Viri ex Dominicano Ordine eruditissimi, interpretationibus, & explanationibus suis indicarunt: Sed, quàm iniustè hæc adstruxerit Sixtus, atque non minùs deceptus sit in vulgato Interprete vituperando, quàm in sociorum efferendis versionibus; quoniam acerba sunt, quæ dicuntur, malo ad Auctorum volumina remittere Lectorem; adeat cupidus scire, quid de quaque versione autumandum Canum lib. 2. de locis, cap. 13. §. *Ad hæc.* & §. *Quo quidem.* & cap. 11. §. *Sextam verò,* &c. Genebrardum Proœmio in opere Origenis, Leonem Castrium disput. de Translationibus, cap. 2. §. *Ait Sixtus,* &c. & in illud cap. 28. Isaiæ: *Quia manda, remanda,* &c. Basilium Legionensem quæstione 4. expositiua, cap. 10. §. *Deinde asserendum.* P. Salmeron tom. 1. in Pauli Epistolas, lib. primo, part. 1. disput. 20. atque à fundamentis expendentem singula P. Gretserum tom. 1. defensionis Bellarminianæ, ad cap. 14. lib. 2. Bellarmini de verbo Dei, §. *Quod Vvittakerus,* &c. & in primis disput. de nouis Translationibus, cap. 2.

Sixt. Senens. Canus. Genebrard. Leo. Castr. Basil. Leg. Salmeron. Gretserus.

12. *Propheta, nũ liberè & meritoriè vaticinantur?*

At, si Deus is est, qui loquitur, si eius, & non Prophetæ etiam verba; igitur Vates liberè prædictiones non fundebant; non enim, quod suum erat, proferebant: quare & meriti nihil adquirebant: hoc autem quis credat? imò hanc esse præcipuam inter notas, quibus veri Prophetæ à dæmoniacis secernebantur, vtpote quos extra se in amentiam rapiebat malignior Spiritus, tradit S. Thomas 2. 2. quæstione 173. art. 3 Quare Alphonsus Curiel libro 2. controuersiarum, controuersia 1. in illud ad Hebræos, cap. 1. *Multifariam, multisque modis.* artic. 2. à num. 5. probat, vaticinantes non fuisse passos eiusmodi ecstasim, qua perturbarentur, sic vt, quæ proferrent, non intelligerent: & P. Vasquez tom. 1. in 1. part. disputat. 17. cap. 3. *Alioquin* (ait) *Scriptor fuisset irrationale quoddam instrumentum verbi diuini, quod absurdum*; Respondeo, quemadmodum docui Anteloquio 1. Sectione 6. num. 44. si prophetia secundùm se consideretur, atque vt est Dei sermo annunciantis absentia & ignota posse optimè stare, quin liberè à prædicente eliceretur; nam quemadmodum Deus Caïphæ Pontifici immisit prophetiã quam ignorabat, sic possit comparatione aliorum quoque facere; quare Caïphas quidem verba illa, *Expedit, vt homo moriatur,* liberè quidem pronunciauit; sed non sub formalitate vaticinij, nisi materialiter, & identicè cùm non cognosceret prophetiam esse; nihil autem volitum, quod non præsciatur: tunc quidem Deus non loquebatur Caïphæ, cùm non perciperet verba illius, & locutio ad intelligentem dirigatur: loquebatur verò alij cuicunque penetranti illius sermonis vim; tunc etiam Caïphas per illa verba prophetice non loquebatur, quia loqui non est incognitum effutire, quod psitaci agunt; tunc denique nec Propheta esset, nisi materialiter, & impropriè, quia Propheta strictè non est, nisi qui vaticinium comprehendit, vt ostendimus ex August. memorato 1. Anteloquio, & ostendit Martinez lib. 4. Hypot. cap. 1. §. *Et dubium,* &c. Sed Deus, etsi hoc se gerere pacto valeat; tamen de facto, vti eodem loco monstrauimus, aperiebat Vatibus, si non omnem prophetiæ sensum, aliquem saltem, præstantiorem, videlicet vt de Moyse asserebat Augustinus suprà num. 6. Quare, cùm illi, quam penetrabant, externam, & vocalem prædictionem ita fundebant, vt reticere, & occultare possent; ac proinde & vaticinabantur, & id liberè, atque meritoriè, & loquente Deo ipsi pariter loquebantur, cùm, quæ intelligerent, proferrent verba, vt etiam ab aliis ea caperentur.

Propheta strictè quisnam.

13. *Propheta, quo pacto materialiter omninò se habeant comparatione vaticiniorum?*

Ex his autem constat, vt Deus absolutè loquatur, non esse necessarium liberum hominis consensum, quando euenire possit, vt esse Dei sermonem, penitùs rationalem creaturam lateret, sicuti in Caïpha accidit, cui nec liberum, nec voluntarium fuit; quòd prophetaret nisi identicè solùm atque materialiter, cùm ignoraret vaticinium aliquod à se enunciari: & hinc eximiè à B. Petro positum epist. 2. cap. 1. vers. 21. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Atque hoc denotauit omninò celebre illud sancti Gregorij pronunciatum præfatione in Iobum, c. 1. *Sed quis hæc scripserit, valdè superuacuè quæritur; cùm tamen auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui hæc scribẽda dictauit; ipse scripsit, qui & illius operis inspirator extitit, & per scribẽtis vocem imitãda ad nos eius facta transmisit; Si magni cuiusdã Viri susceptis epistolis legeremus verba, eáque, quo calamo fuissent scripta, quæreremus, ridiculum profectò esset, si non epistolarũ & Auctorem scire, sensúmque cognoscere; sed quali calamo earum verba impressa fuerint, indagare studeremus.*

2. Petr. 1.

Gregor. Pap.

14. *Scriptorẽ canonicum in particulari nosse, vtile est.*

Quòd si (aies) Dei totum opus est, & Gregorius asserat, superuacuè quæri, quis scripserit, quamobrem de Auctore moueatur quæstio? Sanè nihil prodest, ad hoc vt intelligamus, Dei esse verbum, nisi fortasse necesse sit cognoscere, probum fuisse, cùm Deus regulariter optimis solùm prophetiam cõmunicet: *Sanctos* enim appellat Dei Vates Petrus Apostolus, vt ab eo nuperrimè audiebamus, atq; hæc Gregorius Põtifex voluit indicare: Cæterùm de auctore conueniens est scire in particulari quoniam vel hoc ipso magnus censendus, quòd à Deo ad tam excellens ministerium delectus, atque si quid rarum tam præclaris Ecclesiarum luminibus accidit, quemadmodum Salomoni contigit sub annorum termino, digna ea sunt, atque fidelibus commoda, quæ celebrentur multorum calamis, quò plures sciant, & pertimescant. Denique Scripturarum Chronologia haud vnquam firma esse valeat, si quo tempore quisquam canonicus Scriptor floruit, ignoretur, cùm aut quæ ipsi referant, ab hoc omninò dependeant, aut quæ aliis Bibliorum Voluminibus leguntur: Quare sic à Caietano opinatum est; vtilem esse notitiam de codicis Auctore: *Nisi enim* (ait ad Prouerbiorum initium) *laudabile esset, Auctorẽ libri in principio manifestare, non fuissent Salomonem imitati Prophetæ posteriores, Isaias, Ieremias, Ezechiel, incipientes suos libros à suis nominibus propriis: confert siquidem hoc ad auctoritatem libri, in cuius signum libri carentes certo Auctore supputantur ab Ecclesia inter apocrypha.*

Caiet.

* * *

SECTIO II.

Breuiarum vitæ, & factorum Salomonis potissima quæque cum ordine proponens.

15. *Pineda opus de Salomone præuio eximium.*

QVanquam Salomonis Acta satis declarata Regum Historia, huiúsque prætermissis, atque ab ipso editis sacris Codicibus; eadémque rerum copia, & varietate à nostro Pineda iusto volumine plurimo cum ingenio, atque elegantia mirificè illustrata; ne tamen Interpretis officio defuisse aliqua ex parte videamur, dabimus breuem gestorum eius recapitulationem, quæ magis probabiliora apparebunt delibantes ex iis, qui de argumento maiori cum doctrina tractarunt; Ergo post occisum in pugna Vriam Hethæum, eam, quę illius fuerat, Bethsabeam, patria Hebræam, domo Hierosolymitanam, filiam *Ammiel*, Duid ad legitimos thoros admisit, intérque Reginas, scilicet primarias eius vxores numerauit; quin & potissimùm dilexit: accepit autem, cùm nondum Vriæ peperisset sobolem, & cùm ob admirandam pulchritudinem omnium oculis esset summè gratiosa, sustulit ex ea præter innominatum infantem, quem citò amiserat, masculos quatuor; quippe *in Hierusalem nati sunt ei filij Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon de Bethsabee, filia Ammiel*; Sed, cùm innominati infantis, quem primum ediderat, partum subsecuta sit Salomonis natiuitas; nam de eius immaturo discessu subtristem Bethsabeam *consolatus est Dauid, ingressúsque ad eam dormiuit cum ea, quæ genuit filium, & vocauit nomen eius Salomonem*, fuit planè inter superstites fratres primogenitus, maiorque ætate; Prodiit igitur (cùm & vaticinia præcessissent, ne quid gloriæ defuisset, quæ annunciabant futurum virum quietissimum, eámque ob causam Pacificum appellandum, & Domino ædificaturum augustam basilicam) in auras metropoli in vrbe post decimestrem gestationem, anno ab Vniuersitatis molitione ter millesimo, cùm Duid quatuor in regnando exegisset lustra; Maternum dein cùm per triennium sugeret pectus ob nimium Reginæ in pignus amorem, ab vberibus depulsus tandem, firmiórque redditus, celebrauit ablactationé genitor ingenti lætitia, cùm ante hęc octauo ab ortu die, quando circuncisus est, duplici insigniretur nomine; nam & mater vocauit eum Salomonem, *misitque Deus in manu Nathan Prophetæ, & vocauit nomen eius, Amabilis Domino, eò quòd diligeret eum Dominus*; Atque quemadmodum eum genitrix magnis curis nutrierat; ita cùm *videret puerum ingeniosum, sortitum bonam animam in corpore incoinquinato*, Pædagogo commisit præcellenti, sub quo optimos mores disceret, videlicet, Nathan Prophetæ; atque tantum cùm haberet Præceptorem, ipsa tamen mulier fortis sollicitè instruebat; *Et docebat me*, (inquit ipse) *atque dicebat*; *Custodi præcepta mea, & viues*; *suscipiat verba mea cor tuum*; delectabatúrque hoc solo puero tantùm, vt cùm alios quoque natos haberet, hunc tamen sic deperiret, quasi neminem præterea haberet: quare & ipse se matris vnigenitum hanc ob causam nominauit; atque fuerunt huiusmodi Salomonis rudimenta.

2. Reg. 11. 3. & 1. Paral. 3. 5.

Bethsabea pulcherrima Dauidis vxor primaria.

1. Par. 3. 5.

Dauidis filij quot?

2. Reg. 12.

Salomõ maior natu inter gnatos Dauid ex Bethsabea.

1. Para. 22. 8.

Salomon à matre lactatus, quæ eius nomina? quis Pædagogus?

2. Reg. 12.

Sap. 8. 19.

Prou. 4. 1.

Salomon à genitrice edoctus, vnigenitus quomodo?

19. *Naamam quãdo duxit Salomon?*

Cùm modestissimo Principe dignam absoluisset pueritiam adolescens factus, retinuit præclarissimam viuendi regulam, decémque & octo supergressus annos, vxori coniunctus est, cui Naama vocabulum, quæ ex Ammonitis originem duxerat, & patrias ante matrimonium damnauerat superstitiones; Ex ea Roboamus tantæ domus tota spes, & posteritas, Genitor cùm animaduerteret, Salomonem esse, in quem imperij maiestatem transferri superna indicassent oracula, posthabito seniori Adonia, regni successorem declarauit, habuítque consortem biennio, quo superuixit, cùm sanè ita moderatus fuisset iuuenis, vt neque matrem, neque antiquum Pædagogum Nathan incitauerit, qui Dauidi persuaderent, quod ab eo præter multorum opinionem perpetratum est; iussit igitur continuò inungi, regiæque impositum mulæ circunduci præcinente buccina, acclamantibúsque, qui eum honore gradientem stipabant: *Viuat Rex Salomon.* Perstrepebat lætitia ingenti tota ciuitas, vagatáque breui per vniuersas plateas de nouo Principe fama perterruit Adoniam purpuræ iam pridem à popularibus destinatum, & socios, *qui inuitati fuerant ab eo: iuit vnusquisque in viam suam.* Et quamuis æger, & exhausta valetudine, quòd fortè præsentiseret instare resolutionis tempus, indixit comitia senex Dauid, vocatísque Hierosolymam ex omni Iudæa præstantissimis quibusque, habuit ad conuentum procerum, cæteræque multitudinis, religiosum, seriúmque sermonem: atque, cùm docuisset electum Salomonem diuinitùs ad fasces imperij, vtque Deo omnipotenti templum materia, simúlque opere stupendum fabricaret, recensuit militiam; ædis sacræ descriptionem, & lineamenta Salomoni tradidit; insuper coaceruatos eum in scopum diuitiarum thesauros maximos, atque ad consimilem munificentiam hortatus Optimates, quando prima Salomonis inunctio cum schismate aliquo, neque nimia cum pompa acta fuerit, nunc congregatis vniuersis ordinibus secundò consecratur, spondéntque, & fidem, & obedientiam omnes: nam *vniuersi Principes, & potentes, & cuncti filij Regis Dauid dederunt manũ, & subiecti fuerunt Salomoni Regi*: Et cùm gauderent cuncti, conuiuio & iocis vacatum est, *& comederunt, & biberunt coram Domino in die illo cum grãdi lætitia*; Consolabatur super his Dauid, & iam dimitti in pace optabat, quando & Princeps regnando iustam haberet ætatem, & omnium votis exceptus fuisset, & esset excellenti indole, atque consilio: Itaque allatum ad se filium postquàm salubribus quibusdam præceptis communiuit, iniunxit, vt de facinorosis quibusdam (quoniam ei ob graues rationes facere non licuit) debitas sumeret pœnas, neque inultos abire sineret; & dormiuit cum patribus suis, *mortuus in senectute bona, plenus dierum, & diuitiis, & gloria, & sepultus est in ciuitate Dauid*, nempe, in regia Solymorum vrbe, prosequente funus gnato cum lacrymis, & omnimoda pompa.

2. Paral. 2. 12.

Salomon nihil ambitiosus.

3. Reg. 1. 34.

Salomonis prima inunctio.

Secunda inauguratio Salomonis.

1. Paral. 29.

3. Reg. 2.

17. *Quando Salomon solus regnare cœpit?*

Ergo cùm tertium, & vigesimum ætatis annum inchoaret Salomon, aut circiter, capessit solus Monarchiæ habenas, quas antè cum genitore diuisas biennio rexerat; & cùm paternis imperiis nihil antiquius haberet, orditur à maleuolorum suppliciis, datáque quibusdam nece, aliis exilio inflicto, quam habuit in votis à principio, & sine qua rempublicam ritè gubernari impossibile

impossibile arbitraretur, sapientiam à Patre luminum enixè postulare aggressus est; *Abiit itaque in Gabaon, vt immolaret ibi: illud quippe erat excelsum maximum*; factáque insigni hostiarum victimatione, cùm pro adipiscenda sapientia continuò deprecaretur, *apparuit ei Dominus per somnium nocte, dicens: Postula quod vis, vt dem tibi:* Cúmque non aliud, quàm sapientiæ amplexus desideratos à se significaret, *placuit sermo coram Domino, quòd Salomon postulasset huiusce modi rem*, & indulsit orationi abundanter; quippe Rex prudens, satisque tum sobrius, cùm non vano aliquo sciendi raperetur œstro, puto non vniuersam sapientiæ encyclopediam amasse; sed partem regendis populis necessariam: Deum verò pro sua liberalitate, & disciplinarum totum circulum concessisse. Itaque nullum doctrinarum genus extitit hominibus salutare, in quo non ad miraculum excultus prodiit, quæ eò illustrior fuit, quò nobiliores eius causæ, habitus, scilicet, non acquisiti; sed aut per accidens, aut per se infusi: quanquam & progrediente tempore, cùm didicit ab his, quæ expertus est, species de nouo acquisiuit; & quidem scientia Christo, & Virgine incontaminata longè inferior; Adamum an superauerit, an ipse ab Apostolis, atque inter Prophetas insigniori aliquo victus sit, sub opinionibus iacet; Neque longum interceßit spatium, cùm oblata occasio, quæ specimen incomparabilis doctrinæ extorsit, quippe pro filio contendentibus duabus meretricibus, cùm difficillimum appareret veritati semitam aperire, restituit veræ matri prolem excellens Principis industria, *audiuitque omnis Israël iudicium, quod iudicasset Rex, & timuerunt Regem*; Atque cùm ciuiles tumultus consopiti essent, ne pacem externus inimicus auderet perturbare, fœdera cum Ægyptiorum Monarcha iniit, ratus hoc præsidio firmatum terrori futurum circumpositis Dynastis; & quò diuturnior esset amicitia, affinitati coniunctus est Pharaoni, neque opinione frustratus; nam, cùm Gazereni tumultum mouissent, *Ascendit Pharao Rex Ægypti, & cepit Gazer, & succendit eam igni, & Chananæum, qui habitabat in ciuitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ suæ vxori Salomonis*; Hoc facto, sic territi Chananæi, vt in posterum per multos annos sedatè egerint, quoad absoluit omnem fabricam Salomon; postquàm autem Virgo Mosaïcos bibit ritus, & amplexata est, perstrepuit Hymenæus nunquam lætior; atque post multos dies silere tandem iussus post geniale tripudium conuertit animum ad varia & Reipublicæ totius, & regiarum ædium officia, quæ distribuit inter viros gnaros de Optimatum numero; erat autem totius ditionis admiranda, inuidendáque facies; habitabat nanque Iuda, & Israël absque timore vllo vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua.

Cùm itaque riderent vniuersa, essétque alta intus, atque foris tranquillitas, templi quamprimùm aggressurus fabricam, occasione legationis, qua nouo Principi congratulatus est vetus Dauidis amicus Tyri, & Phœniciæ Toparcha Hyramus, scripsit ad eum Salomon litteras, quibus parari ab eo materiem templo ædificando opportunam rogabat; postulabat & Magistros operum eximios, quales Phœnicia perducebat multos; & quò celeritas in agendo quammaxima esset (ardebat enim erga cœlestia tum pietate magna) *fuerunt septuaginta millia eorum, qui onera portabant; & octoginta millia latomorum in monte, absque Præpositis, qui præerant singulis operibus numero trium millium trecentorum*, Paralipomena sexcentos faciunt: comprehendunt, nimirum, qui super ipsos Præfectos auctoritatem obtinebant: *Elegit quòque operarios de omni Israël, & erat indictio triginta millia virorum, mittebátque eos in Libanum, decem millia per menses singulos; ita vt duobus mensibus essent in domibus suis:* Ipse interim Hierosolymis semper moratus, quæ intra vrbem fieri oportebat, sollicita perurgebat diligentia: tandémque Regis incomparabili gaudio iacta sunt fundamenta, & ædificari cœpta domus in omne æuum memoranda, Numini oblata, quadringentesimo, & octogesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Ægypti: ab orbe fabricato ter millesimo quinto, & vigesimo, cùm iam Salomon quartum in regnando ageret annum, mense Zio: siue is Aprilis, quod certius est: seu magis placet nostro respondisse Maio: Locus autem, in quo cœpit ædificare Salomon domum Domini in Hierusalem, mons Moria fuit, qui demonstratus erat Dauid patri eius in area Ornan Iebusæi, quem collem tribui Iudæ melioribus titulis adscribi ostendimus aliàs: Erant verò inter sumptuosissimæ structionis præcipua admiranda, tria atria: primum quidem gentium, quò orandi gratia omnium nationum pagani homines confluebant: ac verisimile, cùm ab initio Salomonici imperij ex remotissimis mundi angulis, eius qui tum patebat, variarum prouinciarum mortales Regis fama excíti concurrerent, illorum causa de fabricando hoc atrio Monarcham cogitasse, si fortè hoc aucupio ad sempiterni Numinis adorationem possit allicere; Et hoc in atrio firmior coniectura est extitisse celebrem illam, quæ à Salomone nomen mutuata est, porticum, in qua Seruator deambulare solitus, è qua & vendentes flagellatos expulit: quamuis enim Ethnicis dicatus locus: sed in quo orationes funderentur, non qui profanis nummulariorum deseruiret vsibus: Secundum atrium Israëlitarum dicebatur: hoc & vniuersam domum, & atrium interius ambiebat, & capacitatis erat penè immensæ, quòd ibi ter in anno congregarentur Israëliticæ professionis qui erant: in quo & feminæ à viris sepatatæ, & mundi ab immundis: Tertium erat atrium, quod & templum cingebat, quod interius vocabatur, Sacerdotum, Leuitarúmque vsibus assignatum: In his omnibus, præter subdiales areas, etiam porticus in circuitu exedræ: quibus fortè significentur sedilia, seu thalami aliqui, & cellulæ pro confluentium maiori commodo: atque in primis, vt orationi cum pace, & sine testibus vacarent, de quibus cellis nunquid Seruator Matth. 6. vers. 6. *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in absconditо?* Ad hæc subterranea plurima loca, culinæ, gazophylacia, promptuaria diuersi generis tam ampla, quæ caperent primitias, & decimas totius Israël, suis distribuendas temporibus infinitæ Sacerdotum, Leuitarúmque multitudini: Fuit quoque & eximium opus periboli, seu loricæ, quæ extrema ædificij coronabat: Porrò ipsius templi tria membra: extima pars, vestibuli nomen habens, porticus formam referens, longum cubitos viginti, latum duodecim, superimposita ingentis altitudinis turri: media pars, *templi* nomen absolutè vindicans, quod etiam *Sanctum* nuncupaba-

3. Reg. 3. 4.

Salomoni quanta sapientia, qualisque concessa?

3. Reg. 3.

Salomonis connubium, & quam acceperit dotē?

3. Reg. 9.

18.

3 Reg. 5. 15.

2. Par. 2.

3. Reg. 5.

Templi fundamēta quādo iacta?

2. Par. 3. 1.

Quot fuerint atria Templi Salomonici?

Matth. locus ex c. 6. enodatur.

Templum in tres partes diuisum.

tur; tertia pars, quæ muro quodam ſeparata à templo, variè inſignita; nempe & *oraculum* dicta, & *Sanctum Sanctorum*, & *domus propitiationis*, & *Sanctuarum*, propter ſummam religionem; nimirum, ad quod vel Summo etiam Antiſtiti ſacrorum, niſi ſemel in anno patebat introitus; clauſum vndique, & feneſtris carens, à valuis apertis lumen recipiebat tantùm, quæ & ipſæ velo obtegebantur.

19. Atque hæ quidem ædificij diuiſiones aliquæ; materia autem quam diues, ingeniúmque quantum! Nam, quod ad ligna attinet, *Cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur, habens tornaturas, & iuncturas ſuas fabrefactas, & cælaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis veſtiebantur*; Quod ad lapides: *Strauit pauimentum templi pretioſiſſimo marmore, decore multo*: Neque ſanè minori elegantia conſtructos parietes haud dubium eſt, quàm fuerint regiarum ædium, de quibus illud: *Omnia lapidibus pretioſis, qui ad normam quandam, atque menſuram, tam intrinſecùs, quam extrinſecùs ſerrati erant à fundamentis vſque ad ſummitatem parietum, & exrinſecùs vſque ad atrium maius*; Quod ad metalla, aurum in primis cæteris præſtantius: *Porrò oraculum veſtiuit auro puriſſimo; domum quoque ante oraculum operuit auro puriſſimo, & affixit laminas clauis aureis; nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur; ſed & totũ altare oraculi texit auro*: Denique ſummatim, tam de hoc ſacro ædificio, quàm de profano, ſibi, Reginæque conſtructo à Salomone Ioſeph. lib. 8. Antiq. cap. 2. *In ſumma totum ædificium è marmore candido, & cedro, & auro, atque argento conſtabat, diſpoſitis per parietes, & laquearia variis lapillis auro incluſis, quemadmodum & in ornatu templi factum fuerat*; Verùm, tria omni conſideratione digniſſima haudquaquam ſunt prętereunda ſilentio; Primum *Domus cum ædificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata eſt; & malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cùm ædificaretur*; Secundum, quòd cùm ſupernæ molis, quę nobilior regio eſt, fuerit tam ſtupeſcenda facies; tamen, quæ abiectiora apparebant, non minorem attulerint admirationem, ſi quæ fides Ioſepho 8. Antiq. cap. 2. *Fecit Rex in altiſſimam terræ profunditatem fundamenta templi è ſaxis validiſſimis, quæ contra omnium temporum iniurias reſiſtere poſſent & propter inconcuſſam ſoliditatem facilè molem ædificij cum paratu ornamentorum ſumptuoſiſſimo perferrent, non minorem admirationem habitura, quàm quæ ſupernè ad amplitudinem, pulchritudinem, & magnificentiam operis per artifices elaborata ſunt*; Tertium, quòd tam operoſa ſtructio abſoluta fuerit ſeptennio: nam anno quarto Monarchiæ Salomonis incepta, vndecimo perfecta eſt, Regum 3. cap. 6. verſ. 38. qua de re Ioſephus memorato loco; *His tam magnis, ac pulchris operibus & donariis ſeptennio perfectis, non ad opulentiæ modò, ſed & celeritatis oſtentationem: quæ enim ætatem integram hominis poſcere videbantur, tam breui, ſi ad magnitudinem conferantur, tempore erant abſoluta*; Ac dixi quidem ſeptem annos, quoniam quo anni menſe regnare inchoauerit Salomon, ſub dubio eſt; Fuit & Dedicationis pompa, quæ tantam fabricam deceret; *Fecit ergo Salomon ſolennitatem in tempore illo ſeptem diebus, & omnis Iſraël cum eo, Eccleſia magna valdè, ab introitu Emath vſque ad torrentem Ægypti.* Ac ſanè incepta ſacta genialia menſe ſeptimo, qui apud illos Tiſri, apud nos September, quanquam & aliquando in Octobrem excurrit; ac cùm bis ſeptem diebus celebraſſe, præter collectam, quæ facta eſt die octauo Dedicationis, lætitiam dicant nuper relata Paralipomena, dimiſſúmque populum die vigeſimo tertio, octauus eius menſis dies initium choreis tulit: *Igitur cunctis pariter, & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diuerſi generis muſicorum concinentibus, & vocem in ſublime tollentibus, longè ſonitus audiebatur, ita vt cùm Dominum laudare cœpiſſent, & dicere: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius, impleretur domus Dei nube, nec poſſent Sacerdotes ſtare, & miniſtrare propter caliginem; compleuerat enim gloria Domini domum Dei:* Habuit & Salomon eo die longè digniſſimam concionem ad populum, additque Ioſephus Antiq. lib. 8. cap. 2. *Libaminibus* (inquit) *& multo hoſtiarum ſanguine viam perfundentes, infinitam vim odoramentorum adolebant, vt circumquaque totus aër ſuauitate repletus, etiam longè remotis ſentiretur, conſtanti omni opinione aduentare Deum ad inhabitandum recens extructum, ac dedicatum ſibi locum: nam neque hymnos canentibus, neque choreas ducentibus laſſitudo eſt obortа, dum ad templum peruenirent.*

20. Facta autem Deo habitatione, magnificas ſibi, atque Reginæ conſtruxit ædes, & quidem in monte Sionis, commodo ad ſacras, vrbanáſque functiones loco; Diuiſum ædificium in tria, potiſſima nomina? nam & Regis baſilica vna dicebatur pars, & Reginæ domus altera, tertia Libani ſaltus vocata, quòd eo collis iugo poſita, quod nemoroſum erat, adiunctis, & ſyluis, & montium imitatione, quæ verum Libanum ad miraculum referrent. Huius ſanè aulæ contemplatione in primis ſtupefactam Sabæorum Reginam, narrator eſt Ioſephus 8. Antiq. cap. 2. Fuit & memorabile opus, ſi quod aliud, Prætorij fabrica, quod ad lites decernendas, & fori cauſas condidit, cùm præſertim throno ſederet, de quo Reg. lib. 3. cap. 10. verſ. 20. *Non eſſe factum tale opus in vniuerſis regnis.* Sed audiamus Ioſephum ſummatim deſcribentem; neque enim ad ſingula deſcendere vacat, neque ſuffert promiſſa breuitas: *Difficile eſt* (ait allegato aliàs volumine) *enumerare amplitudinem, ac varietatem aularum, tam maiorum, quàm mediocrium; tam, quæ ſub terra latebant, quæve in aërem elegantiſſimè attollebantur: Erant & cubicula ad voluptatem facta, & porticus ad ornatũ regiæ longiſſimæ, in quibus ſplendidiſſima triclinia referta auro, vt quæ aurea ſupellectili ad omne regij conuiuij miniſterium erant inſtructiſſimæ; In ſumma totum ædificium è marmore cãdido, & cedro, & auro, atque argento conſtabat, diſpoſitis per parietes, & laquearia variis lapillis auro incluſis.* Quæ quidẽ etſi eiuſmodi ſint, quibus grandiora vix concipi valeant, nedũ opere exequi, quamuíſque in hoc opificio duplum ferè tempus conſumptum: fuit tamen longè ardentior Salomonis in perficiendo templo induſtria: Dicamus ab eodem Flauio *Abſoluta autem templi fabrica, (inquit,) quæ ſeptennio, vt dictum eſt, durauit, regiæ ſtructuram eſt aggreſſus, quam vix tertio decimo anno conſummauit: neque enim tantam curam huic operi, quantam ædificando templo impendit: ſed illud quidem, amplum licet, & pluſquam credi poſſet celebre, cooperante Deo, intra dictum tempus perfectum eſt; regia verò tametſi multùm magnificentiæ cederet quòd neque materia eius tãtò ante præparata eſſet*

&c.

Materia fabricarum Salomonis.

3. Reg. 7. 9.

2. Par. 3. 6.

3. Reg. 7. 9.

6. Reg. 6. 18.

3. Reg. 6. 7.

Ioſeph. *Tria in templi ædificatione potiſſima conſideratione digna.*

2. Par 7. 8. *Pompa Dedicationis templi.*

2. Par. 5. 13.

Ioſeph.

Ioſeph.

Ioſeph.

Ædificij externi Salomonis diuiſio, & maieſtas.

21. *& Regi, non Deo ſtrueretur domicilium, eò tardiùs ad finem eſt perducta.*

Interim, dum per ipſos viginti annos tantus architectus Salomon, (nam rapuerat tam longum interuallum. vtriuſque domus, ſacræ, atque profanæ conſtructio,) & alia non pauca exercuit ad multa integer animus; iámque ab initio operum, ſiue Phœnicum nauigationibus edoctus, ſeu diuino aliquo monito eruditus, ſiue in genij acumine eximio intellexit, alias eſſe regiones præter in eum diem notas: *Claſſem fecit in Aſiongaber, quæ eſt iuxta Ailath in littore maris rubri in terra Idumeæ:* Hanc acceptis ab Hiramo, Tyriorum Dynaſta, viris nauticis, & æquore gnaris, mittebat in orientis Solis regiones auriferas, Ophir, & Tharſis; inde, præter auri præſtantiſſima pondera, afferebantur quoque *argentum, & ebur, & ſimiæ, & ligna thyina multa nimis, & gemmæ prætioſæ:* quibus omnibus diuitiis abundat tractus ille; *Ibant autem naues Regis in Tharſis cum ſeruis Hiram ſemel in annis tribus:* Quod factum opinamur, non quia marium rudis erat tunc ſcientia, aut quòd magnetis ignoraretur poteſtas, quam Salomonem indicaſſe veriſimile eſt, & obliteratam poſteà memoriam, vti multis in rebus contigit ſæpè; Legatur Carthaginenſium admiratio de ariete, belli machina ab ipſis excogitata, apud Tertullianum libro de Pallio; Sed quidem cùm mitteret ex Iſraëlitis plurimos Rex, qui præeſſent, qui vrgerent opera; quemadmodum ita mittebat ex eis quoſdam in Libanum, vt duobus menſibus eſſent in domo ſua Reg. 3. cap. 5. 14. & tertio quoque illuc irent: ſic & retentis domi per duos annos, qui nauigabant, tertio tantùm quoque anno ſoluere cogebat; Fortaſſe quoque, ne nimiùm auarus audiret, ſi quolibet anno miſiſſet; nam erat tunc & moderatus & pius Princeps, & ſciebat Deuteronomij cap. 17. verſ. 17. Regi Hebræorum commendatum, ne habeat auri, & argenti immenſa pondera; Quare neque neceſſarium fuit, vt Tharſim Bæticam, aut quam Bracarenſi regione ex bona Dextri fide excogitauit Ophir nuper vir doctus, peterent onerariæ Salomonis, quando oriens theſauros miniſtrabat ad ſatietatem, vt prætereamus modò alia incommoda Hiſpanicæ negotiationis; Quid quòd augebantur gazæ aliis artibus? *Erat nanque pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos ſingulos, ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri, excepto eo, quod afferebant viri, qui ſuper vectigalia erant, & negotiatores, vniuerſique ſcruta vendentes, & omnes Reges Arabiæ, Ducéſque terræ*; Infinitum eſſet percurrere, quanta, aut in veſte gloria, aut in triclinio luxus, aut in ſatellitio pompa, & amplitudo; Certè habebat quadraginta millia præſepia equorum curilium, & duodecim millia equeſtrium; Fuit & hoc tempus, cùm paulatim Reginarum, concubinarúmque in tantam multitudinem excreuit numerus, qualem Epithalamium ab eodem cantatum memorat cap. 6. videlicet, ex illis ſexaginta, ex iſtis octoginta: nam poſteà laxauit nimiùm habenas; Tum ab eo phyſicæ illæ editæ diſputationes: *Super lignis à cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete, & de iumentis, & volucribus, & reptilibus & piſcibus*; fortaſſe occaſione ſyluæ, quam plantauerat in domo ſaltus Libani, vinearúmque, & pomœrij, areolarúmque ex lectis quibuſdam floribus; modulabatur & ſacras quandoque odas, hymnos, pſalmóſque: Tum & veniebant ab vniuerſis Regibus terræ, & de cunctis populis ad audiendam ſapientiam illius; Denique eum felicitatis conſcendit apicem, vt *magnificatus fuerit ſuper omnes Reges terræ diuitiis, & ſapientia.*

3. Reg. 9. à 6. *Quam in regionē mittebat claſſem Salomon, & quid aſportabat?*

An tribus annis conficeretur nauigatio Tharſica, & Ophirica?

Franc. Viuarius in Flauiū Dextrū, ad annum Chriſti 66. Com. 3.

3. Reg. 10. 14.

Metra à Salomone compoſita.

3 Reg. 4. 33.

Quis non animaduertat, qualem hæc tam grandis, tam ſuperba vnum in hominem collata beneficia requirant animi conſtantiam, ne peſſundent ſecunda, & Creatori tergà vertere faciant, aut elatione tumidum, aut voluptatibus fractum? Ergo, quoniam Salomon erat amabilis Domino (hoc enim illi nomen) ſollicitus Omnipotens de eius, quem diligebat, ſalute, monebat, alloquebatur crebrò; Et quidem ſuauiter bis; primùm, cùm ſapientiæ conceſſit dona, 3. Reg. 3. 14. Secundò, dum hæc perſequitur opera, & quidem in templi verſantem fabrica, 3. Regum 6 cap. 12. *Factus eſt ſermo Domini ad Salomonem dicens: Domus hæc, quam ædificas*, &c. Nunc autem, poſtquàm vtranque abſoluit ſtructuram, & vndequaque glorioſus videbatur, tertiò cum eo confabulatur; verùm admiſtis terroribus, quoniam forſan iam ſub hanc temporum periodum recalcitrare aliquo modo, quamuis leuiter, cœperat, & ſibi interiùs adſcribere, quæ in Deum liberaliſſimum benefactorem refundere debuerat; Continentur eæ minæ, 3. Reg. 9. verſ. 6. Templo, atque regia perfectis conſtruxerat muros Hieroſolymitanos eodem 9. cap. verſ. 19. Annectit Ioſephus lib. 8. Antiq. cap. 2. *Cùm eſſet elegantiarum amator, ne viarum quidem curam prætermiſiſſe; ſed has ſilice conſtraniſſe, tum vt vltrò, citroque commeantibus eſſent faciles, tum ad oſtendendam hac quoque in parte principatus ſui magnificentiam*; Dedit & Hiramo Tyriorum Regi, vel mercedis, vel gratitudinis cauſa, viginti oppida in terra Galilææ, quòd eius ope plurimùm adiutus fuiſſet, & in præparanda ædificiorum materia, & in claſſe aptanda; que tamen Hiramo diſplicuerunt ob ſoli malignitatem; atque progreſſus vltra metropolim, alias quoque ciuitates partim redintegrauit, partim à fundamentis excitauit; *Ædificauit*, nempe, *Gazer, & Bethoron inferiorem, & Baalath, & Palmiram in terra ſolitudinis, & omnes vicos, qui ad ſe pertinebant, & erant abſque muro, muniuit, & ciuitates curruum, & ciuitates equitū, & quodcunque ei placuit, vt ædificaret in Ieruſalem, & in Libano, & in omni terra poteſtatis ſuæ*; Atque autumo ſanè, amœniſſimis Libani collibus domus voluptatis non paucas, hortos, vineas, piſcinas, beſtiarum viuaria, & quidquid lautiſſimum Principem iucundare poſſet, in eremo ab eo conſtructum; Sanè, cùm reliquiæ Chananæorum, eum quæ montem colebant, eius imperia detrectarent, cùm mittere poſſet aduersùs contumaces è Ducum numero, ipſe proceſſit, aulæque deliciis tantiſper omiſſis, ſonum excepêre claſſicum dulcioribus inſtrumentis aſſuetæ aures; vicit infidam multitudinem, atque ita & belli quoque laudem aliquam retulit; hoc illud apud Paralipomena 2. cap. 8. verſ. 3. cùm *abiit quoque in Emath Suba, & obtinuit eam*: Atque hac occaſione, & decorauit mirificè eius ſponſi nuptias, quem ipſe Canticorum delineat Cantico hoſpes, atque conuiua illius: quem cum incredibili gradientem pompa cùm viderent ex matronis & virginibus quædam, Sionides nurus ad ſpectaculum vocarunt:

22. *Variæ exercitationes Salomonis poſt abſolutæ ædificia.*

Ioſeph.

3. Reg. 9. 17.

Nuptiis ſponſi Canticorū interfuiſſe Salomon.

Cant. 3. 11.

Egredimini, (aiebant,) *& videte, filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*; Et quoniam iam otio gaudebat, ne Oceanum ignoraſſe videretur, vt qui hactenus mente ſolùm adiiſſet, oculis quoque intueri cupido habuit eum; quare ad maritima, claſſem vt cer-
3.Reg.8.18. neret, profectus, nimirum, in Aſiongaber, & in Ailath ad oram maris rubri, quæ eſt in terra Edom: inde vt filiæ Pharaonis, quam vnicè adamabat, placeret, forſan traiecto Arabico ſinu in Ægyptum vadit ſocerum viſurus, ſalutaturúſque.

23. Ex hac quamprimùm rediit peregrinatione, regnatus aut ſexto, vel ſeptimo ſupra vigeſimum anno, docere cœpit Hieroſolymis, in ſapientiæ, quod extruxit, delubro ſeptem columnarum viribus ſuffulto; ille autem florentiſſimam auditorum nactus coronam; *Nam vniuerſa terra*
3.Reg. 10. 24. *deſiderabat vultum illius, vt audiret ſapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius*: Confluxerant verò nunc ab omnibus mundi partibus, quòd
Academia à Salomone extructa. ſcirent tradendas ab eo diſciplinas ex profeſſo, & publico in gymnaſio, quando ædificationes, quæ remorabantur hactenus abſolutæ eſſent; Dictauit igitur tunc Paræmias, Eccleſiaſten, & ingentibus grauidum ſacramentis Canticorum volumen; hoc enim eſt, quòd non *ſcripſiſſe referatur, ſed lo-*
3.Reg 4.31. *quutus eſſe tria millia Parabolas, & fuiſſe carmina eius quinque & mille*; Ac ſanè ideò per os eius hoc potiſſimùm tempore ceciniſſe magnum Hymenæum Spiritum ſanctum diximus alibi, vt ad vitia & ſcelera incautè feſtinantem eius retardaret intellectio: cùm penetrato interiori illius ſenſu, tanquam in tabula anteactam vitam depictam cerneret, ſimúlque intueretur, quàm terribilis ſit Deus Sabbaoth ſuper filios hominum, qui eius contempsêre profuſam indulgentiam; Nec deſpexit in tanta clariſſimorum diſcipulorum gloria paruulorum eruditionem, quam ſciret reipublicę ſtabiliendæ ſummoperè commodam: quamobrem vocari ad arcem, & paruulos, & inſipientes, id eſt, omnium ignaros iuſſit; claſſis autem, quę
Sabæorum ad Reginam quomodo perlata Salomonis fama. Pſal. 71.10. non multò antequàm hæc agerentur ex Aſiongaber ſoluit in Ophir, cùm Arabiæ felicis littora percurreret (nempe, Ophir, & Tharſis, non longè inde diſtant ſub iiſdem quidem Regibus, de quibus Pſalmodus vtique: *Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent.*) Reginæ tum ibi Sabæis imperanti nuncium de aperiendis citò ſcholis detulit, ipſo inclyto Monarcha Doctore, ac confluere è remotiſſimis prouinciis mortalium plurimos audiendi ſtudio, nihilque ab eis tam arcanum proponi, quod non tantus Magiſter facilè enodaret; Excita hoc rumore præſtantiſſima Regina, venit, vt tentaret eum in ænigmatibus in Hieruſalem cum magnis opibus, & camelis, qui portabant aromata, & auri plurimum, gemmáſque pretioſas; ac cùm vniuerſa attentè contemplata fuiſſet, diuitias, maieſtatem, harmoniam, concentúmque mirificum, & aulæ, & templi, prorupit in vo-
2.Par.9.6. ces illas: *Verus eſt ſermo, quem audieram in terra mea de virtutibus, & ſapientia tua, Non credebam narrantibus, donec ipſa veniſſem, & vidiſſent oculi mei, & probaſſem, vix medietatem ſapientiæ tuæ mihi fuiſſe narratam: viciſti famam virtutibus tuis:* Denique tanta fuit admiratio in femina, vt præſtupore non eſſet vltrà in ea ſpiritus; Tandem, cùm à Salomone recepiſſet cuncta, quæ voluit, & quæ poſtulauit, & multò plura, quàm attulerat ad eum, reuerſa abiit in terram ſuam cum ſeruis ſuis.

O limpidum hucuſque Salomonis diem! ô 24.
clarum iubar! Heu muliebre aconitum! vicit in vno omnia, formam, ingenium, eloquentiam, mores, prudentiam, maieſtatem, diuitias, denique & ipſum amabilem Domino; Cecidit, cecidit Salomon, qui manè oriebatur; audiui, & conturbatus eſt venter meus, contremuerunt omnia oſſa mea, dum conſidero, *Quomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus Principem Sion, proiecit* Thren.2. 1. *de cœlo in terram inclytum Iſraël, & non eſt recordatus Amabilis ſui in die furoris ſui?* Igitur vigeſimo octauo poſtquàm Rex coronatus eſt anno, vndique ridente fortuna, plaudente orbe toto, *Salomon libidinibus ſeruit.* cùm, quibus efferrent dignis encomiis, etiam eloquentiſſimi verborum ſufficientem non haberent ſuppellectilem, eleuatum eſt cor eius: cúmque in dies ſuperbiret magis, tandem factus contumax ſuum in lucem edidit genuinum partum, ſcilicet, luxuriam; Proinde inſequenti anno, poſtquàm mandris feminarum repleuerat aulam, cœpit deperire eas, quæ maximè prohibitæ fuerant, nempe, *adamauit mulieres alienigenas multas, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, &* 3.Reg. 11. *Sidonias, & Hethæas de Gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſraël: Non ingrediemini ad eas: certiſſimè enim auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos earum*; Quod vaticinium in Salomone adimpletum eſt anno regni trigeſimo, vitę quinquageſimo, poſt declaratam luxuriam proximo: nam, cùm eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius, vt ſequeretur Deos alienos, quibus & fana ædificauit; quod planè ſtupendum eſt ab eo perpetratum, qui tam ſapiens fuerat; Sed tu, Domine, iuſtiſſimè auertiſti faciem, quoniam homo vaniſſimus ambulans in mirabilibus ſuper ſe, confregit iugum tuum, rupit vincula tua, dixit; Non ſeruiam; idcircò ſimilis factus eſt iumentis inſipientibus, & adorauit ſtultus opera manuum hominum, quæ os habent, & non loquuntur; oculos habent, & non vident.

In hoc volutabatur immunditiarum cœno 25.
Princeps infauſtus vſque ad expletum ſeptimum, & trigeſimum Monarchiæ annum: vitæ autem & dierum ſeptimum ſupra quinquageſimum: dormiebátque in vtranque aurem, quin ſuſcitare poſſent, aut monita amica, ſingultúſque bono- *Salomon à Deo correptus.* rum, non rerum præteritarum memoria, non templi, quod erexerat, ſancta religio, non Iſraëlis ſcandalum, non orbis attoniti ſtupor: Sed non deſpexit prolem ingratam Pater miſericordiarum, & quem blanditiæ in obſequio continere non valuerunt, terroribus, & malis aggreditur: Quare irarum plenus ei apparuit: fuítque hæc ſecunda viſio earum, quæ minas afferebant: *Quia* 3.Reg.11.11. (inquit) *non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo*, Denique concitauit in eum aduerſarios tres: externos duos, nempe, *Adad Idumæum de ſemine regio, qui erat in Edom; & Razon, filium Eliada, qui fugerat Adarezer, Regem Soba, dominum ſuum; & congregauit contra eum viros, & factus eſt Princeps latronum*: Tertium ex domeſticis, *Ieroboam, filium Nabath, Euphrataum, de Sareda, ſeruum Salomonis, qui leuauit manum ſuam contra Regem*: His quaſi ſtimulis punctum, tandem è graui lethargo expergefactum, reliquos duos annos pœnitendo abſumptos,

sumptos, cùm insaniam ex animo lugeret, & detestaretur, sunt inter ecclesiasticos Doctores, qui putent: Ea de quæstione nos quamprimùm iustam texemus controuersiam: Atque, vt optimè ei precemur, déque illo meliora sentiamus; tamen lamentabile, nimiúmque dolendum est, tot extare Scriptores, déque clarissimis multos, qui affirment, persistentem in libidinibus, & idololatria, diem extremum clausisse: Sed, vt aliter contigerit, quid tamen illa tam flebili gestorum consequutus fimbria, nisi gloriæ æternam maculam? Igitur abierunt omnia, eo de medio sublato, ætatis sexagesimo anno, imperij quadragesimo, & sepultus est in ciuitate Dauid patris sui, regnauítque Roboam, filius eius, pro eo: Hoc Salomon, hoc speciosus præ filiis hominum, hoc Regum, hoc Sapientum Maximus; & totum hoc nihil, si æternùm periit.

Exitus Salomonis inhonorus & lacrymabilis.

SECTIO III.

Quis Canticorum Auctor? Num Abbreuiator, aut collector sacrorum oraculorum Auctoris titulo dignus? & speciatim de Baruc: An Metrorum Cantici Canticorum, Regum tertio libro memoriæ à quibus sacrorum librorum tituli conscripti?

26. DE instrumentali causa disquisitio est: nam causam simpliciter, & principalem Deum esse; satis prima Sectione demonstratum est respondet Canticorum Interpres sub nomine Angelici Præceptoris Thomæ: *De causa* (ait in præfatione) *instrumentali non sit nobis cura: quia huiusmodi causæ se habent respectu doctrinæ, sicut instrumenta, sicut penna iuxta illud Psalmi: Lingua mea, calamus scribæ. Sicut ergo superstitiosum esset, cùm quæreret de Auctore alicuius libri, quærere, cum qua penna scripsisset: sic quodammodo superstitiosum videtur, quod aliquis sit multùm sollicitus inquirere causas instrumentales Scripturæ sacræ: nam, si constat de veritate, quòd liber sit à Spiritu sancto, non est magna cura adhibenda ad inueniendum Auctorem alium:* Verùm sub eius Sectionis calcem docuimus, & commoda adferre, si causæ minùs nobiles cognoscantur: quare subnectit idem continuò; *Quod si tamen aliter videatur, dicimus, quòd Salomon sit talis causa huius libri:* Quæ & nostra thesis: nimirum, Salomon ille Dauidis sanctissimi Regis, & Prophetæ filius, & in regnando successor, de quo, quantùm postulat nostri officij ratio, diximus Sectione, quæ hanc præcedit: Vnde autem probamus? Sanè ex omnibus, quorum in hoc Epithalamium extant lucubrationes, quos recensere supersedimus, quòd primam aperienti paginam Lectori occurrent statim eorum iudicia hac de materia: Ac quidem Franciscus Titelmannus præfatione in Cantica, animaduertit, hoc tanta concordia ab vniuersis admissum, vt nemo extiterit, aut inter Hebræorum Rabbinos, aut de Latinorum numero Doctorum, qui aliquando in dubium vocauerit: quod & pronunciauit etiam Sotomaior præfatorum pag. 9. Recensebimus ex Patronis aliquos, qui, etsi in Canticorum volumen explanationes non vulgauerint; tamen, quem putauerint fuisse libri Scriptorem, oblata differendi occasione, declararunt: est autem in primis grauissima attestatio Conciliorum, atque Pontificum, qui cùm ederent sacrorum Librorum eclogam, meminère Salomonis apponere nomen, Canticorum facta memoratione.

De causa instrumentali sacrorũ Librorũ, an sit inquirendũ?

Salomonem esse Canticorum Auctorẽ nullus dubitauit.

Titelman.

Sotomaior.

Huius autem generis sunt Concilium Laodicenum canone 59. Concilium Carthaginense tertium canone 47. Tridentinum sessione 4. Decreto de canonicis Scripturis; ex Pontificibus Innocentius I. epist. ad Exuperium, Tolosanum Episcopum: Gelasius Papa Concilio Romæ habito anno 494. & Apostolorum Canones idipsum canone 84. ex Patribus autem Hieronymus ad cap. 1. Ecclesiæ: Basilius in principium Prouerbiorum: Nazianzenus in carmine: Athanasius, seu potiùs Eusebius in Synopsi: Augustinus lib. 7. de Ciuitate Dei, cap. 20. Ambrosius lib. de Isaac, & anima, cap. 4. Epiphanius hæresi 67. Eusebius Cæsarienſis, ecclesiasticæ Historiæ lib. 3. cap. 10. item 24. & 25. Nicephorus Historia simili lib. 5. cap. 16. Theophilus Antiochenus lib. 2. de fide ad Autolycum: duo Poëtæ Christiani Drepanius Florus, & Theodulphus Episcopus Aurelianensis: Olympiodorus prologo in Ecclesiasten: Hugo de Sancto Victore homil. 1. in eundem Ecclesiasten: S. Antoninus 1. parte Historiæ, titulo 3. cap. 4. Abulensis tom. 1. in Genesin, Commentario in Prologum S. Hieronymi ad illud: *Salomon pacificus & amabilis*; Paulus Burgensis 1. patre Scrutinij Scripturarum, distinctione 10. cap. 4. Denique vix est, aut antiquus, aut recens Interpres aliquis Bibliorum, sed nec inter Scholasticos quispiam, quem testem citare non valeamus, siquidem arduum sit quempiam inter illos inuenire, qui non ex hoc Epithalamio versus producat, allegato Salomone quasi eorum Auctore: denique nec Hæretici ipsi, qui expungi voluerunt Hymenæum, negarunt à Salomone editum: Itaque nihil pronunciato euidentius, in quod omnes conspirarunt; nec sit, qui in aduersum deflectat.

27. Concil. Laodic. Carthag. Trident. Innoc. I. Gelas. Can. Apost. Hieron. Basil. Nazianz. Athan. August. Ambr. Epiphan. Euseb. Niceph. Theophil. Drepan. Theodulp. Olympiod. Hugo. Antonin. Tostat. Burgens.

Verùm experiamur, an sint, quæ hanc tam manifestam veritatem eneruare possint: Illud igitur sciendum, fuisse non spernendos Scriptores, qui assererent, Salomonis eos, quos habemus, libros, vt ab illo fuerint compositi, non tamen ab eodem, aut Scripturæ traditos, aut in ordinem redactos, sed ab Isaia Propheta: Huius Assertionis memorat defensores Eugubinum, & Driedonem Melchior Canus lib. 2. de locis, cap. 11. §. *Denique vt has.* refert, quamuis Auctores occultet, Sixtus lib. 2. Bibliothecæ, sectione 1. titulo, *Libros tres Salomonis:* noster Pineda præfatione in Iob, cap. 3. num. 2. Atqui, si hoc admittatur, sequitur, vt minimè dicendus sit Auctor Salomon librorum, quæ alij aut collegerint, aut dispoſuerint: Probo istud effatum: nam quidem coniuncta cum Ieremiæ vaticiniis minor Prophetia non ipsi, sed Baruch tribuitur, eiúsque titulum, & nomen præfert: & tamen ea vaticinia non sunt reuelata à diuiniore Spiritu Baruch, sed eius Præceptori Ieremiæ, vt Canus ostendit capite nuper indicato, §. *Nam ad 1. argumentum:* Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei, cap. 8. Et hoc quidem, eò solùm, quòd Baruch Ieremiæ Amanuensis, & Notarius partem ex prædictionibus eius diuulsam, & dissipatam reliquis annexerit. Igi-

28. *An Salomonis Opera ab aliis in ordinẽ redacta?*

Eugub. Driedo. Canus. Sixt. Sen. Pineda. Bellarm.

tur, si Carmina Salomonis dispersa ab aliis aggregata sunt, & redacta in normam atque ordinem ab Isaïa, non erit dicendus Auctor ipse Salomon, sed Isaïas, qui collegerat; Est & aliud huiusce rei exemplum: quippe Euangelium Marci epitoma est Historiæ, quam Matthæus scripserat, vt notatum est ab Augustino de consensu quatuor Euangelistarum: putat & Maldonatus ad initium Commentariorum in eum: Hieronymus autem in Catalogo Scriptorum planè asserit, Marcum discipulum, & interpretem Petri, *iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatum Romæ à fratribus breue scripsisse Euangelium:* Et tamen cùm de suo Marcus nihil contulisse videatur præter verba (nam à Petro sensus acceperat) cúmque à Matthæo elaborata in breuiorem normam solùm retulerit; neque Petrus, neque Matthæus Auctores habentur, sed Marcus, qui minora præstitit. Denique & de Luca Euangelista simile dixerimus, quando ipse quidem in vestibulo asserat, rerum se texere narrationem, *sicut tradiderunt, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis*; Et quidem à Virgine Beata potissimùm accepisse aduertit Madonatus: quanquam probetur quibusdam Pauli fuisse Interpretem, vti Marcus fuerat Petri: atque hoc esse, quod suum Euangelium nominat Apostolus ad Rom. cap. 2. vers. 16.

Auguſt. Maldon.

Hieron.

Lucas à Virgine Beata didicit quibus scripsit.

Rom. 2.

29.

Verùm hæc obiectio id confirmat, de quo præstantissima quæstio esse possit; nimirum, ille quis extiterit, cui Spiritus sanctus Hymenæum dictauerit? Fatetur sponte Salomonem esse, & litis medulla est, an, cùm ita acciderit, tamen dicendúsne sit ipse magis Auctor, quàm illi, qui ab eius ore exceperunt, membranisque mandarunt, aut exaratas ab ipso schedas temporum iniuria diuulsas, ordinéque amotas in normam redegêre? Controuersia sanè omninò de nomine, vt dici consueuit; sed non contemnenda: quoniam in re seria in primis: talis enim, quæcunque est materia ad sacros Tractatus quouis modo spectans; Salomon igitur absolutè, & semper dicendus Auctor secundùm hunc significatum: Primùm, quoniam certè Esdras Scripturas prisci Fœderis reparauit, saltem dispersa congregando, colligendóque, *& ordinando Scripturas* (inquit Bellarminus lib. 2. de verbo Dei, cap. 1.) *in vnum corpus, quarum partes variis in locis inuenerat, & emendando, si quæ depranata erant negligentia Scribarum*: Pro quo themate adduximus graues multos testes Anteloquio 1. Sect. 5. n. 39. & tamen Esdras haudquaquam Auctor nominanatur omnium veteris Instrumenti librorum: Secundò, quoniam non paucos recenset Alphonsus Curiel libro 1. controuersiarum in expositione historica, cap. 1. Prouerbiorum, qui asserant, quas habemus Parabolas, analecta esse earum, quas Salomon profatus: quæ fragmenta collegerint in primis Ezechię Regis Notarij, & in qualem qualem ordinem redegerint; & tamen hoc ipse cùm annotaret num. 2. pronunciauit, de fide tenendum, Auctorem libri esse ipsum Salomonem propter Conciliorum declarationes, & commune Ecclesiæ iudicium ita testantis, quoties librorum, qui in Canone sunt, syllabum demonstrat: Tertiò, eò quòd apocryphum sit, quo nititur obiectio; nempe, aut non ipsum scripsisse Salomonem, quæ habemus illius Opera; aut in aliud idioma, ab Ezechiæ seruis conuersa; aut denique ab eis dissipatas schedas, perturbatíque ordinis restitutas veteri, & splendori, & nexui, atque vinculo. Sic quidem Curiel ibidem adstruit Iansenium, & Baynum sequutus: docet solidè Tena lib. 2. Isagogæ sacræ Scripturæ, difficultate 7. sectione 4. & plurimo cum acumine P. Salazarius ad cap. 25. Prouerbiorum: Ac sanè, vt in Paræmiis huiusmodi quidpiam contigisse concederemus, non video, qua ratione etiam ad sacrum Epithalamium transferri debeat; nimirum, compulsi sunt aliqui sic cogitasse, eò quòd intuerentur in Parabolis nihil cohærentiarum obseruari, pleroſque versus nouam afferre tractationem cum antecedentibus dissimilem: at in Hymenæo omnia concatenata esse ostendimus nos sufficienter Anteloquio 3. & decipi eos, qui imbituminata Prouerbia, & quasi scopas dissolutas arbitrantur, commonstrat & firmis argumentis Salazarius propylæo suorum in Prouerbia Salomonis Commentariorum.

Curiel. Ianſenius. Baynus. Tena.

Salazar.

Salazarius.

Auctor libri non est, qui aut colligit, aut abbreuiat.

Scripturæ ab Esdra collectæ, & ordinatæ. Bellarm.

Curiel.

Prouerbia Salomonis nemo in ordinē redegit.

Quid autem dicemus Barucho, quid Marco, quid Lucæ? Equidem, vt exempla ab eis petita vrgerent; sed non par est ratio in Cantico Canticorum, cùm hoc Canticum nemo abbreuiauerit, nemo interpretatus sit eum in modum, nemo eius partes disiunctas collegerit: ad singula tamen vt descendamus, & quæ sint veriora declaremus, loquamur claritatis ergo de Baruch: Duobus modis potuit scripsisse, que Ieremiæ fuerant: vno, cùm ea auribus trita & humana forma hausisset, vti & reliqui Auditores, & posteà retulerit in Codices: à quo labore cùm separetur peculiaris Spiritus sancti assistentia, qualem adipiscuntur Prophetæ, ob hanc solam rationem nequaquam Baruch vllo pacto vocandus sit Auctor sacri, & diuini sermonis: cùm enim Auctorem vaticinij alicuius nominari percipimus, intelligimùs statim illum, cui Spiritus sanctus mentem, & verba inspirauerit: Altero modo contingere potuit, vt Deus Bibliorum pronunciator reuelauerit Baruch eadem, quæ aliquando Ieremiæ intimauerat; siue quidem immutatione aliqua facta comparatione prioris vaticinationis; seu iisdem penitùs seruatis, & tunc erunt eiusdem Prophetiæ Auctores æquè & Ieremias, & Baruch: non equidem ideò, quòd Baruch, Ieremiæ extiterit Amanuensis; sed quoniam idem qui aperuit Ieremiæ, Baruch quoque reuelauit; Quemadmodum in prisco Instrumento recensent sæpè eadem in Pentateucho Moyses, in Psalmis Dauid: in nouo Matthæus, Lucas, Ioannes: & tamen omnes eodem iure sunt Auctores, licèt alius alio vetustior fuerit, à quo desumere posset; nimirum, quòd omnibus idemmet Spiritus reuelauerit. Atque hanc ob causam reor indistinctè multos ex antiquis Patribus, & Doctoribus, quæ hodie in correctis Bibliis Baruch nomen præferunt vaticinia, nunc sub Ieremiæ, nunc sub Baruch nomine citasse, quòd existimarent vtrique fuisse reuelata: Cæterùm Baruchum propriè eo modo, quo cæteri Prophetæ suarum vaticinationum dicuntur Auctores, nominandum esse Scriptorem eorum capitum, quæ cum Ieremiæ prædictionibus coniuncta sunt eius cum titulo, euincit optimè Ludouicus de Tena lib. 2. Isagogæ sacræ Scripturæ, difficultate 11. sectione 3. Euangelistas autem, quamuis ea narrauerint, quæ aut ex aliorum fide exceperint, vel quorum testes ipsi fuerint, atque adeò & viderint, & contrectauerint; tamen cùm ad eam se tenendam historiam ac-

30.

Prophetiæ Baruch quis Auctor.

Duo eadem omninò narrāta: vt possint esse canonici Scriptores.

Tena.

commo

commodauerint, quæ Dei verbum habenda erat, ipsiúsque diuini oris sermo; priusquàm hoc aggrederentur, edoctos fuisse per reuelationem Spiritus sancti, probauimus Anteloquio 1. Sect. 6. num. 47. alioquin, nisi Deus ipse suggessisset non tantum dicendorum substantiam, sed etiam minuta quæque verba, Deus per eos loqui non diceretur strictè & propriè, vti ostendimus eodem loco, & huius disput. 1. membro; Atque hoc etiam pacto conciliari valeat, quòd Salomon Canticorum Auctor appelletur; cùm tamen eiusdem argumenti sit, quem modulauerit Hymenæus, cum materia Psalmi 44. *Eructauit cor meum*, &c. Quam fuisse non paucorum æstimationem diximus nominato 1. Anteloquio, Sectione 9. num. 72. Ergo ea regula generalis est, neminem canonici alicuius libri pechiberi Auctorem, cui non suggesserit Spiritus sanctus eo comprehensa volumine, atque hanc solùm ob causam nominari Auctores talium Scripturarum, non quòd collegerint, aut transcripserint, aut Scribarum menda eluerint, aut in compendia redegerint, quæ omnia humana sunt opera, ad quæ sufficiant naturæ vnius vires adiuncto concursu Dei communi eidem debito.

Nemo Canonici libri Auctor, quē non docuerit Spiritus sanctus speciali reuelatione.

31. *An de Cāticorum volumine mentio in aliis Scripturis?*

Obiicias etiamnum, si tantus, talisque liber, qualis Canticorum à Salomone conscriptus fuisset, de eo meminissent, aut Paralipomena, aut Regum sacri Annales; plùs enim gloriæ Regi attulisset huius scriptionis ad posteros transmissa memoria, quàm alia multa, quæ iis voluminibus recensentur: Præclarè quippe animaduersum ab Hieronymo ep. 140. ad Principiam: *Ruth* (ait) *Esther, & Iudith tantæ gloriæ sunt, vt sacris Voluminibus nomina indiderint.* At & nomina indunt, qui scribunt: nam, quemadmodum Ruth liber citatur: ita & Salomonis, & Esdræ, & Isaiæ, aliorúmque Auctorum: at Canticorum non est mentio in relatis Codicibus: si quæ enim fuisset, maximè illis verbis comprehenderetur Reg. 3. cap. 4. vers. 32. *Loquutus est Salomon tria millia Parabolas, & fuerunt Carmina eius quinque & mille*: Portò sub hac phrasi non contentum Canticorum metrum, Abulensis palàm testatur quæst. 8. in cap. 4. lib. 3. Reg. Igitur à Salomone non est decantatus Hymenæus iste: Dico primùm ad hunc nodum, potuisse omitti à regiæ Historiæ conditore omnem de sacratissimis Canticis memoriam, quemadmodum Euangelistæ plura Seruatoris, & verba, & gesta referre omiserunt, vt annotarunt Maldonatus ad initium cap. 7. Matthæi: Canus lib. 3. de locis, cap. 3. tertio fundamento: hinc tamen nullum argumentum scopi prætensi ab obiiciente: nam reliquit nobis idem, qui Scripturas dictauit, cui incerta & occulta sapientiæ suæ reseraret nimirum, sanctam Ecclesiam: ab hac didicimus, Salomonem esse magni Carminis Vatem; atque illa quamuis taceret, sufficeret vnanimis Patrum, atque Theologorum concordia: nam & quòd frequentissima horum pars Salomonem agnoscit voluminis Sapientiæ Auctorem, propterea trita opinio est ab illo conscriptum, de quo Consaluas Ceruantes Isagoga in eum librum, qu. 1. etsi huius Codicis multum silentium in Regum Historia: Quorsum autem indeclaratum reliquerit Scriptura, causa esse potuit, vt ab Ecclesia, absente sponso, in dubiis postularemus subsidium, noscerémúsque, Iudicem esse controuersiarum in terris: alia quoque, vti Deum potissimùm loquutum esse intelligeremus, quæ in sacro Canone leguntur, humanum proinde subticeri Instrumentum, quemadmodum & ob hos fines ipsi se quandoque occultant sacri Auctores, nempe, sub tertiæ personæ nomine de se loquuntur, quò innuant Spiritum sanctum esse vnicum, & singularem arcani sermonis Pronunciatorem; vidit benè noster Pineda præfatione in Iobum, cap. 3. num. 7. atque ad longum ostendit. Martinez lib. 9. hypotyposeon, regula 29.

3. Reg. 4. *Euangelistæ plura Seruatoris gesta tacuerunt.* Abul.

Maldon.

Canus.

Multa indeclarata reliquit Deus, vt ad Ecclesiæ iudicii confugeremus.

Ceruantes.

Regula: Canonici Scriptores de se loquuntur in tertia persona. Pineda. Martinez.

32. *De Canticorū metrō fit mentio tertio Reg. 3. c. 4.* Lyranus. Caietanus. Serar. Sanct. Hugo. Iansen. Gloss. Interl. Palac. Sixt. Sen. Torniel. Tena. Salmeron. Pineda. Salazar. Ballester. Gisler.

Dico secundò, productis ex Regum 3. cap. 4. verbis, claudi & Salomonis Canticum sub metrorum generali memoria: itaque partem aliquam tantorum, quæ extat, Carminum, hanc esse nuptialem Poëseon: Hæc est vulgatissima opinio, & ad citatum ex Historia Regum caput significarunt Nicolaus de Lyra, Caietanus, Serarius, Gaspar Sanctius num. 31. ad Ecclesiastici c. 47. Hugo Cardinalis, Iansenius, Glossa Interlinearis, Palacios, Sixtus Senensis lib. 2. Bibliothecæ, verbo, *Salomon.* Torniellus ad annum mundi 3043. Tena lib. 2. Isagogæ sacræ Scripturæ, difficultate 7. sect. 2. P. Salmeron tom. 1. prolog. 9. canone 4. primæ quinquagenæ, §. *Deinde constat.* P. Pineda lib. 3. de rebus Salomonis, cap. 29. num. 2. P. Salazarius in cap. 1. Prouerbiorum, n. 45. P. Ludouicus Balleſter 2. parte Onomatographiæ, verbo, *Salomon.* Gislerius præfatione in Cantica, cap 2. ad finem. Itaque, quemadmodum alia quædam digna scitu complexus est sub communibus vocabulis, qui Regum Historiam concinnauit, sic & metrica generaliter numerare satis habuit: verbi causa, Regum 3. cap. 9. vers. 19. dixit, constructum ab eo, *quodcunque ei placuit, vt ædificaret in Ierusalem, & Libano, in omni terra potestatis suæ*: Et tamen cùm verisimile sit, in amœnissimo & odorifero monte ad rusticationes erecta ab eo & castella, & domos pulcherrimas, & hortorum varia genera, & quicquid magnæ deliciæ parturiunt, qualia aut Tempe, aut Alcinoi septa, aut Hesperidum fragrans ager, subticentur particularia: quanquam, si ex alia Scriptura nobis reuelatum fuisset hoc, aut illud speciale, quod in Libano fabricasset Salomon; non dubitaremus asserere, ea communi ædificiorum ruralium delineatione cōtineri: Eiusdem formæ & aliud est eodem volumine cap. 10. vers. 24. *Et vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius*; Sed, quæ hæ fuerint explicitè gentes, inenunciatum manet: ita ergo carminum species, videlicet, quæ essent genethliaca, quæ epinecia, quæ nuptialia, omisit dicere; contentùs aduertisse, Poëtica exercitatum, neque perfunctoriè quidem, nempe modulatum versus quinque & mille, cùm esset Monarcha variis impeditus curis.

Reg 3. c. 9. & 10.

33. *Cur liber Cāticorū sub proprio nomine alijs Bibliorum locis nō expressus.*

Sed inquis: Quando Hymenæus iste, & ob materiæ, de qua agit, præstantiam, & ob Musæ altitudinem, vocatus sit Canticum Canticorum; quamobrem hoc tam pompatico nomine suppresso confudit cum reliquo metro Scriptor Historiæ Regum? Huic vt faciamus satis disquisitioni, sciendum in sacris Bibliorum voluminibus duo reperiri scriptionum genera: alterum, quando tituli subintrant partem ipsius libri, & ab eis inchoat caput Operis, aut primum, aut vnicum: vt illud in Isaiæ vaticinatione: *Visio Isaiæ, filij Amos, quam vidit super Iudam, & Ierusalem*, &c. & in

Prouer

Prouerbiorum Salomonis codice illa: *Parabolæ Salomonis, filij Dauid, Regis Israël*, &c. alterũ, quod ponitur extra ambitum, & cancellos tractatus, vt in Ieremiæ Threnis illud: *Threni, id est, lamentationes Ieremiæ Prophetæ*, & in sancto hoc Epithalamio verba ea: *Canticum Canticorum Salomonis.*

Titulorũ sacræ Scripturæ, alij ab Auctoribus propriis cõpositi, alij à diuersis.

Quãuis igitur vtraque tituli forma genuina Scriptura sit, & Dei verbum, quemadmodum forsan probaturi sumus Anteloquio 9. tamen inter duos hos inscriptionum modos, sic distingunt viri graues & eruditi, vt quidem assentiant, priores illos titulos, qui ipso cum Opere continuantur, & capitibus librorum interseruntur, ab ipsis Prophetis, qui libros concinnarunt, inuentos fuisse: alios autem titulos, qui vagantur extra circulum voluminis, non à Prædictionum Auctoribus appositos fuisse, sed progredientibus sæculis ab alio quopiam, ex Spiritus sancti tamen instigatu, siue qui sic fecerit, aut Esdras extiterit, aut septuaginta duo Seniores, vel alter, quem Deus ad hoc mouerit: Sic quidem Maldonatus ad initium Euangelij Matthæi: Rutil. Benzon. Lauretanus Antistes lib. 1. in Cant. *Magnificat.* c. 19. insinuat Azor tom. 1. Institut. moral. cap. 1. quæsito 9. & dilucidè explanat Ioannes Alphonsus Curiel lib. 1. controuersiarum in expositione litterali, cap. 1. Prouerbiorum, num. 5. ibi & docet ab aliquo conflatam Canticorum inscriptionem, facta duarum partium compositione, nempe, ex natura Operis, & Auctoris vocabulo; propterea Salomonis Canticum Canticorum dictum, cùm tamen in aliis argumentum tractandorum aperiatur solùm, vt Pentateuchi limine, *Liber Geneseos*, omissa Scriptoris memoria. Quanquam & Curiel omnes titulorum species complecti visus, quæ ab aliis potiùs, quàm ab Auctore affixæ sint: Verùm nunc sufficit, titulos illos, qui extra Sectiones, & capita voluminum leguntur, ab aliis annexos esse: id igitur cùm Salomonis Epithalamio contigerit, mirum non est, prætermissam eiusmodi inscriptionem ab eo, qui Regum acta texuit, quando ei propositum referre, quæ Salomon gesserit, imò neque illius fortasse ætate eiusmodi titulatio apparebat in fronte casti Hymenæi: Quòd autem neque eorundem nominum meminerit Iesus Sirach, in Ecclesiastici cap. 47. stupendum non est: nam & varia notatu digna siluit, quòd breuitati studeret, & pauca quædam attingeret.

Maldon. Benzon. Azor. Curiel.

34. Postremò in hac disceptatione obseruandum sedulò; quamuis concederemus quidem, Regum diuinis Annalibus conscriptum expressa dictione, Salomonem Canticorum Cantici Poëtam fuisse, à Spiritu sancto excitatum ad pangendas Ecclesiæ nuptias sub integumentis; hoc nihilominùs indulto, suboriri easdem salebras: nam, quæso, si quispiam interroget, vnde probauerimus eius Historiæ conditorem tradere, quæ infallibiliter certa agnoscantur? ac, vt semel dicam, verba illa esse canonicæ auctoritatis? Sanè dicturi simus propterea vera esse, atque indubitanda, quoniam Ecclesia declarauit Dei esse sermonem: ad hanc enim spectat definire, quinam sint libri canonici, & quæ eorum singulæ partes: quemadmodum Canus ostendit lib. 2. de locis, cap. 7. tertia propositione: Bellarminus lib. 4. de Notis Ecclesiæ, cap. 2. §. *Idem ratione*, &c. Maldonatus ad principium Euangelij Matthæi, atque propterea ab Augustino contra epistolam Fundamenti, cap. 5. prolatum: *Euangelio non crederem, nisi me Auctoritas Ecclesiæ commoueret.* Ergo, si Ecclesiæ talis est auctoritas, qua manuducti credimus infallibiliter, constantia, veráque esse, quæ Auctor Regum Historiæ de Salomonis gestis prodiderit; cur non eidem Ecclesiæ immediatè, & per se ipsam affirmanti, Salomonem ceciniſſe Canticum Canticorum, fidem habituri simus? Si enim alteri propter eam credimus, cur non & ipsi? Itaque, licèt in Bibliorum textu, ne verbum haberemus de composito à Salomone Epithalamio, sufficeret, Ecclesiam hoc docere per Concilia, & Pontifices: inualida proinde argumentatio est, asserens: à Scripturis non declaratur: nam satis est ab Ecclesia declarari, cùm quòd hæc declarat, sanctissimam habeat auctoritatem.

Ad Ecclesiã spectat declarare, quinã sint libri canonici.

Canus. Bellarm. Maldon. August.

SECTIO IV.

Canticorum volumen esse canonicum, id, qui Hæretici, quàm friuolè, quàm malitiosè negent? De Theodori Mopsuasteni sceleratissimis moribus: de ridiculis Bibliorum castigationibus per Sectarios: Caluini & Bezæ fœdissimi amores?

35. DVos ordines sacrorum Librorum excogitauit Sixtus lib. 1. Bibliothecæ, sectione 1. Protocanonicos, nempe, & Deuterocanonicos; hoc est, primæ & secundæ classis Scripturas; ac in 1. censum refert, de quorum plena auctoritate nulla aliquando fuit altercatio, aut in Græca, aut in Latina Ecclesia inter homines Catholicos: in 2. congerit illos, qui, tametsi verè apostolici & prophetici sint; de iis tamen aliquo æuo fuit dubia inter Doctores ecclesiasticos sententia, quòd eorum auctoritas non satis explorata videretur: Ac sanè Canticorum metrum ex prioti illa serie fuit; nempe, cuius fidem in controuersiam nunquam adduxerit vir aliquis Catholicus, prout testatur Senensis loco jamjam allegato: Bellarminus lib. 1. de verbo Dei, cap. 4. Suarez de fide, disp. 5. sectione 3. num. 9. Azor tom. 1 Institut. moral. lib. 8. à principio: Tena lib. 2. Isagogæ sacræ Scripturæ, difficultate 8. sectione 4. ac omnes, qui bibliaca Prolegomena scribunt: & in præfatis ad Canticum Canticorum multi, præsertim Sotomaior, ad longum initio ferè Prolusionis. Constat autem Pronunciatum ex Conciliis, & Pontificibus, quos retulimus Sectione antecedẽti, num. 27. atque ex omnium Orthodoxorum vnanimi conspiratione Scriptorum. Et quoniam alij hæc fusè tradiderunt, idque passim, quos Lector propterea offendere possit facilè, non erimus in hoc prosequendo argumento prolixiores; tractabimus tamen ab aliis omissum, aut leuiter indicatum, quos ex Hæreticis liber hic aduersarios passus fuerit.

Duo ordines sacrorũ Librorum. Sixt. Sen.

De auctoritate Cantici Canticorum nunquam à Catholicis dubitatum. Bellarm. Suarez. Azor. Tena. Sotomaior.

Omissis igitur innominatis quibusdam, qui propter famæ obscuritatem, quales appellarentur, obseruare cura non fuit, quos propterea anonymos appellat Philastrius hæresi 83. antiquissimus huius dogmatis faber extitit Theodorus, domo Antiochenus, Episcopatu Mopsuastenus,

36. *Theodori Mopsuasteni blasphemia de Cãticorũ libro. Philastr.*

nus, qui & nouissima quarti sæculi, & prima quinti assequutus: is itaque quemadmodum quintæ Synodi Acta collatione 4. apud Binnium, tom. 2. Conciliorum, asserunt, proteruè, atque impiè ausus reiicere sacrum Carmen, nempe, iudicio hominis admodum impudentis à Salomone constructum *in gratiam filiæ Pharaonis, nihilque aliud, quàm excusationem quandam perpetuam vituperationis de nigredine sponsæ; nocturnorum enim (inquit) hoc est, subfuscorum, Ægyptus genitrix*: Denique suis conuestit epithetis, appellans *æmulationis nuptialis Codicem, mensale Cäticum, sicut & de amore posteà Conuiuium Plato conscripsit*: Sed præstat Leontium Byzantinum lib. 3. contra Nestorianos, & Eutychianos de his dissertantem intelligere: Ille igitur de Theodoro isto: *Imò & Sanctorum Sanctissimum, Cantica Canticorum, ab omnibus diuinarum rerum peritis, & ab omnibus Christianis laudatum, omnibus Ecclesiis cuncti orbis notum, & à Iudæis inimicis Crucis Christi in admiratione habitum, libidinosè pro sua, & mente, lingua meretricia interpretans, sua supra modum incredibili audacia ex libris sacris excidit*; Itaque, quod ne à sceleratissimis ipsis Iudæis proiectæ temeritatis hominibus patratum est, hoc sua dignum insania facinus Theodorus existimauit. Sed, quid mirum, cùm nequissimos quosque illius superauerint abominationes, de quo est Iustiniani testimonium Imperatoris in Edicto, fidei confessionem habente cum Actis nominatæ Synodi: *Iste autem* (inquit) *vsque ad mortem in sua permanens impietate, ab omni Ecclesia eiectus est: Itaque & omnis plenitudo, Mopsuestenæ Ecclesiæ, in qua Episcopus dicitur fuisse, cùm inuenisset, quòd Paganis, & Iudæis, & Sodomitanis à Sanctis Patribus annumeratus est, deleuerunt ipsi à sacris Ecclesiæ Diptychis eius nomen*: Quanquam & hanc tam insignem impietatem communem esse velit omnibus Hæreticis Hieronymus in cap. 10. Ezechielis prope extrema: *Secundùm Anagogen* (ait) *omnes Hæreticos peiores esse prioribus, id est, idolo Zeli, pictisque in pariete figuris animantium, & planctu Adonidis, per quæ idolatria, voluptásque monstrantur.*

Binn. V. Synod.

Leont.

Theodorus Mopsuastenus, quàm impius? Iustin. Imp.

Hæretici sceleratissima fax. Hieron.

37. Verùm, cùm tanta fuerit Hæreticorum malitia; sic tamen vel tam pessimè affectis displicuit Theodori inuentum, vt probro duxerit quispiam, eorum ducem eum habere per mille & centum annos: At, cùm ab initiis sexti, & decimi sæculi, quicquid anteriora tempora monstruosum, & deforme paulatim ediderunt, sub Lutheri, Caluinique signis vnà prodierint, emersit simul, & hoc tam execrabile, tam detestandum Mopsuestensis pronunciatum: amplexi autem sunt Anabaptistæ, & Sebastianus Castalio Ludimagister Geneuensis, qui, cùm Biblia verteret, hanc, quam profanam cantilenam dicebat, transtulit etiam: sed qualiter, si placet? *Paraphrasim* (inquit noster Gretserus tom. 1. pro Bellarmini scriptis, tractatu de nouis translationibus, cap. 10.) *alicuius elegiæ Propertianæ, aut Tibullianæ te legere credas, non Cantica omnium sanctissima; transtulit, nimirum, conuenienter suo sensui, qui nimio erga amicam suam amore incensus erat*: Visa hæc Castalionis petulantia non ferenda, vel eiusdem Geneuensis spelæi egregiæ bestiæ Theodoro Bezæ; qui, cùm eius versionem totam plurimis diris infectetur, & Grammaticellum, idiotam passim vocet, reprehendit maximè, *quod arrogantissimè* (sic enim profatur apud Gretserum, vbi suprà cap. 6.) *diceret, Canticum Canticorum inter profanas cantiones numerandum*: Ita impurum Bezæ os rarissimè pro veritate censuit: dixisse tamen arbitror, non quod animo sentiret; sed ob Castalionis odium; neque enim Schismaticis cura quid proferant, dummodo libidinem & inuidiam expleant: nam certè hæretica inconstantia Theodorus incidit in eadem, quæ in Sebastiano damnauerat, nempe, id potissimùm in Castalione offendit, quòd Canticum Canticorum ita transtulerit, vt non dicam de Cypriæ Deæ Mystis quispiam tam lasciuè & infractè pangere, ne ipsa quidem Venus possit: Sed fecit Castalio iuuenis: Beza verò, cùm iam senex esset, lusit in idem Epithalamium Trochaïco pede, nihilo castiori metro; nimirum, *Sponsam descripsit* (inquit Genebrardus epistola ad Ministros Geneuenses ante Canticorum explanationem) *verbis è media amandi arte, & lasciua impudicorum Poëtarum licentia sumptis, ac in Amasiam Palatinam transformauit*: Quòd cùm fecerit, satis indicauit, se de Hymenæo eadem sentire, quæ Castalio publicè effutire non erubuit; alioquin si quid entheum & cœleste inesse credidisset, nunquam tam impurè vertisset supra Nasonem salax Poëta: Quare, & Castalioni, aliisque associat noster Delrio Isagogæ in Cantica capite 1. sectione prima.

Theodorus Beza Cäntici Salomonici hostis.

Genebrard.

Delrio.

Sed quid displicuit hominibus vtique seueræ, atque exactæ disciplinæ in nuptiali Carmine? *Legentes* (inquit Theodoretus prologo in Cantica) *hoc volumen, animaduertentésque in eo vnguenta, oscula, & femora, & ventrem, & vmbilicum, & genas, & oculos, & lilia, & mala, & nardum, & stacten, & myrrham, & his similia, cùm propriam diuinæ Scripturæ consuetudinem ignorarent, noluerunt ingredi, & litteræ velum transgredi, atque intus Spiritum intueri: sed, quæ dicta sunt, carnaliter intelligentes, in hanc blasphemiam prolapsi sunt.* Ac sanè eum de Theodoro Antiocheno Mopsuestiæ Præsule, & si quos habuit assecias, loquutum esse suspicio nobis est: nam in Theodoreti incidit sæculum. Verùm, etsi ex Scripturis putidè intellectis in hanc inciderint amentiam Sectarij noui, veterésque; quis tamen, cùm audiat illos librum respuentes ob repetita crebriùs oscula, ob intermistas coniugum blanditias, ob molliora colloquia, non statim arbitretur, qui hæc interdicunt, atque Codicem propterea ex sacrorum voluminum expungunt canone, eos esse Pythagoreos, & si quid in Philosophia est defæcatissimum? proculdubio virginitatem colere, delicias abhorrere, casta omnia impensè diligere; denique, ne quæ sit occasio, quæ huius tam diuinæ virtutis studium eneruet, neque ipsis Scripturis eos parcere, è quibus demant, quæ videantur puras aures offendere quoquo modo: Sed tu pauliſper sustine, Lector, dum quàm sint casti Hæretici, patefacimus: Erit, vt cùm stupendam eorum luxuriam contemplêre manifestè, agnoscas palam, non bono aliquo genio, aut castitatis incensos studio, voluisse reformare canonem sacrorum Tractatuum; sed cùm libidinosi, æquè & stulti essent, voluisse imponere miseris populis; atque hinc colligere licebit quoque, quid sentiendum de aliis Scripturarum castigationibus, quibus miserandum in modum Biblia reformarunt.

38.

Anabaptistæ, & Castalio Cäticorũ librum repudiarunt. Gretser. *Hæreticorũ versiones impudicæ.*

Reformatio omnis Hæreticorum, est detestandæ hypocrisis.

Theodorum Mopsuastenum vidimus num. 36. comparati

39.

Theodori Mopſuaſteníis luxuria, & apoſtaſia. Proclus

comparari à Iuſtiniano Imperatore Paganis, Iudæis,& Sodomitanis: De illo in Actis Synodi ibi memoratæ ex libellis Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo oblatis: *Fuit* (aſſerunt) *aliquis peſtifer homo, magis autem fera hominis habens formam diabolicam, immerito nomine Theodorus, qui ſchema, & nomen Epiſcopi habebat, in Mopſuaſteno ſecundæ Ciliciæ vili oppido*: Ex fragmento autem

Heſych. Hiſtoriæ Heſychij Hieroſolymitani Presbyteri: *Photinum* (inquit) *Theodorus præcipuè imitatus eſt; malitioſus quidem loquendi, & lingua paratiſſimus; & ipſe tamen inſtabilis voluntate, qui huc illuc inclinans ferebatur; Clericatui omni Antiocheno à prima ætate connumeratus, & benè conuerſari pollicitus ad ſæculares libidines reuerſus iterum delectabatur.* Et quidem

Baron. Baronius Cardinalis tom. 5. anno Chriſti 428. num. 34. & 35. fuiſſe declarat impiiſſimi Neſtorij Præceptorem, qui blaſphemias execrandas aduersùs Chriſtum, eiúſque Genitricem MARIAM inſtillauerit: inſuper & Monachiſmi deſertorem extitiſſe, & luxuriæ ſordibus non inquinatum tantùm, ſed etiam obrutum, vt non valuerit ex eo cœno per Sanctum Ioannem Chryſoſtomum erui: Docet & ſimilia noſter Pineda lib. 6. de rebus Salomonis, cap. 19. Iam, quàm petulcus fuerit Sebaſtianus Caſtalio, ſatis indicat obſcœna eius, & meretricia Paraphraſis Canticorum, de qua in ſuperioribus loquuti ſumus. De Anabaptiſtis Gaulterius noſter ex fide grauium Scriptorum, collatione Hæreſum ſæculi 16. cap. 3. errore 4. *Hominesſe* (inquit) *ſic ſtupidos & brutos, vt putent, quamlibet feminam obligari eius, qui ſe coneupierit, voluntati ſeruire; & viciſſim, virum quemlibet teneri illius, quæ ſe rogauerit, libidines admittere.*

Anabaptiſta homines turpiſſimi. Gaulter.

40. Quàm deteſtatus ſit omnem carnis pruritum Theodorus Beza, exiſtimare poſſimus, quòd partem cap. 8. Euangelij Ioannis de muliere in adulterio deprehenſa reiecerit, quòd IESVM ſolum in templo cum femina relictum narret: vt mirum non ſit, ſuſpicatos nos ab eodem deſpectum Salomonis Hymenæum, quando eius adeò rigida ſchola, quæ ne ipſum Chriſtum abſque teſtibus, ſalutis æternæ tractantem negotia patiatur.

Maldon. Et quidem ipſa eius verba citat Maldonatus adGretſer. initium cap. 8. Ioannis. Eleganter Gretſerus, & ventilat tom. 1. Defenſorij ad cap. 16. lib. 1. Bellarmini. Sed quò de eius inſigni continentia nemo dubius exiſtat, proferamus Virum eximiè catholicum, & doctum Bezæ ſynchronum, Gilbertum Genebrardum: is admonitione ad Miniſtros Geneuenſes, quam Scholiis in Canticum Salomonis præfixit, §. *Decimotertiò dolemus.* ſuis ad viuum coloribus depingit: *Se* (inquit) *labe ſimoniaca aliquoties pollut: ſe, ſuámque valetudinem ſtupris plurimis laſit: amores fœdos Candidæ, & Audaberti cecinit, & publicauit etiam poſt miniſterium verbi aſſumptum: factionibus, motibus, bellis cuncta in ſua patria miſcuit: ad externos in patriæ incendium pertrahendos ſe legatum vltrò conſtituit: Paſſeuentiis, & famoſis libellis Reges, Principes, Antiſtites, Nobiles, Magiſtratus omniũ ordinum, probos, & quietos quoſque traduxit: antiquos, & approbatos Auctores contumeliis affecit: diſciplinam fœdam de matrimoniis, ac aliis ad religionis politiam pertinentibus libris Spencæi de continentia oppoſitam tradidit:* Ecce quàm probus homuncio: quem cum Aurelio Audaberto, qui poſteà Lambertus Danæus, laſciuienti Muſa celebratum confirmat noſter

Bezainſignis ter libidinoſus: puerorũ amator. Genebr.

Andreas Eudæmon Ioannis in caſtigationibus eorum, quæ aduersùs Bellarminum debacchatus eſt Danæus cap. 1. Hic igitur tam nimiùm caſtus, tam & feminarum, & puerorum oſor, audire non valet abſque ſtomacho, Chriſtum cum muliere, vel in ſacro loco; nimirum, in templo incomitatum derelinqui, non longos trahentem ſermones, apocryphum arbitratur Scripturam, Dei nullo modo verbum, quæ tantam licentiam Chriſto tribuerit; & tamen hic idem Præceptorem habuit ſuum Ioannem Caluinum, cuius infauſtæ lucubrationes bis mille blaſphemiis ſcatent: nam & Deum peccati auctorem facit, & Chriſtum plurima labe aſpergit, MARIAM que Deiparam; quem in deſperationem prolapſum, aſſerit, & damnatorum pœnas expertum; quæ omnia ex eius monumentis eruta noſter Gaulterius in Chronologia ad finem decimiſexti obtulit ſæculi, cap. 15. vbi & illud eius præclariſſimum Theorema: *Statum Monachorum aduerſari Scripturæ & Chriſtianiſmo, damnanda eſſe vota religioſa, & præcipiendum cuilibet, vt ea violet.* Hunc, qui inter cinædos, & ſcortarios palmam retulit, quem nulla medicina liberare potuit à morbo Sodomitico, teſte Iacobo Langæo Scoto in eius Vita, cap. 11. cuius ebrietates & crapulæ modum omnem ſuperarunt, eodem narratore cap. 14. Theodorus Beza in Hiſtoria rerum ab eo geſtarum, *Verum Prophetam nominat, os Domini, maximum totius vniuerſi lumen.* Ergo Caluino Spiritus ſanctus aurem aperuit, ſicut loquutus eſt per os Sanctorum: qui à ſæculo ſunt, Prophetarum eius; Salomonis Canticum profanum eſt; Ioannis Scriptura ſuppoſititia: ô enormitatem audaciæ!

Eudæmon. *Hæreticorũ friuola & laruata virtus.* *Caluini ſcripta plena ſpiſſis erroribus: eius ſpurca luxuria:* Gaulter. Langæus.

Duo tamen in his conſideranda ſunt: Primum, imbecillitas ingenij: nam & aliis Scripturarum locis, & baſiationes, & amplexus, & vnguenta, & quicquid delicatas mentes offendere valeat, leguntur, quemadmodum oſtendi Anteloquio 1. Sectione 2. num. 13. Cur igitur eadem alibi arrident, alibi diſplicent? Cur Salomonem, & Ioannem ſpongia delet, & non Ezechielis cap. 6. non Geneſis, non Deuteronomij, non Prophetarum multas ſententias? Dicam equidem. Iſti non ad Eccleſiæ Lydium lapidem, quæ veræ ſint Scripturæ, expendunt; non ad Patrum, aut Theologorum calculum: ſed aiunt intus vnicuique Spiritum ſuggerere; cùm autem Spiritus, vbi vult, ſpirat, voluit inſpirare à canone ſacrorum Voluminum expungenda, non alia, quàm Canticorum oſcula: Quid vultis? Anabaptiſtarum, aut Caſtalionis non eſt hoc inuentum, ſed Spiritus, qui eructauit illis verbum bonum: Sed heus vos, præclari Reformatores noui, veteríſque Inſtrumenti, non animaduertitis conclamare ſocios veſtros, Sectariorum turbam maximam, eruditos ſe à Spiritu fuiſſe, ne expungeretur Salomonis Epithalamium: quibus credemus? tribúſne, aut quatuor, præ tanta nube teſtium, etiam ex ſchiſmate? Puto dicturos hos, Spiritum vertiginis fuiſſe, qui paucioribus illis reuelauit, eò quòd ſcribendum ſe poſt ſalutatos impigrè fœcundos ſenioris falerni calices contuliſſent, ſicut mos eſt Delphico Hæreticorum oraculo: nos ſobria vocant, & inuitat Theodoreti in Cantica Præfatio, qui parem in modum coarguit inſcitiam. *Quidnam dicent ij* (inquit) *qui Cantici Canticorum ſcripta carpunt, & tanquam impudica interpretari minimè verentur, cùm in veteri inſtru-*

41.

Hæretici pro libito Scripturas, aut cõdemnãt, aut approbant.

mento

mento non dissimilia dici de gente Iudæorum inuenerit ? Ecce enim & hic vbera, & vmbilicum, & pedes, & manus, & os, & aures, & complexum, & coniunctionem inuenimus, eáque dicta à Deo omnipotente, neque tamen, vt legimus, sic intelligimus, neque occidenti adhæremus litteræ; sed interius penetrantes, Spiritus sensum inuestigamus, eiúsque lumine illustrati, quæ spiritalia sunt, spiritaliter intelligimus. Hæc aduertisse oportebat Hæreticos si Canticorum genuinam medullam penetrare cupido aliqua illis syncera fuisset.

42. Alterum, quòd infinitam parit admirationem, tantam potuisse esse vnius, alteriúsve vilissimi scurræ temeritatem, vt suum non sit veritus præponere iudicium optimis omnium ætatum Magistris, & repudiare insolenter, quod vtraque Ecclesia Græca, atque Latina summo approbauit consensu: Verùm, nisi in hoc præcipitium delapsi essent, nisi omnem penitùs verecundiam exuentes sibi plùs, quàm vniuersis sæculis elapsis tribuissent, Hæretici vix essent, certè difficulter suos agnouissent Sectarij. Audiamus de Nouatoribus ex Leonis X. Bulla apostolica contra Lutheri errores: *Exurgat denique* (ait) *omnis Sanctorum chorus, ac reliqua vniuersalis Ecclesia, cuius vera sacrarum litterarum interpretatione posthabita, quidam, quorum mentem pater mendacij excæcauit ex veteri Hæreticorum instituto, apud semetipsos sapientes, Scripturas easdem aliter, quàm Spiritus sanctus flagitet proprio duntaxat sensu, ambitionis, auræque popularis causa, teste Apostolo, interpretantur: imo verò torquent & adulterant, ita vt iuxta Hieronymum iam non sit Euangelium Christi, sed hominis, aut, quod peius est, Diaboli:* Verùm supra aurum omne pretiosa verba Adriani VI. Pontificis Breui ad Fredericum Saxoniæ Ducem missò contra Lutherum, in quo diuina quadam eloquentia deplorat tanta inuolutum caligine nobilissimæ domus vituperium, Dynastam illum, vt non animaduertat superbiam Apostatæ, qui præcedentibus omnibus Doctoribus suam anteferat sententiam, sacrosancta despiciat Concilia, Ecclesiæ auctoritatem ne flocci æstimet: *Itáne stultus es* (inquit) *ac sine corde, vt in eis maximè rebus, in quibus damnari est, vni homuncioni cooperto peccatis, quàm tot sanctissimis ab initio Patribus, qui in lege Dei meditati sunt die ac nocte; & quàm tot vniuersalibus Conciliis, aduersùs quæ impudens os illud, velut sepulcrum patens, se aperire non erubescit? Sancta denique & Catholica Ecclesia, cuius ritum, consuetudinem, & decreta à temporibus Apostolorum ad nos vsque inuiolabiliter obseruata, vnus iste sacrilega temeritate damnare præsumit, plus credere potueris? O cæcam dementiam, ac plusquàm Iudaicam cæcitatem!* Et paulò inferiùs: *Vni carnali homuncioni semper eructanti crapulam, & potum, quàm reliquo orbi vniuerso, quàm tot spiritalibus Patribus, quorum voluntas semper fuit in lege Domini qui vita sanctimonia, ostensione Spiritus, ac virtute, glorioso denique martyrio suam doctrinam comprobauerunt, in Scripturarum intelligentia plùs te fidei habere potuisse? O cæcitatem nouam & inauditam! vnus Apostata tibi potuerit persuadere, fefellisse priores vniuersos, errare posteros, & in solum se, & quos decepit, peruenisse regnum Dei, peruenisse totas miserationum Dei diuitias, & gratiam vniuersitatis?* Sic Adrianus, cuius oratio nostro egregiè deseruit scopo, quando & hi, cum quibus digladiamur, ipsi etiam sibi magis credi vellent, quàm vniuersæ Ecclesiæ, quæ Canticum Canticorum inter Canonicos perpetuò numerauit libros.

Hæreticorũ incredibilis impudentia contradicentium omniũ sæculorum, præclarissimis Doctoribus.

Leo X.

Adrian. VI.

Sherlogi Anteloq. in Cant.

SECTIO V.

Canticorum idoneus quisnam lector? librum cur Sectarij oderint? Hæreseon initia ex libidinibus, & superbia.

43. OPeræ pretium est ex Patribus mutuemur, quæ in auditore Canticorum desiderentur, vt ex illius auscultatione emolumentum potiùs, quàm vitium referat: his enim perspectis, cùm iis destituti præsidiis Hæreticos apparuerit, facile fuerit opinari, quãobrem volumen tanto persequantur odio. Ac præeat cæteris vetustior Adamantius. Is igitur prologo 4. homiliarũ: *Sed primò scire nos oportet, quoniam, sicut puerilis ætas non mouetur ad amorem possibilium: ita nec ad capiendum quidem verba hæc paruula, & infantilis, interioris hominis ætas admittitur; illorum, scilicet, qui lacte in Christo aluntur, non cibo forti: in verbis enim Cantici Canticorum ille cibus est, de quo dicit Apostolus: Perfectorum autem est solidus cibus, & tales requirit auditores, qui pro possibilitate sumendi exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali.* Atque infrà paululùm: *Si verò aliquis accesserit, qui secundùm carnem tantummodo vir est; huic tali, non parum ex hac Scriptura discriminis, periculique nasceretur: audire enim purè, & castis auribus amoris nomina nesciens, ab interiori homine ad exteriorem, & carnalem virum, omnem deflectet auditum, & à spiritu conuertetur ad carnem, nutriétque in semetipso concupiscentias carnales, & occasione diuinæ Scripturæ commoueri, & incitari videbitur ad libidinem carnis: ob hoc ergo consilium de omni, qui nondum carnis, & sanguinis molestiis caret, neque ab affectu naturæ materialis abscedit, vt à lectione libelli huius penitus temperet.* Theodoretus Præfatione ad Ioannem Episcopum: *Ad quem* (nempe, librum Canticorum, ait) *non posse peruenire, nisi moribus priùs compositis in Prouerbiis, & mundo calcato in Ecclesiaste, tunc demum locum esse amplexibus sponsi.* Gregorius Nyssenus homil. 1. in Cantica: *Nemo ergo perturbationibus animi obnoxius, & carnalis veteris hominis mortuum adhuc olens fœtorem, ad belluinas trahat operationes diuinitùs inspiratarum sententiarum, ac verborum significationes: sed vnusquisque ipse à seipso excedens, cùm fuerit extra mundum materialem, & per impatibilitatem quodammodo redierit in Paradisum, & per puritatem Deo similis euaserit, ita procedat ad aditum mysteriorum, quæ in hoc apparent libro: Quod si ad hæc audienda sit aliquibus imparatus animus, audiat Moysem lege cauentem, ne ad montem spiritualem audeamus ascendere, priusquàm cordium nostrorum lauerimus vestimenta, & conuenientibus cogitationum aspersionibus animas expiauerimus: quæuis autem rationis expers mentis conceptio, si in hoc monte visa fuerit, rigidioribus cogitationibus, veluti quibusdam lapidibus occideretur.* Et alia huius generis multa Nyssenus.

Quàm egregia virtute præditos Lectores postulet Salomonis Canticũ. Orig.

Theodor.

Greg. Nyss.

44. Imitati sunt omninò Nyssenum Gregorium, aut potiùs ab eo exarata breuiori stylo perstrin-

xerunt ſuis in Proluſionibus, vti aliàs monui, Gregorius Romanus, & Richardus de S. Victore, proinde ab eorum recenſendis dictis abſtinemus; Cæterùm, aut leuiter, aut ex inſtituto vix eſt inter Explanatores quiſpiam non hoc genus argumenti tractans veſtibulo Interpretationis, Inter recentiores cumulatiùs tractarunt Titelmanus in Prologo, Sotomaior in Præfat. pag. 49. Gaſpar Sanctius prolog. 12. atque omiſſa Ruperti, Gloſſæque admonitione ſalubri, repræſentabat ſolius Bernardi voces aliquas hom. 1. in Cantica, poſtquàm de amore vano mundi ſuique diſſeruit: *Duobus ergo malis* (ait) *duorum lectione librorum depulſis* (nempe, Prouerbiorum eiuſdem Salomonis, & Eccleſiaſtæ) *competenter iam acceditur ad hunc ſacrum, theoricúmque ſermonem, qui, cùm ſit amborum fructus, non niſi ſobriis mentibus, & auribus omninò credendus eſt: alioquin ante carnem diſciplinæ ſtudiis edomitam, & mancipatam ſpiritui, ante ſpretam, & abiectam ſæculi pompam & ſarcinam, indignè ab impuris lectio ſancta præſumitur: quomodo nanque lux in caſſum circunfundit oculos cæcos, vel clauſos; ita animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: quippe Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, quod eſt vita incontinens.* Et infrà: *Obſerua in primis Pacifici nomen, quod eſt Salomon, conuenire principio libri, qui incipit à ſigno Pacis, id eſt, ab oſculo, ſimúlque aduerte, huiuſcemodi principiis ſolas ad hanc intelligendam Scripturam mentes inuitari pacificas, quæ ſeſe iam à vitiorum vendicare perturbationibus, & curarum tumultibus præualent.* Denique & ad ſermonis calcem: *Cæterùm, non eſt illud cantare, ſeu audire, animæ puerilis, & neophytæ adhuc, & recenter conuerſæ de ſæculo, ſed prouectæ, iam, & eruditæ mentis,* &c.

Greg. Rom. Victorinus.

Titelman. Sotomaior. Sanchez. Rupertus. Gloſſa. Bernard.

45. *Caſtitate præcellere oportet Canticorum Lectorem.*

Ex his Patrum effatis ſatis conſtat, ad hunc terendum vtiliter Codicem, oportere accedentem ſobrium eſſe, religioſum, caſtúmque & mente & corpore: alioquin, ſi libidinibus irretitus, mersúſque voluptatum gurgite ad legendum ſe conferat, argumentum intemperantiæ arbitrabitur, & exoſos habebit qui in Scripturarum canone reponere non dubitarunt: Nam cùm omnis diuinus ſermo id requirat, vt diſcentis animus ab omni prauo affectu expeditus ſit; peculiari quodam iure ſibi hic vendicat Liber, eò quòd aliter longè vniuerſa conſtruenda ſint, quàm vocum ſuperficies oſtendat: *Nominantur enim in hoc libro* (vt ſingulariter aduertit Richardi Victorini Prologus) *oſcula, nominantur vbera, nominantur genæ, nominantur femora, in quibus verbis non eſt irridenda ſacra Scriptura; ſed amplior Dei miſericordia conſideranda eſt: quia, dum membra corporis nominat; ſic ad amorem vocat: Notandum eſt, quàm mirabiliter nobiſcum eſt, & miſericorditer operatur, qui vt cor noſtrum ad inſtigationem ſacri amoris accenderet, vſque ad turpis amoris noſtri verba deſcendit*: Itaque, vel in hoc ipſo, quòd ſermonibus vtatur Deus, qui carnem, & ſanguinem videatur ſapere, reſplendet eius ſupra modum charitas erga mortales; quoniam verò tam diuinus, atque entheus ignis velatur alterius amoris integumentis, carnalis quidem etſi honeſti, nempe, matrimonialis proborum coniugum, neceſſe eſt ad hæc intelligenda arcana peritum eſſe artificem, & in cœleſtis amoris ſchola, à qua omnis exulat impudicitia, omnis ebrietas, & luxus, cum laude fuiſſe verſatum:

Victor.

quippe eius Lycei præclariſſimus Anteceſſor Bernardus homil. 79. monet iterum, atque iterum: *Quoniam in Epithalamio hoc non verba penſanda ſunt, ſed affectus. Cur ita? niſi quòd amor ſanctus, quem totius huius voluminis vnam conſtat eſſe materiam, non verbo ſit æſtimandus, aut lingua; ſed opere & veritate? Amor vbique loquitur, & ſi quis horum, quæ leguntur, cupit adipiſci notitiam, amet; alioquin fruſtra ad audiendum, legendúmve amoris Carmen, qui non amat, accedit: quoniam omninò non poteſt capere ignitũ eloquium, frigidum pectus: quomodo enim Græcè loquentem non intelligit, qui Græcum non nouit; nec Latinè loquentem, qui Latinus non eſt; & ita de cæteris: ſic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit, ſicut æs ſonans, aut cymbalũ tinniens:* Si igitur oſtenderimus, omnem Hæreſim caſta ſemper deteſtatam cubilia, alumnos illius ſtupris, & ſcortationibus ſacrilegis contaminatos, ventri & indecoris voluptatibus inſigniter traditos; erit, vt facilè percipiat ſanæ mẽtis Lector, non potuiſſe eos Canticorum ſubtiles, & abſconditos penetrare amplexus, ac proinde in blaſphemiam, ſummámque temeritatem prolapſos, vocare auſos Hymenæum ſæcularem planè, impuros exhalantem ardores: ſed & colliget vniuerſim, ex luxuriæ turpiſſima officina nihil impollutum, & inclytum potuiſſe prodire.

Bernard.

Amare oportet ad intelligendũ amoris Carmen.

46. *Hæreſes à libidinibus exortæ. Lutherus, & Caluinus fœdiſſimis amoribus cõtaminati.*

Ac de nuperis Sectis penè ſuperuacaneum ſit aliquid dicere, adeò res ipſa omnium luminibus expoſita: Duo Promachi, Lutherus, atque Caluinus, quales moribus, quales calamo, & verbo? Martinus Catharinam Boræam Chriſto dicatam virginem ex Monaſterio Mynicæ abreptam, ante ora, vultúſque mortalium vxorem compellare non erubuit: Quidni, cùm polygamiam licitam eſſe diceret, inhibendum cœlibatum, virginitatem Dei præceptis aduerſari, impoſſibilem obſeruatu Ioannes, vt vidimus anteriori Sectione, à Sodomica lue nunquam conualuit; Monaſteria cœnobitica. lib. 4. Inſtitutionum cap. 13. vocauit, *Lupanaria ſceleratorum, vel conuenticula Schiſmaticorum*: Iam & Anabaptiſtæ etiam germanis ſororibus fœdo, & abominando coïtu iunguntur, & poſt ſermonem fit exhortatio, vt creſcant & multiplicentur, taléſque vniuerſi, quales hœdi ſalaces, à quibus ductantur: vt non inſcitè dixerit noſter Maldonatus ad verſ. 11. cap. 19. Matthæi, Hactenus inauditum monſtrum, quòd Lutheranus, aut Caluiniſta quiſpiam virginitatem perpetuam ſeruauerit: Et quid? nónne id proclamat odium incenſum in vota religioſa? atque omnium ordinum apud ipſos coniugia? Legatur in primis Ioannes Coclæus, teſtis oculatus, & maximæ fidei, dum Lutheri acta memorat: Florimundus Ræmundus tomis duobus de origine Hæreſum: noſter Gaulterius in ſua Chronologia collatione Hæreſum poſt ſæculum 16. Ego vnius teſtimonio, eiúſque ipſis addictiſſimi, vt qui matrimonium virginitati prætulerit in colloquio proci, & puellæ contentus ero: Eraſmus igitur ſubdolus, & vafer peſſimorum fautor dogmatum, epiſtola, quam ſcripſit ad Vulturium Neocomum, anno 1529. ſic de Nouatoribus ſermocinatur *Circunſpice* (inquit) *populum iſtum euangelicum, & obſerua, num minùs illic indulgeatur luxui, libidini & pecuniæ, quàm faciant ij, quos deteſtamini? Profer mihi, quem iſtud Euangelium ex comeſſatore ſobrium, ex ferocimanſuetum, ex rapaci liberalem, ex*

maledico

Maldon. Coclæus.

Monſtro ſimile inueniri apud Sectarios virginitatis cultores.

Ræmund. Gaulter.

Eraſm.

maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum: ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores.

47. *Antiqui Hæretici salaces & petulci, sicut noui.*

Sed fuerunt pudentiores antiqui Sectarij? abstinuerunt à scortationibus, & crapula? Minimè gentium. Deligam autem, qui hæc persuadeat, ex copiosa veterum Magistrorum segete vnum Hieronymum, quòd in eruendis Hæreticorum moribus, & disciplina operam insignem posuisse videatur, quando & ab eo erudiri Schismaticorum malleus exoptarit magnus Augustinus ep. 9. ad finem illius. Stridonensis ergo in illud cap. 7. Oseæ: *Væ illis quoniam*, &c. *Super Hæreticis facilis est interpretatio, quòd væ habeant sempiternũ, quia recesserunt à Deo. Istiusmodi non possunt dicere: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo: Sed volutantur in sordibus libidinum; vacant stupris, & quicquid loquuntur, & putauerint se in laudem Dei dicere, vlulatus luporum, & vaccarum insanientium sonitus est. Rarò Hæreticus diligit castitatem: & quicunque amare pudicitiam se simulant, vt Manichæus, & Marcion, & Artius, & Tutianus, & instauratores veteris hæreseos, venenato ore mella promittunt: Cæterùm, iuxta Apostolum, quæ secretè agunt, turpe est dicere.* Atque in illud c. 9. eiusdem Prophetæ: *Sicut vuam in deserto*, &c. *Difficile est Hæreticorum reperire quempiam, qui diligat castitatem, non quòd eam præferre desistat in labiis; sed, quòd non seruet in conscientia, aliud loquens, & aliud faciens.* Et in Ieremiæ cap. 3. ea verba: *Et dixit Dominus ad me*, &c. *Omnis autem Hæreticus habitat in Aquilone, & calorem fidei perdidit, nec audire potest illud Apostoli*, spiritu feruentes: *& quia se voluptatibus tradidit, recessit à Domino, & dispersit vias suas alienis dogmatibus, & voluptatem secutus est: nulla enim hæresis, nisi propter gulam, ventrémque construitur, vt seducat mulierculas oneratas peccatis.*

August. Hieron.

48. Verùm idem ad Ctesiphontem aduersùs Pelagianos: *Simon Magus hæresim condidit Helenæ meretricis adiutus auxilio: Nicolaüs Antiochenus omnium immunditiarum repertor, choros duxit femineos: Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet: Apelles Philomenen suarum comitem habuit doctrinarum: Montanus immundi Spiritus prædicator multas Ecclesias per Priscam, & Maximillam, nobiles & opulentas feminas, primùm auro corripuit, deinde hæresi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora transcendam. Arius, vt orbem deciperet, sororem Principis antè decepit: Donatus per Africam, vt infelices quosque polluueret aquis, Lucillæ opibus adiutus est: Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foueam, succesſorémque sui Priscillianum habuit, Zoroastris magi studiosissimum, & ex Mago, Episcopum, cui iuncta Galla, non gente, sed nomine, germanam huc illúcque currentem alterius, & vicinæ hæreseos reliquit heredem.* Ad Eustochium autem de custodia virginitatis scribens: *Cæterùm virgines* (ait) *quales apud diuersas hæreses, & quales apud impurissimum Manichæum esse dicuntur, scorta sunt existimandæ, non virgines. Sed, quia sciunt virginale vocabulum gloriosum, sub ouium pellibus lupos tegunt, Christum mentitur Antichristus, & turpitudinem vitæ falso nominis honore conuestiunt:* Sed facundus in primis Hieronymus aduersùs Iouinianum ad finem libri 2. quem eius sermonem eò libentiùs transcribam, quòd ad viuum delineet, & qui nostra penè ætate fuerunt, hæresum Architectos, & qui horum patrocinium subierunt: *Egregia sanè vox, & quam audiat sponsa Christi: Rarò ieiunate, crebrius nubite: non enim potestis implere opera nuptiarum, nisi mulsum, & carnes, & nucleum sumpseritis: viribus opus est ad libidinem, citò carò consumpta marcescit: nolite timere fornicationem: qui semel in Christo baptizatus est, cadere non potest: His consiliis subulci tui, pastoribus nostris ditiores sunt, & hirci plurimas secum capras trahunt, & qui insanientes in feminas facti sunt, statim vt mulieres viderint, adhinniunt, & impatientiam suam (proh nefas!) Scripturarum solantur exemplis: Sed & ipsa mulierculæ miseræ, & non solùm miserabiles præceptoris sui verba cantantes: quid enim nisi semen requirit Deus? non solùm pudicitiam, sed etiam verecundiam perdiderunt, maioríque procacitate defendunt libidinem, quàm exercent: Habes præterea in exercitu tuo plures succenturiatos; habes scurras, & velites in præsidiis, crassos, comptos, nitidos, clamatores, qui te pugnis, calcibúsque defendant: tibi cedunt de via nobiles, tibi osculantur diuites caput: nisi enim tu venisses, ebrij atque ructantes Paradisum intrare non poterant.*

Quid autem est, quod ex luxuria ortas hæreses dixerimus, cùm potiùs superbia tam enorme monstrum parturierit, vt scribit Augustinus libro de salutaribus documentis, cap. 19. & libro de vtilitate credendi ad Honoratum, cap. 17. Ipse Hieronymus in Oseam ad illud cap. 9. *Da eis, Domine*, &c. Gregorius Papa lib. 3. Moralium, cap. 13. *Hæreticorum* (ait) *locus, ipsa superbia est: quia nisi priùs in corde intumescerent, ad prauæ Assertionis certamina non conuenirent*: Atque multis demonstrat Bellarminus lib. 4. de Ecclesia, qui est de eius Notis, cap. 13. Sanè ideò potissimùm affirmauimus, ex libidinibus & omni voluptate obscœna enasci hæreses, quoniam ex superbia oriuntur: est enim indiuisa superbiæ proles, corporis abusio, vti docet Gregorius lib. 32. Moral. cap. 11. *Sed, cur cùm Behemoth istum fœnum comedere intulit, prima deceptionis eius argumenta, luxuriæ damna subiunxit, nisi quòd liquidò omnibus patet, quia postquam semel hominis spiritum superbia cepit, mox se ad corruptionem carnis extendit; Quod in ipsis quoque hominibus primis agnoscimus, qui dum post perpetratam superbiam, pudenda membra contegunt, patenter indicarunt; quia, postquàm apud semetipsos intus arripere alta conati sunt, mox in carne foris erubescenda pertulerunt. Behemoth itaque iste insatiabiliter sæuiens, & deuorare totum hominem simul quærens, modò in superbiam mentem erigit, modò carnem luxuriæ voluptate corrumpit.* Hæresim igitur, & ambitio, & laxæ vitæ, spurcorúmque amplexuum desideria generant: hoc stemma, hæc linea generosæ sobolis.

49. *Hæreses ex superbia progenatæ.* August. Hieron. Greg. Bellarm.

Mirum tamen cuipiam apparebit, cùm à nobis ostensum fuerit, Hæreticos crapula, & stupris sine verecundia commaculari, vt putauerint sanè Epithalamium Salomonis libidinis esse Carmen, quorsum illud ex Scripturarum canone dempserint? Debuerant potiùs pro aris, & focis defendere prophetiam esse, & à Deo inspiratam Musam: sic nanque haberent, quibus possent armis suam protegere lasciuiam, quando & Deus ipse non contempserit versus pangere sanè procaces. Verùm, eius rei non vnam causam accipiat Lector. Primùm, Hæretici burdones, & stupidi sunt, ne fauilla illis, aut ingenij, aut acuminis: quare eorum scripta mille contradicen-

50. *Hæretici mali ingenij, excutiunt in apertissimis.*

tiis referta ſunt, nec Proteus tantas mutauit formas. Sed de eorum tenebris,& craſſa lippitudine Hieronymus in illud cap.15.Ezechielis: *Væ Prophetis, &c. Hæretici Dei ſpiritum relinquentes, ſequuntur ſpiritum ſuum: quia nequaquam diuino inſtinctu: ſed proprio corde vaticinantur: vnde & nihil vident: quis autem Hæreticorum, qui ſequitur ſpiritum ſuum, nón impingat in tenebris, vt cæcus cæcos ducat in foueam? Vnde, licèt ſibi in myſteriis, imò orgiis ſuis plura eccleſiaſticis Doctoribus videre videantur; tamen nihil omninò vident, quia Solem Iuſtitiæ perdiderunt.* Fas ſiet Hieronymo ſocium dare,& quidem ſimillimum noſtrum Maldonatum, qui ad caput 1. Euangelij Ioannis: *Hoc vnum* (inquit) *obiter indicemus, vt Lector intelligat, adeò obcæcari à Deo ſolere Hæreticorum ingenium, vt, quia, quæ certa, atque perſpicua ſunt, credere nolunt, quæ abſurdiſſima ſunt, credant. Palpant, vt ait Iſaias, ſicut cæci parietem, impingunt meridie quaſi in tenebris, cap. 59.* Ergo, cùm ſpiſſa laborent caligine, nulla ab eis conſequentiarum petenda ratio, nec attendendum, quàm abſona ſint, quæ loquantur. Altera autem cauſa eſt, quòd in ſpeciem caſtis patrocinari videantur moribus; non quòd ament pura cubilia; ſed, quia ſciunt (vt inquiebat Hieronymus ſuprà num. 48.) *Virginale vocabulum glorioſum, ſub ouium pellibus lupos tegunt, & turpitudinem vitæ falſo nominis honore conueſtiunt.* Itaque, cùm fœtidè viuunt; honeſti tamen auditi volunt; non, quòd in virtutem proni ſunt aliquo modo; ſed, quoniam ex his etiam artibus ambitio alitur: Gloriam autem vt conſequantur apud homines, ſimulant diligere ſe illa, quæ maximè oderunt. Tertia denique ratio eſt; quoniam, vt decipiant incautam plebem, & inexpertum, rudéque vulgus, bona aliqua, vel quæ ſpeciem probitatis, rectíque habere videantur, peſſimis admiſcent, quòd non audeant puram propinare cicutam: igitur quandoque virginitatem, & pudicitiam extollere arbitreris: agitur autem iſtud ab eis, vt talibus velata pigmentis amara deglutiantur abſque horrore: *Habent quippe hoc Hæretici proprium* (ait Gregorius lib. 5. Moralium, cap. 10.) *vt malis bona permiſceant, quatenus facilè ſenſui audientis illudant: ſi enim ſemper praua dicerent, citiùs in ſua prauitate cogniti, quod vellent, minimè perſuaderent. Rurſum, ſi ſemper recta ſentirent, profectò Hæretici non eſſent: ſed, dum fallendi arte ad vtraque ſeruiunt, & ex malis bona inficiunt; & ex bonis mala, vt recipiantur, abſcondunt: ſicut, qui veneni poculum porrigit, ora poculi, dulcedine mellis tangit, dúmque hoc, quod dulce eſt, primo attactu delibatur, etiam illud, quod eſt mortiferum, indubitanter abſorbetur: Itaque Hæretici permiſcent recta peruerſis, vt oſtendendo bona, auditores ad ſe trahant; & exhibendo mala latenti eos peſte corrumpant.*

Hieron.

Maldonati cómendatio.

Hæreticorũ ſimulatio.

Hæreticorũ aſtutia in propinando veneno.

Ergo, qui Canticorum genuinos ſenſus penetrare deſiderat, neceſſe eſt oculos auertat à caſtis licèt humanorum coniugum amplexibus, quibus tanquam inuolucris occultantur ſacroſancta arcana: ſic monent Patres ſectionis limine dari, alioquin ſi tam craſſum eſt lumen, vt extima ſolùm aduertat; & in omni Scriptura, quod offendat, inueniet. Quippe, vt ſapienter aduertit Theodoretus ad cap. 1. Oſeæ: *Huiuſmodi mille alia in Scriptura ſacroſancta inuenire licet, quorum ſcopum, & propoſitum ſi quis ignorauerit, prophetica virtute hæc indigna ducet: qui autem Dei ſtudium, & amorem in homines planè ſciunt, vtque omnia ad hominum ſalutem adminiſtrat; inde, vnde alij contemnunt, Dei laudationem occaſiones arripiunt.* Sed Hieronymus longiori oratione, & Charybdim,& ſcopulos oſtendit, & quomodo adnauigari abſque diſcrimine valeant, modum, ordinémque præſcribit. Libro igitur tertio Comentariorum in Epiſtolam ad Galatas, ad illa cap. 3. *Vtinam, &c. Quis enim non docebitur ſeruire luxuriæ, & fornicationem habere pro nihilo, cùm Iudam ad meretricem legerit ingredientem, & Patriarchas habuiſſe multas pariter vxores? Quomodo non ad idololatriã prouocabitur, qui ſanguinem taurorum, & cæteras Leuitici victimas, non plùs, quàm quod littera ſonat, putauerit indicare? Quòd autem inimicitias in aperto poſitus Scripturæ ſermo doceat, & ex hoc loco probatur: Filia Babylonis miſera: beatus, qui retribuit tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis: Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram, & cætera his ſimilia, de contẽtionibus, videlicet, æmulatione, ira, rixis, diſſenſionibus, ad quæ, ſi non altiùs aliquid ſentiamus, prouocant nos magis Hiſtoriæ exempla, quàm prohibent: Hæreſes quoque magis de carnali Scripturæ intelligentia, quàm de opere carnis noſtræ, vt plurimi æſtimant, ſubſtiterunt: Necnon inuidiam, & ebrietates per legis litteram diſcimus: inebriatur Noë poſt diluuium, & Patriarchæ apud fratrem Joſeph in Ægypto: ſed & comeſſationes in Regnorum libro ſcriptæ ſunt, ſaltante Dauid, & concrepante tympano coram Arca Teſtamenti Dei, & his ſimilia: Multorum ergo malorum occaſio eſt, ſi quis in Scripturæ carne permaneat, quæ, qui fecerint, regnum Dei non conſequentur: Quamobrem ſpiritum Scripturæ, fructúſque quæramus, qui non dicuntur eſſe manifeſti; multo quippe labore, & ſudore, & digno cultu in Scripturis fructus Spiritus inuenitur. Quòd ſi relictis typis ad veritatem Scripturæ tranſeamus, & Spiritum, ſtatim nobis prima charitas panditur, & ad gaudium inde gradientes peruenimus ad pacem, per quam conſequimur patientiam.* Hanc Hieronymi aduertentiam niſi Hęretici præſumptuosè faſtidirent, nequaquam tam brutè,& omninò ſecundùm carnem de Scripturis, Deíque puriſſimo verbo loquuti eſſent.

51. *Lecturus Biblia cũ vtilitate, littera corticinõ haueat.*

SECTIO VI.

Theodori Mopſuaſteni tria argumenta aduersùs Canticum Salomonis: ætas legendi Cantica: notata in Iudæis ſpurcities; in Hæreticis maleuolentia in explananda Scriptura & Patribus: an Dei nomen in hoc Epithalamio?

PRimum obiectat Theodorus: *Vnde* (ait) *nec nobis, nec Iudæis publica lectio vnquam Cantici Canticorum facta eſt, tanquam domeſticus, & nuptialis Salomonis conuiuiis cantus, opprobria ſponſæ ſonans:* Fuit quidem Hebræorum præceptio, ne quis ante expletum trigeſimum annum, Canticorum lectioni, ſtudiíſque vacaret; quemadmodum ex veterum Antiſtitum, atque Doctorum traditione ad nos manauit: Sic Origenes prœmio 4. homiliarum: Nazianzenus in Apologetico: Hieronymus ſæpè, ſed expreſſiùs Prœmio in Ezechielem, & Epiſtola

52. *Apud Iudæos non patebat Canticorum lectio, niſi elapſis triginta annis*

Orig. Nazianz. Hieron.

ſtola ad Paulinum de Bibliorum Codicibus: Hoc autem non eſt prohiberi omnimodè librum illum, & mortalium aſpectibus interdici, vti Mopſuaſtenſis innuit: ſed occultari ad tempus ſolùm: Puto autem in Eccleſia Catholica nunquam veritam eius auditionem, & ſtudium, cùm & femineæ patuerit imbecillitati: quippe Hieronymus, qui multò ante Theodorum vixerat, ep. 7. ad Lætam de filiæ inſtitutione: *Mandet memoriæ* (inquit) *Prophetas, Pentateuchum, & Iegum, & Paralipomenon libros: Eſdræ quoque, & Eſther volumina: ad vltimum ſine periculo diſcat Canticum Canticorum, ne ſi in exordia legerit, ſub carnalibus verbis, ſpiritualium nuptiarum Epithalamium non intelligens vulneretur*: Quare coniectamur, cùm dicit: *Nec Iudæis, nec nobis*, &c. ſignificare poſteriori dictione non Orthodoxorum cœtum, verùm Schiſmaticorum cum Iudæis analogos conuentus: fuit nanque in expoſitione Pſalmorum præſertim, Mopſuaſtenſis, Hebraïcæ perfidiæ audax æmulator: negabat quippe de Chriſto vaticinatum fuiſſe Pſalmodum, vti ſcribunt, & Leontius Bizantinus lib. 3. contra Neſtorianos, & Eutychianos, & fragmentum ex Heſychij Hieroſolymitani Presbyteri narratione inter quintæ Synodi Acta, collatione 5. Vide Seuerinum Binnium tom. 2. Conciliorum: noſtrum Turrianum lib. 1. in Clemen. A Iudæis igitur mutuatus plurima, hoc etiam accepit cum diſcentibus ſuis, ne Canticorum volumen perlegerent ante annos triginta: Quòd ſi de Catholicis pronunciauit, ab aperto mendacio exorditus eſt defenſionem inuerecundè, ex Hæreticorum more: nempe, Eccleſia noua, & poſterior, quam Chriſtus ſupra petram fundauit, cùm attenderet ſatis annorum eſſe in adoleſcentibus, ſi vita immaculata; & ſenectutem venerabilem non ex annorum numero computandam; ad hæc gratiam ſub Euangelio abundare, nullam certam annorum periodum ſtatuit, quæ definiret tempora idoneæ lectionis Canticorum: aduertit autem, quacunque ætate perlegatur Codex, opus eſſe cordis nitela, morum conſpicua quadam eminentia. Sic Patres ſub initio antecedentis Sectionis producti, de recentioribus Delrius cap. 4. Iſagogæ in Cantica: Sanctius prolegom. 12. Placidus Nigidius ad finem 1. prologi.

Eccleſia Catholica certâ annorum periodũ nõſtatuit lectioni Canticorum.

Theodorus Mopſuaſtenus Iudaïzans.

Leont.

Heſych.

Binn. Turrian.

Delrius. Sanct. Nigid.

53. Cæterùm, quamuis Eccleſia iunior ex Apoſtolorum ſemine, nullam à legendis Canticis ætatem prohibuerit, (quanquam innuat, quales exoptat fore, cùm ad euoluendum eum Hymenæum ſe conferunt;) ſeniores tamen Hebræorum, conſideratis temporum circunſtantiis, probè atque ſapienter egerunt: nam alta donati prudentia, animaduertebant ad luxuriam pronum vulgus, & in femineo ſexu amiſſam reuerentiam muliebris conditionis: quippe ſingularis eſt illa animaduerſio Galatini lib. 7. de Arcanis catholicæ veritatis, c. 14 nam de Rabbinorum quadam traditione ſermocinatus: *Ex hac* (ait) *traditione manifeſtè datur intelligi, quòd cauſa, quare Meſſias non magis accelerauit aduentus ſui tempus, fuit Iudaïcarum virginum corruptio, quæ omnes, vel per cõiuges, vel per alios deflorari cupiebant*: Atque huius veſtigium aliquod apud Iſaïam cap. 3. quòd puellæ viros ambiant: & quidem ſeptem apprehendunt vnum, neque aliud ab eo poſtulant, quàm vt maritus, aut amator nominetur. Verùm, vt Hieronymus ad Algaſiam quæſtione decima: *Quantæ traditiones* (ait) *Phariſæorum ſint, quas hodie vocant δευτερώσεις, & quàm aniles fabulæ, euoluere nequeo: neque enim libri patitur magnitudo, & pleraque tam turpia ſunt, vt erubeſcam dicere; dicam tamen vnum in ignominiam gentis inimicæ*. Atque ſanè illud vnum eiuſmodi eſt, quod ſatis declaret ſpurcitiem Iudaïcam: Videat Lector apud Hieronymum: Neſcio, an ab Ægyptiis hæc ad eos deriuata lues, ſicut & idololatria, à qua nunquam purgare ſe potuerunt ſatis: nam ſupra alias nationes libidinibus deditos Ægyptios ſcribit Hieronymus lib. 1. in Ieremiam, ad illud c. 2. *Filij quoque Mempheos*: Fortaſſe & quod ex eorum deliramentis Alcoranum Mahumetes concinnarit, vt carneam faciliùs deluderet plebem, beatitudinem futuræ vitæ conſtituit in cibo, & potu, & vxorum multitudine apud Bellarminum lib. 4. de Eccleſiæ Notis, cap. 11. His illud iungendum, quòd cùm ad immunditiam tam eſſent procliues Hebræi, Scripturas ſecundùm litteram intelligentes ſolùm, quemadmodum ſonabat dictio; ita accipiebant craſsè nimis, ad corpus omnia penè referentes. Oſtendit latè diſp. de tranſlationibus ſacræ Scripturæ, à cap. 46. Leo Caſtrenſis, & nos inſinuauimus Anteloquio 1. Sect. 9. num. 73. Ergo Viri, & iudicio, & moribus excellentes in Synagoga, cùm animaduerterent ciuium ſuorum indolem malam, arbitrabantur, ſic affectos, quandoquidem verba tantùm Epithalamij attenderent, capeſſuros ex eius lectione detrimentum magis, quàm commodum, ſi ante matutam ætatem legerent: ac propterea eius ſeuerè interdixerunt iuuenibus, & immaturis ſtudium.

Hebræorum vulgus ad luxuriam pronum.

Galatin.

Iſaïæ 3.

Iudæi idolis addicti.

Ægyptij ſupra alias nationes libidinoſi.

Hieron.

Bellarm.

Iudæi Scripturas ſecũdùm litteræ ſuperficiem conſtruunt.

Leo Caſtr.

Cur negata iunioribus Canticorum lectio apud Iudæos?

Hoc autem Codicis vitium non fuit, ſed diſcentium: quemadmodum in diuiniſſimo Sacramento Corporis Chriſti, quòd indignis mors ſit, atque venenum, ſumentium culpa eſt: Sed declaremus vno, alteróve exemplo. Nam peruulgata apud Hexameri Tractatores quæſtio eſt, quando ea firma, certáque ſit opinio, quæ Angelos ſimul cum hoc corporato mundo creatos fuiſſe adſtruit, quamobrem Moyſes prætermiſit de Angelis memoriam aliquam inferre? Ac reſpondent communiter equidem, ob nationis ruditatem feciſſe: nam, cùm ſtupida eſſet gens, atque aliàs Ethniciſmi amans, ſi quos intelligeret eſſe ſupramundanos Spiritus, pro Diis haberet. Sic Chryſoſtomus, Theodoretus, & alij apud Pererium lib. 1. in Geneſim, diſput. *Cur Moyſes creationem Angelorum non expoſuerit*? Quemadmodum igitur, quòd Legiſlator Iudæis occultauerit angelicæ molitionis ordinem, nemo ſapiens deduxerit, feciſſe propter eius naturæ, aut turpitudinem, aut ignobilitatem, imò potiùs ob nimiam præſtantiam, damnauerítque ſolùm tarda Hebræorum ingenia, quorum captum vincant tanta myſteria, & maculæ verterit propenſionem in ſuperſtitiones Gentilitij; ita quidem, quòd Epithalamium ſuppreſſerint in Synagoga prudentes, commendat Hymenæi excellentiam; ſed vituperio eſt Iudæis, quoniam & eorum luxuriam inſinuat, & quàm craſsè Scripturas enodarent, ſubindicat: Valet ad exponendam hanc rem, & ſimilitudo deſumpta à tranſlationibus Bibliorum: nam, quæ fiunt cuiuſque prouinciæ, aut regni idiomate, eæ prohibentur ab Eccleſia, ne paſſim terantur; imò ne ab eruditis quidem propria auctoritate, ſed ex facultate ſuperiorum: Verùm in eo interdicto, popularium vtilitati præcipuè conſultum: *Quippe ſi populus rudis*, (in-

54. *Iudæi ſtupedi.*

Angelorum creationẽ cur Moyſes celauerit?

Pereira.

Biblia cur vulgari idiomate non legantur?

Bellarm. quit Bellarminus lib. 2 de verbo Dei, cap. 15.) *audiret lingua ſua vulgata ex Canticis Canticorum: Oſculetur me oſculo oris ſui*, &c. *Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, & illud Oſeæ: Vade, & fac tibi filios fornicationum, necnon adulteria Dauid, inceſtum Thamar, mendacia Iudith, & quemadmodum Ioſeph fratres ſuos inebriauit: Sara, Lia, Rachel dederunt ancillas viris ſuis in concubinas, & multa alia eorum, quæ in Scripturis magna cum laude commemorantur; vel prouocaretur ad huiuſmodi imitanda, vel contemneret ſanctos Patriarchas, vt olim Manichæi, vel putaret mendacia eſſe in Scripturis: & cùm tam multas apparentes contradictiones in Scripturis eſſe videret, & ſoluere non poſſet, periculum eſſet, ne tandem nihil crederet.* Condemnet igitur Mopſuaſtenus, aut alius Sycophanta vniuerſalem Eccleſiam, ſimúlque aſſerat, omnes Scripturas peſſimas habendas, quòd à vulgi luminibus arceantur: ac non potiùs dixerit, ſi quid ei mentis, aut cerebri, non librorum ſanctiſſimorum hoc eſſe mendum, ſed imperitæ multitudinis ruditati conſultum fuiſſe maxima cum prouidentia.

55. Sanct. *Canticorum lectio ob difficultatẽ vetita.*

Verùm certè noſter Sanctius prolegom. 12. in Cantica, cogitauit iunioribus prohibitam Canticorum lectionem, non ob intemperantiæ diſcrimina; ſed propter Carminis ſummam arduitatem, quando & eiſdem præcluſæ viæ ad Geneſeos exordium: Ezechielis autem initia, & fines: in quibus ſanè alia, quàm illecebræ, cauſa inueſtiganda eſt, cùm nullas verborum blanditias complectantur. Quod & ſenſêre ante illum Salmeron tom. 1. prolog. 2. cuius verba dabimus Anteloquio 9. Sect. 4. Iulius Rogerius Opuſculo 1. cap. 1. Sanè eius traditionis narrator Hieronymus id planè innuere viſus proœmio in Ezechielem: *Aggreditur* (inquit) *Ezechiel Prophetam, cuius difficultatem Hebræorum probat traditio: nam, niſi quis apud eos ætatẽ ſacerdotalis miniſterij, id eſt, triceſimum annum impleuerit, nec principia Geneſeos, nec Canticum Canticorum, nec huius voluminis exordium, & finem legere permittitur: Vt ad perfectam ſcientiam, & myſticos intellectus plenum humanæ naturæ tempus accedat:* Sed, quis tam egregio non teſti fidat? Conciliat autem volumini non modicam auctoritatem: Quemadmodum enim templi auguſtiſſimi locus ille, ad quem nemini patebat ingreſſus, niſi ſummo Antiſtiti, atque huic per anni circulum ſemel tantùm, erat cæteris religioſior portio, maioris quoque amplitudinis & gloriæ: ſic iſtud metrum, præcipua quadam dignitate eminet inter veteris Inſtrumenti Tractatus, vel ob hoc in primis, quòd eius lectio non pateret cuilibet: Verùm, ne exceſſiſſe videamur, quod Sancto Sanctorum conferre auſi fuerimus, audiendus erit Gregorius Nicænus homil. 1. in Cantica: *Iam ergo ingrediamur* (inquit) *Sanctum Sanctorum, quod eſt quidem Canticum Canticorum: quomodo enim in Sancto Sanctorum docemur quandam abundantiam, & intenſionem ſanctitatis, per hanc vocem ſuperlatiuam: ita etiam per Canticum Canticorum, myſteria myſteriorum nos docere profitetur ſublimis oratio: Nam, cùm multa ſint diuinitùs inſpirata, doctrina Canticorum, per quæ à magno Dauid, & Iſaia, & Moyſe, & multis aliis docemur magnas de Deo intelligentias, hoc diſcimus ab hac inſcriptione, quòd quantùm à Canticis externa ſapientia diſtant Cantica Canticorum, tantùm ſuperat Canticum Sanctorum myſterium, quod eſt in Cantica Canticorum: quo quid amplius ad mentis comprehenſionem, nec inuenire, nec capere poteſt auris humana, nec natura.* Quæ Nicæni verba declarant, quicquid in huius Epithalamij cumulatiſſimam laudem proferri valeat.

Roger.

Hieron.

Nunc Hæreticorum ingenia, qui ignorant, diſcant palàm; quibus ſolenne eſt, vt in vituperium conuertant, quæ ad encomium deſtinata ſunt: nam, cùm ex eo, quòd ab omni ætate liber non eſſet terendus, colligere debuiſſent, ſingulariter diuinum eſſe Codicem, maluerunt in oppoſitum ſenſum detorquere, & interdictum aſſerere; ne, quoniam profana eſſet cantilena, noceret: Notauit Auctor Commentariorum in Epiſt. ad Romanos, inter Opera Ambroſij ad illud: *Primùm quidem gratias ago Deo*, &c. *Quid eſt* (inquit) *quòd cùm ſcriptis illos corrigat, & à carnali ſenſu abſtrahat, præſentiam ſuam neceſſariam dicit, vt gratiam illis ſpiritalem miniſtraret, cùm, quæ ſcribit, ſpiritualia ſint: niſi quia aliter dicta ad aliud ſolent rapi, ſicut ab Hæreticis fit:* Et aduersùs ipſum Creatorem auſi: *Nam diſciplinam eius, &, vt ita dicam, medicinam* (ait Hieronymus ad illud cap. 3. Amos: *Percuſſi vos*, &c.) *crudelitatem interpretatur.* Qua propter hos eleganti nomine iidem Patres caupones improbos vocarunt, qui vinum in aquas conuertunt; id eſt, optima ad malos deflectunt ſenſus; & quod ſaluare, laudatéque oportebat, condemnent. *Hæretici* (inquit Hieronymus ad illud cap. 1. Iſaiæ: *Argentum tuum*, &c.) *euangelicam veritatem corrumpunt praua intelligentia, & ſunt caupones peſſimi, facientes de vino aquam: cùm è contrario Dominus noſter aquas in vinum verterit, & tale vinum, quod miretur architriclinus: quale & Regina Saba in Salomonis eſt mirata conuiuio, pincernas eius & miniſtros vini, ſua voce collaudans.* Atque Ambroſius ſermone 11. in Pſalmum 118. ad illud: *Narrauerunt mihi*, &c. *Multi enim fures ſunt, qui verbum Dei, non ad veritatem ſuam furantur, & rapiunt, ſed ad fraudem; & patrimonium quoddam cœleſtium Scripturarum in ſua furta detorquent, adulterina ſibi compendia colligentes dolo magis, quàm veritate quæſita. Sed hi ſunt, qui miſcent aquam vino, tanquam caupones peſſimi adulterantes ſermonem Dei, & inſyncerum proferentes, quicquid perfido, & tanquam ebrio ore deprompſerint; & ideò aliena loquuntur à lege*, &c.

56. *Dicta Scriptura, & Patrum malitiosè explanant Hæretici.*

Ambr.

Hieron.

Hæretici caupones peſſimi Euangelij ſynceritatem peruertentes.

Alia Theodori Mopſuaſteni criminatio eſt: *Si enim propheticam gratiam meruiſſet,* (ait,) *mentionem alicubi Dei feciſſet: in nulla enim prophetica Scriptura Deus non memoratur.* Verùm probare debuiſſet futilis Theologus, deſiderari, vt Dei nomen ponatur, neque aliter Scripturæ conflari nomen: nam & ſanè Eſtheris volumine omiſſos Deo adſcribi ſolitos titulos, Genebrardus, cùm in hanc incideret querelam, aduertit ad initium explanationis cap. 1. Canticorum; nec hunc, quod ſciamus, librum reiecit è canone Mopſueſtenſis; quippe Scripturam conſtituens potiſſimùm prædicatum eſt, vt Dei loquutio ſit: poteſt autem Deus multa effari, quin ſui nominis intermiſceat memoriam: Sed optimè à Ludouico Sotomaior animaduerſum in præfatis, pagina 19. falſum eſſe, quod argumentum dicat: nam, quemadmodum, aut Eccleſiam, aut animam, ſponſa, eíque attributa verba, vt cùm appellatur columba, ſoror, amica, denotant; ita ſponſus, & varia illius epitheta Deum ſignificant: & quando in toto Epithalamio conſtans, perpetúaque ſeruatur Metaphora, debuit & ſub hiero-

57. *Dei nomen an in Cãtico Canticorũ?*

Genebr.

Sotomaior.

glyphico

Hieron. glyphico Deus quoque latere. Agit ædepol Hieronymus scribens ad Marcellam epistola 136. de Creatoris appellationibus, quarum fuit inter Iudæos celebris rumor; quòd si ob id ex canone sacrorum Voluminum putauerat delendum, quòd harum speciatim dictionum nulla inueniretur in Salomonico Hymenæo; operæpretium feciſſet, si tam insolentis pronunciati causas manifestasset. Dicemus nos aliquam, neque, vt opinor, contemnendam.

58. *Ex decem nominibus Dei cur nullum in Cantico Canticorũ?*

Primùm igitur aduerto, decem illa nomina maiestatem, aut terrorem repræsentare. Videatur citata Hieronymi epistola, & Sixtus Senensis libro octauo Biblothecæ hæresi 8. Deinde hoc, cùm sit amatorium carmen, atque Filij Dei incarnationem, legisque euangelicæ præfigurans tempora; nihil acerbum, horridum, metuendum complecti, neque fastuosum quidem, & tumidum, cùm dixerit ex ethnicis Vatibus vnus, maiestatem & amorem simul commorari non posse: Quare Eusebius Pamphilus proœmio in Cantica: *Alij quidem sacræ Scripturæ libri,* (ait,) *eò quòd in illis futura nouissima significentur, verbis indignationis, & iræ, ac formidabilibus minis referti sũt: hic verò liber, quia nihil aliud quàm Dei solum aduentum exprimit; iucunditatis tantùm, lætitiæ, ac gaudij sermones habet: præsente nanque sponso lætos omnes affore par est, nec quenquam lugentem, vt ipse Dominus,* Igitur, cùm hic liber, eò quòd Christi, & Ecclesiæ Catholicæ, pangeret nuptias, omnem insuauem respueret sermocinationem, & quæ gaudentibus offensam pareret, quando ex Dei nominibus pleraque formidinem audienti incutiant, necessum erat, vt ea Vates præteriret; reliqua vocabula, eò quòd maiestatem indicarent, admitti non poterant ab amoris carmine: Præclarè Bernardus sermone 59. in Cantica ad illud cap. 2. *In terra nostra,* &c. *Non planè principatum sonat vox ista, sed consortium, sed familiaritatem, tanquam sponsus hoc dicit, non tanquam Dominus. Quid? Conditor est, & consortem se reputat? Amor loquitur, qui Dominum nescit; Carmen, nimirum, amoris est, nec aliis hæc, quàm amatoriis fulciri oportuit.* In hanc ferè normam præter Canticorum Interpretes respondent, Sixtus Senensis citato superiùs libro: Cardinalis Bellarminus libro 1. de Verbo Dei, cap. 5. Pereira disput. 1. in cap. 6, Exodi: Tena lib. 2. Isagogæ sacræ Scripturæ, difficultate 8. sect. 4. Rogerius Opusculo de libris canonicis, cap. 24.

Nulla terroris vox in Cantico Cãticorum. Euseb.

Bernard.

Sixt. Sen. Bellarm. Pereira. Tena. Roger.

59. Tertium Mopsuasteni argumentum: *Quoniam neque secundùm propheticam speciem exposita sunt Cantica; neque secundùm Historiarum traditionem, sicut Scriptura Regũ; neque demonstratiua admonitione studij vtuntur.* Igitur displicet liber Canticorum, propterea quòd eius stylus, neque similis videatur Prophetarum maiorum, minorúmve sermonibus; neque talis appareat, qualis Historia Regum; nec denique moralia aliqua documenta complectatur, vti Pentateuchum, Moysis, Salomonis Prouerbia, & Concionator, Euangelistarum narrationes. Sed vnde probat ineptulus, oportere verbum Dei ad hæc tria genera alligari, neque posse vlteriùs euagari? nam certè Paulus artifex Scripturarum peritissimus ad Hebræos cap. 1. *Multifariam* (inquit) *multísque modis Deus olim loquens patribus in Prophetis,* &c. Igitur quemadmodum maiestatem diuinorum eloquiorum commendat, quòd Deus eodem sermone, vel octò, vel decem obiecta repræsentet, exempli causa, illud, *In principio creauit Deus cœlum, & terram,* & c. Geneſis cap. 1. decem, aut viginti fortasse sensus litterales admittit differentes: sic & eandem Dei eloquutionem plurimùm extollit, si idemmet obiectum non vno modo repræsentet; sed quinque & octo formis: Itaque aliter Christum futurum prædicit in Historiis biblicis; aliter in morali, aut Prouerbiorũ, aut Sapiẽtiæ discursu; aliter in Prophetis; aliter in Canticis, & futura Ecclesiæ euenta aliter, quàm in his vniuersis, repræsentat in Apocalypsi Ioannis. Igitur Creatoris gloriam minuit Hæreticus, dum prophetiam vniuersam tribus vaticinandi normis circunscribit: adde & amenter dicere, cùm probationem nullam afferat: atque, si quidquam oratione impertinenti euincit, probabit delendam & ex Bibliorum ordine Apocalypsim. Verùm & in omnibus errat: nam Regum Historias imitatur satis Epithalamium istud, quãdo & rerum gestarum narrationem posse non inuenustè appellari docuerimus Anteloquio 1. Sectione 7. Est quoque & moralis disciplinæ nonnihil intermixtum geniali tripudio: habet nanque, quod in sponso imitetur gnauus quisque paterfamiliâs, & in sponsa matresfamiliarum: quippe consurgunt manè ad vineas, hortos & pomœria adeunt, neque columbarium despiciunt, & qualiter se virgo, qualiter noua nupta gerere debeat, cap. 8. Canticorum declaratur cum amplificatione ab illis verbis: *Soror nostra parua, & vbera non habet,* &c. Denique & in Prophetis eadem reperiuntur, quæ in hoc Epithalamio: nam inuolucris plurima teguntur sæpè, præsertim in Ezechiele, & Daniele, Vatibus; & metaphoram de nubentibus ad longum prosequitur Ezechiel cap. 16. Dauid autem Psalm. 44. *Eructauit,* &c. cuius Odæ idem esse argumentum cum huius materia Hymenæi, existimare non paucos, neque abiectæ famæ Auctores monstrauimus Anteloquio 1. Sectione 9. Cùm igitur in aliis Scripturarum voluminibus eadem eniteant, quæ in hoc Cantico, quemadmodum illa sint Dei syncerum verbum, ita & hoc etiam Opus.

Hebr. 1.

Geneſ. 1.

Canticorum Codice resplẽdet, quod optimum est in aliis Scripturæ libris.

SECTIO VII.

An non canonicus liber hic, quoniam eius aliqua pars amissa sit? Num vniuersim Scripturæ quidquam deperdi valeat? Henoch an librum canonicum scripserit? Matthæi verba discussa.

CArmina illa quinque, & mille, de quibus Reg. 3. c. 4. v. 32. quæque Salomonis edidit Musa, non extare modò omnia, Interpretum vulgata semper opinio fuit: an autè ex tanto numero aliquid superesset, saltem hoc Epithalmium, quãuis Abulensis nihil reliquum manere putauerit, communi tamen sententia adstrui, partem illorũ metrorum hunc esse Hymenæum, ostendimus Sectione 3. num. 31. Hoc igitur stabilito placito, à quo, nisi rarus quispiam, nemò discedit, efformo argumentationem: Canticorum volumen pars quædam est eorum versuum, de quibus liber Regum indicatus memorat: at versus illi non fuerunt Scriptura canonica: igitur neque

60. 3. Reg. 4.

Abul.

Salomonis genialis Musa, quæ eorum pars est, ac proinde eiusdem cum illis naturæ. Minor defenditur propositio: Quicquid aliquando canonicam, & sacram habuit auctoritatem, deperdi non poterat. *Non enim permitteret Spiritus sanctus* (inquit Salmeron tom. 1. Prolegom. 9. quinquagena 1. canone 4.) *qui est Ecclesiæ custos, atque protector, tam graue detrimentum illam pati, atque esset iactura canonici Voluminis: sicut grauissimum esset incommodum, si Ecclesia vel vnius tantùm Sacramenti ex septem, quæ habet, iacturam faceret:* Sed illorum carminum deperiit magna pars: igitur illa in Scripturarum canonem nunquam relata sunt, & consequenter neque eorum altera pars, videlicet, Canticum Canticorum, quod extat eiusdem Salomonis.

Salmeron.

61. At hic discursus subdolus est: supponit enim omnium, quæ Salomon condiderat Metrorum, vnam, eandémque fuisse materiam, nempe, de horum nubentium geniali pompa egisse tantùm, atque Epithalamij nobis relicta analecta solùm, & fragmenta quædam: hoc autem, cùm sit discursus firmamentum, probasse validè oportebat: nam, qui à nobis allegati sunt Auctores, cùm vocant hanc Poësim, membrum ex illis, ita loquuntur, quemadmodum si nos diceremus, Georgica partem esse versuum, quos Maro composuerat: sic enim pronunciantes loqueremur propriè satis: verùm irrideremus, si quis inde collegisset, huius Musæ idem fuisse argumentum atque Æneidos: Salomon igitur diuersa cecinit Poëmata, quibus varium & inconiunctum extitit argumentum: ex his pars, id est, vnum, fuit Hymenæus ab eo modulatus. Hoc autem, quæ veritas est, considerato, dicimus quidem ea, quæ perierunt, haud fuisse canonica; Ratio horum: nam alia pangebat Salomon excitante eum Spiritu sancto, sensúsque & verba ministrante, vt essent ænigmata futurorum: alia verò (fuitque hoc crebertimum) ex humani ingenij industria: Priora illa auctoritatem canonicam sortiuntur, qua postrema carent: Certè ita potuisse accidere, nullus, vt arbitror, negauerit: nam, quo fundamento afferatur, Spiritum sanctum dictasse Salomoni, aut Dauidi, alterive Prophetarum, vniuersa, quæ, aut ligata, aut soluta componebant oratione? Nunquámne acumen naturale exercebant, & ad hoc gratia subleuabantur, vt natura otio perpetuo sordesceret? Lis ergo possit esse, an de facto ita contigerit, cùm euenisse potuerit; nempe, vt disperdita illa solius humanæ diligentiæ labor fuerint? Sed constat fuisse, quando Deo prouidentia sit, vt Salmeron aiebat, ne quæ suggerente Spiritu sancto prodierunt, euanescant: hæc igitur cùm desierint, à posteriori arguitur, ea Spiritum sanctum non dictasse, & humani tantùm ingenij opera extitisse: Sic Abulensis clarè quæst. 8. in cap. 4. lib. 3. Reg. Salazarius ad cap. 1. Prouerb. num. 45. & quibus mens, nequaquam deperditam aliquando Scripturam canonicam, Salmeron, videlicet, iam datus, & Thomas Stapletonius lib. 2 contra Wittakerum, cap. 1. Scio docuisse nos in antecedentibus, Prolusione 4. Sect. 4. Subsectione 2. num. 131. desiderari alteram partem in hoc Carmine, nempe, quæ traductionem sponsæ in mariti domum pingebat; & sanè fuisse hanc Cantici Canticorum celebriorem Poësim: quis autem neget, hoc fuisse diuinum metrum: violentum quippe est affirmare, Hymenæum ex centonibus fuisse compactum, quorum alios composuerit Salomon ingenij virtute, alios Spiritu sancto afflatus: Igitur hoc admisso, resurgit argumentatio superiùs posita: Verùm eodemmet loco monuimus, probabilius esse, nunquam incitatum Salomonem, vt eam pompæ clausulam versibus, alióve orationis exprimeret genere. Huius suspicionis coniecturæ ibi declaratæ à nobis.

Salomon multa componebat, quæ non erat canonica auctoritatis: huius generis, quæ perierunt, illius Opera.

Abul. Salazar.

Salmeron. Stapleton.

62. Sed admittamus, carmina illa quinque, & mille, quæ Salomonis Musa concepit, fuisse eiusdem conditionis, atque sunt epithalamici Canticorum versus, quid inde sequatur? nempe, vt dicantur fuisse etiam à Spiritu sancto inspirata, & habuisse canonicam auctoritatem: At perierunt, inquies, quod Scripturæ repugnat? Minimè equidem: nam & canonicum etiam volumen funditùs deuastari potest, interiéque. Hæc melior sententia, quam & ratio cumulatior, & multò plures defendunt testes: Ac sanè periisse aliquando totum Scripturarum corpus, rursúmque ab Esdra memoriæ redditum, ex singulari adiutorio diuini Flaminis, omnis penè vetustas existimauit: qua de re superiùs nos Anteloquio 1. Sect. 5. num. 39. testatur & Lipomani catena in decem primos Psalmos Dauidicos ad initium primæ Odæ: Becanus in analogia, quæstione 4. capitis primi: Ergo simpliciter perire Scripturam nihil verat: sed & ita abradi atque deglutiri, vt in posterum nullus redintegret, neque iterum in vitam consurgat, docuêre Bellarminus tom. 1. lib. 4. de verbo Dei scripto, cap. 4. §. *At neque*, &c. Serarius prolegomenis bibliacis, cap. 8. 14. & 15. Torniellus tom. 1. anno mundi 2583. num. 13. Iansenius cap. 40. Concordiæ, ad illud: *Amen dico vobis*, &c. Gaspar Sanchez lib. 1. Reg. cap. 10. num. 59. & ad cap. 22. Reg 4. num. 3. Pineda libro 1. de Salomone, cap. 1. num. 13. Mendoça tom. 1. in lib. 1. Regum, annot. 2. procœmiali, sectione 2. num. 51. Quiros ad versum 4. Epistol. B. Iudæ: Andreas Masius ad verba illa cap. 10. Iosuë, *Et moratus est Sol*, &c. Leonardus Marius tom. 1. in Biblia, prolegomenorum in Scripturam quæst. 4. sect. 6. inter vetustiores: Abulensis q. 23. in cap. 21. Numerorum: citatur à Bellarmino Chrysostom. homil. 9. in Matthæum, & à Pineda, atque Serario Eucherius in 3. Regum.

Scripturæ canonica perire omninò potest.

Lipom. Becanus. Bellarm. Serar. Torniell. Iansenius. Sanchez. Pineda. Mendoça. Quiros. Masius. Marius. Abul. Chrysost. Eucher.

63. Probo Assertum: Nam, si ob aliquam causam dedeceret affirmasse, aliquando periisse librum canonicum, eiúsve partem, maximè quoniam maiestate tanti eloquij indignum fuisset, perire; aut quòd Ecclesia insignem pateretur iacturam, cùm tam pretiosa spoliaretur gemma: sed horum nihil impedit; Hoc demonstro: Verba Christi Seruatoris eiusdem, & maiestatis, & emolumenti fuêre, cuius Scripturarum dictio vniuersa: nanque procedebant ab ore Dei hominis, & immediatè quidem, erántque vitæ sermones: at ex his multa perierunt, quæ tamen Euangelistæ scriptis commendare poterant, & ad mortalium transferre scientiam: quis tamen id Euangelistis culpæ vertat, quasi parum religiosis, & de Ecclesiæ bono sollicitis? Sed ne quidem ab eis hoc profectum; sed à Deo ipso, qui, quæ scribenda, quæ omittenda fuissent, insinuabat Notariis suis: quemadmodum igitur, neque maiestate sua indignum, neque Ecclesiæ emolumentis contrarium iudicauit Christus, si ab eius ore prolatæ sacratissimæ euanescerent, & perirent

rent sententiæ, neque de iis in futuras generationes vlla supereſſet memoria: ſic etiam eidem ſi placeret, vti Scripturæ aliqua portio aboliretur, neque diuinæ maieſtatis gloriam, neque Eccleſiæ lucra hoc læſiſſet. Porrò de Chriſti verbis, atque ſententiis conſopita multa, aperta Angelici Doctoris cogitatio fuit in tertiam partem, quæſt. 42. art. 3. ad 2. *Dicendum* (ait) *quòd Dominus non omnia profunda ſapientiæ ſuæ doctrina ſua manifeſtauit, non ſolùm turbis, ſed nec etiam diſcipulis, quibus dixit* Ioan. 16. *Adhuc habeo multa vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò.* Adſentiunt Canus lib. 3. de locis, cap. 3. fundamento tertio: Maldonatus ad initium cap. 7. Matthæi, quos dedimus ſectione 3. ac Ioannes cap. 21. verſ. 25. confirmat validè inquiens: *Sunt & alia multa, quæ fecit* IESVS, *quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros:* At quanquam de miraculis videatur eſſe ſermocinatio, cùm non quæ dixerit, ſed quæ fecerit, memoret; ſed hoc & dicta non leuiter fulcit: quippe, ſi prolixior de prodigiis texeretur narratio, caperent vtique fideles inde conſolationem, & robur, Dei quoque maieſtas, & potentia commendaretur: ſed hæc non impulêre tamen, vt Ioanni, aliiſve Euangeliſtis inſpiraret, longiorem vti Hiſtoriam meditarentur: in eundem itaque morem de ſermone aſſerendum, ſiue labiis ſolùm articulato, ſeu membranis, & ſchedulis propter ſuccedentes ætates commiſſo.

Chriſti ſententiæ omiſſæ plures ab Euangeliſtis. S. Thom.

Canus. Maldon. Ioan. 21.

64. *Henoch liber fuit canonicus, qui deperditus eſt.*

Alteram probationem vaticinia Henoch præſtiterint: nam ſanè prædixiſſe futura, Iudæ Apoſtoli litteræ palàm indicant: *Prophetauit autem & de his* (inquit verſ. 14.) *ſeptimus ab Adam Henoch dicens: Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis,* &c. Porrò diuinam fuiſſe hanc vaticinationem, atque adeò de Chriſto IESV, ac propterea Iudæis inuiſam, tradidêre Tertullianus, & Auguſtinus: atque ille libro de habitu mulierum, cap. 3. *Sed cùm Henoch eadem Scriptura etiam de Domino prædicarit, à nobis quidem nihil omninò reijciendum eſt, quod pertinet ad nos, & legimus omnem Scripturam ædificationi habilem diuinitùs inſpirari, à Iudæis poſteà iam videri propterea reiectam, ſicut & cæteras ferè, quæ Chriſtum ſonant. Nec vtique mirum hoc, ſi Scripturas aliquas non receperunt de Deo locutas, quem & ipſum coràm loquentem non erant recepturi.* Auguſtinus autem lib. 15. de Ciuitate Dei, cap 13. *Scripſiſſe nonnulla diuina Henoch, illum ſeptimum ab Adamo, negare non poſſumus, cùm hæc in Epiſtola canonica Iudas indicat:* Itaque, cùm de Chriſto, & Euangelij temporibus nonnulla diuina, vt loquitur Auguſtinus, id eſt, prophetica, ab Henocho prolata ſint; cùm hoc vaticinationis genus præſtantiſſimum ſit; ſanè modò conſtet, has ab eo prædictiones litteris commiſſas eſſe, neſcio quid in Scriptore canonico deſiderari valeat, quod in illo non reperiamus: libris igitur mandaſſe eiuſmodi vaticinia, certum apparêre opinatur Salianus tom. 1. anno mundi 987. n. 14. *Quia id* (inquit) *plurimi, grauiſſimique Patres affirmant*; quibus recenſendis ſuperſedeo, quoniam apud eundem legi poterunt, alióſque neotericos, quos nominabo, ne veterum fuiſſe eam ſententiam ſolùm, quis exiſtimet; Ita ergo in Iudæ epiſtolam Feuardentius, noſtri Serarius, Iuſtinianus, Cornelius, Lorinus, Quiros, alibi Bellarm. lib. 1. de verbo Dei, cap. 18. §. *Reſpondeo cum Auguſtino.* Pereira tom. 1. in Geneſ. lib 7. quæſt. 6

Iudæ Epiſt. v. 14. Tertull. Auguſt.

Auguſt.

Salian.

Feuardent. Serarius. Iuſtin. Cornelius. Lorin. Quiros. Bellarm. Pereira.

Galarza lib. 4. euangelicarum Inſtitutionum, cap. 7. Iacobus Boulduc lib. 1. Eccleſiæ ante legem, cap 14. Tena lib. 3. Iſagogæ ſacræ Scripturæ, difficultate 15. ſectione 3. Quòd ſi opponas ſanctos Patres apocryphum vocare librum Henoch, eiúſque proinde parui facere auctoritatem; reſpondeo hoc quidem probare ſolùm, eum, qui ab Henocho conſcriptus fuit, librum Iudæorum aut perfidia, vel Hæreticorum fraude vitiatum eſſe, quod annotarunt Tertullianus, vbi ſuprà, aliique ſancti Doctores, apud Salianum: Raderus noſter animaduerſione 3. ad Chronicon Alexandrinum.

Galarza. Boulduc. Tena.

Tertull. Raderus.

65. Ex his tandem diſputo: Henoch liber fuit canonicus: atqui periit eiuſmodi ſcriptum: ergo nullum inconueniens eſt aſſerere poſſe perire Codicem biblicum, eiúſve partem aliquam: Quando autem deperditus ſit, noſtrum non intereſt; ſufficit quippe, firmum eſſe ab eo tale quidpiam eſſe confectum atque modò, non extare ne quidem apocryphum exemplar; Puto autem Iudæ Apoſtoli ætate iam abſumptum: neque enim, vt extaret, neceſſum erat, quò ab eo citaretur: nam Spiritus, qui ſuggerebat, in promptu habebat: Ac ſanè vt diluuij vaſtationem ſuperauerit, poſteà tamen tantis fabellis reſperſa ſunt authentica, vt propter multitudinem incertorum poſteri totum volumen deſpexerint, & ita ſenſim omninò abierit: Audiamus Auguſtinum ſuprà allegatum: *Sed non fruſtrà* (inquit) *non ſunt in eo canone Scripturarum, qui ſeruabatur in templo Hebræi populi, ſuccedentium diligentia Sacerdotum. Cur autem hoc? niſi quia ob antiquitatem ſuſpectæ fidei iudicata ſunt: nec vtrum hæc eſſent, quæ ille ſcripſiſſet, poterat inueniri, non talibus proferentibus, qui ea per ſeriem ſucceſſionis reperirentur ritè ſeruaſſe: vnde illa, quæ ſub eius nomine proferuntur, & continent iſtas de gigantibus fabulas, quòd non habuerint homines patres, rectè à prudentibus iudicantur non ipſius eſſe credenda: ſicut multa ſub nominibus & aliorum Prophetarum, & recentiora ſub nominibus Apoſtolorum ab Hæreticis proferuntur, quæ omnia ſub nomine apocryphorum, ab auctoritate canonica diligenti examinatione remota ſunt.* Quibus cognata aſſerit lib. 18 de Ciuitate cap. 38. Poſſem ex veteri Inſtrumento non pauca ex his, quæ intercideruntrecenſere volumina, atque Auctores producere, qui canonica fuiſſe dixerint, præſertim librum Bellorum Domini, cap. 21. Numerorum verſ. 14. & ex nouo Fœdere Epiſtolam ad Laodicenſes, cuius meminit Paulus ad calcem litterarum ad Coloſſenſes: Verùm, quoniam dubiam fidem generare poſſent tantùm, quæ de his ſtatueremus, maluimus præterire, contenti id afferre, quod veterum, iuniorúmque plerique amplexantur de Henochi ſacro, diuinóque codice.

Henoch liber quando perierit?

Auguſt.

Num. 21.

66. Quid verò dicemus Salmeroni affirmanti inſigni iactura afficiendam Eccleſiam, ſi Bibliorum pars aliqua intercidiſſet; quemadmodum inſignem recepiſſet cladem, ſi de Sacramentis aliquod tolleretur? Reſpondeo, Deum compenſaturum damnum illud: Synagogam deſtruxit; ſed aliam ſubſtituit infinities meliorem Eccleſiam; & in diebus penè noſtris; Atque adeò in his quoque quantos amiſit per Germaniam, Sarmatiam, Belgium, Galliam, Angliam, Scotiam Mater Eccleſia, qui fuerunt eius membra? Sed compenſauit optimus Parens Deus funeſtam ſtragem Martyrum, Doctorum copia, atque non paucorum fidelium

fidelium constantia admirabili, virtute, & moribus commendatissimis, & in primis gentium, quæ non nouerunt Deum conuersione, qua oriens, qua occiduus distenditur Phœbus: Quid quòd etiamsi Numen pro deperdita aliqua Scripturæ parte nihil supponeret; tamen haberet Ecclesia satis armorum aduersùs omnium genus inimicorum? Nam, quid prohibebat, vt Paulus plures scriberet Epistolas, atque omnes Apostoli quasdam? Dicemúsne iniquiorem erga Christi sponsam fuisse Spiritum sanctum, quòd tantis Epistolis carere illam voluerit? aut quòd Euangelistæ tot Seruatoris & monita & gesta in Historiam non redegerint? Prudenter Cornelius Iansenius Concordiæ vltimo capite ad calcem illius: *Scripserunt autem* (inquit) *ea maximè Euangelistæ, quæ ad religionem, ac fidem, & mores vtiliora erãt, magisque necessaria, quibus qui non credit, neque pluribus fidem habiturus esset; qui verò credit, ei alia non sunt necessaria:* Ac sanè nouo Instrumento primi omnium Christianorum caruêre aliquandiu: nam, qui citissimè scripsit Matthæus, non nisi octo annis post ascensionem Domini fecit, quemadmodum Maldonatus Præfarionis in Euangelia c. 4. ostendit: Marcus decimo ab assumpto Christo: Lucas decimoquinto anno. At, cùm Ioannis Euangelium reliquis sublimius habeatur, tamen elapsos à Seruatoris morte sexãginta fuisse annos, antequàm narrationem concinnaret, probati referunt testes, de quibus Baronius tom. 1. ad annum reparationis 99. & tamen qualis extitit illius Ecclesiæ facies, quanquam absque thesauro hoc incomparabili? Omitto & de multis voluminibus, quæ hodie sunt in canone Scripturarum, olim addubitatum fuisse: Difficile est igitur definire, quæ tanta sit illa Scripturarum portio, cui si quidquam demeretur, Ecclesia egregium detrimentum passura fuisset.

Si Scriptura pars aliqua deperderetur; num ab alijs partibus supplereturʔ

Iansen.

Euangelistæ quando scripserunt?

Baron.

67. Sed vrgent nos Matthæi verba cap. 5. vers. 18. *Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum, & terra, iota vnum, aut apex vnus non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Sensus est, ne apicem sacræ Scripturæ interiturum, quantò minùs, aut partem Codicis, aut Volumen, & Tractatum integrum? Respondeo, si eum in modum hic construendus esset locus, probaret solùm de lege ordinaria, non posse Scripturam canonicam deperdi, scilicet, quòd Christus hanc gratiam, postquàm Euangelium ortum est, concesserit: itaque ex ordinatione particulari Redemptoris, de Bibliorum corpore à Christi temporibus nihil mortuum: At de his non est controuersia; verùm de Scriptura secundùm se, & comparatione cuiusque ætatis, an, videlicet, Dei verbum quodam iure sibi vendicet, ex hoc præcisè, quòd Dei verbum, ne eius aliquid interlabatur? ita vt si aliter disponeret Numen, permitterétque excidere Scripturarum partem; eiusmodi Bibliorum interitio, aut partis eorum, miraculosa fuisset, nempe, contra prouidentiam debitam naturæ, & essentiæ diuini sermonis? Deinde, si de permansuris Bibliis oratio est, probabit quidem, Instrumentum, quod Christo viuente extitit, Hebræorum vtique, & septuaginta Seniorum, ne vel quoad commata immutationem aliquam recepturum: at omisso, quòd posteà addita sint puncta à recentioribus Hebræis, quæ lectionem mirum in modum variant, tantùm abest, vt ne vocula, aut dictio aliqua non sit transposita, vt etiam in rebus seriis de vtriusque versionis incorruptione Viri eruditi vacillent, quos enumerat Tena lib. 1. Isagogæ sacræ Scripturæ, difficultate 3. sectione 2. & difficultate 5. sect. 5. Quare ob eam in primis causam docuimus sectione 1. huius disceptationis, num. 1. communem sententiam affirmare, si de Bibliorum syncero Textu oboriatur dissidium, litigantes oportere ad vulgatam recurrere editionem, antequàm ad Hebræos, Græcósve fontes: Igitur ea verba Sixtus Senensis lib. 2. dictione, *Iota*, interpretatur, nempe, *Vt Christus voluerit his verbis vehementer exprimere perfectam totius legis obseruationem in seipso vsque ad minima, & leuissima præcepta implendam:* Explanatio facilior ea videtur, quam Iansenius cap. 40. Concordiæ indicat. Serarius allegatus suprà num. 62. sensa legis permansura, etiam post cœlorum, tellurísque alterationem in nouissimis diebus: nam & Beati tunc exercebunt actus plurimarum virtutum, ad quos lex incitat: Denique & animaduertendum à Iansenio affirmatum legis vocabulo non intelligi omne vetus Instrumentum hoc loco; sed Moysis Pentateuchum, vt hinc quoque appareat, quàm insufficiens testimonium sit ad stabiliendum, non posse vsquequaque Bibliorum quidquam perire. Quare, cùm ex his omnibus eluceseat sacri sermonis, aut Tractatum, aut partem illius posse intercidere; constat etiam, etsi admittamus ex Carmine Salomonis nuptiali amissos fuisse versus multos; tamen hinc capi non posse argumentum, vt asseramus, relictum Metrum non esse canonicum, si quidem ex canonico Poëmate alia pars remanere valeat, alia deperdi.

Tena.

Sixt. Sen.

Iansen. Serar.

Legis nomine quid significeturʔ

Matth. verba ex c. 5. v. 18. enucleata.

Hebræa, & Septuaginta, an variationem aliquã passiʔ

SECTIO VIII.

Salomon num in peccatis, cùm cecinit Epithalamium? An à malis vera possint edi oracula? Actus prophetiæ à quo habitu eliciatur! & num extrinsecè vitiari queat ab actu malo imperante?

68. SAlomonis qui adlatrant Hymenæo, putant mulierciarum inescatum blandimentis, intemperantiæ barathro absorptum, ac imprimis filiæ Pharaonis deperditum amoribus, cùm hæc tam lepida, & turpiter iocosa pangeret: fortasse & meditantur Idololatriæ succubuisse quoque, & auaritiæ tactum pestilenti aura, aliísque oneratum vitiis: atque in hanc cùm incidissent insanam cogitationem, præclarè quidem philosophati, animo hausérunt, sæculare tantùm esse Carmen, quod Cythereæ egregius Mystes fuisset modulatus: si enim sapientia maleuolam non ingreditur animam, existimabimus voluisse Spiritum sanctum vti Instrumento mente fœdissimis coinquinata maculis? Formant igitur breuiter argumentum: Deus per impiorum ora non vaticinatur, neque eis secreta pandit; sed amicis tantùm: atqui euidens est, Salomonem fuisse insigniter abominabilem; nam *Deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos.* Reg. 3. cap. 11. vers. 4. Igitur per eum Deus non prophetauit; ergo, si ab illo conscriptus fuit Hymenæus iste; asserendum est, vaticinium non esse, sed profanum, & Spiritus expers Metrum; Quo in discursu

3. Reg. 11.

discursu illud fulcimento indiget, nempe, an & per malos Deus prophetet? id autem non solitum facere Numen, ostenditur variè. Primum, quia ad Scripturarum studium Patres eximiam animi munditiam desiderant, atque puris tantùm reuelari Bibliorum abditissima affirmant; Docet noster Cornelius encomio sacræ Scripturæ, ante Commentarios in Pentateuchum, ad calcem Sectionis 2. & nos docuimus comparatione huius Voluminis Epithalamici, exordio Sectionis 5. Secundò, quoniam inter notas veræ Ecclesiæ, cœtúsque fidelium reponit Bellarminus lumen propheticum tom. 1. lib. 4. de Notis Ecclesiæ, cap. 15. at si etiam peruersi vaticinarentur, non distingueretur hoc indicio Ecclesia Catholica à Satanica Hæreticorum Synagoga; Tertiò, quoniam disiunctè, & absque ambagibus veteres Doctores ita prodiderunt; Libet à nostro Christophoro Castrensi eorum aliqua effata mutuari, quæ conglomerat Isagoga de Vaticinio ante explanationem minorum Prophetarum, lib. 3. cap. 11.

Ad Scripturam animi munditia requisita. Cornel.

Ecclesiæ veræ notæ, lumen propheticum. Bellarm.

Donum vaticinandi puris mentibus concessum. Christoph. Castr.

69. Igitur Philo tractatu, *Quis rerum diuinarum hæres. Omnibus* (inquit) *probis viris Scriptura prophetiam tribuit: nam Propheta nihil ex se loquitur; sed omnia submonente alio: malum autem virum non est fas esse Interpretem Numinis: ergo nemo malus propriè correptus furore diuino dicitur, sed in solum sapientem hoc competit*, &c. Origenes homil. 6. in Numeros. *Sed videmus, quid est, quod ait in consequentibus: Et requieuit, inquit, super eos Spiritus, & prophetauerunt omnes. Requiescere Spiritum, non in quibuscunque hominibus legimus; sed in Sanctis & Beatis: requiescit enim Spiritus Dei in ijs, qui mundo sunt corde, & in ijs, qui purificant animas suas à peccato: sicut è contrario non inhabitat in corpore subdito peccatis; non enim potest Spiritus sanctus consortium pati, & societatem Spiritus mali: certum est enim peccati tempore adesse in corde vniuscuiusque Spiritum malum, & agere partes suas, cui vtique cùm locus datur, & recipitur à nobis, per cogitationes malas, & concupiscentias pessimas contristatus & (vt ita dicam) coangustatus fugatur de nobis Spiritus sanctus, propter quod & Apostolus sciens hæc ita accidere, monebat dicens: Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis in die redemptionis. Igitur peccantes contristamus Spiritum sanctum; iustè verò agentes, & sanctè, requiem ei paramus in nobis. Vnde, & quod nunc ait de septuaginta Presbyteris, quia requieuit in eis Spiritus, laudem vitæ eorum, & virtutes exposuit: denique, quia pro puritate cordis eorum, & synceritate mentis, atque intelligentiæ capacitate requieuit Spiritus sanctus, continuò & operatur in eis, nec otium patitur, vbi operandi materia digna suppeditat: ait enim Scriptura: Et requieuit in eis Spiritus, & prophetauerunt.* Basilius Magnus Proœmio in Isaiam: *Itaque necesse est, vt qui sit prophetaturus, huius animus anteà sit idoneus redditus sedatis affectuum, qui in nobis sunt commotionibus, vti verbum illud, quod est in omnibus magis compositos diligens animos, in quibus nec exiguus affectuum motus dissonat, cum ratione iuxta portionem præcedentis aptitudinis diuini Spiritus inducat efficaciam. Neque verò solùm requiritur affectuum sedatio ad dignè suscipiendum Spiritum: verùm etiam moderatus fidei habitus, vtilitásque, tum huius, qui gratiam accipit; tum illorum, qui in tempore audiunt, aut eorum etiam, ad quos in posterum prophetiæ vtilitas sit peruentura.*

Philo.

Origen.

Basil.

Et paulò infrà: *Quemadmodum prophetarum puræ ac pellucidæ animæ, veluti specula facta diuinæ operationis, imaginem integram, & inconfusam, nullâque ex parte turbatam carnis affectionibus repræsentabant.* Atque in eundem modum loquuntur Augustinus lib. 12. de Genesi ad litteram, cap. 26. Hieronymus in cap. 23. Ieremiæ, & alij Patres ab eodem Castro citati: atque hoc est, quod cùm Prophetarum in genere fit memoria in Scripturis, iidem Sancti nominantur, nempe, quoniam talibus conuenit vaticinari, Luc. cap. 1. vers. 70. *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum eius.* Et maximè Petri 2. epistola, cap. 1. vers. 21. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Ergo, cùm sanctitas ad vaticinationem requiratur, Salomon, qui sanctus non erat, nec verus Propheta fuit.

August. Hieron. *Prophetæ cur Sancti appellati?* Luc. 1. 2. Petr. 1.

Pronunciamus tamen ad prædictiones sacras 70. in se, & quarum Auctor Deus, non postulari necessariò, & simpliciter animi munditiam, correctionem morum; sed posse eum, qui non vna lethifera noxa commaculatus sit, Spiritus sancti organum esse ad prophetandum: Ita ex senioribus, nouisque Magistris quamplurimi: Augustinus tractatu 49. in Ioannem, & ex eo Beda in cap. 11. eiusdem Euangelistæ: Chrysostomus homil. 25. in Matthæum, & in Matthæi caput 7. Hieronymus, Euthymius, Theophylactus, Lyra, Abulensis quæstione 32. 33. & 34. Maldonatus ibidem, atque Iansenius: sed Concordiæ cap. 43. ad illud: *Quod autem vocatis*, &c. Gregorius Romanus lib. 27. Moral. cap. 1. asserens, Heliu, amicum Iob, cùm vir arrogans esset, prophetia donatum; Saülem quoque Principem iniquum: Eucherius quæstionibus in nouũ, & vetus Instrumentum q. 41. S. Maximus homil. 3. de Epiphania: B. Cyprianus de vnitate Ecclesiæ: S. Petrus Damianus libro 8. Epistolarum ad ciues Florentinos, epistola 11. Rhemigius Lugdunensis, siue alius Auctor explanationis in Paulum inter Opera Ambrosij ad cap. 13. Epistolæ prioris ad Corinthios, in idémque caput Anselmus. Hugo de S. Victore tom. 2. sermone 80. in festo quorumlibet Sanctorum S. Thomas in 2. 2. quæstione 172. art. 4. toto, & art. 6. ad 1. atque ibi Caietanus, & ad cap. 7. Matthæi: Durandus in Prologum Sententiarum, ad numeri 38. illa verba: *Nunc restat inquirere*, numero suo 47. atque ex eodem Prædicatorum Ordine antiquus Theologus Bartholomæus Sibyllæ, Speculo peregrinarum quæstionum, cap. 3. Decadis primæ: inter nuperos Bellarminus tom. 1. lib. 4. de Notis Ecclesiæ, cap. 14. Suarez, quanquam de miraculis veris solùm loquatur (sed idem hoc est atque illud) de fide, disputatione 4. sect. 3. num. 10. Christophorus de Castro Isagoga ad Prophetas minores libro 3. cap. 11. Tannerus de fide, disput. 1. quæst. 7. dub. 6. num. 129. Salmeron. tom. 2. in Euang. tractat. 19. §. sexto, &c. Delrius Isagoga in Canticа, cap. 1. sect. 3. §. *Demum pro*, &c. Lorinus prolegom. in Ecclesiasten, cap. 2. Bonfrerius ad versum 5. c. 22. Numerorum: Ludouicus Tena lib. 2. Isagogæ sacræ Scripturæ, difficultate 8. sectione 3. ad quintum argum. Sotomaior Præfatis in Canticа, pag. 19. §. *Ad quem quidem*. &c. Rodericus Dosma Delgatus lib. 3. de auctoritate sacræ Scripturæ, cap. 5.

Prophetia an cum peccato lethifero. August. Beda. Chrysost. Hieron. Euthym. Theophyl. Lyran. Abul. Iansen. Maldon. Greg. Pap. Eucher. Maxim. Cypr. Damian. Rhemig. Anselm. Hug Vict. S. Thom. Durand. Caiet. Barthol. Bellarm. Suar. Castr. Tanner. Salmeron. Delrius. Lorin. Bonfrer. Tena. Sotomaior. Dosma.

Probant

71. Matth. 7. *Miraculorũ patratores damnati.*

Probant à posteriori primùm innominatorum exemplis, de quibus Christus Dominus Matthæi cap. 7. vers. 22. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Atque sanè cùm hæc à Christo eum in finem prolata sint, vt fideles cautos redderet, atque de salute diligentes summè; oportet equidem de veris prodigiis, & signis intellexisse, déque certa atque firma vaticinatione, vt probè à Cajetano animaduersum; neque enim stuporem aliquem iniicit damnatos præstigiatores & falsorum oraculorum artifices; illud terrorem incutit Sanctissimis quibusque obscuratum esse aurum optimum, amplexatos esse stercora, qui nutriebantur in croceis: denique in ignem sempiternum proiectos, qui vsque ad patranda miracula vsque ad vaticinandum ascenderant: Atque hi sanè anonymi: sed etiam cognitos insuper referunt, qui, etsi moribus improbi, & prædictionibus, & ostensis fulserunt, quales Heliu inter Iobi familiares, Saül Rex, Pharao, Nabuchodonosor quoque Monarchæ; Balaam imprimis vaticinans, & post Christum editum Iudas, atque Caïphas, atque à corruptæ conscientiæ Christianis militibus eiusmodi non pauca admiranda fuisse patrata, cùm primùm cœpit euangelica lux occiduis innotescere Indis, memorat noster Iosephus de Acosta de natura noui Orbis, lib. 7. de Historia morali Indiarum, cap. 27. Ratio à priori: quia prophetia neque immediatè, neque mediatè saltem opponitur cum malitia & peccato: Igitur recepto peccato in animam, non debet propterea expelli: Probatur antecedens, non quidem opponitur immediatè, & ratione sui præcisè; quoniam hoc est proprium gratiæ sanctificantis, quæ est diuinæ participatio naturæ: nec etiam mediatè, & causa alterius; quia sic opponuntur habitus infusi, qui connectuntur cum gratia gratum faciente, & eam sequuntur, qui cùm sint velut passiones essentiæ in ordine supernaturali, quæ est gratia iustificans, ablata essentia auferuntur, etiam exceptis habitibus fidei, & spei, ob peculiares causas: at prophetia non est ex habitibus, qui simul cum gratia infunduntur; sed est gratia gratis data, vt omnes Theologi fatentur, cuiusmodi gratia non est connexa cum gratia gratum reddente, vt iidem tradunt: Igitur prophetia neque immediatè, neque mediatè peccato opponitur, ac proinde peccato animam occupante, ratione illius non demitur prophetia.

Caiet.

Milites corrupta vita prodigia operati apud Indos. Acosta.

Prophetia gratia gratis data, & non connexa cum forma sanctificante.

72. Exprimo hæc: Nam prophetia integrè sumpta solùm dicit & actum primum, scilicet, habitum, aut lumen, quod est principium illius; & actum secundum, videlicet, intellectionem, qua aut clarè, aut obscurè attingit verbum Dei ad se factum Vates: sed ex his nihil cum peccato dimicat: Probo minorem: Nam, quemadmodum homo in peccato existens, quamuis careat habitibus infusis, potest medio auxilio Dei extrinseco actus virtutum elicere misericordiæ, nempe, temperantiæ, & eiusmodi alios: sic & potest actus ad intellectum pertinentes prudentiæ, vaticinationis, & similes edere: ergo, quemadmodum illi actus à voluntate eliciti possunt in sensu composito peccati recipi in anima: ita & isti alij actus ad intellectum spectantes: Igitur actus secundus in prophetia ab impio elici potest, ac esse in illo simul cum graui macula. Ostendo posse quoque copulari actum primum; nam hic actus, quatenus habet rationem qualitatis, & habitus, aut distinguitur ab habitu fidei, vel est vnum, idémque: si vnum cum fide, igitur vti fidei habitus, & spei manent in peccatore, etiam ablatis cæteris habitibus, sic quoque manebit habitus propheticus, cùm sit idem: Quòd si distinctio est inter hos, quoniam habitus prophetalis inclinat ad actum euidentem, & clarum; habitus fidei ad certum, & obscurum: hic tamen habitus, ratione demeriti, quod est in peccato, non destruitur: quoniam destructa gratia ob peccatum, illi solùm destruuntur habitus (exceptis habitibus fidei, & spei) qui sunt velut passiones ipsius gratiæ, & habent connexionem cum illa; de horum autem numero non sunt gratiæ gratis datæ: Cùm igitur propheticum lumen sit ex gratiis gratis datis, etsi peccatum cordis arcem occupet, non destruetur: manebit igitur simul cum peccato; ac propterea, quicquid est in prophetia, simul esse cum peccato valeat.

Ac sanè, cùm ea probabilior mihi visa sit doctrina, quam tradit P. Suarez de fide, disput. 8. sect. 5, nempe, assensum propheticum circa reuelata à Deo esse obscurum, & certum, liberúmque, ac denique in omnibus essentialiter similem actui fidei, ac propterea elicitum ab habitu fidei, & præsupponens voluntatem mouentem ad assentiendum, vt docet sectione 6. num. 4. quemadmodum certè voluntas credendi comparatione actus fidei ex fine aliquo malo, verbi causa, ex intentione vanæ gloriæ, possit mala reddi; ita & voluntas antecedens assensum propheticum: Itaque, sicut voluntas credendi imperata à praua voluntate vanæ gloriæ, redditur extrinsecè mala, atque ipse fidei actus talis quoque denominatur: & neque aut voluntas fidei, aut ipse actus fidei aliquod tunc habent meritum, quandoquidem vitiati fuerunt ab actu imperante ex fine vanæ gloriæ: sic & in assensu supernaturali prophetico, & voluntate supernaturali illum antecedente, & inclinante intellectum ad captiuandum se, possit etiam contingere, nempe, vt vterque actus extrinsecè reddatur malus à voluntate vanæ gloriæ, quæ actum supernaturalem ad assensum propheticum inclinantem efficaciter imperauit; & dempto eius merito, atque libertate, ipsius quoque assensus prophetici, & libertatem, & meritum sustulit: ac posse ita commaculari ab extrinseco fine actum quoad substantiam supernaturalem, docet apud Suarium de fide, disp. 6. sect. 7. n. 10. Caietanus 2. 2. quæst. 5. art. 2. & 1. 2. q. 55. art. 4. Medina ead. 1. 2. q 56. art. 3. apud Patrem Salas; Sotus lib. 1. de natura, & gratia, cap. 22. corol. 2. quem ipse sequitur tom. 1. in 1. 2. tract. 7. disp. 3. sect. 12. concluſ. 2. num. 169. & tom. 2. quæst. 56. tract. 11. disput. 1. sect. 3. num. 55. tenet P. Granad. 1. 2. controuers. 2. tract. 9. disput. 3. num. 2. & in schola nunc etiam ex optimè eruditis non pauci amplexantur: Neque obstat, non nisi mediâ gratia eiusmodi actus elici posse, quæ gratia per Christum sit data, & quam morte, sicut alia dona promeruit; nam quidem Christus in beneficium, & salutem eam gratiam contulit; abusus eius à sola voluntate creata est, quæ, cùm possit, & debuerit benè vti, in malum vsum conuertit: atque ita sanè

Prophetia neque quoad actum primum, neque quoad secundum, aduersatur peccato.

73. *Habitus fidei influit in actum prophetia.* Suarez.

Actus supernaturalis quoad substantiam potest extrinsecè vitiari, & esse malus.

Suarez. Caietanus. Medina. Salas. Sotus.

Granados.

vitiata

vitiata fuisse Creatoris dona ab iis, de quibus egimus num. 71. ex Matth. cap. 7. & addictos monstrauimus flammis æternis, arbitror ædepol, proptereáque lapsos in alia multa facinora, quòd tantam gratiam prauè ad fines indebitos ordinassent.

74. *Salomon moderatus Princeps, cũ scripsit Cantica.*

Ergo, vt ad Salomonem veniamus, cuius causa hoc de prophetia qualecunque susceptum est examen; equidem pro comperto habemus, cùm Epithalamium sacrum modulatus est, Principem fuisse moderatum, iustum, religiosum; neque aduersariis suppetere quidquam, quo contraria ostendant, eósque sola calumniandi libidine asserere (aut, quoniam secundùm mores & luxuriam suam inueteratam de Salomone iudicant) ab eo compositum Hymenæum tunc, cùm mulierc̃larum dementaretur amoribus, & sub cupidinis mereretur vexillo: Firmauimus istud suo loco, cùm de tempore ageremus, & vitæ periodo, quo à Salomone conscriptum est Canticum Canticorum: Vide Anteloquio 1. Sectione 8. num. 62. & hoc, quo versamur, Anteloquio, Sectione 2. num. 23. probat eruditè Sotomaior in præfatis, pag. 19. Gisserius in præfat. cap. 2. omnésque Explanatores catholici affirmant, quemadmodum aduertit Philippus Abbas de damnatione Salomonis, §. *Neque enim audeo*, &c. Demus tamen, tum ceciniſſe Epithalamium, cùm egregiè sceleratus haberetur: concedamus, longo spatio, & ab exordio annorum, in vitæ occasum turpitudine obrutum: Sed patefecimus, à nequissimis etiam vaticinia pronunciari posse; signa, quæ naturam vincunt, edi posse; imò non solùm posse impium esse subiectum, in quod prophetia recipiatur, sed etiàm ipsum vaticinationis supernaturalem assensum, quo Propheta Dei loquutionem cognitione obscura, verùm infallibili, & certa penetrat, & assentit reuelatis propter diuinam auctoritatem, posse esse malum ab extrinseco prauæ voluntatis imperio vanæ gloriæ, aut alterum finem illicitum sibi præfigente: Nihil igitur iuuat argumentum à malitia sumptum aduersùs auctoritatem Canticorum.

Sotomaior. Gisser. Philip. Abb.

75. *Quibus circunstantijs Deus consueuerit miracula edere per malos, aut vaticinari?*

Quid igitur dicemus ad posita Sectionis ingressu? nimirum, & vaticinia, & admiranda opera, veræ fidei, atque Ecclesiæ Notas esse? Quid ad Patrum effata, cordis munditiam in prophetaturis requirentium? Respondemus quidem, miraculorum, aut vaticinationum duo esse genera: nam alia sunt, quæ eius tantùm personæ, aut alterius commodum particulare respiciunt; vt si ipsi aut alteri conferatur salus morbo amissa, aut ipsum, alióve per eum Deus moneat de futuris euentibus, qui in ipsorum vtilitatem priuatam tantùm referantur; alia vero sunt, quorum finis, atque scopus sit, veri dogmatis confirmatio, non priuatum emolumentum: Quando igitur miraculum fit sine respectu ad veritatem aliquam, & doctrinam fidelibus vtilem per illud stabiliendam, patrari posse etiam ab impiis, licèt rarò contingat fieri, arbitratur P. Suarez de fide, disputatione 4. sectione 3. num. 10. Verùm in falsorum dogmatum robur haud vnquam editum eiusmodi quidquam, alioquin Deus cooperaretur mendacio, cùm pro illo testificaretur: At sanè difficile est admodum, fieri signa aliqua, aut vaticinia pronunciari, quæ non cuiusque sectæ mortales, religionis, quam profitentur, virtuti tribuant, & argumententur vetam esse Ecclesiam, in qua reperiantur, quæ omnem naturæ vincant potestatem: Quare sic opinor quidem, vix vnquam apud Gentiles, perfidos Iudæos, Hæreticos, Mahumetanos, aut huiusmodi fæces, factum verum miraculum, nempe, ne suis tribuerent erroribus; quòd si aliquod patratum est, gratia catholicæ Ecclesiæ illud operati sunt; nimirum, concurrentibus iis circunstantiis, quæ planè declararent in confusionem Sectarum, in fidei stabilimentum editum esse prodigium: Adi Bellarminum tom. 1. lib. 4. de Notis Ecclesiæ, cap. 14. & 15. Valentiam 2. 2. disput. 1. quæst. 1. punct. 4. argumento quinto: Hoc autem in vaticiniis multò clarius apparet: nam, quò faciliùs Ethnici iugo Euangelij colla submitterent, voluit Deus, vt eorum Vates Christum venturum prædicerent percipiamus ab Angelico Doctore 2. 2. quæstione 172. art. 6. ad 1. *Dicendum, quòd Prophetæ Dæmonum, non semper loquuntur ex Dæmonum reuelatione, sed interdum ex inspiratione diuina, sicut manifestè legitur de Balaam cui dicitur Dominus esse locutus, Numerorum 22. licèt esse Propheta Dæmonum: quia Deus etiam vtitur malis ad vtilitatem bonorum; vnde & per Prophetas Dæmonum aliqua vera pronunciat; tum, vt credibilior fiat veritas, quæ etiam ex aduersarijs testimonium habet; tum etiam, quia, cùm homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur: Vnde etiam Sibyllæ multa vera prædixerunt de Christo.* Atque idem S. Doctor ead. 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad 3. *Dicendum, quòd multa Gentilium facta fuit reuelatio de Christo, vt patet per ea, quæ prædixerunt: Nam Iob 19. dicitur: Scio, quòd Redemptor meus viuit. Sibylla etiam prænunciauit quædam de Christo*, &c. An autem omnes Sibyllæ, vel earum minor numerus Dæmonum cultrices fuerint, & quàm de hominum Redemptore illustre testimonium perhibuerint, cernere poterunt curiosi apud Sixtum Senensem libro 2. Bibliothecæ sanctæ, verbo *Sibylla*, & plurima cum eruditione apud nostrum Salmeronem tom. 2. in Euangelia tract. 19. Igitur, si quando Pagani de futuris prænunciarunt, hoc ab illis in catholicæ fidei fauorem Deo peculiariter dirigente actum est.

Bellarm. Valent. S. Thom. *Balaam, & Sibyllæ verè prophetãtes, saltẽ aliqua.* Sixt. Sen. Salmeron.

Suarez.

Veniamus ad Catholicos: Sanè inter hos nonnunquam impij operibus excellunt, quæ naturam transgrediuntur: vaticinantur quoque interdum; sed hoc, atque illud fidei postulante causa, & pro Euangelij amplificatione, vt vidimus accidisse apud Indos Americos suprà ex Acosta num 71. Itaque vno verbo, quæcunque mali exercent, humanam conditionem quæ superent, ea omnia orthodoxam fidem roborant: In hunc scopum talibus vtitur instrumentis Creator: Quare iure inter Notas, quibus vera Ecclesia à falsa seiungitur, potissimum locum miracula sortiuntur: Quid, quòd apud Catholicos crebra & inaudita prodigia fiunt; alibi rarissimum, aut nullum signum? Et nullum quidem, nisi pro Christi sponsa: Quòd autem Patres eximiam animi munditiem desiderant in Prophetis; optimè quidem postulauêre: rarò enim tam præstans beneficium in alios confertur, quàm qui sanctitudine excellunt: Aliquando ob speciales diuinæ prouidentiæ fines & peccatores vaticinantur: sed hoc fit rarenter, & tum parcè, atque ad modicum interuallum; Sancti autem Doctores loquuntur de eo, quod in vsu est, atque frequenter accidit. 76.

SECTIO IX.

Salomon an peccata fleuerit, & æternam consequutus fuerit salutem? ea super quæstione de sanctorum Patrum suffragiis indagatio.

77. SAlomonis omnem vitam contemplati multi, atque in eum quàm fuerit indulgens Deus Optimus Maximus, quibúsque locupletauerit donis, vix credere possunt, vt tam charum sibi caput in æternum proiecerit Dominator omnipotens: sed, cùm ad Epithalamium conuertunt oculos, eiúsque Carminis celsitudinem introspiciunt, vidéntque in breui Poëmate comprehendi catholicæ Ecclesiæ vniuersa admiranda, grauidam Sacramentis omnem penè syllabam; stomachantur vehementer aduersùs eos, qui Salomonis pœnitentiam in dubium vocare, qui de fausto illius exitu scrupulum mouere, neque horrent, neque verecundantur: Concedunt quidem non illibenter, vaticinatos aliquando improbos, vti à nobis probatum elapsa Sectione: verùm in huiusmodi nemine prophetia est, quæ ad vmbilicum peruenerit; tantùm fragmenta quædam præsagiorum: Sed librum canonicum integrum scripsisse, eúmque certè, cui similem alium vetus Instrumentum non habeat, quòd arcana innumera occultet; atque sempiternæ noctis addictum squaloribus illum, per quem talia Spiritus sanctus publicarit; nisi magna aliqua atque euidenti auctoritate innotescat, admitti non posse. Sed mihi irreparabilem Luciferi casum considerati hæc leuia apparuerunt; quanquam non inutiles ad declamandum threni sint. Nam, vt concedamus in Salomonem collata beneficia, quæ vincant omnem fidem humanam: sed non minori refulsit gloria Angelus superbiens. Taceo Iudæ Apostolatum, in Dæmones imperium, in elementa, in morbos potestatem: Quare parem cum vtroque exitum habere potuit Salomon, quanquam Domini Amabilis, templi fabricator, sacrorum voluminum ampliſſimus Scriptor, & diu constans, atque religiosus Monarcha: Alia igitur tentanda via est, quæ Salomonis pœnitentiæ meliora subsidia afferat.

Canonici libri Scriptor an æternùm damnatus?

78. Ac sanè, cùm & veterum recentiorum, qui hoc de argumento quaque oblata occasione tractarunt, nomina dilgentissimè collegerit noster Pineda, & cum iudicio, atque industria expenderit lib. 8. de rebus Salomonis, cap. 1. sect. 1. & sequentibus, abstinebo ab hoc labore: addam verò ex antiquioribus omissos paucos quosdam; ex nuperis, qui post ipsum emersêre, non multos tamen; Vtrunque antequàm exequar, iudicium ferre oportebit de nonnullis ex his, quos allegat, Patribus licet enim eius in hoc pertractando argumento nihil studio diligentius: sed Patrum in controuersia grauissima tanti facienda est auctoritas quam iterum & sæpius premere, atque vrgêre iustum sit: Et sanè pro omnium clarissimis Ducibus altercatio. Ab Augustino principium? annumerauit sectione 2. iis, qui vel ambiguam, vel instalibem, aut certè obscuram de Salomonis exitu sententiam tulêre: sed planè niger fuit Augustini calculus; neque vs-

Pineda.

piam effato huiusmodi aduersarius, tom. 5. lib. 17. de Ciuitate, cap. 19. *Post hunc regnauit eidem populo vniuerso Salomon, eius filius, qui, vt supra dictum est, patre suo viuente cœpit regnare: hic bonis initiis malos exitus habuit: quippe secundæ res, quæ sapientium animos fatigant, magis huic obfuerunt, quàm profuit ipsa sapientia.* Quod autem eludere vim conati sint aliqui, asseuerantes intelligi hac gnome, solùm fuisse senectam ingloriam, cùm vitæ auspicia dignissima extiterint; displicet plurimùm: nam eò loci nulla ab Augustino adolescentiæ facta comparatio cum ætate graui, vt saltem verborum circunstantiæ fauerent interpretationi: absolutè autem enunciata propositio, & sine coërcentibus malè sonat, atque vitæ finem, clausulámque infandam indicat: alioqui de Martyrum, aut Beatorum Confessorum quopiam liceat simpliciter dicere, malum exitum habuisse; quoniam etsi morte obiit iustorum, sed peccauit in senecta; Neque desunt exempla, vt Iacobi Anachoretæ, apud Laurentium in Vitis Sanctorum, tom. 1. ad diem 28. Ianuarij, & aliorum: Deinde, qui hæc adstruunt, ij (neque alij) reprehendunt, quòd, cùm Ambrosius, & de Patribus duo, trésve, Salomonem *Sanctum* nominent, ab aliquibus adhibita sit explicatio, nempe, Sanctum fuisse, antequàm meretriciis succumberet blandimentis: non enim (inquiunt) propositio absolutè edita debeat restringi: sic nanque & Iudas Iscariotes Sanctus appellari valeat; fuit enim aliquando talis: Igitur, quemadmodum quæ de Salomonis sanctitudine est propositio, nolunt, vt restringatur: sic & Augustini effatum de infelici exitu coërcere, & circuncidere non debent.

Num Augustini de Salomonis impœnitentia ambigua mens?

S. Iacobus Anachoreta in vltima senecta lapsus.

Surius.

79. Sed, vt fuisset Augustini, aut ambiguum, aut obscurum pronunciatum alibi, quid significaret, satis demonstrauit tom. 6. lib. 22. contra Faustum Manichæum, capite 88. *Iam de Salomone quid dicam? quem vehementer arguit sancta Scriptura, atque condemnat, nihilque de Pœnitentia eius vel in eum indulgentia Dei omninò commemorat: Nec mihi prorsus occurrit, quid, saltem in allegoria, boni significet hæc eius flenda subuersio, nisi forte quis dicat, mulieres alienigenas, quarum amore exarserat, significare Ecclesias electas de gentibus: Quod igitur in illo diuersis temporibus extitit, prius bonum, & posterius malum; hoc in Ecclesia in isto adhuc sæculo simul vno tempore ostenditur:* Quibus verbis duo insinuat: Primum, quod ad Scripturas attinet, excepta reiectione Salomonis æterna, nihil colligi posse: Secundũ, neque absolutè etiam & sine Scripturis: Et quoniam neque ipsa allegoria (quæ ampla est) quod in bonum vertat, aliquid inuenire potuit; & potissimùm, qui omnem vitæ lineam in bonum, malúmque dissecuerit; videlicet, vt quemadmodum priora fuerunt integrè bona sine malitiæ intermixtu: ita extrema in solidum iniqua extiterint: Idem verò Prologo in Psalmum 126. *Nam ipse Salomon mulierum amator fuit, & reprobatus est à Deo, & vsque adeò laqueus illi fuit illa cupiditas, vt à mulieribus etiam idolis sacrificare cogeretur, sicut de illo Scriptura testis est: sed si illo cadête, quæ per illũ dicta sunt, delerentur, iudicaretur, quia ipse dixerat, non quia per illum dicta erant: optimè igitur etiam hoc egit misericordia Dei, & Spiritus eius, vt quicquid boni per Salomonem dictum est, Deo tribueretur: peccatum autem hominis homini:* At, qui post scelerum naufra-

fragia pœnitentiæ seruatur tabula, quemadmodum reprobi minimè censendi sunt; ita neque à Deo reprobari quispiam prudens dixerit: Salomon igitur vti reprobatus, sic & reprobus; Simul pulchrè innuit Augustinus, quorsum scripta interitum non sint passa; ne, scilicet, humanum opus existimaretur, quod homine cadente periit; vti quidem de his, quæ interciderunt Salomonis voluminibus arbitrantur aliqui, de quibus consulendus Tostatus in cap. 4. lib. 3. Reg. quæst. 8.

Tostat.

80. Atqui sanè hanc fuisse Augustini cogitationem, coniectura est, quoniam & eandem biberant mentem eius intimi discipuli; alter, qui viuentem coluit; alter, qui mortuum: Prior Sanctus Prosper manifestè loquutus, etiam Pinedæ iudicio, parte 2. de Prædict. cap. 27. *Salomon elatus in senio, fornicatus mente, & corpore, Domino ipsum deserente, malè obiit*: Secundus Beda Venerabilis tractatu quæstionum triginta in libros Regum, quæstione 29. *Vbi hoc quoque* (ait) *palàm ostenditur, quod vtinam non ostenderetur; quia, videlicet, Salomon de admissa idololatriæ scelere nunquam perfectè pœnituit: nam, si fructus pœnitentiæ dignos faceret, satageret ante omnia, vt idola, quæ ædificauerat, de ciuitate sancta tollerentur, & non in scandalum stultorum, quæ ipse, cùm fuisset sapientissimus, erronea fecerat, quasi sapienter, ac rectè facta relinqueret:* Verùm asserunt, D. Thomam, cùm Augustini omnes penè syllabas deuorauerit, alia opinatum, & fauere Salomonis pœnitentiæ lib. 3. de regimine Principum, cap. 8. Respondeo, incertum esse, an germanus sit Angelici Doctoris: certè assuta esse nonnulla, quæ suspectum reddant Opus illud eruditis probat cum fundamento Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus ecclesiasticis, ab anno Domini 1200. vsque ad 1300. Iacobus Cuiacius lib. 1. de feud. tit. 1. & Barclaius senior lib. 6. contra Monarch. cap. 20. deliriis abundare non erubuerunt scribere; sed tam audax effatum Theologiæ ignorantia peperit; Qualiscunque tamen libri conditio reputetur, demus connumerari inter genuinos fœtus Angelici Doctoris, quidnam ibi ex Augustino? nè syllaba vna: Hieronymus solùm testis citatur traditionis Hebræorum asserentium librum Ecclesiastis luctum esse pœnitentis Salomonis, quam traditionem neque refutat, neque approbat: alioquin idem Beatus Præceptor lib. 5. de eruditione Principum cap. 33. allegans Gregorium Papam in Pastorali aientem: *funditùs desertum à sapientia increata Salomonem*, neque repugnans dicto illius, damnationi suffragatus existimabatur: quo & eodem pacto cum Præfationibus in Ecclesiasten referant ex eadem traditione nec fulciant, codicem esse fletus Salomonici Bonauentura, Dyonisius Carthusianus, Hugo Cardinalis, non est quòd Salomonis adstruere compunctionem defendamus: Nam Hugo Carensis posteà discussa exactiùs Controuersia in illud cap. 2. Isaiæ. *Percutere terram*, &c. Simentem declarasset fauentem Salomoni Prologo Ecclesiastis, haud quaquam subdidisset inquiens: *Ego autem neminem iudico sed credo si pœnituit, saluus erit*, &c.

Prosper.

Beda.

S. Thom.

An eius labor codex de regimine Principis?

Bellarm.

81. Chrysostomum ingenuè fatetur Salomonis aduersatum pœnitentiæ: sed aliquando ab eo recessisse placito probat ex sermone de Pœnitentia tom. 5. pag. 1188. *Quis Deo dignior, quàm Dauid? & tamen deliquit: qui cecidisset de culmine, si nõ fuisset compunctus: Quis sceleratior Manasse? & hunc pœnitentia reuocauit: Pœnituit Deum, quòd Saülem Regem elegerit: quapropter, nisi quia idem pœnitentiam ignorauerit? Quis sapientior Salomone? Sed nesciens pœnitentiam, perdidit gratiam; & ob hoc dictum est; Concepit dolorem, & peperit iniquitatem: Concipit peccator delicti dolorem; & si non pœnituerit, parit sibi mortem.* Atque hîc sistit apud eum ex Chrysostomo mutuata probatio: nam reliqua hallucinationes tantùm sunt: Sed experiamur, an tales; Afferam ex ipso vnum; alterum nostro conquisitum marte: Ac ipse citat homil. 23. in cap. 11. Epistolæ ad Corinthios posterioris: verba in nostro exemplari paulò aliter: *Sed tamen hoc vitio vsque adeo captus est, vt lethale etiam vulnus acceperit: ac pater quidem surrexit, acceptúmque damnum sarciuit, & rursum coronam adeptus est: hic autem nihil tale ostendit:* Quid verò est, quod non ostenderit? Nempe, tale, quale genitor, vt iterum staret, & ad pugnam conuerteretur. Verùm iacuit æternùm semel prostratus. Quid his manifestius? Atque Arbitror metaphoram à re militari esse petitam, vt Dauid similis extiterit præliaturis, qui graui accepta plaga, animantur nihilominùs, & palæstram repetunt: Salomon eos imitatus fuerit, qui sauciati præ animi deiectione arenam repetere non audent; sed moriuntur ignauè, & sine honore. Demus nostri laboris inuentum huic æmulum. Ergo Chrysostomus tom. 5. Paræneſi 2. ad Theodorum lapsum, prope initium: est verò Theodorus ille Mopsuastensis, de quo non pauca nos exordio huiusce Isagogæ: hunc ex Monachatu ad libidines conuersum, vt in viam reuocaret, & pœnitentiam ei suaderet, Salomonis, atque Dauidis exempla proponit: *Beatus quoque ille Dauid, vir electus in ordine Regum, electus in numero Prophetarum posteaquàm in plurimis Deo dignus apparuit, hominem se esse monstrauit, & in amorem quendam alienæ vxoris exarsit; nec hoc solo contentus fuit, sed adulterium ex cupiditate commisit, & homicidium propter adulterium perpetrauit: sed non ideò, quia duplex vulnus accepit, etiam tertiò seipsum percussit: verùm mox ad medicinam conuolauit, & diuersa medicamina plagis festinus apposuit, ieiunia, lacrymas, luctus, preces & indefessam peccatorum confessionem, & sic per ista placato veniam à Deo meruit, & ad priorem dignitatem rediit.* Deinde progressus ad stirpem illius: *Filius eius*, (inquit,) *cui nomen Salomon erat, iisdem, quibus pater vitiis inuolutus ob muliebrem gratiam, à paterno recedere ausus est Deo. Hunc ipsum ergo Salomonem, qui omni penitùs spoliari imperio dignissimus erat paternorum contemplatione meritorum, sextam regni portionem Dominus habere permisit.* Sed, cur hîc nihil de fletibus, de exomologesi delictorum, de recuperata Creatoris gratia? Equidem, quòd in Salomone eiusmodi Chrysostomus nihil agnosceret, neque aliam misericordiam consequutum arbitraretur, quàm temporalem regnorum, atque hoc ob Dauidis meritum, quod repetit homil. 27. in cap. Matthæi octauum: *Salomonem etiam*, (ait) *qui nefaria crimina commisit, charitate patris placatus Deus à fastigio regni non deiecit.* Hactenus Chrysostomus Salomonis pœnitentię contrarius: videamus, an alicubi huius ipsum existimationis pœnituit, & vetera retractauit.

Chrysostomi excussa opinio de Salomonis fletu.

Igitur tom. 5. tractatu aduersùs eos, qui subintroductas habent, aliàs contra concubinarios, cap. 12. *Etenim & Salomon* (inquit) *cum sæcularium* 82. Chrysost.

rerum concupiſcentia teneretur, magnas eas & admirandas putabat, multúmque in eis laboris, & ſollicitudinis inſumebat, magnificas ædificando domos, copioſum coaceruando aurum, congregando cantorum choros, varia genera miniſtrorum menſæ & popinæ quærendo, animæ ſuæ voluptatem ab hortorum, & corporum formoſorum gratia, & omnem, vt ita dicam, oblectationis & refrigerij viam ſectando. At, vbi inde ad ſe reuerſus, & quaſi ex vmbroſa quadam abyſſo ad lumen veræ ſapientiæ reſpicere valuit, tunc ſublimem illam, & cœlis dignam emiſit vocem: Vanitas vanitatum, (dicens,) & omnia vanitas. Sed, obſecro, quod in his ſeuera caſtigatione dignum elucet? Quæ recenſentur ſtupra? quæ ebrioſæ compotationes? quæ innocentium victimæ, & bonorum expoliationes? Princeps deſtinatus à Numine, vt Monarchas & diuitiis, & aulæ gloria vinceret, non iucundaretur, & deliciis quibuſque filiorum hominum affluereret? Quare & continuò excuſat eodem loco Chryſoſtomus: *Quamuis autem à Salomone ſæculis ſuperioribus non tam multa ſapientiæ exigebatur diligentia; neque enim delicias lex vetus prohibebat; neque aliis frui voluptatibus ſuperuacuum ducebat, & vanum; attamen, & ſic ſe habentibus rebus in ipſis contueri potuit, quàm inutiles & vanitati obnoxiæ res eſſent: Nos verò ad maiorem vocati vitam, & ad excellentius faſtigium aſcendimus, & in maioribus exercemur palæſtris*, Apertè ſatis indicauit, ex illorum temporum norma oblectatum Salomonem, neque commiſiſſe aliquid veteri legi grauiter repugnans: etſi autem ex his Salomon lethaliter non peccarit; voluptates tamen, quæ initio beatum aliquid videbantur complecti, experientia in fatigationem plurimam, & vexamen animi magnum ceſſarunt, & hebetabant quidem doctiſſimi Principis cerebrum, flacceſcebátque ingenium paulatim, & ſine ſenſu: Igitur Eccleſiaſtem, ſeu in ſchola prælegerat, ſeu concionibus ad populum habitis vulgauit, cùm ordiretur, *Vanitas vanitatum*, inquit, &c. móxque adhibiturus exempla, quæ probarent, à ſeipſo deſumpſit: vt, cùm animaduerterent mortales, etiam eas voluptates, quæ peccati acerbiſſimis caruêre punctionibus, nequidem ipſis parcere Philoſophis; ſed tædium & afflictionem cumulate, deſinerent ipſi ſaltem impuras delicias tantoperè deperire: Ac ſanè infrà oſtenſuri ſumus num. 98. Eccleſiaſtem à Salomone publicatum, antequàm inhoneſtiſſima macula ſuperiorem vitæ gloriam fœdaret. Nulla ergo ſententiarum in Chryſoſtomo varietas, vt nunc hoc, nunc illud lubricè aſſeuerauerit: ſed quam cogitauit veriorem de Salomonis impœnitentia opinionem, eam data occaſione ſemper inſinuauit.

83. *Patres concionatoriè quandoque loquuntur Hieronymi exiſtimatio de Salomonis ſalute.*

Quod tamen de Chryſoſtomo dixit pro vtroque diſputaſſe quæſtionis membro, & nunc has, nunc illas ſequutum partes, pro circunſtantiarum opportunitate, concionatoria licentia; fortaſſe aptiùs de Hieronymo pronunciaſſet: nam ab hoc non abhorrere vſu in aliis concedit nominata 2. ſectione, num. 10. Nihilominùs in aſſeuerandа Salomonis ſalute æqualem fuiſſe ſemper declarat ſectione 5. & ducem eius ſententiæ facit:

Philip. Abb. Mihi autem ſuggeſſit Philippus Abbas Opuſculo de damnatione Salomonis, §. *Ibi verò idem*, &c. aliter de Hieronymi mente ſtatui poſſe; ac produco ex epiſtola ad Ruſticum, eadem eius verba, quæ Philippus tranſcripſit. In veſtibulo ſtatim ita ratiocinatur: *Quid Salomone ſapientius? Attamen infatuatur amoribus mulierum: Bonum eſt ſal, nullúmque ſacrificium abſque huius diſperſione ſuſcipitur; vnde & Apoſtolus præcipit: Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus; quòd ſi infatuatur, foras proijcitur, in tantúmque perdit nominis dignitatem, vt ne in ſterquilinium quidem vtile ſit, quo ſolent credentium arua condiri, & ſterile animarum ſolum pingueſcere:* Ac ſanè, quòd infatuato ſali comparauerit, corruiſſe penitùs indicauit, neque poſtliminio ſpiritali vitæ, quæ à gratia ſanctificante eſt, reſtitutum, in malo annos clauſiſſe: Proloquatur allegatus Bonæ Spei Abbas, Philippus, Bernardo Ciſtercienſis nobiliſſimo Familiæ Conditori coætaneus; *Quid ſit autem infatuari, ne quis impropriè præſumeret interpretari, verbis ſequentibus idem Hieronymus demonſtrauit, dum illud de Euangelio ad medium reuocauit: Bonum eſt, inquit, ſal: quòd ſi infatuatur, foras proijcitur, in tantúmque perdit nominis dignitatẽ, vt nec in ſterquilinio quidem vtile ſit: Dicens ergo Hieronymus, Salomonem infatuatum, & adiungẽs, quod infatuatum ſal foras proiicitur, nec vltrà vtile eſt, ſatis liquidò Salomonem aſſernit reprobatum, id eſt, nunquam ad ſaporem pœnitentiæ reuocatũ; conſtat enim, quòd ſal infatuatum irreparabiliter exinanitur, perditóque genuino ſapore iterum non ſalitur; ſed vbique, & ſemper inutile penitùs inuenitur, dum vel ipſum per aliud, vel per ipſum quicquam aliud non conditur.* Ac ſanè Hieronymus, quem inſtruebat Ruſticum ad perſeuerandum hortabatur: *Hæc dicimus (ait) vt prima te, fili Ruſtice, fronte doceamus, magna cœpiſſe, & excelſa ſectari, & adoleſcentiæ, imò pubertatis incentiua calcantem perfectè quidem gradum ſcandere; ſed lubricum iter eſſe, per quod ingrederis, nec tantùm ſequi gloriæ poſt victoriam, quantùm ignominiæ poſt ruinam:* Optat igitur, ne fiant nouiſſima eius qualis Salomonis, qui, cùm egregiè, & cœpiſſet, & diu ambulaſſet, miſeranda cataſtrophe vitam terminauit.

Dicunt, Salomonem ab Hieronymo annumeratum inter eos, qui ſcelerum veniam conſequuti fuêre: nam ad frontem lib. 2. in Iouinianum, horum texens catalogum cum Dauide, Manaſſe, & ſimilibus collocat: quod verò & hæc etiam excedit, Sanctis aſſociat ad illud cap. 11. Danielis: *Et ſtabit in loco eius deſpectus*, &c. *Sicut igitur Saluator (inquit) habet & Salomonem, & cæteros Sanctos in typũ aduentus ſui: ſic & Antichriſtus peſſimum Regem Antiochum, qui Sanctos perſequutus eſt*, &c. Verùm, ſi his locis coniungit cum iuſtis, atque cum illis, de quorum pœnitentia conſtat; alibi copulat cum nefariis, quique omnium calculatione peſſimũ habuêre exitum, nimirum, cum Achaz, cuius & vicifſe malitiam Salomonis impietatem innuit: Sic igitur epiſtola ad Vitalem differit: *Simúlque conſideremus, quòd occultè Scriptura, & Salomonem, & Achaz voluptatis, & impietatis accuſet: vterque enim, cùm eſſet de ſtirpe Dauid, receſſit à Domino: & alter in tantum ſequutus eſt libidinẽ, vt ſeptuaginta habuerit vxores, & trecentas concubinas, & adoleſcentulas, & ſcorta paſſim, quorum non erat numerus, neglectóque Deo patrum ſuorum, extruxerit idola gentium plurimarum, & fuerit, non vt priùs Iedidiah, id eſt, Amabilis Domini, ſed amator mulierum.* Iam & commonſtremus, vti allata non proſunt: Nam certè eo de Iouiniano volumine, cùm cæterorum, & delicta, & fletum pœnitentialem referat, Salomonis lapſum tantùm memorauit, omiſit contritionem, & lacrymas: quam-

84.

obrem,

obrem, nisi quia non doluisse illum opinatus sit? Danielis autem cùm pertractaret verba, dixit apertè, non omnia, quæ de Christo vaticinati sunt Prophetæ, adimpleta fuisse, quasi in imagine, in Salomone: *Ex parte autem*, (inquit) *& quasi in vmbra veritatis in Salomone præmissæ sunt, vt in Domino Saluatore perfectius implerentur:* Ergo, quemadmodum non omnia, quæ Christus operatus est, ad Salomonem, quasi ad typum, relata fuêre; sic neque in omnibus vitæ gestis Salomon Christum repræsentabat; quod & aliis, qui etiam beatè diem clausêrunt, commune fuisse, vt non in singulis facinoribus, sed in aliquibus Dominum præsignarent, scripsit epistola ad Euagrium: *Quomodo autem Noë inebriatus in domo sua, & nudatus, atque derisus à mediano filio, typum Saluatoris præbuit; Samson quoque amator meretricis, & pauperis Dalilæ multò plures hostium mortuus quàm viuus occidit, vt Christi exprimeret passionem, omnésque penè Sancti, & Patriarchæ, & Prophetæ, in aliqua re figuram expressêrunt Saluatoris:* Denotat igitur, Salomonem, cùm Sanctus fuerat, atque in his, quæ cum laude gesserat, (fuerunt autem illa plurima,) Seruatoris emblema sustinuisse: Ac denique Hieronymi scopus est, non nisi à præclaris, & sanctis actionibus Christum adumbrati potuisse, ac ideò aut integrè Sanctos, aut ex parte: hos verò secundùm sanam vitæ periodum Christum solùm præfiguralle; quanquam, neque perpetua, & inuariabilis eius opinio hæc fuit, vti à nobis commonstratum est Anteloquio 1. Sect. 2. num. 4.

Regula: Sancti veteris Instrumenti non in omnibus gestis Christum adumbrant.

Hieron.

85. Supereſt difficillimus modus, quippe ſine velamentis teſtatur de Salomonis compunctione: nam lib. 13. in Ezechielem ad illud cap. 43. *Tu autem, fili hominis*, &c. *Vt non ſolùm cultores eius* (loquitur de templo) *& aditui; ſed & ipſe fabricator eius Salomon peccauerit, & offenderit Deum: licèt poſteà egerit pœnitentiam, ſcribens Prouerbia, in quibus ait; Nouiſſimè egi pœnitentiam, & reſpexi, vt eligerem diſciplinam, Prouerb. 24.* Sed, vt præbeamus, ſuffragari hæc manifeſtè Salomonis ſaluti: at oſtendimus alibi contraria tradi; fuit autem hæc diſceptationis princeps meta, non fuiſſe ab Hieronymo vnicè traditam, & ſine diuerſitate aliqua ſententiam, quæ abſoluit Regem ſapientiſſimum; abſolutè tamen pronunciamus, ſi hoc columen ſit eorum, qui Hieronymum pro Salomone ſtare nituntur, infirmum eſſe fulcrum: Atque ſanè ſufficienter ij loquuntur, à quibus aſſeueratum eſt Hieronymum, non iuxta cogitationem ſui animi dixiſſe; ſed ex aliorum placito: nempe, Hebræorum traditione de quibus ad illud cap. 1. Eccleſiaſtæ: *Ego Eccleſiaſtes fui Rex* &c. *Aiunt Hebræi* (inquit) *hunc librum Salomonis eſſe pœnitentiam agentis, quòd in ſapientia, diuitiiſque confiſus per mulieres offenderit Deum:* Neque obſtat, quòd Ezechielem interpretans ſubticuerit omnem de Rabbinis memoriam: nam aliàs monuimus, ſequuti Riberam præludio in Zachariam, num. 11. Hieronymum interdum ita ſubtiliter ſub aliorum perſona diſputare, vt requirat Lectorem attentum in primis, atque vigilem: nobis autem reiiciendi anſa, quod infrà declaraturi ſumus, ni fallimur, ex Patrum doctrina ſtatui oportere, Prouerbia, & Eccleſiaſtem ante lapſum ſcripta fuiſſe, ac proinde Rabbinico commento æquale, quòd Salomonis nominetur luctus, & pœnitentia.

Hieronymi mos in citandis opinionibus.

Ribera.

86. Cyprianum Pineda ſect. 3. num. 12. Anteſignanum conſtituit eorum, qui Salomonis aduerſantur pœnitentiæ, eò quòd libro de vnitate Eccleſiæ, non longè ante finem dicat, amiſiſſe coronam iuſtitiæ: Porrò corona ea gloria eſſe videatur, quæ prædeſtinatorum ſit, & quæ tribuitur illis, qui Dei gratia, atque amicitia diem clauſerunt: nam huiuſmodi in Scripturis promittitur, Apoc. 2. verſ. 10. *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* 1. Pet. 5. 3. *Paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei; & cùm apparuerit Princeps Paſtorũ, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam,* Salomon igitur, cùm huiuſmodi gloriam perdiderit ex Cypriani iudicio, damnatorum numero aggregandus eſt: Verùm Salianus hæc non patiatur tom. 3. anno mundi 3058. num. 5. quippe contendit, allegatis Doctoris Angelici verbis, & coronam eam poſſe vocari gloriam, quam de condigno iuſtorum quiſque mereatur, etſi poſteà gradu excidat; & in peccatis moriatur; quare, cùm iuxta hanc coronæ ſignificationem Cypriani verba intelligi valeant, non eſſe, quòd concipiamus Salomonis pœnitentiæ aduerſari: Sed tranſcribamus B. Aquinatis periodum; Inquit prima parte, quæſt. 23. art. 6. ad 1. *Dicendum quòd corona dicitur eſſe alicuius dupliciter: vno modo ex prædeſtinatione diuina; ſic nullus coronam ſuam amittit. alio modo ex merito gratiæ; quod enim meremur quodammodo noſtrũ eſt; & ſic ſuam coronam aliquis amittere poteſt per peccatũ mortale ſequens; alius autem illam coronã amiſſam accipit, in quantum loco eius ſubrogatur: non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat:* Ac ſanè Cyprianus coronam priori modo accepit; nempe, pro gratia, non qualicunque, ſed ea, quæ finalis eſt, & propria Prædeſtinatorum: Inſpiciamus: teſtetur ipſe ex iis, quæ immediatè ſubiicit poſt amiſſam à Salomone coronam; *Confeſſio* (inquit) *exordium gloriæ eſt non meritum iam coronæ; nec perficit laudem, ſed initiat dignitatem: cúmque ſcriptum ſit; Qui perſeuerauerit vſque ad finem, hic ſaluus erit, quicquid ante finem fuerit, gradus eſt, quo ad faſtigium ſalutis aſcenditur; non terminus quo iam culminum ſumma teneatur:* Ecce, vt omnis ſermo de termino, & meta viæ, huiuſque vitæ ſit, & vt confeſſionem nominis Chriſti, non meritum coronæ, aut triumphum appellet; ſed inchoationem quandam: Atque in hoc ipſo ſcopus totus eſt epiſtolæ ad Rogatianum, & cæteros Confeſſores, qua Salomonis exitum cum Saülis fine comparat: Quare rectè à Pineda Cyprianus inter eos collatus, qui Salomonem abſque compunctione diſceſſiſſe autumant.

Cyprian.

Pineda.

Corona nomõ quid ſecundum Scripturæ vſum denotet?

Apoc. 2. 10.

1. Pet. 5. 3.

Salian.

S. Thom.

Cyprian.

87. Rectè inter eoſdem, & Gregorium Papam numerauit: nam, cùm ad initium cap. 2. lib. 2. Moralium ſtatuiſſet, à qualitate temporis finem exprimi actionis, & noctem damnationi, victoriæ lucem diſtribuiſſet; Iobi quidem pugnam triumphis deſtinatam aſſeruit, quòd in die tentatus eſſet; Salomonem autem quoniam ad extremum caſurus erat non reparando lapſu noctu ſapientia cumulatum fuiſſe: Sed debuit Gregorio Rupertum copulare; quem tamen inter ambiguos poſuit ſectione 2. num. 6. nam ſententiam Magni Gregorij ſequutus eſt, etiam mutuatis ab eo verbis lib. 5. de operibus Trinitatis, c. 2. loquitur nanque eodem penitùs modo: *Quòd ſapientiam* (ait) *in nocte, & per ſomnium non perſeueraturus accepit.* Debuit & Ioſeph. Flauium adiũgere: eius teſtimonium lib. 8. c. 2. prope calcem ex Gelenij caſtigatione: *Cúmque domeſticum haberet*

Regula: A qualitate tẽporis, finis exprimitur actionis.

Greg. Pap.

Rupertus.

Ioſeph.

exemplum pulcherrimum, parentis virtutem, & gloriam, quam propter pietatem ad posteros reliquerat, discedens ab eius imitatione, idque bis in somnis monitus sequi paterna vestigia, mortem inglorius oppetiit; Quòd si certè Salomon fleuisset priora delicta, & religionem pristino nitori integre restituisset, denique moriens damnasset crimina sua, hoc agendo, & genitorem, qui similia fecit, imitatus esset, & cum fama occubuisset: Bernardum itidem in eorum classe, qui Salomonis pœnitentiam taxant, poneret: nam ille ad finem lib. 2. ad Eugenium, de consideratione: *Sapiens Dauid, sapiens Salomon fuit: sed blandientibus nimis secundis rebus, alter ex parte, alter ex toto desipuit:* Id est, postquàm Dauid cecidit, reliquum vitæ eius non in peccatis fuit; sed in his consumpta parte aliqua, cætera iustitiæ data sunt: Salomon autem, postquàm semel lapsus est, nunquam deinceps sanitati restitutus, scilicet *ex toto desipuit*.

Bernard.

88. Ambrosius fauisse Salomonis luctui, & dolori constanter asserit: sed qua de causa? Nempe, quòd Apologia 2. pro Dauide, cum eo, atque cum Paulo iungit: Verùm id facit, non quòd pœnituisse significet; sed, vt commoneat, quanto timore percelli infirmiores oporteat, quando & robusti ceciderint: *Si Dauid* (inquit) *infirmus, tu fortis es? Si Salomon lapsus est immobilis? Si Paulus primus peccatorum, tu potes esse primus Sanctorum?* Deinde fertur oratio ad aliam materiam: *Ergo, si errauerunt, errauerunt tanquam homines; sed peccatum suum tanquam iusti agnouerunt:* Cuius pronunciati nulla adhibet exempla; si exhibuisset, quemadmodum Iudam excepisset, ita fortè & Salomonem: Quidni enim, cùm eius in offendendo duritiem alibi innuat? Nam Apologia 1. pro Dauide, cap. 3. *Quid* (ait) *de Salomone sancto loquar, cuius posteriora cùm graui errore non careant; vulgus tamen Iudaïcum, ipsum æstimat venisse pro Christo? & quàm multos grauis erroris offensa reuocauit?* Cùm igitur dicat, posteriora grauiter vitiosa extitisse, atque adeò infanda, vt reuocarit ex stupidissima plebe ad bonum sensum, multos sanè; videatur intellexisse absque delictorum planctu abiisse; alioquin, si consurrexit, si priora reprehendit, non essent posteriora illius tanto horrore, & anathemate digna, cùm hominum sit labi, & in malis persistere omnium maximum sit scelus: Sed idem Ambrosius lib. 3. in Lucam prope exordium, verba illa Regum 2. c. 7. *Et misericordiam meam non dispergam ab eo*, &c. contendit ad Christum referri oportere, ad Salomonem nullo pacto, idque ob commissas ab eo noxas; *Si errauit* (inquit) *si offendit, vides, quoniam promissi series Christum spopondit:* At non ignorabat Ambrosius, eam misericordiam, de qua ad Dauidem facta pollicitatio, non defuturum ex eius semine, qui inter Iudæos regnaret, adimpletam esse in Salomonis posteris: Igitur, cùm negat ei misericordiam, hoc intelligi debeat de peccatorum condonatione; nempe, quòd ea auxilia, quæ efficacia essent, & quibus de facto conuerteretur, non suppeditauerit Creator Salomoni, sed tantùm gratiam sufficientem, & ita perierit in culpis suis.

Ambrosij iudicium de Salomonis exitu.

89. Affirmant, Ambrosium sæpè vocare Salomonem sanctum, allegant citatum à nobis elapso numero primæ pro Dauidæ Apologiæ cap. 3. & alia loca: Fatemur quidem, & probare solùm dicimus, Salomonem aliquando fuisse, & postquam lapsus est, adiunctúsque peccatoribus, eodem adhuc nomine appellatum sine impropriete: neque enim in Patrum effatis inconueniens æstimandum id, quod in arcano sermone contingit; at Scripturis vsitatum est, antiqua vocabula retinere, postquàm vsus eorum transiit: Suggeret duo exempla Hieronymus: Primum ad illud Matth. 26. *In domo Simonis leprosi*, &c. *Non quòd leprosus & illo tempore* (inquit) *permaneret: sed, qui anteà leprosus, postea à Saluatore mundatus est, nomine pristino permanente, vt virtus curantis appareat: nam in catalogo Apostolorum, cum pristino vitio, & officio Matthæus publicanus appellatur, qui certè publicanus esse desierat:* Secundum, in consimili prorsus materia ad illud Matth. 27. *Venerunt in sanctam ciuitatem*, &c. *Sanctam autem ciuitatem* (ait) *in qua visi sunt resurgentes, aut Hierosolymam cœlestem intelligamus, aut hanc terrenam, quæ antea sancta fuerat: sicut & Matthæus appellatur publicanus, non quòd & Apostolus adhuc permaneat publicanus, sed quòd pristinum vocabulum teneat:* Igitur, quemadmodum Euangelista eam vrbem, quæ Christi iniustissima morte contaminata sit, nuncupat sanctam ob priora merita: ita & Ambrosius, aliique Patres *Sanctum* dicunt Salomonem: Huiusmodi est obiectionis enodatio apud Philippum Abbatem de damnatione Salomonis, §. *Item in.* qui submini-

Hieron.

Philip. Abb

strabit alia exempla: & varia legi poterunt apud Riberam ad c. 1. Ioëlis, n. 23. & ad cap. 18. Apocalypsis, n. 11. apud Sanchez ad c. 19. lib. 4. Regum, n. 12. & plura quàm cæteri colligit Martinez libro 9 hypotyposeon, regula 11. vbi aduertit, & eo dicendi genere vsos externos Auctores: Terentius nanque in Eunucho Act. 4. scena 3. vitiatam, & oppressam, virginem etiamnum vocat; *Virgo* (inquit) *lacrumat:* neque nisi in antiquum statum nomen quadrare valeat.

Ribera. Sanch. Martinez.

Terent.

90. Atque huc vsque à nobis concertatum pro inuestigatione genuinæ Patrum multorum sententiæ in causa Salomonis; eorum equidem, quos nuperi communiter citant, atque subtiliori studio Pineda examinauit; nunc producamus alios paucos, quos acceptos referimus Philippo Abbati, qui disputauit hoc de argumento singulari cum acrimonia, atque exquisita muniuit eruditione Salomonis impœnitentiam quingentis abhinc annis, prodeátque ante cæteros vetustissimus Origenes: Eum Philippus citat ex homil. 27. in Lucam: sed est homil. 28. de genealogia Saluatoris; *Quia enim Dominus noster* (inquit) *atque Saluator ad hoc venerat, vt peccata hominum susciperet, propterea descendens in mundum, assumpsit peccatorum hominum, vitiosorúmque personam, & nasci voluit de stirpe Salomonis; cuius peccata conscripta & Roboam, cuius delicta feruntur, & de cæteris, è quibus multi fecerunt malum in conspectu Dei: quando verò de lauacro conscendit, non per Salomonem; sed per Nathan nascitur, qui eius arguit patrem super Vriæ morte, ortúque Salomonis.*

Philip. Abbas de Salomonis impœnitentia egregiè dissertauit.

Origen.

91. Ex his, quid inferat Philippus Abbas, attendamus: *In istis* (inquit) *verbis satis manifestè Salomonem, quemadmodũ & Roboam: Origenes accusat, & nulla eum pœnitentiæ assertione excusat: Matthæus quidem, cuius propositũ fuit à superioribus ad inferiora descendendo, natiuitatis Christi seriem texere, eidem generationi voluit vitiosorum hominum personas inserere, vt eum ostenderet de peccatoribus natum, qui in carne venerat damnare peccatum: ideò Salomonem, & Roboam nominauit, quorum, vt ait Origenes, peccata conscripta sunt: Lucas verò ab in-*

Lucas cur Salomonis & Roboam memoriam in genealogia Christi omiserit?

Regula: Scriptura antiqua vocabula retinet post transactum usum eorũ.

ferioribus ad superiora conscendens, Christū non descendentem in mundum, sed de lauacro Baptismi ascendentem describit, & seriem generationis à Ioseph inchoans, ad ipsum vsque Deum perducit: In hoc igitur catalogo, cuius Deum finem, vel limitem ponere voluit, Salomonē & Roboa Lucas ponere noluit, ne vestis, quæ tam sancto fine consummatur, Salomonis, cuius peccata conscripta sūt, in sertione turparetur. Sed, cur Salomonem, & Roboamum quasi egregios quosdam peccatores singulariter nominat Origenes? Sanè hi duo Monarchæ, cùm amplissimum dominatum recepissent à Numine, insuper de religione ad amussim instructi fuerant, atque educationem præclarissimam nacti. De Salomone quid refert dicere: At certè ei cùm genitus esset Roboam ante regnum initum, cùm triginta circiter annis optimè imperasset, eo tempore nihil antiquius habuit, quàm vt Roboamus ad omnem efformaretur pietatem: Ab hoc igitur tanto honestatis culmine, cùm vterque sic lapsus esset, vt malis, quæ summa fuerunt, etiam impœnitentiam adderent, nihil esse potuit, quod sic Creatorē moueret, atque huiusmodi peccatum, ne inter auos, & parentes numeratos vellet: nam ob similes noxas Saülis deleuit memoriam: Vt igitur diuinæ bonitatis magnitudinem insinuaret Origenes, Salomonem, & Roboamum speciatim in medium produxit.

92. *Fulgentij desiderantur aliqua Opera.*

Pergit Philippus, & allegat D. Fulgentium, Ruspensem Episcopum, notæ vetustatis ex libro quidem octauo: Sed, quod fuerit eorum librorum argumentum, aut ad quem illi scripti, non memorat; neque sanè in aucto nuper Fulgentio inuenire potui; tantùm ad calcem ponuntur fragmenta quædam pauca ex libris contra Fabianum aliquem, & nominantur ad decem vsque libri: Fortasse lacinia hæc Philippi ex horum octauo volumine decerpta fuerit; nam sanè periisse ex Operibus Fulgentij quædam asserit Bellarminus in Fulgentio, ab anno 500. ad 600. Verùm loculpes testis est Philippus, qui videre potuit ante quingentos ferè annos, quæ modò latitant: sic ergo loquentem exhibet: *Deus meus quid sibi vult tam secreta tui iudicij dispensatio? Cur maculosi criminis soboles successu paterni fruitur regni? Nunquid non oportuerat, vt Salomon adulterinæ vulua contagione turpatus, aut ædificandi templi meritum caperet, aut sapientiæ thesauros indagaret, aut paterni successor, ac potentior fieret? Sed vide, quia criminis filius crimen incurrit, adulterinum germen non bono termino consummauit:* Qua in sententia duo sunt, vt scitè animaduertit Philippus, quæ Salomonem condemnant; nempe, quod *criminis* vocetur filius: non enim ita appellari consueuerunt, qui commissa fleuerunt; sed qui in sceleribus indurauerunt: & quòd asseratur, non bono termino clausisse vitam, quo nihil apertiùs affirmari poterat; est & aliud argumentum ex sequentibus verbis: *Licèt* (inquit) *ab hyssopo vsque ad cedros Libani disputet; licèt Austri Reginam suam sapientiam admirantem expectet quamuis templum ineffabile construat, spiritibus iubeat, prudentia confluat, iudiciis calleat, diuitiis fulgeat, auro rutilet, gemmis ardescat; tamen cauteriauit in vita, quicquid traxerat de natura: & quod omnibus deterius est, Gentilium Deorum in senectute iā non prudētissimus, sed impudicus cultor.* Quod igitur *cauteriandi* vocabulo vtitur Fulgentius, significat pertinaciam in malis non vincendam: tali nanque & Paulus dictione vsus, cùm obstinatas animas pingeret, 1. ad Timotheum 4. *Cauteriatam habentium suam conscientiam:* Vbi Cōmentarius Ambrosio adscitus: *Quia, sicut cauterium immutari non potest; ita nec eorum animus emendari:* Theophylactus: *Propterea conscientia eorum indelebiles habet inustas notas sordidæ vitæ.* Nicolaüs Lyrensis: *Et cauteriatam, id est, obstinatā in ardore suæ malitiæ, & concupiscentiæ: est enim cauterium ferrum ignitum, quo vritur caro; & per duritiam ferri intelligitur obstinatio in malo; & per eius igneitatem, ardor malignitatis & concupiscentiæ.* Tali igitur phrasi, & Fulgentius in scelere perseuerantiam denotauit Salomonis venustè, simúlque ardorem libidinis nimium in sene.

Bellarm.

Criminis filius quis?

Cauteriandi vocabulum quid denotet?

Ambr.

Theophyl.

Lyran.

93. Isid. Hisp.

Sequitur S. Isidorus Hispalensis tom. 2. Opere, quod intitulauit, *Mysticorum Expositiones Sacramentorū, seu, In vetus Testamentum quæstiones.* quæstionibus in lib. 3. Regum, cap. 6. suo? *Iam porrò de cæteris Salomonis quid dicam operibus, quem vehementer arguit sancta Scriptura, atque condemnat, & nihil de pœnitentia eius, vel in eū indulgentia Dei omnino commemorat; nec prorsus occurrit, quid saltem in allegoria boni significet eius fienda submersio. Quod igitur in illo diuersis temporibus extitit, prius bonum, & posteriùs malum: hoc in Ecclesia, in isto adhuc sæculo simul vno tempore ostenditur:* Desumpsit ad syllabas vsque, ad apices, ex B. Augustino lib. 22. contra Faustum, cap. 88. Et quoniam superiùs expendimus, nunc supersedemus facere. Legatur numerus 79. Sed contemnunt aliqui, quoniam non quæ sua fuerit cogitatio, ostendit; sed alieno scribit calamo: Verùm ego vel ex hoc robustius desumi argumentum opinor: Ac scio quidem simile accidisse Eucherij, Rabbani, Angelomi interpretationibus; nam ad Reg. 4. cap. 23. eadem repetunt, quæ Bedam affirmare monstrauimus in anteactis, n. 80. Dixi quidem ex Beda mutuata, quoniam non Eucherij eas esse lucubrationes, sed Auctoris ætate iunioris, eruditi existimant: Ergo huiusmodi Sancti Patres, cùm multa ex sua inuentione dicere possent, maluerunt præcedentium Doctorum flores legere, & eorum iudiciis, quoad verba ipsa, pleruncque stare; sed hoc sanè faciebant cum delectu, & post vigilias maximas ea demum in suas schedulas referebant effata, quæ solidiora esse opinarentur: Isidorus igitur, Beda, Angelomus, Rabbanus, & Commentariorum sub nomine Eucherij Concinnator, in veterum laboribus versatissimi, cùm animaduerterent, eam, quæ de Salomonis damnatione est, doctrinam à quatuor Latinis Doctoribus, & ex Græcorum præstantissimis ab Origene, Chrysostomo, à Basilio epistola ad Chilonem, non leuiter insinuari, à Theodoreto ad cap. 11. Epistolæ ad Romanos, à Iosepho traditam quasi à Patribus frequentiùs vsurpatam, validiùs fulcitam, potiori iure amplexati sunt: Neque obstat, si alicubi Sanctum appellasse Isidorus asseratur: nam, quid ea loquutio valeat, cuiusque sit momenti, ostendimus abundè num. 89.

Eucherij nū Commentarius in Reg. libros?

Auguſt.

Eucher.

Rabban.

Angelom.

Basil.

Theodor.

94. *Paschasius Ecclesiæ Romanæ Diaconus.* Greg.

Transeamus ad Paschasium, & hunc quidem Philippus Ecclesiæ Romanæ Diaconum facit, cuius memoriam asserit inueniri, & eruditionis atque sanctitudinis argumenta apud Gregorium Pontificem lib. 4. Dialogorum: Verum quidem est, huius meminisse Paschasij Gregorium libro præfato, & multa cum laude cap. 40. cuius & extant libri de Spiritu sancto, Bibliotheca vete-

rum Patrum, de quibus ibi Gregorius; fuisse & Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Diaconum re-
Bellarm. fert Bellarminus ad finem quarti sæculi: sed non fuit, qui de Salomonis exitu loquutus, verùm eo quadringentis annis minor; sed doctissimus pa-
Pasch. riter Paschasius Rathbertus ex Ordine Sancti Benedicti, Abbas Corbeiensis, qui integer prodiit paucis abhinc annis studio nostri Iacobi Sirmundi, quem mortuum affirmat anno 851. Ille igitur lib. 1. in Matthæum, ad illud cap. 1. *Filij Dauid, filij Abraham*, &c. ex occasione verba exponens Psalmi 88. *Et thronus eius, sicut Sol, in conspectu meo: & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis*, &c. *Ergo* (inquit) *qui volunt hoc de Salomone dictum accipere, cogitent, quomodo thronus eius, sicut Sol, in conspectu Patris fuerit, cùm Scriptura sancta dicat, quòd auersum sit cor eius propter concupiscentias feminarum, & adorauerit Astaroth, & Chamos Deum Sidoniorum, ac reliqua portenta Gentium: vnde ad vltimum infert, quòd non erat Deus cum Salomone: si ergo non erat Deus cum Salomone, quomodo thronus eius, sicut Sol in conspectu Dei Patris fulgebat? præsertim cùm & fœdatus dicatur omni immunditia libidinis, & propter idololatriam sit condemnatus? aut quomodo, sicut Luna, perfectus sit in æternum, cùm subitò, velut flagitiosus, corruerit in ruinam? Quinimò, si perfectus esset, quomodo testis in cœlo fidelis foret, qui nunquam penetrauerat cœlos?* Ita Paschasij Codex, qui, cùm affirmet, & condemnatum, & nunquam penetrasse cœlos, planè ex Salomonis accusatoribus
Philip. Abb. est: Hæc suppeditauit Philippi diligentia, quæ à nobis solùm integritati sunt restituta, & ipsius velut Colophonem pauca adiungamus verba: *Quia igitur* (inquit) *de præmisso capitulo vtcunque dixi* (nempe, probauit ex Scripturis damnationem Salomonis) *nunc æstimo demonstrandum, quibus testimoniis, quod dixi, muniatur, ne fortè saluti Salomonis videar inuidere, & ob hoc ad voluntatem meam præsumptuosè magis, quàm veraciter Scripturas detorquere: scio enim quosdam graviter ferre, si Salomon pœnituisse negatur, procliuiores ad credendum, quod famam loquacem Iudæis garrientibus audiunt ventilare, quàm quod ecclesiastici Doctores inueniuntur in suis litteris affirmare.* Subnectamus à Phillippo emendicatis Doctoribus, quos secundæ inuenerunt curæ, nempe Gregentium Archiepiscopum Tephrensem disputat cum Herbano Iudæo tom. 5. Biblioth. magnæ PP. parte. 1. non longè ab initio de Salomone loquutus *malum* (ait) *coram Deo operatus, nullum pœnitentiæ vestigium demonstrare potuit:* & inferiùs paulò; *quomodo Salomonis nomen erit benedictum, qui in peccatis vitam suam finiuit?* scio Gregentium innuere opinionem absurdam penitùs vt animaduertit in simili Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 8. nempe Christum ad inferos descendentem prædicasse nonnullis, qui conuersi pœnitentiam egerunt, de quibus Salomon; at hoc ipsum manifestè declarat sensisse illum, absque peccatorum dolore Salomonem ex hac vita migrasse: docuit & sanctus Nilus Græcus Monachus, quem Baronius plurimum laudat; is interrogatus de Salomonis exitu, respondit vt idem Cardinalis memorat tom. 10. anno Christi 976. num. 4. *De Salomone* (inquit) *nihil vsquàm reperimus in sacra scriptura, quod pœnitentiam egerit post peccatum sicut de Manasse; quis igitur de illo dicere poterit quòd saluus sit?* alius est hic Nilus ab Asceticorum Scriptore quanquam doctrinæ & sanctitudine vix vllo modo inferior; Denique & Carthusiensium Patriarcha sanctus Bruno in illud Psalmi 75. *terribili & ei, qui aufert spiritum principum*, &c. *Qui spiritum rectum auffert à quibusdam principibus propter aliqua eorum mala merita: sicut legitur à Salomone abstulisse quoniam idolis caput inclinauit; & à Iuda, quoniam eum tradidit qui prius miracula fecisse legitur*, &c. visus parem extitisse amborum finem significare cùm simul coniunxerit ad metum.

Ex his indifferens Lector facilè iudicabit, quam leuiter illi pronuncient, qui asserunt, subobscurè proloquutos veteres quidpiam contra Salomonem, cum tamen eum clarè plerique absoluerint: nam certè, si quidquam est, quod prisci manifestè docuerint, & in quam maior, atque nobilior factio consenserit, hæc Salomonis impœnitentia est; & vt ad plenam, absolutámque auctoritatem nihil deesset, antiquorum vestigia legerunt recentiores dignissimæ famæ, quales Nicolaüs de Lyra ad c. 3. Prouerbiorum, Abulensis 2. Reg. 7. quæstione 15. Ioannes Capistranus libro de auctoritate Papæ: Andreas Vega lib. 12. in Trident. cap. 2. Cardinalis Bellarminus tom. 1. de verbo Dei, cap. 6. Benedictus Pererius disputatione 27. in cap. 8. Epistolæ ad Romanos: Maldonatus ad illud Matthæi, cap. 1. *Ioram autem genuit Oziam*, &c. Sed, ecce promissis excidimus de non repetendis eis, quos alij collegerint; Annectamus igitur citatis à Pineda exiguum ex recentioribus manipulum. Et quidem sunt ex illis, qui neutram in partem declinare voluerunt, nec certi aliquid significare. Gaspar Sanchez in 3. Reg. cap. 11. num. 44. Mendoça tom. 1. in lib. 1. Reg. annotatione 3. præmiali, sectione 7. num. 16. Cornelius in vers. 21. cap. 47. Ecclesiastici Menochius vers. 43. cap. 11. Reg. 3. Gordonus Præfat. in Ecclesiasten. Estius Notationibus in Scripturam ad cap. 11. 3. Regum. Ex iis, qui fauent Salomonis retractationi, quique pro ea ex professo disputarunt, Ludouicus de Tena Isagogæ sacræ Scripturæ lib. 2. difficultate 8. sectione 7. nostri tres, Serarius ad cap. 11. lib. 3. Regum, & tom. 1. Opusculorum, tractatione de pœnitentia Salomonis: Lorinus prolegomenis in Ecclesiasten, cap. 2. Salianus tom. 3. anno mundi 3058. à numero 3. Iacobus Tirinus vers. 7. c. 11. Reg. 3. Denique ex ea classe, quæ contra Salomonem væ, & damnationem inclamat, Gregorius Ederus in Oeconomia Bibliorum, lib. 2. parte veteris Testamenti 4. pag. 185. Gretserus tom. 1. Bellarminiani Propugnaculi, ad defensionem cap. 5. libri primi: Ioannes de la Hay concordiæ Euangelicæ cap. 4. Not. 8. vers. 11. Pætauius in Rationario temporum lib. 3. cap. 1. Tornielli anno mundi 3059. num. 2. sub finem, de eius salute magis timendum, quàm sperandum. Ludouicus Ballester Onomatographiæ secunda parte, verbo, *Salomon*. Ioannes Fernando Dominicanus Commentario in Ecclesiasten, ad versum 1. c. 1. Arnoldus Cathius introductione præuia ad Canticum Canticorum, c. 1. Andreas Hoius Brugensis tom. 1. Historiæ sacræ & profanæ ad annum mundi 2980.

Lyra. Abul. Capistr. Vega. Bellarm. Pereira Maldon. Sanch. Mendoça. Tena. Serar. Lorin. Salian. Ederus. Gretser. Balleste. Fernand. Cathi. Hoius.

95.

* * *

SECTIO X.

Inualida ea esse, quæ Salomonis compunctionem suadere videantur; Ecclesiastis liber num planctus Salomonis, & quando conscriptus? an peccando scientiam amiserit? num postea recuperarit? ex 2. Regum locus declaratus.

96. ORdiamur ab ipso Achille, quem si prosternere cum aliquali laude contingat, procedemus alacres ad cætera vincenda: Appello autè robur, eam, quæ ab Ecclesiastis volumine est, probationem: quippe hunc Codicem, Salomonis esse pœnitentiam, apertum est, Primùm, ob testium, & numerum, & auctoritatem, videndus Pineda lib. 8. de rebus Salomonis, c. 1. sect. 5. num. 44. sect. 6. n. 61. & præfat. in Ecclesiastem, c. 3. & 4. Salianus tom. 3. anno mundi 3058. num. 18. Deinde ob fundamenta grauia, nempe, Prouerb. cap. 24. vers. 30. & duobus sequentibus, vbi noster vulgatus: *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti; & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat: quod cùm vidissẽ, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam:* Pro vltima hac clausula septuaginta Seniores transtulêre; *Nouissimè ego egi pœnitentiam; respexi, vt eligerem disciplinam:* Adstruit igitur palàm Salomon, desleuisse se priorem amentiam, cùm pœnituisse dicat: Ac sanè fuit hæc compunctio expressa libro Ecclesiastæ, quem ante Parabolas, vt ij volunt Auctores, edidit; quid enim Codice illo, nisi luxus, & malarum voluptatum recensio, atque planctus? Ad hoc ergo volumen allusum, cùm actæ pœnitentiæ memoratio facta est: Indicant & idipsum alia verba cap. 30. Prouerb. vers. 2. *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum; non didici sapientiam, & non noui scientiam Sanctorum:* Nam & his declarat, quanta eius fuerit vecordia, & vt mente penitùs exciderit, cùm vanissimas delicias belluina amentia, & effræni libidine sequutus fuerit.

Pineda. Salian. Prou. c. 24. & cap. 30.

97. Vt singula confringamus, de auctoritate primò monendum, hanc tantam esse, quæ exceptis seniore Cyrillo, & Hieronymo inter Patres vix alium nacta sit tutelarem; neque Cyrillus ea 2. Catechesi affirmat threnum Salomonis lugentis fuisse Ecclesiastem, sed allegat ex Prouerbiorum cap. 24. septuaginta Seniorum verba illa: *Postea ego pœnitentiam egi:* De Hieronymo diximus elapsa Sectione, num. 85. ex Hebræorum fide loquutum, quod fortasse Cyrillo accidit quoque: Cæteri alio argumentandi genere vtuntur; aut sine probatione indicãt simplici quadam loquutione ad se rediisse Salomonem; At certè non fuisse Ecclesiastæ volumen planctum condolentis Regis, necessarium est dicant vniuersi, quotquot damnatum asseuerãt, cùm nullo modo pœnituisse sentiant: Est verò hæc, vt copiosa, ita & grauissima auctoritas; quare in hoc certamine longè inæqualis est vtriusque partis conditio: Nam, qui absoluunt Salomonem, non est opus vnà doceant, Ecclesiastem illius pœnitentiam esse, cùm aliter dolere potuerit: quare neque huiusmodi placito subsidiantur ex vi principalis thematis: Qui verò accusant infelicem Principem, hoc ipso necessum est, discedant ab eis, qui pœnitentiam eius in Ecclesiaste subincludi affirmant: Atque ab auctoritate desumpti roboris cùm tanta sit infirmitas, neque minor est alterius fulcimenti: Nam verba illa ex Parœmiarum libro tum demum eximiè explanantur, si quàm simillimus exprimatur eorum cum Vulgata sensus; sic autem declarata Salomonis pœnitentiam non commendant; ostendi Anteloquio 1. Sect 8. num. 64. Quare Vir doctus, Ludouicus de Sotomaior, cùm Salomonis causæ impensè faueret; hoc tamen niti scipione renuit omninò: Præstabit ab eius excepisse labiis; *Quamuis ergo* (inquit prælusione ad Cantica pag. 28.) *vt dicam in summa, mihi probetur & placeat, (est enim valdè probabilis, & verisimilis sententia D. Hieronymi de pœnitentia peccatorũ Salomonis ante mortem;) tamen illa eius probatio, quam ex libro Prouerbiorum iuxta translationem Septuaginta adhibet ad fidem faciendam, persuadendámque suam sententiam, parum placet; quia parum, vel nihil probat, parúmque solida est. si diligenter examinetur; quamuis in specie nonnihil fauorabilis esse videatur, si quidem tota in æquinoco videatur laborare, vt modo dicebam, & iam ostendi:* Alteram ex Parabolis sententiam capitis trigesimi exordialem, qui ad Salomonis contritionem traducant, in multis deficere ait Lyranus eò loci, & probat ad longum: Quòd autem stultissimum se nominaret Salomon illo potissimùm tempore, quo scientiarum, omnísque perfectæ eruditionis apicem conscenderat, ad modestiæ eius summam laudem facere optimè aduertit noster Salazarius, atque sanè propriè, simúlque verecundè loquutum; quippe Salomonis scientia omnis penè de sursum fuit à Patre luminum speciali beneficio concessa, nempe, infusa, & per accidens, & per se, iuxta obiectorum, & ipsarum notitiarum exigentiam, quemadmodum adnotat Lyrensis ad illud cap. 6. Sapientiæ: *Quid est autem sapientia?* Cùm igitur studio, & labore in litteris progressus non fecisset, neque suo marte acquisiuisset quidpiam ferè, ingenuè fatetur, si quispiam mortalium sit, cui indecorum sit de scientiæ honore gloriari, ipsum hunc esse: nam, si quæ meæ industriæ fuerint partes, exploremus, nónne ego rudissimus. Itaque si quis doctus sit à natura, habet, quod & suis conatibus acceptum referat; sed munere alieno scientem omninò euasisse, quæ demum superbiendi ratio, cùm stupidissimus quisque ita argutus, & lynceus esse valeat? Indicant, & alium nucleum ea, quæ coniunguntur: *Non didici sapientiam, & non noui scientiam Sanctorum:* Nimirum, Salomon in eum diem licèt grauiora declinauerit piacula; tamen inter voluptates positus, & aulæ opulentiam, in teporem aliqualem lapsus, vitæ spiritalis difficiliores semitas non calcabat: Ait igitur: Quid mihi hæ intellectus diuitiæ prosunt? Ea demum cumulata scientia est, qua voluntas componitur: ego, qui Sanctorum cognitione careo, vt alia noscam; tamen vera spoliatus sapientia, stultioribus annumerandus sim.

Prouerbiorũ locus ex c. 24. inutilis ad firmandã Salomonis pœnitentiã. Sotomaior.

Prouerbiorũ versus ex c. 30. elucidatus. Lyranus. Salazar.

Cyrill. Hieron. *Ecclesiastes; an lamentũ Salomonis?*

98. Sed tamen vno, eodémque ictu vniuersa, si fieri valeat, deiiciamus: Salomon post lapsum, neque Parabolarum ænigmata, nec Ecclesiastæ hortatoria, neque Epithalamium, aut dictauit, aut scripserat; igitur his comprehensæ voluminibus sententiæ, pœnitentis lamentationes non fuêre

Salomon post lapsũ in peccatis nefaria, à Deo acceptã deperdidit sapientiã.

fuêre, niſi priùs fleuiſſe, quàm deliquiſſet, arbitremur: Vt antecedens muniam, ſuppono id, quod mihi libenter conceſſuri ſint egregij Salomonis Patroni, Salianus atque Pineda; nempe, per idololatriæ, & libidinum ſcelera conſequutum Salomonem, vt ſcientiam, quam acceperat, deperderet; intelligo autem non habitus, quos ipſe labore, & ſtudio acquiſiuiſſet: ſed dona indebita naturæ, qualis ſcientia per ſe infuſa, gratiæ gratis datæ, & eius generis alia; Oſtendit Pineda lib. 7. de rebus Salomonis, cap. 19. num. 3. ex Auguſtino lib. 3. de doctrina Chriſtiana, c. 21. *Cuius tamen initia* (loquebatur de Salomone) *deſiderio ſapientiæ flagrauerant, quam cùm amore ſpiritali adeptus eſſet, amore carnali amiſit*; Ambroſius Apologia 2. pro Dauid, aliquantùm à principio; *Salomon enim ſapientiam nec principio ſui habuit, nec in fine poſſedit: neque enim habere ſe credidit, quod poposcit: & poſteà auerſus à Dei cultu, nõ quaſi ſapiens, ſed quaſi inſipiens lapſus eſt, vt offenderet; offendit in tantum, vt etiam, quod meruerat, amitteret:* Gregorius in paſtorali, tertia parte, in fine admonitionis 27. *Sed conceſſa ſapientia funditùs cor deſeruit, quod nulla, vel minima tribulationis diſciplina cuſtodiuit*; Hæc eadem verba cum aliis Gregorianus Commentarius ſub nomine Eucherij in 3. Regum exhibet, ex quo ſimilibúſque indiciis planum eſt, eum Commentarium Eucherij non eſſe, qui Gregorio ſenior fuit, ſed à iuniore Scriptore, aut integrè conflatum, vel Eucherij lucubrationibus adiuncta fuiſſe aliqua ex recentiori officina; Hieronymus hoc ipſum innuit, cùm ad Ruſticum ſcribens ait, *Salomonem infatuatum à mulieribus*; Eoſdem allegat Saluianus tom. 3. anno mundi 3053. num. 27. & vterque alios paucos, quos non refero, quoniam obſcurior eſt eorum cenſio; Demus & nos obolum, ſi placet, duos ſaltem; Anaſtaſium, nempe, Sinaïtam libro vndecimo Hexameri: *Quis autem inter homines à Deo tanta fuit donatus ſapientia, quanta Salomon? & tota eius ſapientia fuit deuorata à mulieribus:* Philippum Abbatem tractatu deſilentio Clericorum, cap. 38. *Hanc etiam acceperant ſibilantes Dei permiſſionem, cùm paterno ſublimem ſolio eruditum impetunt Salomonem, cuius ſapientiam fatuam, & fortitudinem elumbem effecerunt*: Huius & ſententiæ ex nuperioribus Bonfrerius Appendice ad finem Pentateuchi ad c. 7. Præloquiorum, ſect. 9. Maximilianus Sandæus prima parte Theologiæ ſuæ, Commentatione 12. exercit. 6. à num. 4.

Pineda. Auguſt. Ambroſ. Gregor. Eucher. Hieron. Anaſt. Sin. Philip. Abb. Pineda. Salian. Bonfrer. Sandæus.

Iam cum his coniungamus Salomonici lapſus circunſtantias aliquas; Primam, veniſſe in profundum malorum: His ipſis terminis vſus Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum, cap. 81. *Ad profundum idololatriæ lapſus & demerſus eſt*: Chryſoſtomus hom. 68. in Matthæum: *Quis Salomone felicior? Sed cùm negligentia dormitaſſet, decidit in profundum:* Et hom. 66. ad populum Antiochenſem, *delapſum in vitiorum barathrum:* Affirmat Bernardus lib. 2. ad Eugenium ad finem, ex toto deſipuiſſe; Secundam, perſeueraſſe in tanta enormium ſcelerum colluuie ad longum: Salianus, atque Pineda ſeptem, aut octo annos tribuunt: Sed ſpecioſè Auguſtinus numerato nuper de doctrina Chriſtiana lib. 3. cap. 21. *In Dauide* (ait) *immoderatæ libidinis non permanſio, ſed tranſitus fuit; propterea etiam ab arguente Propheta ille illicitus appetitus hoſpes vocatus eſt; at verò in eius filio Salomone non quaſi hoſpes tranſitum habuit, ſed regnum iſta libido poſſedit:* Hinc Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, cap. 23. *Reiicitur Salomon: ſed iam à mulieribus poſſeſſus, & idolis Moabitarum, & Sidoniorum mancipatus:* Illud *poſſidendi* verbum in facinoribus pertinaciam indicat: Fulgentius Sect. antecedenti, num. 92. ob eandem cauſam vſus *cauteriandi* metaphora, quemadmodum ibi monſtrauimus: Tertiam, quòd fuerit inter Monarchas primus, qui extulit claſſicum idololatriæ; Fuit autem hoc grauiſſimum peccatum, neque aliud in veteri Inſtrumento, quod cauendum frequentiùs Numen moneat; quare, quamuis Dauid offenderit, propterea de illo pronunciatum, quòd in corde perfecto ambulauerit, quoniam paganarum ſuperſtitionum egregius euerſor fuit, affirmat Abulenſis quæſt. 4. in cap. 15. 3. Regum: at fuit illud acerbiſſimum quoque, neminem extitiſſe, qui ſuo exemplo plures inficere valeret, quàm Salomon; adeò in illo ornamenta vniuerſa in ſummo gradu.

Tertull. Fulgent. Abul.

99. *Salomonis lapſus grauiſſimus ob multas circunſtantias.* Auguſt. Chryſoſt. Bernard, Salianus. Pineda. Auguſt.

100. *Salomon poſt lapſum nihil propheticum meditatus eſt.*

His igitur conſideratis, affirmo quidem conſtanter, cùm ea, quæ in tribus Salomonis protocanonicis libris, Prouerbiorum Codice, Eccleſiaſta, Cantico Canticorum reſplendet prophetia, nullis priſci Fœderis vaticinationibus cedat honore & eminentia; haudquaquam tam egregia beneficia in Salomonem poſt tam immanem lapſum collata fuiſſe; at hoc quidem dico, etſi admittamus vtcunque pœnituiſſe; Ratio horum vna: nam Deus comminatus eſt Salomoni vitæ breuitatem, ſi delinqueret, Reg. 3. cap. 3. verſ. 14. regni quoque diuiſionem prænunciauit Reg. 3. cap. 11. verſ. 29. At quamuis Salomon pœnituerit, horum ſuppliciorum nullam indulgentiam conſequutus eſt: nam obiit ſexagenarius, biennio poſt luctum, (ſi modò fuit aliquis,) quæ non longa ætas, præſertim illis temporibus, in quibus octoginta anni in potentatibus iuxta Dauidis Odam 89. imperium quoque in Roboamo ſciſſum, & diminutum eſt: Igitur, quemadmodum hæ, quæ ob malignitatem inflictæ ſunt pœnæ, neque ſublatæ ſunt penitùs, neque imminutæ quidem; ſic, cùm ob ſcelerum vindictam ſcientia ſpoliatus fuerit, & prophetico maximè lumine, vtpote gratia gratis data; neque eandem, aut ſcientiam, aut vaticinationem poſteà recuperauit; ſanè, qui reſtitutam vtcunque affirmant, obſecro, vnde hauſerint? neque enim, aut Biblia, aut Patres dixêre, & res grauis eſt, quæ multo cum fundamento adſtrui debeat, Secunda & potiſſima cauſa, quoniam ex lege ordinaria prophetiæ donum, & eiuſmodi alia rara beneficia, notiſſimæ præſertim temeritatis, & audaciæ peccatoribus, non niſi poſt ſeueram multorum annorum pœnitentiam conferri vſus eſt, Afferam exempla pauca: Iacobus Eremita poſt actam diu ſanctiſſimam vitam, demum homicidium ſtupro aſſociauit: ſed qualis eius poſteà ſatisfactio! quàm longa! Nempe, ipſos decem annos ſepulcrali delituit ſpelæo; cibus, quos circuniecta tumulo ferebat tellus, caudices agreſtium herbarum; conſolatio perennes lacrymæ: vide ex Metaphraſto apud Surium tom. 1. ad diem 28. Ianuarij: ſic eluta veteri macula, rediit in priſtinam cum Domino gratiam, & prodigiorum deinceps operator fuit: Huic ſimilis Genobaldus, Laudunenſis Antiſtes, quem à luxuria ſuperatum, Rhemigius admirandus Pontifex carceri mancipauit: hoc ſeptem annis incluſus, in ieiuniis, contemplatione

3. Reg. 3. & 11. Pſalm 83.

Grauiter lapſos non niſi tardè ad inſignem familiaritatẽ, & ſtupenda opera, Numen admittit.

Pœnitentiũ egregia exẽpla. Metaphr. Surius.

platione, & luctibus, meruit de condonatis offensis ab Angelo admoneri: scribit Hincmarus in Rhemigij Actis apud eundem Surium allegato volumine, pag. 298. §. *Et vt erat doctissimus*, &c. Spectat in hunc scopum, quòd Maria Ægyptiaca non nisi post decem, & septem annorum acerbissimam pugnam, inter eremi inhospita, animi tranquillitate, & pace filiorum Dei donata est: refert Sophronius, Hierosolymitanus Hierarcha, apud Laurentium Carthusiensem tom. 2. ad diem octauum Aprilis: Denique Martinus ille post Apostolos tam magnum nomen, quòd ad horam cum Ithacianæ partis Episcopis communicasset, *Cùm postea* (inquit Sulpitius in eius gestis) *quosdam ex energumenis tardiùs, quàm solebat, & gratia minore curaret; subinde cum lacrymis fatebatur, se propter communionis illius malum, cui seipsum vel puncto temporis, necessitate, non spiritu miscuisset, detrimentum sentire virtutis:* Sic igitur, cùm eueniat, vt lapsos etiam eximiè compunctos, non statim ad amplexus, & familiaritatem admittat Numen, neque aut miraculorum gratiam, aut prophetiæ lumen continuò infundat, cùm Salomon omnes penè mortales, criminum vicerit immanitate; biennio autem solùm doluerit, vti Pineda lib. 8. de eius rebus, cap. 4. tradit; Salianus allegato tom. 3. anno mundi 3058. atque inexploratum sit, qualis fuerit lugentis habitus, an acrior, an languidus, & communis; quorsum affirmabimus, neque Bibliorum, neque Patrum prælucente nobis pharo, sic à Creatore adamatum, cui incerta & occulta sapientiæ panderet, & reuelaret in tribus Canonicis Voluminibus Ecclesiæ Catholicæ amplificationem, progressúsque vniuersos?

Sophron.

Pineda. Salian.

101. Neque mihi occurrant affirmantes, Dauidem post commaculatum alienum thalamum, & Vriæ Hethæi infandam necem, prophetia claruisse; redditum quoque Samsoni antiquum vigorem Iudicum cap. 16. vers. 22. Nam Dauid nouem, decémve mensibus solùm peccator, atque malignus fuit; Salomon tot ferè annis, quot genitor mensibus omnem exercuit spurcitiem: Dauid quoad se impius; quoad rempublicam, quoad religionem, & pietatem in Deum publicam validus athleta; & celabat, quoad poterat, animi stragem; Salomon superis bellum apertum dixit, & Numinum vanissimorum simulacris fana ædificauit; non exterorum, non ciuium scandala hilì faciebat; Dauid, quàm citò admonitus resipuit continuò; *Ille Rex tantus, ac potens* (ait Ambrosius Apologia 2. pro Dauide) *nec exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam*; Salomon bis, iterúmque admonitus lethargo nunquam excitabatur; Denique in toto Salomonis Ecclesiaste nulla peccatorum memoria, neque in genere, neque in specie; nam, quæ secundo leguntur capite de voluptatibus, & deliciis, malum non afferunt, quando in his excessum grauem non innuunt: neque enim aut diuitias coaceruasse, aut vxores plures habuisse, aut mensam opiparam, culpa magna fuit, si hæc nimia, & supra mensuram non fuere; Docebit Tostatus quæstione 11. & 12. in cap. 10. 3. Reg. & quæstione 3. in cap. 11. eiusdem voluminis: Nulla rigidioris pœnitentiæ mentio; ignorantur saccus, panis cum lacrymis, cilicia, nocturnæ vigiliæ, humi cubationes; Cæterùm his resonant Dauidici Psalmi, præsertim septem illæ lugentis miserabiles Odæ; Longum ergo discrimen est inter Dauidem, & filium eius; Sed & minimè

Iud. 16. *Cur Dauidi restituta prophetia post lapsum, & non Salomoni?*

Ambr.

Libro Ecclesiastæ nulla de peccatis Salomonis mentio.

Tostat.

redditum fuisse postliminio antiquum robur Samsoni, verum ad breue tantùm interuallum, indicat Iudicum textus cap. 16. vers. 28. *At ille inuocato Domino ait: Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, vt vlciscar me de hostibus meis*, &c. Ea igitur carens petebat ad instans, quo de Philisthæis vindictam caperet; & concessit Numen hunc ob finem potiùs, quàm solius gratia Samsonis; Significat autem hoc plurimùm septuaginta Seniorum versio, quam sequitur Ambrosius lib. 9. epistolarum, epistola 70. ad Vigilium; nam pro eo, quod Vulgatus; *Redde mihi nunc fortitudinem; confortame adhuc vice hac*: Pagninus; *Fortifica me, obsecro, tantùm vice hac, Deus*; Vatablus iisdem omninò verbis: Subinnuunt itaque, quamuis capilli cœpissent progerminare, vt eiusdem capitis versus 22. repræsentat; non tamen vnà cum verticis coma restitutas vires; quod cùm Samson animaduerteret, neque se præstare robore, orauit, vt ad horam saltem pristini vigoris copia fieret; Non ergo iuuat à Samsone desumptum exemplum: Atque sanè, vt indulgeremus reuertisse antiquam roboris gloriam, Salomonis causæ non opitularetur, quoniam & delicti, & pœnitentiæ vtriusque multa fuit differentia, vt affirmabamus de Dauide.

Iud. 16.

Samsoni num redintegratæ vires post lapsum? Ambr.

102. Alterum huius factionis argumentum, & quod de capitalibus videatur depromptum ex Regnorum secundo volumine, cap. 7. vers. 14. *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis hominum; misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saül, quem amoui à facie mea*: Scilicet hinc deriuant nihil acerbius, quàm temporariam castigationem, quæ *virga virorum* significetur, comminatum esse Salomoni, si fortè ab amore eius recessisset: at verò, cùm Saülem damnatum fuisse vulgatissima existimatio sit; promiserit autem Creator, non ablaturum esse misericordiam à Salomone, quemadmodum à Saüle abstulerit, planè significatio est, facturum Deum, vti Salomon ex peccatorum fæce emergeret, daturúmque ei auxilia efficacia, quibus pœniteret; alioquin sanè, quæ tandem illa misericordia est æternùm amisso Salomone? Quid enim homini prodest, si vniuersum mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur? Producunt autem in subsidium veteris Donatistæ Tichonij effatum, qui libello de septem Scripturarum documentis, regula 3. *Quid enim prodest Dauid*, (inquit,) *si propter eum filius eius regnum terræ consequeretur cœleste perditurus? Quo manifestum est, cum Deo esse Salomonem, cui regnum quidem terræ ablatum non est propter Dauid*; Verùm, quàm multi extiterint ex clarissimo Patrum Senatu, qui asseuerauerint, nullam esse in prædicta oratione voculam, quæ Salomonem respiciat, sed omnia de Christo explananda, commonstrauit eruditè Pineda lib. 8. de rebus Salomonis, cap. 1. sect. 6. §. 4. num. 55. atque ex deliberato lib. 6. c. 19. n. 2. Gaspar Sanctius ad cap. 7. lib. Regum 2. num. 25. Ribera, Cornelius, Iustinianus ad cap. 1. Epistolæ Hebrææ: Tena in eiusdem Epistolæ cap. 1. difficultate vndecima, sect. 1. Quos & celebris famæ nuperi sequuti sunt; Quæ tanta in aduersum auctoritas facit, vt huius argumentationis leuissimum sit pondus: sed ex iis ipsis, qui de præfatis verbis posse quædam in Salomonem transferri asserunt; illam, quæ de misericordia non tollenda

Regum ex secundi libri c. 7. sententia expensa.

Tichon. Donat.

Pineda.

Sanch. Ribera. Cornel. Iustin. Tena.

ex

est sententia, Salomonis posteritati, & nepotum lineæ, non pœnitentiæ accommodant: Sic Philippus Abbas citato de Salomonis damnatione Opusculo, §. *Sequitur in foliolis verba,* &c. Abulensis in cum 2. Reg. cap. 7. locum, quæstione 9. ad 4. rationem; Lyra ibidem, *Nec ex hoc loco* (inquit) *potest efficaciter argui de misericordia Dei circa eum, nisi quantum ad temporale regnum; quod non fuit ab eo, neque à filijs eius totaliter ablatum, sicut fuit à Saule; ideò subditur, sicut abstuli à Saul, quem amoui, scilicet, ne regnaret posteritas sua.* Gaspar Sanctius ibidem, num. 20. Iansenius ad illud cap. 47. Ecclesiastici: *Deus autem non dereliquit misericordiam suam, & non corrumpet, nec delebit opera sua, neque perdet à stirpe nepotes electi sui*; ibidem Cornelius à Lapide & Bonartius: Quæ verba quemadmodum planè misericordiam referunt ad posteros Dauidis, atque Salomonis; ita etiam abundè elucidant, qui sensus sit verborum ex Regum libro 2. cap. 7. vti etiam faciunt versus illi Psalmi 88. *Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo,* &c. Quid, quòd alibi apertè doceat, proiecturum se illum in æternum, si deliquerit Paralip. 1. cap 28. versu nono? Neque illa obstant, quæ de *virga virorum*, qua corripiendus Salomon, & progenies illius; nam exploratum est id, quod ipsi affirmant, indicari mala, quæ transeunt, bella, seditiones, & eius generis; Sic Interpretes penè omnes Hieronymum in Traditionibus Hebræis ita enarrantem sequuti; At intellectus non est, his solùm malis puniendos, qui deliquissent; sed immissurum Numen istiusmodi si fortè illis vexati ad cor redire vellent; si autem sceleratè agere pergerent, præter damna hæc citò transeuntia, æternis castigandos supplicijs; Neque Tichonij consideratio vrget; nam, quamuis eius proles Salomon ob flagitiorum enormitatem, & magnitudinem Tartaro addictus fuerit: tamen quòd simul familia deleta non sit, & regia potestas ad alios translata, insignis erga Dauid beneficentia extitit; sic enim perpetratum, vt ex radice Iesse Emmanuel oriretur, & in capite libri scriberetur, Christum Dauidis esse filium.

Philip. Abb. — Abul. Lyran. — Iansen. Eccli. 47. — Psal. 88. — 1. Par. 28. — *Virgâ virorũ quid significatum?* — Hieron.

Minutiora sunt, quæ restant; allegant Bacchiarij annotamentum ex epistola ad Ianuarium: *Veniam autem ex hoc consequutum esse agnoscimus*, (inquit,) *quia, cùm solutus esset à corpore, sepultum illum inter Regum Israëlitarum corpora Scriptura commemorat; quod tamen alibi peccatoribus Regibus negatum esse cognoscimus, qui vsque in finem vitæ suæ in propositi peruersitate manserunt, & ideò, quia inter Reges iustos meruit sepeliri, non fuit alienus à venia; veniam autem ipsam non potuit promereri sine pœnitentia;* Confirmant: fuit quippe & nobilissimus Scriptor canonicus, & inter Christi Seruatoris typos in paucis eximius; absurdum autem videatur eiusmodi præditum ornamentis Inferno demersum fuisse: neque sanè, quod persuadeat, aliquod suppetit exemplum: At Bacchiario multa opponimus: Primum, illi, cum quibus altercamur, respuunt hanc argumentationis formam: non legitur pœnituisse Salomon; igitur absolutè non pœnituit; quoniam, *Etsi non scripta fuerit in publicis Legibus*, (ait Bacchiarius memorata epistola,) *fortasse ideò acceptabilior iudicatur, qui non ad faciem populi, sed in secreto conscientiæ, Deo teste, pœnituit*; Ergo in similem modum reiectare licuerit; non legitur aliquis sepultus fuisse cum Sanctis; igitur simpliciter cum iis non est sepultus; Secundò, si ex illa phrasi, 3. Reg. 11. 43. *Dormiuitque Salomon cum patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid patris sui:* Beatum eius finem satis probatum existimant, dabimus aliam phrasim, quæ infaustum exitum declaret, nempe, eodem libro, capite allegato, vers. 4. *Nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius:* Quæ expendens verba Philippus Abbas tractatu de Salomonis damnatione, §. *Videtis, quia nullus*, &c. *Si enim catalogus Regum Iuda* (ait) *à Dauid vsque ad Salomonem, qui vltimus Regum fuit, recenseatur; nullus eorum, sicut benè consideraui, perfectum cor, sicut Dauid, cum Deo suo habuisse negatur, nisi vt paulò antè dixi, cuius vita reproba iudicatur; nullius verò perfectum cor habuisse cum Deo, sicut Dauid, vel in vijs Dauid legitur ambulasse, nisi quem constat bonam vitam optimè consummasse: Miror igitur, si fortè de solo Salomone inaniter dicitur, quod alijs Regibus ad testimonium damnationis adscribitur, vt, videlicet, in eo solo non habeat effectum, quòd legitur cum Deo suo, sicut Dauid, non habuisse cor perfectum*; Tertiò, id, quod Bacchiarius adstruit solidum non est: probat ibidem Philippus §. *Ad Scripturam canonicam*, &c. & prolatis multis impiorum Regum exemplis, qui eodem cœmeterio iacuerunt, quo probi Monarchæ dormissent; tandem subdit; *Sepeliri enim inter Reges non est argumentum æternæ sanctitatis, sed perfunctoriæ cuiusdam cumulus dignitatis: excludi verò ab eis, non est æternæ damnationis indicium: sed subiecta plebis perseuerans in Regem demonstrat odium: Denique, Scriptura diuina, nec apertè dicit, nec latenter vspiam innuit, quòd iustus debeat iudicari, qui cum iustis inuentus est tumulari: cùm Saül, & Ionathas in Iabes Galaad subter quercum legantur sepulti: quorum Saül iniustus, Ionathas verò asseritur iustus*; Quod confirmatio adstruebat, pium est, non efficax; nam eadem suaserint, non decuisse, vt Numen sineret tanta malorum voragine, támque enormi Salomonem volutari; Deinde eadem, aut maior difficultas est de Luciferi irreparabili damno, quem omnis lapis pretiosus vestiebat, qui erat diuinæ similitudinis perfectum signaculum; De Iuda Stygiæ paludi mancipato, miraculis & prophetandi munere claro, qui Christi dux & notus fuit, & cum eo simul comedebat panem; saltem Redemptor auspiciis legis gratiæ concederet, vt gratiam obtineret à Deo Patre, qua infelix Apostolus conuerteretur: sed eum rapuit Infernus, latronem Paradisus: Quid ad hæc dicemus, donec ingrediamur in Sanctuarium, & videamus Deum Deorum in Sion, nisi interim cum Paulo in magna animi consternatione; *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!*

103. Bacchiar.

3. Reg. 11. *Cor, sicut Dauid, habere, de quibus Regibus dictum?*

Philip. Abb.

Inter Reges iustos an sepelirẽtur alij qui iniusti ex vsu Hebræorum?

SECTIO XI.

Salomonis impœnitentiam quæ insinuant, esse grauioris ponderis, & vrgere magis. Salomon ob indestructa idola repudiatus à Deo: Reges Hebræorum quomodo sine culpa omiserint fana vanorum diruere Numinum? Manassis pœnitentiæ quæ certitudo? mons offensionis quare dictus?

104. DEligam ex omni argumentorũ multitudine, quibus Salomonem non resipuisse probari vsus est, vnum, neque ampliùs quidquam; nimirum, de cæteris idé iudicamus quid elapsa nuperrima Sectione opinati sumus de his, quæ congeruntur in adminiculum Salomonicæ confessionis, & luctus; scilicet, habere roboris, aut nihil, aut solũ tantillum: quæ certè cùm ostenderimus, quando à nobis quoque Sectione nona commonstratum est, quatuor Latinos Doctores aduersùs Salomonem stare, atque alij ex primis subselliis Patres, Græci, atque Latini idipsum asseuerent, & recentiores accedant ex his, quos Schola maximè veneratur, sítque numerus maior, quàm eorum, qui fauêre Salomoni; fit planè, hanc esse partẽ firmiorem, atque validioribus innitentem fulcris: erit autem, quod à reliquis separauimus argumentum; nempe, quòd fana, quæ Salomon ædificauerit pellicum suarum improbissimis Diis, Deabúsque, ea, cùm possit, non destruxerit, manserintque post ipsius obitum. At hæc impœnitentiæ manifesta nota est: non enim inuestigare valeamus finẽ aliquem, à quo eiusmodi actio honestari queat, neque occurrit quidpiam, Salomonem quod satis excusare possit; Ergo Salomon in scelere, atque impietate sua hac ex vita discessit: Stabiliamus igitur primò delubra Satanæ non fuisse à Salomone diruta: nam hoc semel confirmato, reliqua sine molestia graui patebunt: Primùm itaque ex Regum 3. cap. 15 vers. 11. *Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut Dauid pater eius, purgauitque vniuersas sordes idolorum, quæ fecerant patres eius*: Intelligit autem parentum vocabulo Abiam genitorem, Roboamum auum, Salomonem atauum, quemadmodum explanant Abulensis quæst. 9. noster Sanchez num. 9. nam hi omnes idololatriæ tutelares: Igitur, sicut ex his verbis liceat inferre sub Asæ principatus exordio mansisse reliquias ethnicarum superstitionum, quas aut Abias, aut Roboam inuexêre: & ita de Salomonico coinquinamento relictum nonnihil: Secundò, atque potissimùm ex Reg. 4. cap. 23. vers. 13. vbi inter alia memoranda facinora Iosiæ, Principis religiosissimi, illud: *Excelsa quoque, quæ erant in Hierusalem, ad dexteram partem montis Offensionis, quæ ædificauerat Salomõ Rex Israël Astaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offensioni Moab, & Melchon abominationi filiorum Ammon, polluit Rex*; Atque sanè, cùm diuinus sermo tam enucleatè, atque distinctè omnia recenseat, & constructa à Salomone affirmet, quid superest, nisi vt manifestè concipiamus indituta perseuerasse, etiam deleto Salomone, quæ viuens impietatis monumenta fabricauerat?

Salomon fana Deorum nõ est demolitus, & ideò damnatus. 3. Reg 15.

Abul. Sanchez.

4. Reg 23.

105. Sed contendunt, qui zelant pœnitentiam Salomonis, Monarcham, antequàm hanc reliquisset auram demolitum fuisse ædes malorum Numinum, penè etiam fundamentis effossis: at ex improbis Regibus aliquos studio renouandæ pristinæ superstitionis redintegrasse, quæ à Salomone quassata fuêre: vocasse autem recens ædificium ex nomine primi artificij; Hoc suadere nituntur duobus exemplis, altero Manassis, altero Ezechiæ: nam allegato nuper 23. capite ex Regum 4. dicitur idem Princeps Iosias vers. 12. *destruxisse altaria, quæ fecerat Manasses in duobus atriis templi Domini*: Sed cùm de Manassis pœnitentia constet ex Paralipom. 2. cap. 33. à versu duodecimo, & Patrum, atque Interpretum sit stabilis opinio, quæ sancta obiisse morte asserat; sanè haud fuerit incredibile, ab ipso derelictas impias aras: Verùm, cùm abolitas ab ipso infandas cæremonias resuscitasset gnatus, & in regno successor Amon, vt ex eodem cap. 33. Paralip. à versu 22. patet; appellauit filius altaria genitoris ex vocabulo atque hic est Explanatorum vulgaris conceptus: Itidem de Salomone iudicare æquum fuerit, neque damnasse, quod excusare possibile; Iam de Ezechia paria cantant: quippe Regum 4. cap. 18. vers. 4. *Ipse* (inquit) *dissipauit Excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos*, &c. Quod si ab eo sic perpetratum, quamobrem eiusdem voluminis cap. 23. vers. 13. Iosiæ laudi tribuitur ab illo destructa fuisse. *Excelsa, quæ erant in Hierusalẽ ad dexteram partem montis Offensionis, quæ ædificauerat Salomon Rex Israël?* &c. nempe, postquàm eas abominationes Ezechias contriuit, alij posteà scelerum atque impietatis ministri reædificarunt: Igitur modò velimus, vt decet, piè de Salomone sensisse, facillimum fuerit percepisse, nomine tenus Salomonis ea esse fana, quæ Iosias euerterit, solo complanauerit: quando ea quidem delubra, quæ Salomon, cùm post meretrices hinniret cum sumptu erexerat, idem flebilis, & sibi restitutus dirui eò vsque coëgerit, donec lapis non relinqueretur super lapidem: Quòd si alij prolabentibus sæculis instauraverint, & Salomonis titulum apposuerint, non est, quòd Salomoni quispiam id vitio vertat.

4. Reg 18.

106. Sed, vt ab inualidiori exordiar probatione, quæ ab Ezechia desumpta est; equidem, si quid argumentum suaserit, planè docuerit, stetisse à Salomone condita templa post eius fatum, vsque ad Ezechiæ principatum, alioquin friuola exciterit syllogizandi forma: quippe velit ostendisse, ab Ezechia diruta idolorum Salomonica fana: hoc autem vt concesserint, adeptus continuò triumphus: nam, siue demolierit Ezechias, seu potiùs Iosias, nihili refert tantùm non Salomon destruxerit: in hoc enim disputatio incumbit omnis, vt Salomon deiicere omiserit: Cæterùm vera declaratio est, alia fuisse Excelsa diuersa ab iis, quæ Salomonis opus fuêre, in quorum laborauerit ruina Ezechias, quemadmodum commonstrat Tostatus in cap. 18. Reg 4. à quæstione octaua ad decimam: fuerunt enim Excelsorum multa genera, vti passim Regnorum volumina, tertium, & quartum innuunt, & ex Paralipomenis secundus codex; In Manasse longè dispar ratio est, quàm in in Salomone: nam eius pœnitentiam luculenter exponit Paralipomenorum prolatus à nobis Textus antecedenti numero: consentiunt Patres, atque Bibliorum Interpretes: Ab ea igitur cùm recessisse opinione piaculum fuerit, vtpote contradixisse apertis ferè

Excelsorum diuersa genera.

Tostat.

Manasses pœnitentiã egit.

Scripturis, & Auctorem communi iudicio, operæpretium est, dicamus, ab alio fabricata altaria, in quibus à Manasse nomen solum; Atque vt hæc non vana coniectemur, fundamentum plurimum est in eodem Textu: quippe, statim Historicus narrat, quo pacto Manassis hæres Amon, quæ genitor scelera exosus, & pœnitens diruit, restaurauit: Parentis igitur detestandas fabricas cùm restituisset gnatus, altaria, quæ in duobus templi atriis erant, ex nomine primi Structoris vocauit: Verùm Salomonis pœnitentiam, neque Bibliorum effata, neque Patrum conspiratio indubiam reddunt, vt in superioribus monstrauimus: imò, quæcunque afferuntur, ieiuna sunt, atque marcida, præsertim à Scripturis deriuata adminicula sicut recte Torniellus monet anno mundi 3059. num. 20. quod inter Manassis & Salomonis pœnitentiam discrimen probè consideratum superius à Nilo Monacho ad finem num. 94. ergo cùm nihil sit, quod Scripturæ verba ab mataphoricos sensus transferre cogat, eo pacto construenda fuerint, quo iuxta primam impositionem sonant: sic autem intellecta indicant Iosiæ temporibus extitisse eadem fana, quæ Salomon variis Diis Gentium ædificauerit.

107. Atque certè eam esse genuinam sermonis interpretationem, mihi plurima suspicio fuit semper, ex quo attentiùs consideraui, grauissimos quosque ex illis, qui Regum volumina declarare tentarunt, huius fuisse existimationis: Dicunt igitur constantissimè ob allatum à nobis ex Reg. 4. cap. 23. Textum, absque pœnitentia, & scelerum odio migrasse Salomonem; neque, si ille ingenuè lamentasset priora delicta, commissurum vnquam, vt starent Dæmonum aræ, & abominationibus dicati lares: Huius antiquissimus testis Eucherius (si modò incorruptum eius habeamus Commentarium) ad nominatum ex Regum Historia locum: Rabbanus ibidem: Angelomus, & Hugo Cardinalis, multæque senectutis Beda Venerabilis libro quæstionum triginta ad Norhelmum quæst. 29. Glossæ concinnator eundem sequutus ad illud Isaiæ cap. 2. *Et idola penitùs conterentur*, &c. Philippus Abbas Opusculo de damnatione Salomonis, §. *Tunc ædificauit Salomon*, &c. Nicolaüs de Lyra ad principium cap. 30. Prouerbiorum, §. *Hæc expositio*, &c. Tostatus in lib. 2. Reg. cap. 7. quæst. 23. vbi marginalium additamentorū opifex fortissimam rationem appellat, & idem Abulensis in 4. Reg. cap. 18. quæst. 9. & cap. 23. quæst. 23. inter recentiores idipsum Christianus Massæus lib. 6. Chronicorum, Adrichomius in Hierusalem, num. 191. de nostris Benedictus Pererius disput. 27. in c. 8. Epistolæ ad Romanos, n. 130. Gaspar Sanctius in 3. Reg. cap. 15. n. 12. Quòd si quispiam contenderit, Manassis salutem in opinione positam, neque firmiorem habere basim, quàm ea habet, quæ de Salomonis contritione est assertio: ac proinde non cogi nos comparatione Manassis, potiùs quàm Salomonis cum metaphora explicasse Scripturas; dicam ego tunc de Manasse id, quod de Salomone; eius impœnitentiam, & in scelere duritiem ideò maximè probari, quòd nefanda altaria, cùm potuerit, non destruxerit: Denique Amadæus Franciscanus, qui Beati titulo citatur, quem ex Menesiorum Familia, quæ nobilissima est inter Lusitanos, fuisse Posseuinus affirmat, cùm super hac re Angelum sibi familiarem percunctatus esset, Manuscriptum Vaticanum respondisse affirmat ob mulierum importunitatem, in quarum gratiam fana ædificauerat, permisisse Salomonem, vt starent: Sic Lorinus prolegom. in Ecclesiastem, cap. 2. & subindicare visus Pineda lib. 8. de rebus Salomonis, cap. 8. ad finem Chronologiæ.

Qui senserint, Salomonē ob indestructa idola, repudiatum à Deo?

Eucher.

Rabban.

Angelomus

Hugo Card.

Beda.

Glossa.

Philip. Abb.

Lyra.

Tostatus.

Massæus.

Adrichom.

Pereira.

Sanchez.

S. Amadæus Fräciscanus quis fuerit?

Posseuinus.

Lorin.

Pineda.

108. Esto, inquiunt, Salomon Deorum Basilicas non fit demolitus; sed in hoc non peccauit, neque inde argumentū damnationis: quippe hoc commune fuit illi cum optimis Regibus; nam eiusmodi fuerint aliqui Principes, antequàm Iosias imperij habenas arriperet, præsertim ob multas causas inclytus Ezechias, sanctus Monarcha: Asam quoque laudare consueuêre Scriptores. Demum & Roboam Paralip. 2. cap. vndecimo, vers. 17. dicitur ambulasse in viis Dauidis, & Salomonis annis tribus; quibus tamen neque ipse domos nefarias à Salomone constructas diruit: His tamen non acquieuimus: nihil enim fuit, quod Salomonem à demoliendis fanis retardaret, nisi studium placendi meretricibus, quàm lacrymulæ ei chariores Dei honore: Neque verebor concedere exemplum profanati Regis sequutos ex Optimatibus quosdam; vulgi partem aliquam insuper; sed tam stupenda fuerat Salomonis potentia, tam ingentes diuitiarum thesauri, ipse belli apparatus tam magnificus, vt qui habuerit quadraginta millia præsepia equorum currilium (Reg. 3. cap. 4. vers. 26.) & duodecim millia equestrium, & indiuisum adhuc imperium; populus quoque ob recens templum religiosior; vt his armatus præsidiis potuerit facilè seditiosos quoscunque comprimere, quemadmodum Nicolaüs, & Abulensis adnotarunt locis, quæ allegaui: In reliquis Monarchis alia fuit rerum facies, & virium, & imperij minor gloria: Roboamus quippe in ipso principatus limine amisit decem partes roboris, & adhæsêre in Hierusalem duæ solùm tribus, Iudæ & Benjamitica: ipse autem primo dominatus triennio totus occupatus fuerat in muniendis vrbibus, comparando bellico omni instrumento, vti secundus Paralipomenorum liber indicat, cap. 11. à vers. 6. *Faciebat ita* (inquit Aubulensis quæst. 8.) *quo aduersùs Jeroboami, & decem tribuum maiorem multitudinem satis instructus esset:* Ob hanc igitur causam distulit tantisper religionis negotium, quò, videlicet, robore pollens tutiùs, atque vtiliùs agere posset, ne si imbecillis adhuc, & tumultuante omni republica conaretur, spe, atque labore frustraretur, imò maiora oborta fuissent damna: Verùm, vt est inconstans humanus animus, exacto triennio Roboamus milite, & opibus abundans, cùm debuisset gladium aduersùs idololatriam stringere, & Paganismi, quæ manserant, delere vestigia; è diuerso fecit *peccare Iudā super omnibus, quæ fecerant patres eorum, fecerintque omnes abominationes gentium, quas attriuit Dominus, ante faciem filiorum Israël.* Reg. 3. cap. 14. vers. 24. Asam à deturbandis Excelsis abstinuisse propterea verisimile est, quòd cùm non pauci elapsi fuissent anni, ex quo Roboamus gentilismum induxisset, altas egerit radices planta malignior, neque ad extirpandum vires sufficientes: contentus igitur aliquid feciſſe Asa, distulit in meliora tempora eorum remedium, pro quibus idololatræ acriùs dimicaturi fuissent: Quam sententiam noster innuit Sanctius in cap. 15. Reg. 3. num. 12. Quanquam sciam Marianam, & Sa ad eum locum monere Hieronymo displicuisse

Salomonis magna potentia.

3. Reg. 4.

Lyra.

Tostatus.

2. Paral. 11.

Reges Hebræorū quonam modo absque culpa omiserint fana Deorū euertere.

3. Reg. 14.

Sanch.

Mariana.

Sa.

Asam,

Asam, quem culpat ob hoc, atque erraſſe affirmat lib. 2. contra Pelagium; De Ezechia Abulenſis 4. Reg cap. 18. quæſt. 9. *Dicendum* (inquit)
Abul. *quòd non deſtruxit illa, primò, propter populum repugnantem: nam ante Ezechiam nullus deſtruxerat altaria, quæ erant in vrbibus; Cùm ergo faceret ipſe nunc aliquid nouum, populus moleſtè ferret; & ſi vellet omnia vſque ad vnguem deſtruere, fortè populus repugnaret; Voluit ergo aliquid facere in cultum Dei conſentiente populo, quàm inuito eo nihil agere; De Ioſia autem non fuit ſic; quia iam ante cum Ezechias deſtruxerat omnia Excelſa; quando ergo ipſe vellet ea nunc deſtruere, non erat aggredi aliquid nouum, ideò poterat omnia vſque ad vnguem delere, & ſic deſtruere templa, quæ fecerat Salomon.*

Alio modo Ezechiam à crimine abſoluit Toſtatus dicta quæſtione, & ſequenti; *Secunda* (ait)
109. Abul. *cauſa & potiſſima, propter quam motus fuit Ezechias ad non deſtruendum templa illa, quæ fecerat Salomon, fuit; quia non præiudicabant cultui diuino: nam ipſe ideò deſtruxit omnia Excelſa, & lucos, & ſtatuas, quia erant contra cultum Dei; ſcilicet, quia Iſraëlitæ afferebant ibi ſacrificia, quod erat contra legem: & tamen in templis illis, quæ fecerat Salomon pro vxoribus ſuis, non offerebant Iſraëlitæ aliqua ſacrificia, nec volebant offerre, etiamſi nullus eos prohiberet; ideò non erant ſcandaloſa illa templa, nec in præiudicium cultus Dei:* Denique pergit oſtendere, quamobrem Iſraëlitæ ea non adirent fana; nempe, quòd dicata fuiſſent Diis peregrinarum gentium, ſcilicet, Moabitarum, Sidoniorum, Ammonitarum Numinibus: Hebræi autem ea ſolùm colebant, quæ Chananæorum populus quem ſubiugauerat; atque ob has ipſas cauſas idem Auctor quæſtione 14. & 15. Aſam excuſat: Ioſiam autem propterea Salomonis vanorum Deorum ædes euertiſſe aſſerit, quoniam aut Ioſiæ quidem ætate delubra illa cœperant ſcandalo eſſe; aut certè quòd cùm Ioſias egregiè pius eſſet, *deſtruxit templa illa* (inquit Abulenſis) *non ex neceſſitate ſed ex ſupererogatione: ſicut boni viri interdum faciunt quædam opera bona, quæ etiamſi omitterent, non peccarent: & tamen faciunt illa ad magis merendum:* Sed, quorſum tandem hæc tam multa, quæ ex Abulenſi deprompſimus? Nimirum, vt obiiceremus nobis, quemadmodum præfati Reges abſque crimine ſtare permiſerint, quæ à Salomone conſtructæ fuerunt, baſilicas; ita & potuiſſe idipſum à Salomone abſque vitio fieri: quidni enim? Nam Salomon ob hoc eatenus damnandus, quantùm ædes offendiculo, & ſcandalo fuiſſent Hebræis: at Iſraëlitis inde nullum ſcandalum, neque lapſus occaſio; alioqui peſſimè egiſſent, & Aſa, & Ezechias, quos Abulenſis liberat: ergo infirma ea eſt probatio, quæ à non demolitis Excelſis, quæ Salomon fabricauerat, deſumitur.

Diſplicet ob multa Abulenſis diſcurſus: Primùm, inſolens apparet, vt dicatur, abſque Hebræorum præiudicio, & corruptela quotidie in
110. Dæmonum fanis victimas offerri; præſertim cùm gens illa ad ethniciſmum ſingulariter eſſet procliuis. Deinde, quemadmodum non licebat Iſraëlitis cum pagana fœmina thalamo maritali coniungi; quamuis ſciret, ex morali quadam conſtantia, fidei ab eius ſocietate non imminere diſcrimen, niſi inſuper graues aliæ cauſæ acceſſiſſent, de quibus egimus Anteloquio 5. Sectione 1. & 2. ita minùs licuiſſet in medio nationis permiſiſſe Dæmonum ſacrificulos, etſi ab eis (quod credi vix queat) nullum ſuboriretur damnum religioni veræ, & incontaminatæ, niſi excepto hoc, alia, quibus momentum & pondus inſigne, vrgerent. Tertiò, oſtendimus memorato Anteloquio, Sectione 5. Subſectione 3. numero 89. ab Hebræis præter Chananæorum ementita Numina, veneratos etiam aliarum prouinciarum tutelares Deos: igitur firmum non eſt fundamentum Toſtati, nimirum, quòd Iſraëlitæ ſola Chananæorum adorauerint Numina: Denique id, quod huius controuerſiæ cardo eſt, num fana illa, ruinæ, ſcandali, improperij occaſio extiterint, nomen monti Oliuarum eorum cauſa poſitum locupletè admonet: nam collis Reg. 4. c. 23. *Mons Offenſionis appellatur.* Quamobrem opinabere? Beda citatus nonnunquam anteà libro triginta quæſtionum, quæſtione 29. *Montem autem Offenſionis montem idoli dicit: quia, nimirum, conſuetudinis eſt Scripturarum, offenſionem idola nuncupare, quia vel in his offenditur Deus vel offenſionem & ruinam ſuis adferunt cultoribus;* Eadem Rabbanus, Nicolaüs de Lyra, noſter Gaſpar Sanctius in allegatum nuperè Regum caput; Philippus Abbas Opuſculo de damnatione Salomonis, §. *Tunc ædificauit Salomon*, &c. *Mons verò, in quo Salomon fanum Chamos ædificauit, dictus eſt rectè mons Offenſionis: quia & in eo offenditur Deus, & cultores diuinæ religionis:* Sed nemo ita atque is, cum quo altercamur, Abulenſium Antiſtes in dictum cap. 23. libri Regum 4. quæſtione 21. *Dicendum tamen magis eſt, quòd vocabatur mons Offenſionis, id eſt, ſcandali; quia ſcandalizabantur nimis Iudæi videntes illa templa, quæ fecerat ibi Salomon: & multi eorum inclinabantur ad colendum idola:* Quòd ſi equidem tam infauſtus mons Toſtati iudicio, quid eſt, quòd idem aſſerat nulli contumeliæ fuiſſe Deo, aut hominibus? Abulenſem ſectantur Pineda, qui libro 7. de rebus Salomonis, cap. 10. §. 4. quo conſueuit acumine atque facundia huius montis ſummam iniquitatem ad longum ventilat, & inter alia: *Quanquam neſcio* (ait) *quid peculiare illud Offenſionis nomen afferat, videlicet, rem, in quam populus frequentiſſimè offendebat, & quæ diuinis oculis, quaſi ex ſuo templo proſpicientibus, offenſioni & moleſtiæ grauiſſimæ erat.* Oſtenditque, vt omnes, qui per portam orientalem templi Hieroſolymitani egrediebantur, in illam Offenſionem montis ſibi obiecti incurrebant: *Quæ proculdubio* (affirmat) *pijs offenſioni, & moleſtiæ grauiſſimæ: infirmis verò, & in fide nutantibus ſcandalo, & irritamento erat: vt propterea Hebræi Doctores exiſtimauerint, dictum montem Offenſionis, quòd ex ipſo Hieroſolymitano templo, quaſi euocarentur, & allicerentur ad idololatriam ipſo montis Oliuarum conſpectu:* Salianus his cognata tom. 3. anno mundi 3053. num. 19. Adrichomius in Ieruſalem, num. 193. *montem Scandali* appellat: Sà, atque Mariana ad cap. 23. libri Reg. 4. ex Hebræo nominari aduertunt *montem Deſtructionis*, idque ob idololatriam, quòd hæc ruina, atque vaſtatio eſſet veri cultus, atque religionis, cùm multi ab ea deficerent, Paganorum incitati exemplis; & ſectæ, quæ amplam peccandi licentiam ſubminiſtrabat, amore.

Mons Offenſionis quare dictus?
Beda.
Rabban. Nicol. Sanct. Philip. Abb
Toſtat.
Pineda.
Salian. Adrichom. Sà. Mariana.

Sed aſſerunt tandem, à Salomone inanimatorum Numinum ſubuerſas ſtatuas, idola templis eiecta, & proculcata; amotos Flamines, nihil relictum præter ædificij molem: tecta autem,
111.

atque parietes dimisisse, ne illorum ruinæ vrbi tunc vniuersitatis oculo, propter summam pulchritudinem dedecori essent: Itaque ex prudentum votis, quò consuleret metropolis ornamento, manus continuisse à destruendis fanis: in hoc autem non peccauerat, quoniam ablatis victimis, atque simulacris nullum impendebat discrimen religioni: Verùm obtestor, vnde hauserint, à Salomone ita perpetratum? quæ eiusce facti testimonia promunt? Sanè ex Amadæi Minoritæ reuelationibus suprà edocti fuimus n. 107. in mulierciularum gratiam indulsisse, vt starent ædificata templa, Salomonem: reliquit & statuas idolorum, eodem teste: innuit & Reg. 3. cap. 15. v. 12. nam dicitur *Asa purgasse vniuersas idolorum sordes, quæ fecerant patres eius*, id est, Abias, Roboam, Salomon: quemadmodum n. 104. à nobis commonstratum, & eodem Reg. volumine, c. 23. vers. 13. & 14. Iosias non solùm templa, quæ fecerat Salomon, subuertisse narratur, sed insuper Deorum simulacra; Id verba continuò subiuncta innuunt: *Et contriuit statuas, & succidit lucos, repleuitque loca eorum ossibus mortuorum: Scilicet* (inquit Tostatus quæstione 21.) *statuas omnium istorum idolorum*, (nempe Chamos, Melchon, Astaroth,) *quæ vsque tunc manebant in templis illis:* Ad hæc Deuteronomij canon est, cap. 13. si quando contigisset, ausos esse de ethnicis quoscunque Diis mendaciorum thura offerre, altaria, aut basilicas fabricare, delendam esse paganorum vrbem, *ac omnia, quæ in illa sunt vsque ad pecora: quicquid etiam supellectilis fuerit* (inquit Creator) *congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes, ita vt vniuersa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus: non ædificabitur amplius, & non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua, vt auertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tui*; Quòd si volens Salomon pro delictis satisfacere, & Numen iustissimè concitatum placare, quamobrem non omnem memoriam prioris abominationis deleuit; Sic enim auerteretur furor Domini, vti Deuteronomium insinuat; Quæ tandem illa tam luctuosa & acerba pœnitentia est, quæ de vrbis venustate sollicitior est, quàm de præceptis Deuteronomij ad vnguem, ad iota seruandis? Quasi verò Salomon tam peritus artifex, tam potens & aurifer Monarcha, non facilè loco euersi Pantheonis (tale enim fuisse delubrum aliqui putarunt) substituisset basilicam paris, & materiæ, & ingenij? Sed medius fidius quale tandem ornamentum eius ciuitatis, quæ sola inter vrbes sancta nominabatur, monumentum, quod præter idololatriam, nihil aliud testabatur?

Amad.

3. Reg. 15.

Tostat.

Deut. 13.

Paganorum ad superstitionē reuertentium vrbes delenda.

112. Dicunt vltimùm, his probari quidem, Salomonem, donec integra fruebatur valetudine, in malitia perstitisse, (neque enim, cùm posset, in idola ab eo sæuitum est) at lectulo decumbentem, cùm accepisset à Medicis abrumpendam citò vitæ telam, conuersum ad parietem fleuisse amarè delicta senectutis, postulasse veniam cum valido lamento, & exauditum; tum imperasse ministris, vt fana diruerent, idipsum Roboamo commendasse iterum atque iterum, testamento scripsisse, neque exceptis his aliud grauiter ægrotantem facere potuisse; Quòd manserint posteà Numinum impiæ sedes, Roboamo culpam tribuendam, & quibus Salomon, vt demolirent iusserat: Hoc vt affirment, coactos se à nuperè inuentis Granatensibus plumbeis libris: nam istiusmodi voluminum auctoritas ab ipsis fidei crepundiis nobilitata, atque adeò perexcellens; nempe, sub terræ meatibus, atque cauernis reposuerunt Iacobus sanctissimus Apostolus, Cæcilius, Ctesiphon, aliique ex primis Hispaniensis Ecclesiæ Luminibus Magni Iacobi discentes: Sed planè asserunt, compunctum Salomonem. Demus ex nostri Pinedæ lib. 8. de rebus Salomonis: cap. 1. n. 73. verba ipsa: *Et fleuit* (aiunt) *scelus suum fletu vehementi, & condonatum est illi, & obyt fidelis, & securus*; Respondeo, postquam satis constiterit de Granatensium plumbeorum Scriptorum auctoritate, & maiores colenda proposuerint; id imprimis considerandum, an Iacobus Beatissimus Apostolus, dixerit: an Sanctorum quispiam; nam, si à Zebedæi filio, Hispanorum vindice, prolata fuisse ostenderint eruditi, Salomonis pœnitentiam absque mora laudabimus, & plurima cum animi voluptate: nam dis, quibus defendere possemus modis, cogitauimus, & incassum abiit meditatio, non sine mœrore: sin autem opinioni genitorem assignent de numero sanctorum discipulorum aliquem; fuerit examinandum, num ex propria sententia loquatur, an secundùm Hebræorum traditionem; hoc enim facere solitos nonnunquam, atque indistinctè quidem, vt difficile sit æstimasse, an alius, an ipsi proferant, ostendimus Anteloquio 1. Sectione 8. num. 57. Nam, si ex Hebræorum fide differant, cùm hanc non approbent, respuenda erit: sin verò ipsi id, quod sentiant affirment, & serio agant; augebunt sanè classem Sanctorum eorum, quibus placuit, Salomonem in se reuersum pœnitentia absterssisse veterem maculam; Verùm, quod hoc armorum generi opponamus, habemus æqualis & doctrinæ, & sanctitudinis clarissimam turmam, vt ampliùs nihil asseram, quàm exhibuimus superiùs tota Sectione nona; Itaque Granatenses laminæ, nisi Auctor earum Iacobus probetur Apostolus, vt ab hactenus communita opinione recedamus, non coëgerint.

Pineda.

Granatenses plúbei libri.

Sancti iuxta Hebræorum traditionem vsi nonnunquam loqui.

SECTIO XII.

An huius Codicis stylus castas offendens aures, & ideò Spiritus sancti indignus penicillo?

113. DE his egero, non vt hæreticam confundam impudentiam; nam opinor satis retusam in anterioribus: verùm ob Catholicorum quorundam ineptum aliquando supercilium: quippe librum à Spiritu sancto dictatum esse, cùm ore & loquela fateantur, fronte, & gestibus negare arbitreris: sic enim expauescunt ad phrasim, quasi anguis lateat sub herba, & velut, aut Lesbiæ, aut Cynthiæ amores quispiam Cypridis Assecla decantet: Qua in re si piè illos agere contenderit aliquis, noscat, & stultè, atque insipienter facere: Et quæ religio atque obseruantia, quam hebes inscitia commaculat? Abeant igitur eiusmodi cogitationes, neque sanctæ, neque doctæ: Huius itaque voluminis dum corticem rodunt, humanum se quidpiam legere intelligant: amores haurire, sed coniugales, sed omni cum honestate coniunctos: At, inquis, perstrepūt vbique voluptatis incentiua: audiuntur oscula, commendantur vnguenta, laudantur genæ, vbera, venter: hæc

hæc omnis obiectio : At de oſculis, & ſuffimentis, omnique fragrantiori oleo ſupersedemus hoc loco diſputare, ne tractatio nimiùm excreſcat, acturi ad caput primum Canticorum : de corporis, quæ delineantur ab Hymenæographo partibus, inferiùs guſtamentum ſaltem : nunc labor erit oſtendiſſe, veteris, in quæ hæc inciderint tempora Inſtrumenti, eiuſmodi fuiſſe, quæ, etiamſi laxior eſſet ſtylus, licentiam præbuerint. Itaque in illam coniectare ætatem lumina prudens quiſque debeat, ſi fortè de metri candore aliqua in animo exoriatur ſuſpicio : nam ſimul ac direxerit oculos in legis ruditatem, deſinet mirari continuò, quòd in deliciis omnis penè verſatur Muſa.

SVBSECTIO I.

Sub veteri fœdere à paucis adamata virginitas, opes contemptæ, vtrumque ex Patrum & ſcholaſticorum dictis fusè comprobatum Matrimonij num tunc præceptum ?

114. ANtiquis Scholæ Theologis, atque de horum claſſe nobiliſſimę famę quibuſque exiſtimatio fuit, donec viguit ſcripta lex prælatum virginitati coniugium etiam & in præcepto fuiſſe matrimonia à nonnullis cogitatum: Prætulit facem ſanctus Aquinas in 4. diſtinct. 30. q. 2. art. 1. in corpore : *Virginitas* (ait) *quamuis in ſe optima ; tamen pro tempore illo ei matrimoniũ præferebatur propter expectationem benedicti ſeminis per viam generationis venturi.* Et ibidem votum B. Virginis ſapuiſſe nouam legem, in quantum virginitatem vouit; & veterem, in quantum conditionem appoſuit, nimirum, quæ coniugium reſpiciebat : Et diſtinct. 33. quæſt. 1. art. 2. ad 4. *Ante Chriſti aduentum* (inquit) *cultus Dei propagatione carnali multiplicabatur, & conſeruabatur* : Fuitque in eodem iudicio ſemper: nam, quem volunt eſſe ex Thomiſtis nonnulli poſtremum partum, Summam Theologicã, in hac quoque repetit, quod in Sententiario tradiderat, nempe 3. parte, quæſtione 28. art. 4 in corpore; *Quia tempore legis* (inquit) *oportebat generationi inſiſtere tam mulieres, quàm viros: quia ſecundùm carnis originem cultus Dei propagabatur, antequàm in illo populo Chriſtus naſceretur:* Quæ ſunt verba nuper ex Commentariis in Magiſtrum relata. Et ibid. ad 1. *Quia videbatur* (ait) *lege prohibitũ, non dare operam ad relinquendum ſemen ſuper terram.* Quam eius mentem toties declaratam, obſcuram fuiſſe, recentiores affirmant, eò quòd in 4 diſtinct. 33. qu. 3. art. 2. ad 2. pronunciauerit, licuiſſe virginitatẽ colere in lege, aut naturæ, aut ſcripta, poſt ſufficientem Iſraëliticæ nationis propagationem : Ita Sotus in 4. diſtinct. 30. quæſt. 1. art. 1. §. *At verò*, &c. Suarius tom. 2. in 3. part. diſp. 6. ſect. 1. §. *Dicendum verò*, &c. Verùm ita fuerit ; at nunquam ſatis multiplicatus fuit ille populus, donec Verbum caro factum eſt; Hoc autem inde colligimus, quoniam vſque ad plenitudinem Euangelij permittebatur Hebræis vxorum pluralitas ſi autem amplificati fuiſſent ſatis, & in numerum idoneum excreuiſſent Iudæi, polygamiæ vſus fuiſſet ſublatus, cùm in eum ſcopum multæ permitterentur vxores, vt populus fidelis ad iuſtam magnitudinem proueheretur, quæ eſt opinio communis Scholaſticorum in 4. diſt. 33. & aduertit Sotus ibid. quæſt. 2. art. 2. §. *Secundò, ad id*, &c. affirmans, cauſam legitimam diuinæ diſpenſationis aliam nullam extitiſſe, quàm vt gens illa ad Dei cultum multiplicaretur : ergo, cùm Angelicus aſſerat Doctor, præceptum de connubiis viguiſſe vſque ad ſufficientem Hebræorum propagationem, ſequitur protenſum, donec Euangelij oborta eſt lux.

Sub lege ſcripta prælatũ virginitati coniugium.

S. Thomas.

Sotus. Suarez.

Beati Thomæ approbauit iudicium Bonauentura in 4. diſtinct. 33. quæſt. 2. *Secundum tempus legis* (inquit) *ſtatus continentiæ coniugalis omninò præfertur, & ſtatus virginitatis prohibetur, & ſterilis maledicitur, & in contumelia habetur: ſecundùm ſtatum gratiæ, vbi nõ requiritur fœcunditas ventris, ſed ſanctitas & incorruptio, puritas mentis, & virginitas præfertur continentiæ coniugali :* Atque pari verborum euidentia Richardus de media Villa in eandem diſtinctionem, quæſt. 2. Thomas ab Argentina art. 4. concluſ. 1. Petrus de Palude qu. 2. ad 6. articulum, concluſ. 1. Durandus quæſt. 4. num. 7. Supplementum Gabrielis quæſt. 3. ad art. 2. concluſ. 7. Henricus à Gandauo quodlib. 6. qu. 13. S. Antoninus 4. parte Summæ, tit. 4. c. 8. §. 1. Scio diſplicere communiter hanc veteris Academiæ ſententiam nuperis Theologis : putant enim gratis traditam ab Auctoribus, cùm è Bibliorum corpore nulla proferant loca: Sed, quorſum deſpexerint illud de Exodi volumine. c. 23. verſ. 26. *Non erit infœcunda, nec ſterilis in terra tua ?* Septuaginta explicatiùs : *Non erit, qui non generet, neque ſterilis ſuper terram tuam:* Aſſerunt, promiſſoria eſſe verba, non præcipientia ; nempe, pollicetur fœcunditatem Numen rectè agentibus Iſraëlitis : Verùm ego puto quidem, ſi ad voces ſolùm attendamus, idipſum de aliis multis Scripturarum effatis dici poſſe ; quæ tamen ex vulgata exiſtimatione præcepta nominantur nam ſecundùm ſe, & verborum tenorem prohibitionem ſonant : Vnde autem præcepta eſſe nouimus ? Nimirum, quoniam aut Patres aut Theologi ita intellexerunt : optima nanque legum interpretatio ſapientum eius de ſcopo iudicium : at priſci Theologi Exodi allatam phraſim præceptum eſſe adſtruxêre : igitur his obſecundaſſe oporteat magis, quàm recentibus. Magiſtris negantibus præceptionem eſſe: Neque incommodum eſt, quòd ſubiiciantur pollicitationes de producenda vita : *Numerum dierum tuorum implebo :* nam & idem in notiſſimo præcepto de colendis genitoribus factum Deuter. cap. 5. verſ. 16. *Honora patrem tuum, & matrem, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo viuas tempore, & benè tibi ſit in terra, quam Dominus Deuus tuus daturus eſt tibi :* Difficiliora ſunt alia eiuſdem ſenſus verba Deut. cap. 7. verſ. 14. *Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus ; tam in hominibus, quam in gregibus tuis :* Neque enim (inquiunt) præceptum eſſe valeat, quando etiam rationis expertia comprehendat : Sed noſſe oporteat, vniuerſales in Scriptura loquutiones reſtringi oportere ad ea, quæ eius, quod adſtruitur, capacia ſunt, Geneſ. cap. 3. verſ. 20. *Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ, Heua : eò quòd mater eſſet cunctorum viuentium :* vtique hominum tantùm, non beſtiarum quoque, aut plantarum (ſi fortè & ipſæ viuunt.) Marci capite vltimo, verſ. 15. *Et dixit eis : Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ* : homini, videlicet, non

Sotus. *Polygamia cur Hebræis permiſſa ?*

115. *An matrimonia præcepta in lege veteri ?* Bonauent. Richard. Argentina. Paludanus. Durand. Gabriel. Gãdauenſis. Anton.

Exod. 23.

Verba præceptiũ ſignificãtia in Scriptura, vt dignoſcuntur ?

Deut. cap 5. &c. 7.

Regula: Generales loquutiones Scripturæ reſtringi debent ad ea, quæ ſunt capacia earũ. Geneſ. 3.

piſcibus etiam, & volucribus; Præclarè Hieronymus ad finem cap. 2. Zachariæ interpretatur illud Pſal.64. *Ad te omnis caro veniet: Quod autem omnis caro non abſolutè hominum & beſtiarum, & volatilium, & piſcium; ſed ſpecialiter hominum, accipiatur, illa Scriptura ſignificat; Exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet; Neque enim ad Dominum omnis caro irrationabilium eſt ventura animantium; ſed illa, quæ donum ſancti Spiritus ſuſceptura eſt, & de qua dicitur, Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem* (Ioëlis 2.) *& prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ*; In hunc morem ſuperiùs præceptum aduersùs ſterilitatem, hoc eſt, abſtinentiam à coniugiis, & liberam à generando, voluntariámque ceſſationem de hominibus interpretandam, non de brutis; quamuis & verba etiam ratione carentia, alloqui videantur.

Hieron. Pſalm.64.

Eſto tamen nullum demonſtretur præceptum in lege Moſaïca; fuit tamen conſilium, & inſinuatio diuini beneplaciti; nempe, intellexit populus ille, Creatorem voluiſſe tunc, vt generationi vacarent, & matrimoniis, etſi virginitas ſecundùm ſe eſſet matrimonio excellentior; Itaque ob hoc meliores fuerunt illo tempore nuptiæ; quia Deus tunc non virginitatem, ſed maritaliæ fœdera conſulebat, & hæc erat voluntas eius, donec in terras ipſe deſcendit; Sic ex relatis elapſo numero Paludanus, S. Antoninus, & in primis Gabriel: Porrò innuiſſe Deum ſibi magis placere, vt coniugali vacarent continentiæ Hebræi, inde elicio; quoniam volebat omninò Numen, populum illum augeri & creſcere; Et ſanè ita multiplicatum aſſerit Philo ſcribens in Flaccum, vt propter numerum, cùm Iudææ limites capere non poſſent, plurimas, ac fortunatiſſimas vrbes in Europæ, Aſiæque prouinciis, ac inſulis coluerint; at ſic volentem ad coniugia hortari decebat (hoc enim medium eiuſmodi congruum fini) igitur tunc matrimonia eis conſulebant; Voluiſſe autem Creatorem, ſpecialiter amplificari Hebræorum gentem, plurima ſunt, quæ indicant, Primum ob hoc diſpenſatum ab eo ſuper multis vxoribus, oſtendi cum Soto numero elapſo; Deinde & hoc ipſum, quòd vxores repudiare poterant, & alias ſubintroducere: fiebat autem hoc potiſſimùm cauſa ſterilis vuluæ, atque vt dimiſſæ locum fœcunda coniux obtineret, quemadmodum Scholaſtici monent in 4. diſtinctione 33. Albertus art. 23. S. Thomas quæſt. 2. art. 3. & cæteri idipſum communiter; Tertiò, quoniam & horum gratia, neque Sacerdotium, neque Monachatus (ea, qua erat forma) coniugia vetabat; *In veteri enim Teſtamẽto* (inquit Abulenſis qu. 4. in caput Numerorum trigeſimum) *quantuncunque aliquis applicaretur Deo, non impediebatur ab actu matrimonij; omnes enim tam Sacerdotes, quàm Leuitæ, & Sacerdos Magnus, etiã Sanctiſſimi Prophetæ vxores habebant*; *In nouo Teſtamento non ſic; quia ſi aliquis totaliter ſe voueat Deo, ad colendum ipſum debet ſe transferre ad habitum monachalem, vel ad aliquam religionem; omnes autẽ iſtæ profeſſiones repugnant matrimonio*; Quartò, eò quòd infœcundas eſſe: opprobrium & dedecus reputauerint etiam fœminæ bonæ & ſanctæ; Declarat Rachelis & mœror, antequàm pareret, & gaudium de ſobole, Geneſ.30. verſ.1. & 22. Annæ pares affectus, Reg. 1. cap.1. Et Elizabeth Baptiſta donata, lætatur ablatum à ſe opproprium, Luc. 1. verſ. 25. Atque hinc fortaſſe orta illa quaſi prouerbialis locutio, cuius meminêre Auguſtinus lib.4, contra Fauſtum, cap. 13. Hieronymus epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis, & in cap. 56, Iſaiæ, atque alij Patres *Maledictus omnis, qui non ſuſcitauerit ſemen in Iſraël*; Quanquam verba ipſa in ſacris non leguntur codicibus, niſi intellexerint Patres, idem eſſe cum his, quæ ex Deuteronomio, & Exodo ſuprà deprompſimus; nam in lege ſcriptum eſſe, cùm allegant, aſſerunt: Cæterùm, quòd infœcundi maledicti cenſerentur, ideò puto, quoniam priſci illi, vt loquitur Auguſtinus de bono coniugali, cap.22. *de ſuis nuptiis filios propter Chriſtum quærebant*; Ac quanquam peritioribus innotuiſſet, naſcendum ex ſemine Dauid Meſſiam; tamen, ſi ſtirps eorum perſeueraret, vnum è duobus ſperabant, vt aut caſu aliquo connubiis iungerentur cum tribu Iuda, aut certè de eorum nepotibus quiſpiam ſupereſſet Chriſto edito; hoc enim Sanctus ille Tobias auebat cap. 13. verſ. 20. *Beatus ero, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndam claritatem Ieruſalem*; Igitur, ſi quàm videbant feminam, quæ non pareret, arbitrabantur maledictam à Deo, vel ob ſua, parentúmve ſcelera; alioqui vterum non indignum reputaſſet Numen, ex quo fructus prodiiſſet, qui vel lineam auorum Chriſti intraſſet, vel Chriſtum ipſum in poſteris vidiſſet.

Auguſt. Hieron.

Cur ſteriles maledictis annumerati apud Iudæos?

Auguſt.

Tob. 13.

Geneſ.30. 1.Reg.1. Luc.1.

Albert. S.Thom.

Repudiũ cur permiſſum Iſraëlitis?

Phil Hebr.

Hebræorũ populus quàm multiplicatus.

Paludan. Anton. Gabriel.

Conſilium de connubiis in lege Moſaïca.

116.

Accedunt tantis probationibus ſacrorum Orthodoxæ diſciplinæ Antiſtitum iudicia, qui tam paucos fuiſſe ſub illis temporibus virginitatis cultores docent, vt nuptiarum planè extitiſſe illam affirment ætatem, & ab Euangelio inceptaſſe cœlibum turmas; Auguſt. tom.6. libro vno de bono coniugali, cap. 15. *Non eſt enim nunc propagandi neceſſitas, quæ tunc fuit*, Cap.17. *Nunc quippe nullus pietate perfectus filios habere, niſi ſpiritaliter quærit; tunc verò ipſius pietatis erat operatio, etiam carnaliter filios propagare, quia illius populi generatio nuncia futurorum erat, & ad diſpenſationẽ prophetica pertinebat*; Cap. 22. *Illo itaque tẽpore, cùm & lex, dies Patriarcharum ſubſequens maledictum dixit, qui non excitaret ſemen Iſraël*: Et de Abrahamo ibidem: *Eſſe autem caſtus ſine coniugio potuit*; *ſed tunc non oportuit*: Hieronymus ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis; *Alia fuit in veteri lege felicitas; Beatus qui habet ſemen in Sion, & domeſticos in Hieruſalem: & maledicta ſterilis, quæ non pariebat*; *& filij tui, ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ; & repromiſſio diuitiarum, & non erit infirmus in tribubus tuis: nunc dicitur, ne lignum arbitreris aridum, habes locum pro filiis, & filiabus in cœleſtibus ſempiternum; nunc benedicuntur pauperes, & Lazarus diuiti præfertur in purpura: nunc qui infirmior eſt, fortior eſt*. Libro 1. contra Iouinianum; *Opera legis & nuptiæ ſunt, vnde & maledicuntur in ea, quæ non habent filios*: Et infrà: *Neque enim poterant veteris Teſtamenti lege retineri quæ virginitatis fulſerant claritate*: Magnus Baſilius de vera virginitate poſt medium: *Nempe enim in lege, quam per Moyſem dedit, liberorum procreatio benedictione quoque digna cẽſebatur: poſteà verò quàm ſuis vbique fructibus floruit mundus, tantáque multitudine referta eſt terra, vt neque naſcentium iam numerum capiat, adéſtque illud quod in aduentu Domini fore prædictum eſt, cùm hi, ſcilicet, qui eius monitis prudenter obtemperant concidunt gladios ſuos in aratra, & lanceas in falces: iuſtiſſima ratione virginitas integritatem germinat*: Athanaſius de incarnatione Verbi Dei, ad medium

Auguſt. Hieron.

Baſil.

Athanaſ.

Patres cœlibatum ab Euangelio incepiſſe docent.

117.

Sterilitas probroſa Iudæis.

Neque Sacerdotii, neque Monachatus priſci Fœderis, coniugia excludebat.

Abulenſ.

dium: *Quis igitur hominum, vel post mortem, vel in vita auctor seruandæ virginitatis fuit? Ac non contrà arbitratus est eam virtutem præstari non posse? Attamen noster Saluator, & omnium Rex Christus tantùm valuit in huiusmodi præceptis, vt pueri nondum maturi legum disciplinæ virginitatem, quæ supra leges est, profiteantur*; Nazianzenus in Carmine de laude virginitatis: Nazianz.

Sic quoque virginitas, magni pars inclyta Christi,
Ante quidem vmbroso in paucis splendore micabat,
Dum lex iura daret terris, & in orbe vigeret;
At postquàm Christus per casta viscera Matris
Absque patre, & tadis vitæ progressus in auras,
Gratiáque in medium venit: tum denique nostro
Virginitas generi præclaro lumine fulsit,
Connubium tantum exuperans, & vincula vitæ.

Nempe, tum incepit virginitas matrimonio præstare, quando Christus prodiit; non quia cæteris paribus non fuit melior in sua natura; sed ob Creatoris, aut præceptum, aut consilium, modo superiùs declarato.

118. Verùm nondum absoluimus Christianos referre proceres, ex quibus Chrysostomus homilia 12. in Epistolam ad Romanos: *Quo nomine* (inquit) *sicubi quis prisco illo sæculo visus esset virginitatem colere, vehementer admiratione digna res erat; nunc autem vbique terrarum disseminata eadem res est*: Andreas, Archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ, cap. 39. Commentariorum in Apocalypsim, ad illud, *Et vidi, & ecce stabat Agnus*, &c. *Aut certè millia hæc noui Testamenti Virgines secundum vtrumque hominem significant; Nam apud veteres virginitatis decus parum admodum receptum erat*: Ambrosius lib. 1. de Virginibus paulò ab exordio: *Quis igitur neget, hanc vitam fluxisse de cœlo, quam non facilè inuenimus in terris, nisi postquam Deus in hæc terreni corporis membra descendit?* S. Paulinus Nolanus Poëmate de Ioanne Baptista. Chrysost. Andr. Cæs. Ambr. Paulin.

Sed quod in opprobrio matrum posuêre priores,
Prole carens, sterilem ducebat mœsta senectam

Intellexit Elizabetham; Seuerus catena Græca in Pentatheuchum ad cap. 27. Numerorum: *Tanto enim studio tunc temporis homines sobolem curabant, vt qui sine spe propagationis decederet, haberetur quasi execratus à Deo*: S. Bernardus homil. 4. super *Missus est*, &c. *O virgo prudens, ô virgo deuota, quis te docuit Deo placere virginitatem? Quæ lex, quæ iustitia, quæ pagina veteris Testamenti, vel præcipit, vel consulit, vel hortatur, in carne non carnaliter viuere, & in terris angelicam ducere vitam? Vbi legeris, laudatos esse, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum?* Hugo de S. Victore tom. 3. tractatu de MARIÆ virginitate perpetua, cap. 1. ad finem: *Quando ab vno tantùm populo agnitus est Deus, per legem maledicta est sterilitas, vt multiplicarentur fideles? postremò, quando instabat tempus, in quo nunc ab omnibus gentibus Deus colitur, benedicta est virginitas*: Philippus Abbas de silentio Clericorum, cap. 22. *Denique in lege veteri Moyses ei, qui non inuentus fuerit dare fructum, districtius incutit maledictum: Vnde & filia Iephte, virgo nubilis, sed innupta, plangit, quòd diutiùs iusto pudorem tenuerit, virginalem, & maturo tempore ad copulam non transierit maritalem*: Richardus à S. Laurentio lib. 3. de laudibus MARIÆ: *Erat enim tempore legis opprobriosa virginitas propter adiunctum, id est, sterilitatem: nam opprobrium, & vilitas multa erat sua sterilitas*; Guillelmus Paruus ad Delrium ad versum 6. cap. tertij Canticorum, in mixta explanatione: *Et quidem nulla sanctarum feminarum legitur virginitatem amplexa, dum ratio temporis, officium propagationis exposceret: Porrò aliqui sanctorum Virorum, paucissimi tamen, virginitatem eo tempore seruasse creduntur; sed inssam magis, quàm sponte oblatam: non ergo tunc virginitas quasi res consilij excellebat*: Nicolaüs de Lyra ad illud Iudicum, cap. 11. de filia Iephte: *Plangam virginitatem meam*, &c. *Quia tunc temporis* (inquit) *opprobrium erat mori sine prole*: Abulensis de iisdem verbis, quæstione 50. in nominatum cap. 11. Iudicum: *Flebat virginitatem suam, id est, infœcunditatem: omnes enim virgines sunt infœcundæ*, (nisi Domina nostra) *& quia in veteri Testamento reputabantur infelices mulieres infœcundæ, flebat puella ista, non quòd moreretur, sed, quia moriebatur infelix sine liberis*: Verùm pulchrè idem hoc sæculi illius ruditati tribuit. Paruus. Lyran. Abul.

119. Sed non minori studio diuitias amasse Iudæos, quàm matrimonia dilexerint, oportet, ostendamus: Neque mirum, si paupertatem oderint, quorum omnis gloria in sobolis multitudine: Hieronymus igitur lib. 17. in Isaiam ad prima verba cap. 60. *Surge, & illuminare, Hierusalem Iudæi* (inquit) *& nostri Semi-Iudæi, qui auream, atque gemmatam de cœlo expectant Hierusalem, hæc in mille annorum regno futura contendunt: Hæc illi dicunt, qui terrenas desiderant voluptates, & vxorum quærunt pulchritudinem, ac numerum liberorum, & quorum Deus venter est: quorum qui sequitur errorem sub nomine Christiano, Iudæorum se similem confitetur: Alij autem asserunt, hæc omnia Iudæis carnaliter repromissa, si recepissent eum, qui dicit in Euangelio: Ego sum lux mundi: Vt quomodo victimæ concessæ sunt populo Israël, non quòd per se bonæ essent, sed ne Dæmonibus offerrentur; ita & gulosis Iudæis, nihilque aliud quærentibus, nisi corporum voluptates, ista Dominus pollicetur; vt saltem pro carnalibus desideriis, & opum abundantia, Filium Dei susciperent: quem quia non susceperunt, repromissiones quoque irritas fieri*: Augustinus enarratione in Psalmum 91. ad initium: *Ecce & hodiernus dies Sabbati est: hunc in præsenti tempore, otio quodam corporaliter languido, & fluxo, & luxurioso celebrant Iudæi: vacant enim ad nugas*: Theophylactus ad cap. 16. Lucæ: *Lex benedictiones in diuitiis dabat, & Propheta bona terræ promittebant: ita adiutorium infirmitate postulante*; Chrysostomus in illud cap. 7. ad Hebræos, *introductio verò melioris spei*, &c. homil. 13. *Nam illa quoque* (veterem intelligit legem) *spem habebant, sed non talem; sperabant enim, si Deo placuissent, se terram habituros, & nihil graue passuros; hic autem speramus, si Deo placuerimus, nos non terram possessuros, sed cœlum potiùs*: Primasius in eadem verba: *Habuit quidem lex spem; sed non talem, qualem gratia præstitit; spectabant enim beneplacentes, legemque custodientes possidere terrã, iuxta illud: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis, nihil ærumnosum pati, prosperè viuere: Hic autem speramus, quia plangentes, & euangelica præcepta custodientes, non terram possidebimus, sed cœlum*: His iisdem verbis vtitur Auctor Commentariorum in Epistolam ad Hebræos inter Ambrosij Opera; Anselmus in idem caput; *Illa enim* (de lege antiqua differit) *promittebat temporalia: hæc* (scilicet, euangelica) *pollicetur æterna, non copiam temporalium diuitiarum, non multitudinem filiorum; sed potiùs vitam æternam*; In illud *Iudæi diuitiarũ cupidissimi amatores.* Hieron. *Victimæ cur permissæ Hebræis.* Augustin. Theophyl. Chrysost. Primas. Anselm. Ambr.

cap. 4. ad Galatas, *Sub elementis mundi eramus*, &c. de Mosaïcæ legis obseruantiis loquutus: *Quæ* (inquit) *elementa dicuntur mundi, quia data sunt amatoribus mundi, qui nesciebant appetere æterna, & inuisibilia; sed temporalia & visibilia, ideóque terroribus corporalium pœnarum, & promissionibus temporalium bonorum, pueriliter, siue seruiliter compellendi erant ad Dei cultum. Elementa ergo mundi, lex Moysi, & omne vetus Instrumentum*, &c. His cognata breuiter ad eadem verba Glossa ordinaria, atque Bruno Carthusianus: *Eramus sub elementis mundi* (ait) *id est, quæ lex, & mundana promittebat, & carnalia docet*: Et ex nostra Ibernia Venerabilis Sedulius in allegatum ad Hebræos caput 7. meliorem Pauli spem explanat, scilicet, illam, *qua vita æterna speraretur, potius quàm illa, qua bona terræ expectantur.*

Gloss. ord. Bruno.

Sedul.

120. Verùm exceptis Pauli enarratoribus Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, cap. 24. *Cæterùm de Esaïa promittit benedictionem terrenam, & subiicit cœlestem; De optimatibus terræ* (*dicens*) *erit inhabitatio tua, & à rore cœli, Iudæorum enim dispositio in Esaïa priorum natu, & posteriorum affectu filiorum à terrenis bonis imbuta per legem: posteà ad cœlestia per Euangelium credendo deducitur*: Cyrillus Alexandrinus in illud cap. 3. Amos: *Si cadit auis in terram*, &c. *Erant autem Israëlitæ mundanis inuoluti negotiis, & tantummodo fluxa, & caduca persequebantur*: Procopius in illud Isaïæ, cap. 1. *Si volueritis, & audieritis me*, &c. *Vbi Iudæos* (inquit) *crasso & pingui ingenio præditos, vel addito rerum corporearum præmio adhortatur*: Sed facundissimè Bernardus sermone 60. in Cantica: *Verè ficus est populus fragilis carne paruulus sensu, animo humilis, cuius primi fructus* (*vt interim nomini alludamus*) *grossi vtiq; & terreni*. Imprimis verò declamatione 1. in illud: *Ecce nos reliquimus omnia*, &c. *Denique, quidni terrenas palàm diuitias possiderent sancti, & perfecti viri, cùm sola adhuc terrena palam promitterentur à Deo? Sicut enim sacrificiis illis, sic & diuitiis, carnalibus adhuc populis dispensatio diuina morem gerebat: nimirum, vt tanquam paruuli paulatim à Gentilium secederent ritu, eadem quæ Gentes Dæmoniis, Domino immolantes; eadémque & illi, sed à Domino, non à Dæmoniis expectantes*: Et paulò inferiùs: *Nimirum, longè aliud est, in luto aquarum multarum diuisi fundo maris iter capere, terena ilcèt possidendo; aliud, ipsam quoque nouis gressibus vndam calcare, omnia relinquendo: Sed tempori gratia, prærogatiua hæc debebatur: Antiquorum sanè Patrum diebus, donec in terris videretur, & conuersaretur in homines Dominus maiestatis, non erat euangelicæ forma perfectionis; sed spiritum Domini solo interim spiritu sequebatur; at vbi Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; iam nobis in eo tradita est imago vitæ, & conuersationis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari, vt vtroque sequentes vestigio non vlteriùs cum Patriarcha Iacob altero femore claudicemus: vbi enim audiuimus, quia dictum sit antiquis: Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: &c. Et iuxta hunc sensum B. Damianus Cardinalis sermone 2. de Natiuitate MARIÆ, qui secundùm ordinem homiliarum 45. *Sed enim per Paulum dicitur, Nihil ad perfectum adduxit lex: quia enim rudis adhuc ille populus, superbus & rigidus erat, ad portandum perfectæ legis iugum, cernicem cordis humiliare non poterat: danda ergo illi fuerat huiusmodi lex, qua nec omninò à diuinis obsequiis liberum ire permitteret; nec tamen præcipiendo summa, & grauia deterreret*, &c.

Cyrill.

Procop. *Iudæus, quâ hebes & crassus populus.*

Bernard.

Damian.

121. Patrum effata vti consueuêre imitati Scholastici, ex quibus Sanctus Aquinas lect. 3. in c. 7. ad Hebræos; *In maiori ergo sunt duo, quorum vnum pertinet ad vetus Testamentũ, scilicet, quòd est mandatum carnale, & hoc, quia habet quasdam obseruantias carnales, sicut circuncisionem, & purificationes carnales. Item, quia promittebat pœnas, & præmia carnalia, Isaïæ 1. Si volueritis, & audieritis*: Idem verò bellissimè 1. 2. quæstione 91. art. 5. in corpore: *Primò enim ad legem pertinet, vt ordinetur ad bonum commune, sicut ad finem; quod quidem potest esse duplex: scilicet, bonum sensibile, & terrenũ, & ad tale bonum ordinabat lex vetus: vnde statim Exodi 3. in principio legis inuitatur populus ad regnum terrenum Chananæorum: & iterum bonum intelligibile, & cœleste, & ad hoc ordinatur lex noua: vnde statim Christus ad regnum cælorum suæ prædicationis principio inuitauit dicens: Pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum cœlorum. Matth. 4. Et ideò Augustinus dicit in quarto contra Faustum, quòd temporalium rerum promissiones in Testamento veteri continẽtur, & ideò vetus appellatur: sed æternæ vitæ promissio ad nouum pertinet Testamentum.* Iterat hæc rursum breuiter quæstione 114. art. 10. ad 1. Causam horum describit quæst. 99. art. 6. in corpore: *Vnde, sicut oportet ordinatè in scientiis procedere, vt ex notioribus disciplinis incipiat; ita etiam oportet, eum, qui vult inducere hominem ad obseruantiam præceptorum, vt ex illis eum mouere incipiat, quæ sunt in eius affectu, sicut pueri prouocantur ad aliquid faciendum aliquibus puerilibus munusculis: dictum est autem supra, quòd lex vetus disponebat ad Christum, sicut imperfectum ad perfectum: vnde dabatur populo adhuc imperfecto in comparatione ad perfectionem, quæ erat futura per Christum, & ideò populus ille cõparatur puero sub pædagogo existenti, vt patet Galat. 3. perfectio autẽ hominis est, vt contemptis temporalibus, spiritualibus inhæreat: imperfectorum autem est, quòd temporalia bona desiderent in ordine tamen ad Deum: Vnde in lege veteri conueniebat, vt per temporalia, quæ erant in affectu hominum imperfectorum mandaret homines ad Deum*: Atque his cognata quæst. 98. art. 2. ad 1. quibus etiam similia Alexander Alensis 3. parte, quæst. 56. præsertim toto articulo secundo; Scotus & breuiter innuit in 4. distinct. 33. Albertus in eandem distinctionem, articulo 23. Gabrielis Supplementum ad distinctionem 30. quæst. 2. conclusione 4. *Tunc temporum* (inquit) *paupertas pro maledictione, & diuitiarum abundantia pro benedictione erat: Hoc innuit Propheta dicens: Beatum dixerunt, cui hæc sunt. Psalmo* 143. Quare Abulensis tom. 1. in Matth. quæst. 43. in caput illius primum, in litteræ explanatione: *Iudæi* (inquit) *putabant, quòd Messias redimeret eos à temporali seruitute, & deduxisset regnum Israël ad prosperitatem maiorem temporalem, quàm fuerat sub Dauid, & Salomone, & cæteris Regibus: propter quod plurimi Iudæorum non receperunt* IESVM *in Messiam quia non liberauit aliquid de temporali regno; & ista erat quasi communis intentio omnium Iudæorum, tempore Christi*: Quæ repetit quinta parte in Matthæum, quæst. 9. in cap. 18. Euangelistæ: *Quam habebant* (ait) *velut communem conceptionem, saltem quantùm ad vulgus.*

121. S. Thom. *Terrena pollicitationes ad vetus Instrumentũ, æterna ad nouum spectant.*

Iudæi pueris similes.

Alexand.

Scot.

Albert.

Paupertas pro maledictione Iudæis.

Scot.

Gabriel.

Iudæorum existimatio de Messia aduentu.

Psal. 143. Abul.

SVBSECTIO II.

Canticorum phrasim, omnem impudicam venerem respuere; quid secundùm eam vbera, venter, crura, vmbilicus, & similia? Quænam consideranda in veteris instrumenti dictione? quæ in coniugatis amplioris licentiæ causa?

122. QVando igitur ex hactenus præfatis manifestè constat, amplissimam concessam deliciandi licentiam hominibus sub Moyse viuentibus, & exceptis paucis quibusdam de Heroüm genere, quos viris noui Instrumenti aggregandos potiùs Nazianzenus censuit oratione de Machabæis, quòd à legis semita defecissent euangelicam ante tempus institutionem æmulati, cæteros mortales opes, & connubiorum gaudia impensè sequutos; quis inter prudentes demirabitur, si videat Epithalamio resonare passim oscula, flores, vnguenta, blanditias? Imò quidem hæc si abfuissent, vix antiqui dixissemus temporis Hymenæum; Quapropter Chrysostomus sapienter admodum, cùm quas enumerat Salomon voluptates Ecclesiastæ cap. 2. consideraret, atque adeò nihil neque oculis, neque cordi affirmet à se negatum; noluit tamen cordatissimus homo continuò accusare delicatum Regem, sed cùm in sæculi illius mores lumina conuertisset, absoluit lubenter tractatu aduersùs concubinarios, tom. 5. *Quamuis autem* (inquit) *à Salomone sæculis superioribus non tam multa sapientiæ exigebatur diligentia, neque delicias lex vetus prohibebat, neque aliys frui superuacuis dicebat vanum; attamen sic se habentibus rebus, in ipsis contueri licebit, quàm viles, & vanitati obnoxiæ sunt; nos verò ad maiorem vocati vitam, & ad excellentius fastigium ascendimus*, &c. Quare prouidum vnunquenque, & cupidum non labi in tetra absurda meminisse oportet sæpiùs, eius quam hausimus, doctrinæ ex Patrum, atque Theologorum officina de temporum illorum imbecillitate, quibus viri centum annorum moribus pueri erant, & Creator lacte quasi infantulos nutriebat: In hanc si mentis aciem intendat, fuisse quidem illius ætatis continentiam infirmam, atque imperfectam arbitrabitur iure; malam nullo pacto, cùm Legislator supremus dispensaret in plurimis, & toleraret infantiam, atque imbecillitatem eorum, qui terrena omni nisu appetebant.

Nazian. *Non mirum sub lege veteri, homines non fuisse adeò perfectos.*

Chrysost.

123. Quòd si hæc parui facere quispiam infelicior tentet, & despecta temporum consideratione, suo iudicio præceps feratur, rerúmque elementa, & superficiem solùm perpendat; dicat nobis, quæ probaturus sit, si Canticorum oscula respuat? Ac fortasse minùs imprudens sit vxorum caterua thalamos impleuisse? repudiasse ob non nimiùm graues causas eam quæ displicuerat? & quale tandem illud est, quod Deuteronomij 24. vers. 5. *Cùm acceperit homo nuper vxorem, non procedet ad bellum, nec ei quidpiam necessitatis iniungetur publicæ; sed vacabit absque culpa domi suæ, vt vno anno lætetur cum vxore sua?* Et quæ illa virginitas, de qua ad seniores vrbis in porta idem Deuteronomium præcepit deferendum cap. 22. vers. 15. & Ezechielis cap. 16. nónne totum in amoribus? Iam & Oseæ fornicationis vxor, & Iudithæ ornatus ad capiendum Holofernem, atque Estheris per menses plurimos apparatus, & formæ perpolitio, vt sileam à Iacobo Patriarcha despectam Liam, prælatam venustam Rachelem? Itaque hæc cùm cœperit detestari, incidet facilè in amentiam Manichæi, & veteris Instrumenti aboleri multa egregius Scripturarum Reformator optabit; Sed, quoniam huiusmodi deliramenta libris, quos aduersùs Faustum scripserat Augustinus, confutauerat, & irrisit; exhibeamus tanti Doctoris sermones aliquot; Libro igitur 22. contra hunc Manichæum, cap. 25. *Si autem isti in quibusdam factis, à quorum altitudine longè sunt, reprehendunt, tanquam libidinem Prophetarum; similes autem sunt, qui in magnis ista reprehendunt, pueris imperitis in schola, qui cùm pro magno didicerint, nomini numeri singularis verbum numeri singularis esse reddendum, reprehendunt Latinæ linguæ doctissimum Auctorem, quia dixit; Pars in frusta secant*, (Æneid. 1.) *debuit enim, inquiunt, dicere secat; & quia norunt religionem dici, culpant eum, qui geminata littera dixit, Relligione Patrum; Vnde non absurdè fortasse dicatur in genere suo, quantùm distant schemata, & metaplasmi Doctorum à oloœcismis, & barbarismis imperitorum, tantum distare figurata facta Prophetarum à libidinosis peccatis iniquorum.*

Manichæi, & alij Hæretici, similes pueris imperitis. Augustin.

Verùm, quòd ad blanditias coniugum, quibus scatet Epithalamium, spectat, idem nominato libro. cap. 36. simile versans argumentum, nimirum, quod Geneseos cap. 26. vers. 8. dicitur Abimelech Rex Palæstinorum prospiciens per fenestram, vidisse Isaac iocantem cum Rebecca vxore sua (hos lusus, oscula & amplexus fuisse apud Lyranum, quibusdam opinio est) quodcunque, illi tantæ familiaritatis indicia fuêre, quæ conthoralem, non exteram fuisse demonstrarent, quæ nempe licerent maritatis solùm; Sed de iis purissimè Augustinus: *Quod cum sancti coniugati faciunt, non inaniter faciunt, sed prudenter decendunt enim quodammodo ad feminei sexus infirmitatem, vt aliquid blanda hilaritate, vel dicant, vel faciant, non eneruantes, sed temperantes virilem rigorem; quod tamen ei, qui vxor non est, qui dixerit, aut fecerit, turpis est; Verùm hoc, quod ad mores humanitatis pertinet, dixerim, ne quisquam durus, & sine affectu idipsum pro crimine obiciat sancto viro, quòd cum coniuge sua luserit; tales enim homines inhumani, si aliquem virum grauem, ludicrum, aliquid garrientem cum pueris etiam paruulis viderint, quo eorum lacteum sensum affabili, & nutritoria facilitate permulceat, tanquam delirantem reprehendunt; obliti vnde creuerint, aut ingrati, quòd creuerint:* Et cap. 48. de multitudine vxorum, quas Patriarchæ habebant; *Proinde isti, si volunt, non falsa, atque adumbrata, sed vera, ac solida pudicitiæ capere sanitatem, diuinæ Scripturæ tanquam libris medicinalibus credant; non frustrà tam magnum honorem sanctitatis tribuit quibusdam viris, etiam plures vxores habentibus, nisi quia fieri potest, vt Imperator carnis animus tanta temperantiæ potestate præpolleat, vt genitalis delectationis motum insitum naturæ mortalium ex prouidentia generandi leges impositas non permittat excedere; alioquin possunt isti maledici, potiùs calumniatores, quàm veri Iudices etiam sanctos Apostolos accusare; quòd non voluntate generandi filios vitæ æternæ, sed cupiditate laudis humanæ populis tam multis*

124.

Genes. 26.

Lyran.

Non omnia iocosa in viris etiam seueris statim taxanda. Augustin.

Coniugia veterũ Patriarcharum honestissima, probant casta esse omnia in Salomonis Cantico.

Deut. 24.

Qui Canticorum phrasim despexerit, necesse est, vt multa Scripturæ partem contemnat?

Euangelium prædicauerint ; Capite denique 49. *Hanc profectò modestiam, hanc concupiscentiæ coërcitionem, & in commixtione corporum coniugalium solum appetiuum posteritatis humanæ, vt erat acutus Faustus in illis litteris, & intelligeret, & laudaret, nisi eius ingenium detestabili secta depranatum, & quid reprehenderet, quæreret, & vnam nuptialis conuentionis honestatem, qua mores, & femina liberorum procreandorum causa copulantur, crimen maximum deputaret.*

125. *In coniugatis honesta plura, quæ in solutis fœda essent.*

Atque in huius Epithalamij gestis multa considerandæ sunt, quæ extenuare valeant delicatorum indoctam offensionem ; Primum, quòd inter coniugatos res agitur, quorum licentia multò amplior est ; nam & de ipso coitu Augustinus libro de bono coniugali, cap. 6. *Coniugalis enim concubitus* (inquit) *generandi gratia non habet culpam ; concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum coniuge propter fidem thori, venialem habet culpam* ; Secundum, quòd hæc ipsa coniugatorum facultas laxior sit, dum nuptiæ concelebrantur ; tempus enim illud maiorem gaudiorum licentiam iure quodam sibi vendicat ; Tertium, quòd oscula & amplexus (quæ potissima scandali occasio sunt in sacro Hymenæo) multos ob fines honestari valeant, si ob amicitiam, patriæ consuetudinem, & eiusmodi alios scopos fiant, atque hoc inter solutos etiam à matrimonio ; vnde sanctus Thomas 2. 2. quæst. 154. art. 4. in corpore ; *Dicendum, quòd aliquid dicitur esse peccatum mortale dupliciter ; vno modo secundùm speciem suam ; & hoc modo osculum, & amplexus, vel tactus secundùm suam rationem non nominant peccatum mortale ; possunt enim hæc absque libidine fieri, vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem, aut rationabilem causam* ; Videndus noster Salas tom. 2. in 1. 2. quæst. 74. tract. 13. disputatione 6. sectione 20. num. 131. Quartum, idque principale, & ante omnia considerandum, vt in his vitiosum quidpiam sit, & indecorum ; sed aliter Moyses suos instruebat, aliter Christus : ibi pædagogia, & qui informabantur de puerorum cœtibus ; hîc discentes in virum maturum, & in plenitudinem ætatis Christi procedunt : ibi futurorum vmbræ, & lineamenta ; hîc veritas : ibi caro & sanguis in diuitiis, & coniugio præcellebant ; hîc spiritalia, & æternatura bona ; Quemadmodum ergo in viro Monasticen profesSo, & qui omni pompæ, atque lautitiæ valedixit, intoleranda enormitas fuisset vestis pretiosa, & circunquaque odorem à myrrha, casia, balsamo diffundens, capillus amomo delibutus, & calamistro in annulos formatus, ad hæc infracta vox, gressus compositus ad ostentationem lingua petulantior ; in aulicis tamen, & qui Regum versantur in domibus, istiusmodi neque scandalo, neque offensioni sunt prudentibus ; scilicet, quoniam voluptati dicata est aula, & vt Numini sempiterno debitam obseruantiam grauiter non lædant, minutiora si colere omittant, ipsa vitæ institutio parit indulgentiam ; sic cùm tanta sit inter Euangelium, & Synagogam distantia, nemini insolens apparebit, locum habere apud legem, quæ sub Euangelio stipendiantes abhorreant, atque ibi carnis aliqua opera in honore vtcunque, hîc planè despici ; Visúmque mihi ad hæc ostendenda non inconcinnum exemplum Ioannis Præcursoris suppeditare gesta apud Lucam cap. 30. nam ad eum confluente ex omni hominum genere multitudine ; cùm turbæ, & vulgus imperfectum interrogaret, *Quid faciemus* ? misericordiam solùm commendauit : *Qui habet duas tunicas,* (inquit) *det non habenti ; & qui habet escas, similiter faciat* : Quibus verbis superflua tantùm abdicanda ab eo suasum Interpretes animaduertunt ; Sed egregiè à Iansenio admonitum cap. 131. Concordiæ ; *Ioannes autem neque ieiunia exigit, quemadmodum à suis discipulis : nec graues carnis afflictiones, vt quæ non omnibus conuenient : nec ab omnibus facilè suscipi possent : sed ad charitatis omnia perficientis officia vocat* ; Atque etiamnum his leuiora onera & publicanis, & militibus imposuit ; nam ad priores tantum, *Nihil* (ait) *amplius, quàm quod constitutum est vobis, faciatis* ; Ad milites autem ; *Neminem* (inquit) *concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris* ; Iterum Iansenij elegans Commentarius ; *Ab his autem neque exigit beneficentiam in proximum, quam à turba exegerat : sed tantùm vt à malis abstineant, & aliena non raperent, si nondum sua largiri possent : satis enim magnum profectus gradum in ipsis esse duxit, si se temperarent à malefaciendo : Itaque vtrosque admonet ab his abstinere malis, quibus verè solent esse obnoxij, attemperans suam admonitionem necessitati, & capacitati* ; Itaque Eremita beatissimus, qui venit neque manducans, neque bibens, cùm discipulos suos ad maxima quæque hortaretur, & ieiunia præscriberet, vigilias, secessum, nuditatem ; cum publicanis atque legionariis mitiùs egit, ad multa conniuens ; nimirum idcircò, quòd eius scholæ & imitationi traditi, consummatam viuendi arripuerant normam ; vectigalium exactores, & castra sequuti homines per humum reptabant, terrena sectabantur, & eam calcarent semitam, quæ animam plurimùm uexaret, atque distraheret ; Sic ergo cùm sub antiquo fœdere mortales diuitiarum, & generationis nimiùm occuparet amor, spiritum ad sublime ægrè attollebant : quare non pauca eis concedebantur, quæ Euangelium prorsus detestatur : *Nam multas imperfectiones licitas sub Moyse* (inquit Scotus in 4. dist. 33. quæst. 3.) *euacuauit Christus reducendo ea, quæ erant permansura ad perfectionem in lege sua.*

Oscula, & amplexus inter solutos etiã sæpè honestissima.

S. Thomas.

Salas.

Statuum delectus habendus, & diuersa perfectio consulëda pro vitæ cuiusq; muneꝝ.

Ioannes Baptista, quàm excellẽs magister, & cõcionator. Iansen. Luc. 3.

Redeamus iterum parumper ad Augustinum, docebit temporum esse in primis habendam rationem, & quid licuerit, quaque ætate : Itaque tertio de doctrina Christiana libro, cap. 13. commonet : *Quid igitur locis, & temporibus, personisque conueniat, diligenter attendendum est, ne flagitia reprehendamus* : Et cap. 22. *Ergo quanquam omnia, vel penè omnia, quæ in veteris Testamenti libris gesta continentur, non solùm propriè, sed etiam figuratè accipienda sunt : tamen etiam illa, quæ propriè Lector accipit, si laudati sunt illi, qui ea fecerunt : sed ea tamen abhorrent à consuetudine bonorum, qui post aduentum Domini diuina præcepta custodiunt : figuram ad intelligentiam referat, factum verò ipsum ad mores non transferat : Multa enim sunt* (& hoc Augustini documentum aureum) *quæ illo tempore officiosè facta sunt, quæ modò nisi libidinosè fieri non possunt* : Facessant igitur impudicitiam castissimo obiectare Hymenæo, auertant longissimè oculos ab omni libidinosa suspicione, dum sacrum peruoluunt Epithalamium : alioquin erit vt iustissima, eadémque seuera Augustini eos reprehensio excipiat eodem volumine, cap. 19. *Sed quia effrænata libidine* (ait) *vel per multa stupra defluentes euagantur, vel*

126. *Ætatũ, temporum, locorum, personarum ratio habenda, antequàm feramus iudiciũ de rebus.* Augustin.

Hæretici, quia libidinosissimi, impurè iudicãt de Canticorum libro. Augustin.

vel in ipsa coniuge non solùm excedunt ad liberorum procreationem pertinentem modum, sed etiam inhumanioris intemperantiæ sordes inuerecunda omnino licentia seruilis cuiusque libertatis accumulant; non credunt fieri potuisse, vt temperanter multis feminis antiqui uterentur viri, nihil seruantes in vsu illo nisi congruum tempori propagandæ prolis officium; & quod ipsi laqueis libidinis obstricti, vel in vna non faciunt, nullo modo in multis fieri posse arbitrantur.

127. *Venter, vmbilicus, & similia nomina vestem, non corporis partem denotant.*

Verùm inquiunt; Vt cætera excusationem habeant, quid illud, vbera, ventrem, vmbilicum, describi, commendari femora, crura, & quodcunque natura abdiderat? Hæccine impollutum Hymenæum significant? Respondeo eiusmodi verba in hoc Epithalamio non partes corporis velari solitas innuere, sed quibus ea membra obteguntur, amictus: itaque, aut thoracem, aut cingulum, aut gemmam rarioris pretij, aut de vestitu aliud referunt; pertinebat enim ad Poëtam nuptialem pompam extollere, & hoc de præcipuis officium vnum; at genialis spectaculi insignior dos ornatus nouorum coniugum; Et quanquam non ignorem aliquando idem nomen, & vesti, & corporis alicui aptatum parti; sic enim & *buccula* cum diminutione *os*, seu *bucca* vocatur; & appellatur quoque *buccula* cassidis pars, per quam spiritus emittitur; sinus nuncupatur pars corporis intra pectoris, brachiorúmque complexum; & etiam vestis, quod ante pectus natat; reperietis exemplorum copiam apud Thesauri linguæ Latinæ Collectorem; apúdque nostrum Sanchez, qui ex sacris depromit quoque testimonium prolegom. 9. & 10. in Cantica: atque idem notat Alcazarius ad illud cap. 5. Canticorum: *Venter eius eburneus*, &c. Arbitror nihilominùs, quæ hîc sumuntur vocabula, translatè accipi; neque enim memini ex primæua vocum impositione thoracem ventris significatum verbo, aut caligas femora, seu crura appellata: ita venter nominatur à Salomone, vel propter similitudinem, quam habet cum ventre thorax; est enim quædam delineatio & imago illius; vel, quòd sub thorace contineatur venter; vtrunque metaphoræ genus frequens, & apud Scriptores profanos, & apud canonicos; in eum modum à Latino vsurpatum Vate neque semel quidem pro contento continens, scilicet aquam vocauit poculum in Eclogis,

Thesaur. ling. Lat. Sanch.

Alcazar.

Torporis frequens vsus in Cantico Canticorum

Regula: Contentum pro continente positum in Scriptura.

——*timidæ venient ad pocula Damæ.*

Virg.

Et in Georgicorum primo Volumine:

Poculáque inuentis Acheloïa miscuit vuis.

Ita & alibi Æneïdos 1. Cererem fruges dixerat, quoniam Ceres inuentrix:

Tum Cererem corruptam vndis.

Sed quòd Atlas mons à longè intuentibus hominis gerere effigiem videretur, non dubitauit hominem nominare, & depingere. Æneïd. 4.

Atlantis cinctum assiduè cui nubibus atris
Pinniferum caput & vento pulsatur, & imbri:
Nix humeros infusa tegit, tum flumina mento
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.

Turneb. Notatum à Turnebo lib. 1. Aduersar. cap. 1. vinum pro vua à Plauto dictum; *Tunc vinum* (ait) *priusquàm coactum est, pendet putidum*; quæ de racemis probè construas, non de Bacchi liquoribus; Transeamus ad Biblicam mensam; quid enim Maro continens pro contentis vsurpauit, & nónne talia Matth. 20. vers. 22. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Vbi calix proliquido: & eiusdem Euangelistæ cap. 2. *Turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo*: vbi Hierosolyma pro ciuibus, quos Metropolis continebat; & Ægyptus pro incolis Psalm. 104. vers. 38. *Lætata est Ægyptus in profectione eorum*: & Galaad pro montis habitatoribus. Ps. 59. vers. 9. *Meus est Galaad, meus est Manasses, Ephraim fortitudo capitis mei*: At, quòd ea, quæ similitudinem gerunt, iisdem nominibus afficiantur, (nam hoc præcipuè instituto deseruit, quando thorax ventrem referat,) ex Scripturarum vsu docuit productis multis exemplis Augustinus tom. 4. lib. 2. ad Simplicianum, quæst. 3. *Quanquam in hoc facto* (ait) *potest esse alius facilior intellectus, & expeditior exitus, vt non rerè spiritum Samuëlis excitatum à requie sua credamus: sed aliquod phantasma, & imaginariam illusionem Diaboli imaginationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuëlis appellat, quia solent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt, sicut omnia quæ pinguntur atque finguntur ex aliqua parte materiæ metalli, aut ligni, vel cuiuscunque rei aptæ ad opera huiusmodi, quæque etiam videantur in somnis, & omnes ferè imagines earum rerum, quarum imagines sunt, appellari nominibus solent*: Plura tibi sapientissimus Doctor; Martinez Hypotyp. lib. 9. regula 21. Ribera in Apocal. ad illud cap. 1. *Primus & nouissimus*, &c. Cornelius ad initium Isaïæ cap. 21.

Pfalm. 104.

Pfalm 59.

Auguſt. *Regula: Imagines rerum solent earum rerum, quarũ imagines sũt, nominibus vocari.*

Martinez. Ribera. Cornel.

128. *Quando à metaphorica explicatione abstinendũ, quando ad eã confugiendũ*

Obstrepis, syncerum Scripturarum interpretamentum illud esse, quod verba, quemadmodum sonant, explanat, atque suspectam esse metaphora fundatam declarationem: Respondeo, ex vero esse hoc, quoties verba nudè suscepta implicantiam, vel absurdum non generant: istiusmodi aliquid cùm sequitur, ad metaphoras confugiendum: quis aliter pronunciauit? Nunc autem contendit Aduersarius, indecorum esse, strictè accepisse vocabula illa, ac proinde affirmamus, translata esse; Porrò, ne quem metaphora offenderet quasi nimiùm peregrina, atque insolens, exhibuimus æmulas translationes, quibus & externi crebò vtuntur Scriptores, & quas diuinior pagina frequenter vsurpat; ac quanquam hoc abundauerit Lectori nisi vehementer proteruus fuerit, dabimus tamen operam (si magno Numini placuerit) vt cùm ad exponenda singula peruenerimus, eam quoque adiungamus interpretationem, quæ & verba declaret iuxta corticem, sonúmque absque metaphoræ supplemento; & tamen ostendat eadem, summa cum honestate, atque verecundia copulata esse, qualem oporteat eum esse sermonem, quem non homo licentiæ & cupidinibus obnoxius, loquutus sit, scripserit, dictauerit; sed Spiritus ille sceleris, atque cuiuscunque inquinamenti à natura, & essentialiter purus; Interim, quemadmodum constans sit, neque in Salomonis Epithalamio, neque in sacrorum Voluminum Codice aliquo inueniri voculam quampiam, quæ actionem turpem, & infandam designet, consule, & reperies cumulatè adstruentem nostrum Mendoçam tom. 1. in lib. 1. Regum, in expositione litteræ, vers. 19. c. 1. num. suo 6. Mendoça.

Matth. 20. & 2.

SVBSECTIO III.

Obiectio à monachatu antiqui Fœderis; qualis hic fuerit? num feminæ aliquæ Virginitatem colentes? Isaiæ, Machabæorum, Matthæi illustratio.

129. MIrum videbitur à nobis tanta contentione assueueratum, virginitatis encomia obscura fuisse, & quæ mortalesinstitutis Mosaïcis addicti non colerent; cùm Patres ex illo hominum cœtu virgines passim exhibeant; nimirum quales extitêre secundùm nonnullos Melchisedech, & Iosuë; iuxta plurimos Daniel cum tribus pueris; atque ex omnium penè sententia, Elias, Elisæus, Ieremias, Baptista Christi anteambulo: Quid? Num hi id elegerint, quod Deus præcepto vetuerit, quod consilio dehortatus sit? Respondeo, non ablegatum à nobis omnem cœlibatum à veteri lege; sed conatos ostendere id, quod verissimum arbitramur, rarissimos fuisse, qui sine vxoribus, & liberis decesserint, & ne vnum quidem inter millium plurima: quanquam vt erat virtus ipsa in se pulcherrima, adamatam ab optimis, at desiderio, non opere, quoniam tempora ita exigebant, assertore Augustino libro 4. contra Faustum cap. 2. *Intelligebant enim, reuelante sibi Spiritu Dei, quod tempori illi congrueret, & quibus modis Deus per illas omnes res gestas, & dictas, futura figuranda, & prænuncianda decerneret: magisque desiderium eorum de nouo Testamento erat: sed præsens functio corporalis ad significanda noua ventura pollicitationibus veteribus præbebatur*, &c. Et manifestiùs lib 3. de doctrina Christiana, cap. 18. *Itaque, si eos in hac vita inuenisset Domini aduentus, cùm iam non mittendi: sed colligendi lapides tempus esset, statim seipsos castrarent propter regnum cœlorum.* Et de bono coniugali, cap. 22. loquens de Abrahamo Patriarcha: *Esse autem castus sine coniugio potuit; sed tunc non oportuit:* Ergo præceptum violauit Elias, & pusillus virginitatis grex? Minimè quidem; nam à Creatore dispensatum cum illis; & mandatum accepêre internum saltem, vt cœlibes agerent; Quare diuino monito impulsos specialiter ab eo, qui legem soluere posset, affirmarunt Gabriel supplemento in 4. sentent. distinctione 30. quæstione 2. conclusione 4. Paludanus in eiusdem libri distinctionem 33. quæstione 2. ad sextum articulum: S. Antoninus 4. part. summæ, titulo 4. cap. 8. §. 1. Ergo, quemadmodum nouimus quidem legem fuisse latam, ne Hebræorum aliquis cum ethnica femina nuptialia iniisse fœdera possit; cùm virgine autem Chananæa neque etiam postquàm deposuit patrias superstitiones, & Iudaïsmum amauit; cùm tamen Dauidem intuemur ex paganismo vxores deligentem, aut Salmonem copulatum Rahab Hierichuntinæ, aut Salomonem Pharaonis gnatam ad thalami, & regnorum consortia admittentem: non diuini præcepti confractores nominamus: sed cum illis dispensatum asserimus, & peculiari instinctu ad ea peragenda stimulatos opinamur, vti probauimus Anteloquio 5. Sectione 1. & 2. Sic, cùm videmus Eliam, Ieremiam, ac quempiam de Prophetarum numero virginitatem colentem, intelligimus Deum super his dispensasse, & voluisse vt pauci aliqui inassuetam viuendi normam tentarent; quo, videlicet, & euangelici cœlibatus quædam anteiret prælibatio quanquam rudis; & imperfecta nimirum absque voto perpetuùm adstringente: sicut & cæteræ similitudines aliarum etiam rerum imperfecta quædam erant initia, atque solùm elementa.

Augustin.

Deus cum Elia, & similibus dispensauit, vt virginitatem colerent.

Gabriel. Paludan. Antonin.

Matrimonia Hebræorum cum Ethnicis ex diuina dispensatione.

130. At ferre non possunt aliqui tam raras virgines apud Moysem: nam Græcos, & Latinos Patres dum consulunt, Monachos veteris Fœderis ab illis plurimùm concelebrari legunt: Vnus instar multorum sit Hieronymus epistola ad Paulinum, de institutione Monachi: *Et vt ad Scripturarum (inquit) auctoritatem redeam, noster Princeps Elias, noster Elisæus, nostri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis; de his sunt & illi filij Rechab, qui vinum, & siceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui Dei per Ieremiam voce laudantur, & promittitur eis, quòd non deficiat de stirpe eorum vir stans coram Domino:* Atque in eundem morem scripsêre magna pars, quos congestant Thomas à Iesv in Regulam primitiuam Fratrum B. MARIÆ à monte Carmelo, parte 1. cap. 1. Ioannes de Carthagena tom. 3. homil. Catholica 3. lib. 16. Quare Eliæ institutum cùm ante visum in carne Deum totam peruagauerit Palæstinam, & fuerint virorum atque mulierum Cœnobia plurima, in quibus religio floruerit: non est, quòd virgines prisci Fœderis ad tam exiguum manipulum reducamus, vt vix octo, aut decem recenseantur, qui castitatem per omne vitæ curriculum seruauerint: obstatque Isaïæ præclarissima commendatio, cap. 56. vers. 4. *Et non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum, quia hæc Dominus Eunuchis, qui custodierint Sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus, nomen sempiternum dabo eis:* Quos enim hæc tam sublimis oratio complectitur, nisi virgineas turmas, quas consolatur euangelicus Isaïas? ad quas & Sapientiæ verba, cap. 3. vers. 13. *Quoniam felix est sterilis, & incoinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto: habebit fructum in respectione animarum sanctarum; & spado, qui non est operatus per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima.* Huc quoque spectant illæ, de quibus Machabeorum 2. cap. 3. vers. 19. *Sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam:* Denique & Redemptori Christo sermo est de Eunuchis, capite 19. Matthæi, atque iis sanè, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum, qui locus respexerit aliquid in Hebræorum republica fieri visitatum, quod perficere aduentu suo Verbum fategerit, vt taceam eos, à quibus Essenorum decantata sit virginitas, quos & Iudæos fuisse probant.

Monachi stricte, id est, cum trium vetorum nexibus, nũ ante Christum?

Hieron.

Th. à Iesu.

Carthag.

Sap. 3.

2. Mach. 3.

Matth. 19.

131. Verum est Hieronymum duces suos appellare filios Prophetarum; sed quidem hoc insigniti nomine coniugiis indulsêre, quippe ea voce intelliguntur potissimùm qui ore, instrumentísque diuinas laudes peritiùs canerent, vnde Paralip. 1. cap. 15. vers. 22. dicitur *Chonenias princeps leuitarum prophetiæ præesse ad præcinendam melodiam*: eius sententiæ Theodoretus cum Rabbinis nonnullis & Chaldæo, quos

Paral. 1. c. 15. v. 22.

quos allegat & sectatur ad cap. 10. libro primo Regum Serarius; ibidem Comestor, Hugo Cardinalis, Nicolaus, Dionysius, Caietanus, Sanctius, Rangolius, Abulensis quæstione 5. Torniellus anno mundi 2545. numero 14. Salianus tom. 3. anno mundi 2962. num. 100. cuius & opinionis Auctor institutionis Monachorum cum præfixo Ioannis Ierosolymitani titulo capite 11. atquin isti liberos generabant, quare 1. Paralip. cap. 25. vers. 3. *recensentur filij Idithum, Godolias, Sori, Ieseias, & Husabias, & Mathathias sex sub manu patris sui Idithum, qui in cithara prophetabat super confitentes, & laudantes Dominum*; Regum quoque 4. capite quarto, vers. 1. *mulier quædam de vxoribus Prophetarum clamabat ad Elisæum*, &c. vxores itaque habebant; quin & Giezi de horum schola; nam eodem functum ministerio apud Elisæum, quo subseruiebat cum Helia ipsemet Helisæus, prophetalis nimirum discipulatus, memorat Tostatus quæstione 59. ad cap. 4. libr. 4. Regum; sed hic cum posteritate, alioquin nec maledictio contra nepotes Reg. 4. cap. 5. vers. 27. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo vsque in sempiternum*; Denique prophetantium eiusmodi cuneorum prima origo à Samuele, vt præfati nuper iisdem locis adstruunt Doctores, quibus accedunt Thomas Waldensis tom. 1. Doctrinalis fidei lib. 2. art. 3. cap. 4. qui Lyram sequutus definit, *primum inter Iudæos Samuelem Prophetam Religiosum fuisse claustralem*; Genebrardus eadem lib. 1. Chronolog. anno 2066. at Samuel filios reliquit sicut & illius discipuli vt aduertit Ægidius Camartus de rebus gestis Heliæ sectione 8. cap. 6. qui eodem tract. cap. 1. sectione 5. demonstrat ex Prophetis strictè dictis, quod miraculis & futurum certissimis prædictionibus eminerent; nonnullos matrimoniis copulatos prolem suscepisse: iam vt ad Rechabitas veniamus; nónne palam Ieremiæ contestatur oraculum connubia haud quaquàm aduersatos? *Ita vt non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos & mulieres nostræ, filij & filiæ nostræ*, cap. 35. vers. 8. neque aliud omnes interpretes; sed & Monachorum Parentes à Nazianzeno, Ambrosio, Hieronymo, sancto Thoma dicuntur Nazaræi, citant Lorinus argumento cap. 6. Numerorum, Becanus Analogiæ cap. 9. num. 7. quin verò Monastica nullam insigniorem figuram sub prisca lege iidem ostendunt vt & Cornelius ad vers. 9. cap. 6. Numerorum. Barradas tom. 1. Harmoniæ Euangelistarum lib. 10. cap. 11. Viegas in Apoc. cap. 9. Comment. 2. sectione 11. Serarius quæstione 9. in cap. 13. Iudicum, Plattus lib. 2. cap. 19. & tamen Nazaræi vxores ducebant, etiam qui perpetuo se obstringebant nexu, quales Samson & Samuel; appellati sunt igitur *Monachi, & primipili Religiosorum*, non quod cælibatum obseruauerint, *sed quia* vt inquit Waldensis tom. 1. doctrinalis fidei, art. 1. cap. 1. *singulariter præ suis ciuibus diuino cultui se dederunt*; qua propè forma P. Suarius tom. 4. de Religione, libro 1. de instituto Societatis, numero 6. Monachi igitur tum non trium substantialium votorum cultores, quos Christus introduxit, sed qui vitam actitabant in Collegiis, vel eremo asperioris regulæ, quam plebs mortalium cætera, & quadam sua institutione ad sacratiora ordinatum in typum alterius quem perfectionis admirabilis cœnobitarum sub Euangelio.

Reg. 4. c. 4. c. 4. *Giezi citharistæ fungebatur officio apud Elisæum.*

Reg. 4. c. 5. v. 7. *Prophetantiũ cuneorũ origo à Samuele.*

Vvaldensis.

Ierem. 35. v. 8.

Vvaldensis.

Monachi nomine quid intellexerint sæpe Patres?

Quorsum autem Isaias, vel sapientiæ Auctor de antiqui instrumenti Religiosis intelligantur? num veterum, aut recentiorum interpretum vnquam aliquis subindicarit explanationem? Quippe infelix prorsus spadonum conditio Hebræorum in Republica, quare Deuteronom. cap. 23. vers. 1. *Non intrabit Eunuchus attritis, vel amputatis testiculis, & abscisso veretro, Ecclesiam Dei*, hoc est à speciosis quibusque excludentur officiis, vt Abulensis declarat quæstione 1. & hoc loco Arias Montanus optimè perpendit; in communi autem damnatos maledictione steriles, & à prole tollenda abstinentes, nisi in paucis quibusdam speciali instinctu diuinitatis exemptos, monstrauimus subsectione 1. quare ad euangelicum cælibatum & Patres & iuniores vnanimiter referunt, id quod Bellarminus demonstrat lib. 2. de Monachis, cap. 9. Leo Castrius in Isaiam, atque aliter sensisse Iudaïcum quidpiam sapere Forerius ibidem non metuit asserere; de sapientiæ verbis paria edocent Lorinus, atque Zeruantes; Nam quidem Isaias qui suis vaticinationibus Euangelium perpetuò collustrat quasi visus illius statum Mosaicis opponere ritibus; quippè sub lege omnis sacra, atque prophana auctoritas penes vxoratos; Prophetæ, Sacerdotes, Pontifex summus coniugia amabant; cum autem superuenturum sit quod perfectum est, Euangeliique innotuerit gratia, è diuerso contingent singula; nempe ministri sacratissimorum altarium, qui *in domo Dei*, id est Ecclesia occupaturi sunt locum casti erunt voluntario & incoacto cælibatu; cæterùm quanto honorum sit decoraturus cumulo spontaneos hos Eunuchos & liberos spadones Romani Pontificatus delineatione significat: nam sanè quod sub cælo est sublimissimum dignitatis fastigium Christi Vicariatus non alij quàm continentes obtinebunt: hæc illa *in Dei templo acceptissima sors*, nam suprà Petri sedem nihil in terris: *hoc fidei donum electum*, nam pro huius Rectore cathedræ supplicatum ab eo, qui propter reuerentiam suam exauditus, ne deficeret, & vt confirmaret fratres suos: *huius est nomen sempiternum, quod non peribit*, quoniam portæ inferi non præualebunt aduersùs Ecclesiam Beatam: denique huiusmodi voluntarij cælibes, *habebunt fructum in respectione animarum sanctarum*, id est speciali aliquo donabuntur ornamento, quo aliis sanctis animabus frui non detur: Nam quemadmodum Matth. 19. voluntariæ nuditatis amatoribus, qui reliquerant omnia vt Christum lucrifacerent permissa est iudiciaria auctoritas, singularis videlicet cum iudice Christo confessio, vt docet Beatus Thomas & alij apud Suarez tom. 2. in 3. part. disputatione 57. sectione 4. sic existimandum est filium hominis remuneraturum peculiaris hominis titulo aliquo voluntariæ professores castitatis.

132.

Deut. 23. v. 1 *Eunuchi, apud Hebræos, ad honores nõ admittebãtur.*

Admitto verba ex Machabæorum codice de Virginibus loqui, quæ de Religionis quadam gratia Templi Ierosolymitani adytis includebantur virorum consortio prohibitæ, ita Iosephus indicat. 6. de Bello. cap. 6. cum de secundo tractans atrio subdit: *necessario namque proprius locus Religionis causa mulieribus destinatus, muro secernebatur*; quo de Puellarum

133.

Ioseph.

ſeceſſu ex aliis Bibliorum ſententiis de Patrum atteſtatione Caniſius libro 1. de Deipara, cap. 12. Suarius tom. 2. in 3. part. diſputatione 7. ſectione 3. Vaſquez tom. item 2. 3. part. diſputatione 125. cap. 11. Baronius in Apparatu Annalium Eccleſiaſticorum, num. 53. Torniellus anno mundi 4032. numero 16. Chriſtophorus de Caſtro Hiſtoriæ Marianæ, cap. 4. Cornelius ad initium, cap. 38. Exodi; ſed iidem prudentiſſimè aduertunt aſſeruatas cuſtodia vſque ad nubiles tantùm annos, nam pubertatem aſſequutæ maritis tradebantur; Quid enim ſacratius illa habuerunt recluſoria virorum in numero Samuele, inter feminas autem Beatiſſima Dei Genitrice? & tamen Samuel vxorem duxit, & ſobolem habuit; Maria quatuordecim integrè expletis annis Ioſephum coniugem accepit; Quare ita ſentiunt grauiſſimi ſcriptores, licet quidem exploratum ſit inter maſculum ſexum paucos aliquos emicuiſſe apud Hebræos, de quorum perpetua Virginitate conſtans ſit opinio, non ita de feminabus; propterea Ioannes Ieroſolymitanus tractatu de inſtitutione Monachorum, aut alius quiſque Auctor illius cap. 34. de Beata Virgine ait; *Quæ præputium impudicitiæ ſciuit à ſe penitùs circumcidere, dum elegit prima feminarum propter dominum Virginitate perpetua viuere*, Guillielmus Paruus apud Delrium ad verſ. 6. cap. 3. Canticorum: *& quidem nulla fœminarum legitur Virginitatem amplexa dum ratio temporis officium propagationis expoſceret; porrò aliqui ſanctorum virorum pauciſſimi tamen Virginitatem eo tempore ſeruaſſe creduntur:* Abulenſis quæſtione 12. ad cap. 30. Numerorum: *in veteri teſtamento in mulieribus non reperitur obſeruatio virginitatis cum voto, aut ſine voto, ſed omnes accipiebant viros; de viris autem magis reperitur*, & quibus & cognata quæſtione 205. in cap. 5. Matth. & Paradoxa 1. cap. 20. Petrus Galatinus lib. 7. de arcanis Cathol. cap. 14. ex traditione Rabbinorum: *Ex hac* (ait) *traditione manifeſtè datur intelligi quòd cauſa quare Meſſias non magis acceleraſſet aduentus ſui tempus, fuit Iudaicarum Virginum corruptio, quæ omnes ferè vel per coniuges, vel per alios deflorari cupiebant*, &c. germana his, expendentes de quibuſque in particulari, quæ cælibes fuiſſe putantur Dominicus Sotus in 4. diſtinctione 30. quæſtione 2. art. 1. Baſilius Legionenſis lib. 1. de Matrim. cap. 19. num. 3. Suarez tom. 2. in 3. part. diſputatione 6. ſectione 3. Vaſquez tomo quoque 2. in eandem tertiam, part. diſputatione 124. cap. 5. num. 86. conſtat igitur prolatum teſtimonium ex Machabæorum volumine longam & perpetuam caſtitatem non docêre, qualis noſtrarum ſanctimonialium poſt euangelium, imò vt aliquid tum virginitatis præfulſerit, gloriam tribuendam raris quibuſdam virorum excellentium, non autem muliebri naturæ quoad Maria benedicta edita eſt.

Apud Hebræos pauci quidam viri emicuerunt perpetuâ virginitate; at femina non niſi ad tempus.

Quòd autem Matthæi alludere Textum diſſerunt in aliquid eo tempore Hebræis frequenter notum, & à multis vſitatum; ſine Hiſtoriæ, abſque Patrum, & interpretum doctrina gratis prorſus adſtruunt; Quin verò & littera Euangeliſtæ repugnat; Nam poſtquam à Chriſto narratum, Eunuchos eſſe, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum, id eſt, voto ſe obſtrinxerunt perpetuùm duraturæ caſtitatis, ſubiecit continuo: *Qui poteſt capere capiat*, rem comprimis arduam denotans, & quam non aggredi paſſim omnes cuperent, ſed qui animoſiores eſſent, & propterea neminem cogeret, nec præceptum, ſed conſilium daret; Maldonatus *capere* idem quod *intelligere* exponit, neque cunctorum eſſe percipere quantum ſit coniugio & thalamis in vitæ finem abſtinêre præſertim apud eos, qui maledictos cenſebant infœcundos vteros; itaque vſitatum non erat, quod ſubtiliores noſſent tantùm; Veriſimile quidem eſt iam hoc ſub puncto Apoſtolorum Collegium, alióſque diſcipulorum Chriſti continentiam, aut Virginitatem ipſam nonnullos profeſſos, ſed breuior erat manipulus, quàm qui famæ communi ſufficeret: Alij putauerint Eſſenorum plurima millia per Iudeæ ciuitates & oppida diſperſa, atque ideò nota vulgo & rudioribus, qui tria Religioſorum ſubſtantialia vota, omnémque cœnobiticam perfectionem admirabili ſtudio obſeruarent: verùm quibuſdam ſtupendum apparet ſi tam ingens, tamque felix Eſſenorum multitudo, quamobrem Euangeliſtæ, qui ſectarũ meminêre ex quibus aut Phariſæi, aut Saducæi apud Lucam in Actis, Eſſenos tacuerint: Nos ſanè oſtendimus volum. 2. Veſtigatione 12. num. 22. Chriſtum cœnobitici inſtituti ſtrictè concepti, id eſt tribus cum votis Auctorem extitiſſe: probamúſque eodem tomo. Veſtigatione 24. num. 12. Eſſenos nunquam ad Synagogam pertinuiſſe, ſed poſt amplificatam in Ægypto per Marcum Catholicam fidem Alexandriæ potiſſimùm fulgêre cœpiſſe Eſſenorum viuendi normam. 134.

ANTELOQVIVM VIII.

Sacri Epithalamij enodatus Auctor quam tropologiam subministrat?

TERTLEM ad præstandos mysticos sensus venam superioris Præludij argumentum, quis non subitò putauerit? scilicet Auctor est Salomon opúsque Canonicum? Quid inde ad mores? aut certè quid peculiare, quod non pariter in omnem sacrum quadret Codicem? Sed idem gratiarum effusor Spiritus, qui actæ controuersiæ materiam paucis absolutam verbis etiam ab his, qui longos struxêre Commentarios, vt locupletaremus suppeditauit: nunc & multiplicabit arcanam significationem.

SECTIO I.

MARIA sugendo vbera, præbendo vbera, plùs meruit, quàm Martyres viuos sanguinis fundendo.

1. DIximvs præteritæ Isagogæ sectione 1. Deum sacræ eloquentiæ Auctorem Prophetis, in quibus multifariam, multísque modis olim profatus est, non tantùm sensus, sed voces quoque ipsas instillare; hinc Scripturarum supra omnem sermonem incomparanda gloria; nempe, aliarum scientiarum organa, seu doctissimus Plato, seu lynceus Aristoteles, seu alius ex iis, qui gigantizant, ad fastigium peruenêre quidem tandem, sed post haustos infinitos labores, post annorum curricula, post diu, noctúque versatos libros: at illi per quos Numen vaticinatur, momento peritissimi euadunt; Itaque piscator Ioannes, opilio Amos, teloníста Matthæus ad fundendas Scripturas destinati, sesquihora didicêre, quod nunquam coaceruatis vigiliis Græcorum Academiæ, & ille Sapientum decantatus numerus, assequi potuêre; Transfero hoc Scripturarum insigne ornamentum ad MARIAM Deiparam; quidni enim Virginem Beatam repræsentent Scripturæ? Infusa est purissimæ animæ à primo exordio tanta gratia, quantam nemo Sanctorum vitæ longissimo spatio vnquam adeptus; hanc duplicabat quocunque opere; & dormiens, & vigil nundinabatur semper, nunquam à felici lucro cessans; Etiámne à genitricis collo pendens, sinui admota, balbutienti labio mammam implorans tunc illa Martyrum agones vincebat? fortiórque eius charitas, ardentior flamma, cùm ob Dei encomium, ex amore æterni Numinis sugebat maternum pectus, ludebat cum gerula, infantiam exercebat, seu cùm ipsa mammam porrigebat tenerrimo suo vagitus solatura; quàm Laurentij memoranda passio toto exusto latere, Bartholomæi cruenta nex, Pauli Neronianus ensis? Ita sanè quoniam & ipse charitatis actus, quo hæc crepundialia offerebat Omnipotenti supra modum intensior eo, quo exustam costam Deo Laurentius sacrabat; & imprimis gratia, quæ dignificabat munus vtriusque, in Virgine excellebat, quantùm distat immensum à pusillo; & de lacte quod MARIA à Spiritu sancto fœcundata, gnato Altissimi Filio præbebat, Halgrinius Cardinalis manifestè pronunciauit ad verba illa Canticorum septimi capitis: *Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris. Vbera quoque botris assimilata sunt,* (ait,) *in quo mirabilis prærogatiuæ merendi demonstratur in Virgine, quæ non minùs meruit sumendo lac de vberibus suis ad nutrimentum filij, quàm Martyres, qui per botros figurantur, meruerunt fundendo sanguinem suum in martyrio: omnium enim operum merces secundùm radicem charitatis pensatur*; Venustè hoc postremum Halgrinius, quo theologicam basim potioris meriti aperuit.

Halgrin.

Bonorũ operum merces secundùm radicem charitatis pensatur.

2. Anne huius symbolum nubes illa quasi vestigium hominis, quam de mari conscendere puer ab Elia missus septies, tandem contemplatus est? Regum 3. cap. 18. vers. 44. Equidem ea adumbratam nubecula Dei Genitricem MARIAM Auctor Tractatus de Institutione Monachorum, sub nomine Ioannis Hierosolymitani, existimauit, c. 32. Et quòd vestigium hominis referret, declarat inquiens: *Quia* MARIA *in hoc suo spirituali ascensu, non feminam, quam imitaretur, sed hominem habuit exemplum*; Ergo, cùm MARIÆ specimen fuerit nubecula, videamus quid portenderit, aut quæ in facto illo consideratione digna? Atque illud aduertisse maximè oporteat, exiguam fuisse, quæ de mari suscitata est, nubem; nam propterea & diminutiuo vocabulo vsus textus, nubeculam vocans, & hominis vestigio ob eundem comparata scopum, vt perspexit Abulensis q. 35. Quorsum igitur tam pusilla nubes in tã magnos imbres subitò effusa, vt opus fuerit Achabo cum maxima celeritate essedum conscendisse, ne pluuiæ occuparent, si tantillum segnis fuisset? Anne hoc à natura opus? Quis asserat? neque enim ab elementis tanta inundatio, nisi post conglomeratas multas, spissásque nubes; Quare supra naturam retulit quæstione 36. Tostatus: At, si miraculum fuit, quæ vtilitas nubis de-

2.

3. Reg. 18.

Ioan. Hier.

Maria specimen fuit nubecula ascẽdẽs de marĩ.

Maria quocunque opere acceptã gratiam duplicabat.

de Oceano extractæ ? Quid puerum fatigat Elias, & toties mittit, vt contra mare prospiciat ? Ecce, vt dicebamus ex Hierosolymorum Episcopo Ioanne, nubes illa, MARIA erat : igitur, cùm pusilla, & breuis extitisset, & non maior hominis planta ; tamen aquarum talia emisit diluuia, qualia vix possent ingentes, & diu concretæ nubes ; Itaque mirandum videbatur, tantum potuisse infantulam nubem, quantum non valerent grandes, & opacæ : Hæc MARIAM deprædicant, hoc eius encomium. Ferebatur inter Matris brachia, ambulare impotens ; alebatur lacte, fandi nescia ; nubecula planè : at, quanto fluminis impetu lætificans ciuitatem Dei in tanta imbecillitate ? Non, si Martyres producantur, non si Prophetæ, & Apostoli tales daturi imbres, quales infantula vna balbutiens adhuc, & ad vbera anhelans : hoc igitur est, quod visa à puero nubecula, tanquam si multæ, spissæque apparuissent nubes, Elias prænunciauit, vndarum quasi cataclysmum futurum ; nimirum, quoniam in nubecula MARIAM contemplabatur, quæ in vitæ inchoamento superauit gloriam veteranæ militiæ, & epoto lacte, Martyrum cruentas vicit pugnas.

Parúmne hoc laudis arbitramini ? Perpendite tantisper, quod in Præcursore Ioanne summum est : Quid illud ? Nempe, de eo Seruator : *Non surrexit* (inquit) *inter natos mulierum Baptista maior :* Quis huius eloquij sensus, aut quorsum mortalibus vniuersis (excipiuntur Mater, & Filius Christus) anteponitur Ioannes ? An ob vitæ seueram disciplinam ? ob prædicationem ? ob secessum ? ob decollationem ? Sed reperiuntur omnia ista in aliis quoque : Vide peculiare Cæsarij Nazianzeni fratris dictum tertio Dialogo ; *Maior enim omnibus* (inquit) *inter natos mulierum Ioannes, quod cùm adhuc in vtero materno esset, nostrámque vitam nondum attigisset, vaticinatus sit, instrumento materno lingua vtens :* Itaque ob id reliquis præstantior Baptista, quoniam adhuc genitricis aluo ergastulatus vaticinari inceperit ; Verùm, hoc quemadmodum tam stupendum ? Hauriemus ex Gregor. hom. 2. in Ezechielem, ad prima ea verba : *Et factum est in tricesimo anno,* &c. *Hoc autem quod dicitur* (ait,) *quia tricesimo anno spiritum prophetiæ acceperit, indicat aliquid nobis considerandum, videlicet, quia iuxta rationis vsum doctrina sermo non suppetit, nisi in ætate perfecta : vnde & ipse Dominus anno duodecimo ætatis suæ in medio Doctorum in templo sedens, non docens, sed interrogans voluit inueniri : vt enim non auderent homines in infirma ætate prædicare, ille anno duodecimo ætatis suæ interrogare homines est dignatus in terra, qui per Diuinitatem suam semper Angelos docet in cœlo :* Nec moror, an hæc Gregorij expositio genuinam Historiæ medullam expresserit, de quo doctè B. Hieronymus ad exordium Ezechielis ; tantùm illud aduertimus, prophetiæ tempora, vt monet sanctus Pontifex, secundùm rationis normam, ætatem esse perfectam : ergo hoc est, quod in Præcursore stupescit, & demiratur Cæsarius ; ob hæc cæteris prælatum hominibus asserit ; quoniam, scilicet Baptista id assequutus, cùm nondum natus, esset ante annos & lucis vsuram, quod alij Prophetæ non nisi tricesimo ætatis anno ; qualis post multa lustra Ezechiel, talis in matris vtero Præcursor, & potuit viros nondum mammans æquasse ; ideò eiusmodi, quo non surrexit maior inter natos mulierum ; Si tantus igitur Ioannes, quoniam in genitricis claustro vaticinans ; qualis, quantáque MARIA, quæ matris amplexa ceruicem, plùs lac attrahendo meruit, quàm Ioannes ipse, cùm grandior factus diu, noctúque sub aperto cœlo tolerabat inimicum imbrem, æstus, pruinam, socius bestiarum, inuestis, neque comedens, nec bibens : Ergo, si tanta Ioannis gloria, quoniam visceribus affixus, id assequutus est, quod Eechiel tricesimo vitæ anno ; quàm egregius MARIÆ honor, quæ mammando plùs Creatorem rapuit, maiorem acquisiuit gratiam, quàm Ioannes, cùm percussori lætus obtulit iugulum, & purpurauit squalorem carceris innocentis victimæ cruor virgineus ? Igitur supra omnem puram creaturam MARIA, quæ quando minor, etiam Ioanne, cùm maximus extitit, maior fuit.

Ac sanè Isaïas, cùm de venturo Messia stupenda prædicere vellet, teneræ gesta ætatis, quo potuit verborum cothurno describere aggressus ; *Quia anteà quàm sciat puer,* (inquit c. 8. v. 4.) *vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.* Quàm orationem ipso mirabilem sono Athanasius dum ventilat apud Leonem de Castro ex lib. 1. de Incarnatione Verbi, exclamat : *Quis vnquam genitus Rex, priusquam patrem, aut matrem vocare posset, regnauit, & accepit hostium spolia ? Nónne Dauid, cùm triginta esset annorum, suscepit regnum ? Salomon adultus regnauit ? Ioas annos natus septem ? Iosias item septem annorum ? Sed hi omnes patrem, & matrem vocare poterant : quis est ergo, qui fermè antequàm nascitur, regnat, & hostiũ spolia diripit ? Quis huiusmodi fuerit Rex Iuda, aut Israël, dicant Iudæi ?* Igitur, antequàm militem conscriberet, vexillum eleuaret, cornua atque litui raucum streperent, fasciatus & mammans Magos è longinquo vocauit vagientem adoraturos, Herodem, & Hierosolymam conturbauit, idola fecit obmutescere ; Hoc ab Isaïa nunquam satis laudatum, potuisse, antequàm nosset vocare patrem aut matrem, dum vbera epotat, quod potentissimi Monarchæ legionibus, & omnibus belli præsidiis instructi non valeant : Sed pauca verba melioris styli à Tertulliano percipite, qui aduersùs Iudæos : *Scilicet, vagitu ad arma esset conuocaturus infans, & signum belli, non tuba, sed crepitaculo daturus ; neque ex equo, vel de muro, sed de nutricis & gerulæ suæ dorso, siue collo, hostem designaturus, atque Damascum, & Samariam pro mammis subacturus :* Ergo, vt filio & mater assimilaretur, ipsa quoque, dum lacte genitricis alitur, spolia refert : quàm ampla, quàm magnifica arbitramini ? Supra optimos quosque Imperatores, non tantùm lapidatus Stephanus, non decollatus Iacobus, non crucifixus Petrus : glorioſa Martyrum præmia, inclytæ laurus ; sed donec cum MARIA fugente non conferantur ; vicit Christus infans Damasci robur, superauit Assyriorum Regem ; vicit MARIA infantula Martyrum brauia ; & lacte potuit, quod sanguine abundanter stillato illi non potuêre.

Sic de Filio loquutus Isaï. quæ Matri accommodauimus : hanc autem sub virgæ nomine significauit, cap. 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet :* nam MARIAM esse virgam Tertullianus docet lib. 5. contra Marcionem, cap. 8. Auguſt. lib. 3 de symbolo ad Catechum. c. 4. Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto, c. 5. & alij sæpè : Sed, quæ noua forma erumpendi

3. Cæsar. *Prophetiæ quæ ætas idonea?* Gregor. *Ioannis Baptistæ in vaticinãdo gloria.*

4. Isaï. 8. Athanas. Leo Castr. Tertull. *Vt Christus infans hostili abstulit spolia, sic & MARIA.*

5. Isaï. 11. MARIA *virga Iesse.* Tertull. Auguſt.

pendi in flore? de radice quis vidit? alterius orbis fortasse arbor: nam apud nos expanditur in ramos truncus, & Fauonio aspirante, parturiunt ligna syluarum primùm foliorum tapetia, deinde flores: latent arcana, & Spiritus in his inuestigandus, non littera? Ita quidem: ergo florum emblemate, & virtutes, & Sanctorum egregia exempla intelligere valeamus cum Beda Venerabili sic construente ad illud Cantic. c. 2. *Fulcite me floribus*, &c. Radicem verò arbusti initia prima, Marianæ vitæ exordia non incongruè dixerimus: Quid ergo in vitæ limine, cùm egeret lactis alimento, cùm matri pusilla blanditetur, virtutibus fulsit? Hæc verò nónne ætatem postulant, requirunt annos, quando etiam in iuuenibus rara virtus? At hoc priuilegium, hoc MARIÆ ornamentum: ante annos, atque ante corpus claruisse virtutibus: de huius virgæ etiam radice progerminant flores, & cùm rationis expers videretur, intus cum Deo agebat, quid quidve Sācti post longam exercitationem adepti, hoc illa infinito penè superauit interuallo, tum, cùm mammaret, cùm balbutiret.

Beda.

6. Aliquídne horum mysteriorum in throno illo, quod tanto ingenio cōstruxit Salomon, tanta fabricauit arte, *vt non sit factum tale opus in vniuersis regnis*? Regum lib. 3. cap. 10. vers. 20 Et quidem MARIAM significasse receptissima sententia: Dabo vnum Guarricum Abbatem sermone 1. in Annunciatione Virginis; *Quàm nitidum ebur illud, quod oculis tanti, támque diuitis Regis placuit: in cuius diebus argentum nullius est pretij? quàm frigidum, quod nec in conceptu incaluit? quàm solidum, quod nec partus violauit? quàm candidum simul, & rubicundum, quod candor lucis æternæ, igitúrque Spiritus sancti vniuersa sui plenitudine repleuit: MARIA siquidem & ipsa candidior niue, rubicundior ebore antiquo*, &c. Ac sane in ebore intermistam candore purpuram Latinus Poëta docuit; nam de Lauinia, lib. 11.

3. Reg. 10.

Guarric.

Virgil.

In ebore intermistus cādor ruborꝫ.

——— cui plurimus ignem
Subiecit rubor, & calefacta per ossa cucurrit:
Indum sanguineo veluti violauerit ostro
Si quis ebur, vel mista rubent vbi lilia multa
Alba rosa.

At, quomodo rubicunda MARIA, quæ passa non est? (nam cedamus, ob virginitatem candidam nominari) ideóne, quoniam corde vulnerata, cuius nimirum, animam pertransiuit gladius? Sic Guarricus citata homilia: *Cui, scilicet,* (inquit) *incomparabilem castitas candorem, & charitas, seu martyrium rutilantem præ antiquis electis noscitur contulisse ruborem: nam & suam ipsius animam pertransiuit gladius, vt Mater Summi Virginis, & Martyris esset & Virgo ipsa, & Martyr, candida, & rubicunda, quemadmodum dilectus eius candidus, & rubicundus.* Sed ebur, quod imum in throno occupabat, erátque superstructorum basis & fundamentum, ego ad Marianæ vitæ primordia referam: ergo initia illa, quibus superiacta reliqua, ebur in throno est: Verùm, quo pacto tunc infantula, & mammans candida, & rubicunda? Egregiè ædepol, scilicet, à lacte, quod potabat, hausti illi sugentis & candidi, atque purpurei: à lacte candidi, cuius natura albor; à martyrio sanguinei, non quòd pateretur, quæ vix sanguinem præ teneritudine habebat, qui fundi posset; sed, quoniam mammando Martyrum gloriam vincebat: ergo illi lac, quod Martyri sanguis, ac proinde à lacte cruori fero, & candida simul, & rubicunda: ebur denique, in quo associantur rutilum cum albo.

Durúmne vobis appareat? Attendite ad Guarrici effata: *Vt Mater* (ait) *Summi Virginis, & Martyris, esset & ipsa candida, & rubicunda, quemadmodum dilectus eius candidus, & rubicundus.* Igitur ad similitudinem dilecti candidam, & rufam simul esse velit Guarricus; atqui dilectus eius à lacte sanguineo purpureus, atque vnà rubicundus: Lubétne intueri? Discite à Ioanne: *Hi sunt* (inquit Apoc. 7. vers. 14.) *qui venerunt de tribulatione magnā, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni:* Sed quidem lauerint, nam & sanguis etiam liquor est; Verùm, quo more dealbauerunt? Nónne sanguis tingit, & inficit potiùs, quàm mundat & dealbat? nisi peculiare hoc sit Agni cruori, dealbare. cùm hircorum, arietum, & cæterorum animalium sanguis inficiat, & deturpet? aut certè opinabimur, huius immaculati Agni sanguinem, cùm cruor esse non desinat, simul de lactis participare natura? ac proinde ad lactis normam candida reddere, quæ perfundat? Non respuerit Bernardus sermone 1. in die sancto Paschæ: *Aut certè* (inquit) *candidas in sanguine Agni nouelli, sanguine lacteo, candido & rubicundo: sicut habes in Canticо Canticorum: Dilectus meus, ait Sponsa, candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Igitur, quemadmodum Filij cruor, & sanguis est, pariter & lac: sic quem bibit Mater infantula laticem, & lac est pariter & sanguis: ergo, sicut ille à sanguine lacteo candidus simul & rutilans: sic ista à lacte sanguineo candida erit vnà, & rubescens, vt sit ad Guarrici mentem, quemadmodum dilectus est candidus, & rubicundus, dilecta iam sit candida, & rubicunda.

7.

Apoc. 7.

Stolæ Sanctorum quomodo in sanguine Agni dealbatæ?

Bernard.

Expendamus iam Arnoldi Carnotensis breue & arcanum dictum tractatu de septem verbis Domini, ad verba illa: *Mulier, ecce Filius tuus,* &c. *Filius* (inquit) *ad pectus Matris, & vbera; Pater ad Filij Crucem, & vulnera respiciebat: Et quid inter hæc tanta pignora non mouerent?* Ac quidem sine multo labore capio, Genitor quamobrem Filij vibices contemplatus sit, nempe, vt indignationem, & iram furoris deponeret, quam aduersùs mortales, ingratum, & perfidum genus, conceperat iustè; nam mox vt in faciem Christi sui lumina conuerterit, placabitur super delictis hominum: Benè ita de Patre; Sed Filius cur ad Matris vbera aspectat? an significare volens nimiam charitatem, qua semen Abrahæ dilexit? pro cuius amore, quanta cum voluptate infans paucorum dierum lactis suxerat fontes, tanta sanguinem profudit; ergo non minùs dulce pro homine vulnerari, & cruorem per multa eiaculari ostia, quàm de Genitricis pectore, infantili auiditate lac haurire, proinde in Matris vbera fixus! Num illud tamen, quoniam Pater sanguinis delectatus aspectu, pretium oblatum à Filio indicabat, & redemptam Adæ captiuam stirpem? Sed Gnatus subitò in Matrem intuens, translatam in eam innuebat redemptionis gazam; proinde, si quid vellent in posterum mortales ad Matrem confugerent, cui thesauri dispensatio credita: Hoccine illud apud Bernardum sermone 2. de Natiuitate MARIÆ: *Intuere ô homo consilium Dei: agnosce consilium sapientiæ, consilium pietatis: cœlesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit; redempturus humanum genus, pretium vniuersum contulit in* MARIAM: An denique id manifestasse de-

8. Arnold.

Thesauri Christi in manibus positi MARIÆ

MARIA *parata pro hominibus mori.*

siderauerit, MARIAM se spiritalem hostiam obtulisse pro salute mundi, & paratam mori, si puræ creaturæ meritis chirographum delicti abrumpi posset? Sanè Filium ad Matris angustias, quas iuxta Crucem sustinuit, attendere, hominum cùm miseraturus esset: verùm si Genitricis acerbitatem contemplatur, non potiùs ad singultus & lacrymas, quas profuderit, respexerit, quàm ad mammas? En quid cogitauerimus de istis.

9. Quemadmodum Genitori reconciliauit obstinatos Gnatus; ita Filio reconciliauit Genitrix: Filius intercessor coram Patre; Virgo Mediatrix apud Filium, dicit Ephrem oratione ad Virginem, *Per te reconciliati sumus* (inquit) *Christo Deo meo, Filio tuo; tu captiuorum redemptio, & omnium salus, aue, Mediatrix gloriosissima. Aue, vniuersi terrarum orbis conciliatrix:* Quo autem pacto theologicè, atque secundùm ipsam proprietatem eiusmodi nomina, quibus Deiparam compellant frequènter Patres, redemptricem, auctricem meriti, reconciliatricem vocantes, intelligenda sint, ostendit Suarius tom. 2. in 3. part. disputatione 23. sect. 1. nunc largè vtamur, prout illis mos; Intuere ergo Sacramenti nucleum: quod in oculis Patris, Filij sanguis est; hoc ante conspectum Filij, lac atque vbera Genitricis; Non differunt, & lac, & sanguis: quoniam & sanguis instar lactis dealbat stolas eorum, qui venerunt ex magna tribulatione, sanguis, nempe, Filij; & lac Matris instar sanguinis purpurat, reconcilians Filio peccatores; Hoc ergo est, quod cùm Pater ad vulnera Filij respectat, Filius ad Matrem oculos vertit, in vbera, & lactis fontes defixus: vt significet, quod apud Genitorem Gnati cruor valet, hoc apud Filium cum analogia quadam Matris valere lac.

Ephrem.

MARIA *redemptrix quomodo?*

Suarez.

MARIÆ *vbera coram Filio, quantùm possint.*

10. Igitur Filius per sanguinem, Mater per lac reconciliat, & sanguis enecat hostem, expolians potestates, & principatus; & lacte etiam moritur inimicus: Quantus aduersarius Sisara? quibus populum fidelem modis afflictauit? Sed in manu feminæ cecidit tandem superbus, & crudelis draco, & lacte consoporauit in necem: nostis Historiam: Sisara fugiens peruenit ad tentorium Iahel vxoris Haber Cinæi, qui lympham cùm peteret, aperuit illa vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum; Sed, quare pro aqua lac porrectum? Scilicet, vt interficeret; Egregia inprimis femina, quæ lacte sæuum bellatorem prostrauit; Cerne quibus encomiis Debbora, & Barac euexêre? *Benedicta inter mulieres* (Iudic. cap. quinto, versiculo 24.) *Iahel, vxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo suo, aquam petenti lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum:* Sed tu, cùm inter mulieres benedictam percipis, non statim de Matre Domini cogitaueris: Ergo illa Iahel; illa, quæ lacte aduersarium extinxerit. At, quem deleuit inimicum? *Sic ergo intelligendum est* (inquit Adamantius homil. 5. in Iudicum c. 4.) *& Sisaram istam animalem hominem, & vitiorum Principem extinctum: sed vnaquæque anima satis agat lacte isto euangelico, atque apostolico sopire in semetipso, & extinguere Sisaram: si enim per hæc edoctus, quis mortificauerit membra sua, quæ sunt super terram, auaritiam, fornicationem, & cætera, quæ Sanctus Apostolus enumerat, Sisaram in semetipso videbitur peremisse:* Igitur, quemadmodum Sanguis Christi emundat nos à concupiscentiis, quæ militant in carne nostra, & vires suppeditat, quibus edomantur passiones; sic Virginis beatæ lacte, atque vberibus (nempe, ob maternæ lactationis meritum) filius ex congruo largitur, quibus vincatur Sisara, animæ hostes omnes perimantur.

Iudic. 5.

Nunc intelligite, quid Præco Isaïas inclamitet, cap. 55. vers. 1. *Omnes sitientes, venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, & emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac:* Et sanè vinum Christi significauerit Sanguinem, vt in hæc verba intellexit Procopius; nam & de hoc vino senex Iacob Genes. 49. 11. *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum:* eò, nimirum, quòd sanguine indumentum humanitatis respersum est; Vocantur igitur nationes (vt animaduertit Lyra) ad hauriendum de fontibus Seruatoris, vt bibant de nectare effusi in ligno sacratissimi cruoris, & inebrientur, & deponant mœrorem antiquum, quem Adæ infelix gula attulerat; Sed, quid de lacte? num, quia & sanguis etiam lac est, & dealbat in lactis morem, vt in superioribus dicebamus? An simul & ad Filij vulnera, & ad Matris vbera inuitati, vt lactentur ab vbere, pascantur à vulnere? At, nunquid MARIA pro hominibus crucifixa est? Neutiquam: Quomodo igitur vbera proderunt, quando sanguis requiritur? Profuerint in omnem modum, quoniam virtus sanguinis in vbera translata est per misericordiam & indulgentiam Filij; *Altiùs, ergo intuemini* (suauissimè Bernardus sermone de Aquæductu,) *quanto deuotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in* MARIA, *vt proinde si quid spei nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare; quia sic voluntas eius est, qui totum nos habere voluit per* MARIAM; Præclarè igitur Isaïas, & vulnera, & vbera coniunxit, vt in quibus sit eadem salus à vulneribus ex condignitate, & meritum proprium à Verbi infinita sanctitate; in vberibus propter Filij ordinationem, & beneplacitum; *quia sic* (ait Bernardus) *voluntas eius est, qui totum nos habere voluit per* MARIAM; Et contemplare admirabilem prouidentiam: Vinum forte, atque austerum erat: verebantur paruuli, gustare: miscuit ergo lacte: Declarabo similitudine: Christus ignis consumens erat, metuebat accedere peccator: MARIÆ vestimentum factus est: nam vidit Ioannes mulierem amictam Sole, Apoc. 12. apposita est ergo MARIA tanquam nubes Soli, quò possint ægri mortales vehementis syderis perferre violentiam, vt multis declarat Clarævallis Abbas sermone 1. de Natiuitate Virginis: Igitur, quemadmodum Solem suum temperauit Christus; adiuncto de MARIA indumento: sic, vt vinum eius pusilli bibere possent, & sanari, miscuit ex hoc in illud MARIÆ lacte admoto: Pulchrè itaque Isaïas, omnes properare iubet, neminem deterreri: Qui magnus, & robustus est, vinum habet: cui neque dentes, neque stomachus, à lacte fomenta accipiet: Igitur, quòd Scripturæ sacræ Auctores momento docti euadunt, & compendio acquirant, pro quibus si laborent alij, nec plurimo sudore adipiscantur: quòd his leue, quæ cæteris onerosa, Reginæ cœlorum prærogatiuam insinuant: scilicet, illa gratia plena ab initio, dum matris aleretur pectore, & placidè sugeret delicioſam lactis venam: dum ipsa sacro fœtui mammam cum infinita voluptate extraheret,

11. Isai. 55.

Gen. 49.

Procop. Lyra.

Bernard.

MARIA *Christi rigorem, & iustitiam temperat.*

Ad MARIAM *omnibus patet accessus.*

heret, tantùm cucurrit, quantùm non de purpurea Martyrum legione, non dicam valentiſſimus; ſed vniuerſi, ſimúlque, & iunctis viribus: Quid retuli Martyres? Et Filio ſimilis virgo hæc candida & rubicunda, ſicut ipſe candidus, & rubicundus, electus ex millibus.

SECTIO II.

Magiſtratus, præmia, ſpecioſiora quæque, melioribus deferenda.

12. QVoniam Salomonis vitam in veſtibulari anteactę quæſtionis breuiario concluſimus; ea autem copioſam ſegetem ethicis diſcurſibus ſubminiſtrat; libet ex tam fœcundo aruo ſubſtituere, quæ reliquæ deſunt glebæ. Ergo primum illud occurrit, quamobrem Adoniam, filium natu maiorem Salomoni ætate iuniori poſthabuit & ſanctus & prudens Dauid, nec putauit ſeniori committendas imperij habenas? Cur gentium vſum violat, quæ promigenito deferunt trabeam, & faſces? Equipem regnandi nimiùm auidus vel per iniuriam, & ſeditionem Adonias occupare tentauerat diadema; atque hoc, cùm ad danda populis iura prorſus fuiſſet inidoneus, homo neque ingenio, neque conſiliis munitus, natura immitis, tumultuantium liberaliter patronus; at in Salomone omnia, quæ bonum Principem præſagire valerent, animus in pulchro corpore excellens, ratio viuida, mores tranquilli, erga parentes obſequentia, erga inferiores modeſtia: Dauid igitur, cùm ſciret, virtutibus, & non ætati committenda gubernacula, quando & à ſupernis quoque acceperat monitum de purpuræ hærede, Adoniam imperio excluſit, Salomonem elegit, qui poſt illum regnaret. Hoc tantùm, vt diſcurſui occaſionem præbeamus nam latè proſequuti ſumus Anteloq. 4. ſect. 3. num. 20.

13. Vide, ſi non magnæ eius Philoſophiæ apud volucrum genus non obſcura veſtigia; Quid illa pennatorum Regina, aquila magnarum alarum? Cùm plumeſcere incipiunt noui fœtus, educit in apricum ſub ardentiori Phœbo; obiectat ſyderi cùm pleno iubare micat: quòd ſi indefeſſo intuitu aſpiciat, & ad fulgores non labaſcant oculi, ſuſpicit, deoſculatur, nempe dignam auem quæ volucribus imperet, cuius tam generoſa virtus, quā non Sol ipſe fatiget: ſin lumine hebetata, aciem claudit; ſpuriam contemnit ſobolem, atque in aues regna exercere verat, quæ ſupra alias aues non vehementiùs contemplatur: Hauriamus à S. Cardinali Damiano ad alterum ſcribente Cardinalem Deſiderium: ſic itaque epiſt. 18. ſecundi libri: *Aquila, quæ Regina dicitur auium, pullos ſuos coruſcantibus Solis radiis obiicit, atque in aëris vaſtitate libratos, pio teneros vngue ſuſpendit; quiſquis autem illorum intrepidam oculorum aciem inoffenſo tuendi vigore conſeruat hunc mater ad propagandum regij decus generis idoneum indicat: Si quis autem lumina ſua Solis radio perſtrictus inflexerit; velut degener, & indignus tam excellenti nobilitate, proiicitur, atque tanquam exhæredatus, ac ſpurius, inter filios non habetur.* Quæ inter verba elegantior dictio: *Hunc mater ad propagandum regij decus generis idoneum indicat:* O præclarum in

Aquilarum de pullis ad Solem, experimentum.

S. Damian.

volucre inſtinctum, quando non ætas attenditur, ſed mores probantur; nec defertur imperium naturæ, ſed oculorum præſtantiæ: Pudeat à vulture ſuperatum hominem: Circunſpiciat Conſul, Patritius, Eques, & animaduertat inter gnatorum multitudinem, quis ille, quem maiorum facinora egregia ſollicitant; qui æmulari cupiat auorum gloriam, etiam & vincere cogitet, pacis & belli virtutibus excellat, hunc in deliciis habeat, hunc euehat, hunc ſcribat hæredem: ignauum pecus, quid ſi contumax, efferum, laſciuiens, in ipſos genitores ſuperbum? non ſolùm ſubſtantia, & honoribus priuet; ſed tanquam ſuppoſititium fœtum, aquilarum more, è nido exturbet, & potior ſit ei ethnicus, atque publicanus, quàm talis filius. Nimia hæc crudelitas? & lex immorigerum lapidibus obrui præcipit, atque ab ipſis parentibus mandat iſti Iudicibus, Deuteronomij cap. 21. verſ. 18.

Lex Moſaïca in filiũ cõtumacẽ quàm ſeuera. Deut. 21.

14. Verùm reuertamur ad ſacra: Deus maria, & terras cùm ſtrueret, quin & ipſum cùm fabricaret Olympum, & ſuis quæque condecoraret ornamentis, neminem ad tantæ molis opus, qui ſuppetias ferret laboranti, aduocauit; ſed neque neceſſaria adminicula, quando verbo condidit vniuerſa: *Ipſe enim dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt:* Ventum ad hominis machinamentum, imploratum continuò auxilium, & non ab Angelorum Hierarchiis; tota Trinitas excitatur: *Faciamus* (ait) *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Gen. 1. 26. Ergo laſſatum Verbum à tantis producendis creaturis, poſtulabat leuamentum à ſocio Artifice Genitore, atque Flamine? Sed nónne operabatur abſque grauamine, imò cum voluptate maxima? *Cum eo* (inquit) *eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Prou. c. 8. verſ. 30. Non itaque vexabatur, qui luſum, & iucunditatem reputabat. Ergo quid? Sanè volebat hominem, charum ſibi pignus egregio afficere honore, vt quem non ſermone, ſed manibus quoque fabricaſſet, cuius tanquam ingentis operis, non vnus ſtructor, Opifices diuinæ omnes Perſonæ: Suſcipe loquentem Magnum Baſilium hom. 10. Hexameri, in illa: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, &c. *De nullo enim opificiorum, quæ eatenus condiderat, vox iſta in Litteras tranſmiſſa eſt: Lux facta eſt, idque ſimplici mandato: fera itidem, iumenta, volucrum genus omne, dixit Deus, vt eſſent; & ecce facta ſunt: Erudire hinc, ô homo, ac ediſce, quanti vnus tu æſtimandus veneris: neque enim generationem tuam, ſeu abiectitiam, aut pretij vulgaris, communi creaturarum mandato cenſuit attexendam: in Deo conſultatio prægreditur, quo pacto id animantis, quod tanti fuerat æſtimandum, prouehi deberet ad vitam: Faciamus, ait: En conſultat ſapiens, & quid ſecum inſtituerit Artifex, proponit decernendum: Quid enim? Artis ſuæ exacta cognitione deſtituitur tantus Artifex? Abſit: per hoc ſanè, quod curam eam condendo homini interſerit Scriptura innuit, Deum voluiſſe edere quidpiam operis, quod eximiæ ſuæ artis ſpecimen eſſet, numeris omnibus abſolutum, perfectum, ſolertique artificio elaboratũ, & perpolitum:* Agnoſco planè hominẽ incomparanda gloria affectum: ſed quorſum tam munificus erga eum Creator? Quid prometuerat hactenus? Quin & Monarcham inferioris mundi eum conſtitue

Gen. 1.

Prou. 8.

Baſil. *Hominis præſtantia ſuper alias creaturas.*

Genes. 1. ſtituerat; *Vt præeſſet nanque piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs, vniuerſæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.* Geneſ. 1. 26. Sanè homo ſolus futurus erat ex tanta creaturarum multitudine, qui Maiorum Acta, (Dei, ſcilicet, à quo initium acceperant,) referre ſciret; Itaque in eo paterna attributa ad miraculum relucebant, intellectus, voluntas, iuſtitia, conſilium, pax: quamobrem & de eo ſolùm, *Faciamus ad imaginem noſtram*; Vt qui ſolus Diuinitatis viuidum extitiſſet exemplar: Igitur etſi aliæ creaturæ maiores natu eſſent, & tempore priores homine, nempini tamen ſublunaris Coſmi gubernacula commiſſa; quoniam inter genita à Deo, non in ea congeruntur honores, non regali decorantur eminentia, quæ priùs natiuitatem ſortita; ſed in quibus paterna effulget ſimilitudo; ob hoc mundi conceſſa homini ſceptra, ob hoc eius præſtantior fabrica, & totius Trinitatis adiumento memorabilis.

Deus nõ ætati, ſed virtuti defert.

15. Num. 13. Miſit, qui terram Chanaan luſtrarent exploratores duodecim Moyſes, Numeror. cap. 13. verſ. 13. ex omni Tribu Iſraël delectos Principes: præfecit reliquis Ioſuë, & Caleb: commiſit autem Ioſuë ſupremum dominatum, atque propterea mutauit ei nomen, ex Oſea, Ieſum, hoc eſt, Saluatorem appellans; vt, quando Rectorem inſtituiſſet, intelligeret, non ad faſtum, aut tyrannidem præpoſuiſſe commilitonibus; ſed, vt de eorum ſalute, de bono, de emolumentis in poſterum ſedulò cogitaret: Ecce Toſtati verba q. 37. in relatum Numerorum caput; *Tertiò* (inquit) *poteſt hoc accipi factum, ad ſignificandum, quòd Moyſes præficiebat iſtum Ioſuë alijs vndecim exploratoribus*; *ideò vocauit eum Saluatorem*; *id eſt, quòd haberet curam de ſalute aliorum, & bona diſpoſitione illorum in via*; *quod multi tenent, & ſatis rationabile eſt*; *quia anteà hoc in bello contra Amalecitas conſtituerat Moyſes ipſum Ioſuë Ducem omnium bellatorum.* Exod. 17. *A fortiori ergo conſtituerat eum nunc Principem vndecim exploratorum:* At quamobrem hos duos exploratorum Anteſignanos nominauit, cùm ex aliis Tribubus electi ſeniores eſſent, atque & genere, & opibus, & aliis titulis clariores? Ita quidem; ſed in his adoleſcentibus ad res magnas audentior animus, ſpiritus valentiores, quemadmodum & legationis demonſtrauit exitus; *Nam in reditu* (vt eadem quæſtione memorat Abulenſis) *mortui ſunt decem exploratores*; *ſolus Ioſuë cum Caleb vixerunt*: Noluit ergo prudens legiſlator plenum diſcrimine opus ætati conferre, ſed robori; plùs apud eum fortitudo, virtus, publici boni commodum, quàm aut anni, aut ſtemmata antiqua, aut diuitiarum theſauri, eiúſque ordinis alia decora, quæ ſors, & ignauis, & improbis quoque non rarò detulit, cùm de profligandis hoſtibus, de amplificando imperio oboritur quæſtio; Videat Princeps, quis ductare aciem, quis regere militem aptior: hunc, qui legionibus præſit, aſſignet, quanquam ille nec annos Conſules numeret, neque prædiis diues ſit: Præclarè Ambroſius de hoc Moyſis facto in Pſalm. 118. ſerm. 2. ad illud, *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam*, &c. *Liquet igitur ex his*, (inquit,) *quòd non ſenectutis longæuitas eligitur*; *ſed cuſtodia verborum Dei*; *Denique ipſe Moyſes Ieſum Naue, & Caleb iuuenes præcæteris approbabat, quorum conſilium in terræ electione magis, quàm multorum ſeniorum, & ipſe ſequutus eſt, & Deus prætulit.*

Prælati munus, non dominatio, ſed cura de ſalute ſubditorum. Toſtat.

Ambroſ.

Atque ſanè in Moyſe hoc laudatiſſimum fuit, quòd ætati atque opibus ſtrenuum militem prætulerit: verùm omne ſuperat encomium, quod moriens, neque carnis, neque ſanguinis memoriã aliquam habuerit, non filios viſcera ſua reſpexerit, ignotum antepoſuerit domeſticis: quem reliquit, cui populus obediret, qui in promiſſa arua intromitteret, qui diſtribueret? Num filios ſuos? Nequaquam ſanè: Et habebat tamen: elucebant autem in peregrino homine Ioſuë, quę perfectum Ducem conſtituunt; his carebant ornamentis gnatorum turba; maluit autem ſanctiſſimus Legiſlator Rempublicam optimo fruentem Imperatore florere, quàm filios ſuos ad Magiſtratum euehi, cui impares eſſent: Aduertit concinnè Hieron. ad verba illa c. 1 Epiſtolæ ad Titum: *Et conſtituas per ciuitates Presbyteros*, &c. *Moyſes amicus Dei*, inquit, *cui facie ad faciem locutus eſt, potuit vtique ſucceſſores principatus filios ſuos facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem*; *ſed extraneus de alia Tribu eligitur Ieſus, vt ſciremus, principatum in populos, non ſanguini deferendum eſſe ſed vitæ*: O ſi hæc attendant Orbis Principes! ô ſi Eccleſiarum, & Cœnobiorum Antiſtites! vt non amicitiæ obſecundent, non ſplendidiori fortunæ, non cognationi, & vinculo ſanguinis; ſed integritati, iuſtitiæ, meritis! quàm ſubitò regna vigerent, Eccleſiæ recuperarent antiquam pulchritudinem, Clauſtra ſicut Paradiſus Dei ſplendeſcerent! vereor, ne & quæ ſequitur Hieronymi querimonia, in hoc ſæculum potiſſimè quadret; *Nunc cernimus* (inquit) *plurimos hanc rem beneficium facere, vt non quærant eos qui poſſunt Eccleſiæ plus prodeſſe, & in Eccleſia erigere columnas ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequijs deliniti, vel pro quibus Maiorum quiſpiam rogauerit: &, vt deteriora taceam, qui vt Clerici fierent, muneribus impetrarunt:* Sic diuinè Hieronymus, ô vtinam non nimiùm verè, & fuiſſet vnius ſæculi peſtis.

16. *Exteri & peregrini debẽt etiam filijs præponi, ſi meliores ad regendum.* Hieron.

Didiciſtne à Iacob Patriarcha Moyſes aliquid? Quàm ſingularis venerandi ſenis erga Ioſephum affectus, nemo Geneſcos capita legens ignorat: ille ſenectutis filius: ille, cui diſcolorem tunicam fecerat; ille, cuius mors genitorem quoque ad Infernum deductura fuerat: denique Iſraël diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos, Geneſ. 37. verſ. 7. Quid plura deſideratis? Atqui diſceſſurus ex hoc exilio, cùm beneciceret filiis, non optima parte donauit Ioſephum, quem tam vehementer deperierat: quid enim optimum in Iſraël, quid præſtantiſſimum? Nónne proculdubio virga, & purpura Regum? Hæc autem ad Iudam delata fuêre: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium.* Geneſ. 49. verſ. 10. Cur non ex Ioſepho naſcituros Reges prædixit? Cur non hac cumulatiſſima benedictione ditauerat, quem tantoperè amabat? Equidem Regum potiſſimæ dotes, fortitudo, atque conſilium: robore defenduntur Reſpublicæ, amplificantur deuictis hoſtibus, prudentia reguntur populi: alterum ad bella neceſſarium, alterum ad pacem: Atque eminebat ſanè in Ioſepho conſilij miranda vis: teſtis Ægyptus, quæ eius prouidentiâ fame liberata eſt: verùm, vt inter germanos ille conſiliis pollens, ſic Iudas robore fratrum omnium ſtrenuiſſimus emerſit, vt annotauit Toſtatus ad quæſt. 34. in cap. 1. lib. 3. Regum: Cæterùm, cùm Hebræorum Reges ad pugnam procedere oporterer, quò regiones pollicitas ab iniuſtis domi-

17. Geneſ. 37. Geneſ. 49. *Regũ potiſſima dotes.* Abul.

nis

nis vindicarent; maior roboris, & armorum necessitas, quàm consiliorum; Cùm igitur bellandi scientiæ Iudas, & eius posteri eminerent, essétque hæc Monarchatus pars Hebræorum fortunæ vtilior, prætulit amori Iacob communis boni emolumentum, & Regem pronunciauit non Ioſephum, quem vnicè diligebat, sed eum, in quo splendebant, quæ surgenti Reipublicæ necessaria magis erant, nempe, militaris exercitatio, & membrorum fortitudo.

18. *Regum falsi amici quàm Reipublicæ exitiales.*

Sic quidem Iacob, Moyses, & quisquis eorum similis: quid verò improbitas? quid Regum non boni amici? illi, quibus nonnunquam Orbis Monarchæ arcana pandunt, quibuscum agunt familiariter, sed Harpyæ tamen sunt? Deligunt in Consiliarios, non doctissimos, non rerum gerendarum peritos; sed qui vel ad nutum ipsis obsequantur: Locupletant, non qui nauali, non qui terrestri certamine palmam retulêre; sed qui latus cinxêre nocturnum, dum alienum thorum violarent, dum in multam noctem aleæ, comessationibúsque indulgerent; hi primi Duces, hi primi Magistratus, hi in sacris Hierarchæ. O miserum sub tali Pædagogo Regem! miserrimam Prouinciam! A quo mutuabimur deplorandæ infelicitatis speculum? Puto ab ethnicismo, à pagana impietate. Quos in Deorum numerum retulerunt iniquissimi arbitri? Num Aristidem aliquem? num Socratem? num Diogenem? num Platonem, aut seuerioris disciplinæ Philosophum aliquem? Nequaquam sanè: non digna hæc turba Deorum censu; sed Iupiter quispiam iratus, in parentem contumax, in pueros, in virgines æstuans; Mars furibundus, & tumultuans, & in adulterio palàm deprehensus; Venus prostibulo famosa; Quorsum arrisit tam maculata Diuinitas? Nimirum, Diuos odio habuêre, à quibus eorum flagitia corripi possent; dilexêre in vitiis pares: Ergo ad horum insignium Magistrorum imitationem ij, quos nominauimus, cùm honestati, & bonis moribus valedixissent, & Principum amicitia abuterentur, sacra, humanáque omnia profanant; in eos distribuunt præfecturas, rostra, legiones, non qui in his tractandis laude aliqua excelluerunt; sed, qui ad stupra, ad rapinas, ad insultus ad eorum vitia omnia conniueant; Placet ex Tertulliani Apologetico transcripsisse de cap 11. pauca: *Deos facitis* (alloquitur ethnicam Romam) *criminosissimos quosque, vt placeatis Dijs vestris; illorum est honor consecratio æqualium; Sed, vt omittam huius indignitatis retractatum, probi, & integri, & boni fuerint; quot tamen potiores viros apud Inferos reliquistis? Aliquem de sapientia Socratem, de iustitia Aristidem, de militia Themistoclem: quis ex illis Dijs vestris grauior, & sapientior Catone? iustior, & militator Scipione? quis sublimior Pompeio? felicior Sylla? copiosior Crasso? Tullio eloquentior? Quantò dignius istos Deos ille assumendos expectasset, præscius vtique potiorum? Properauit, opinor, & cœlum semel clausit; & nunc vtique melioribus apud Inferos mussitantibus erubescit:* Qualis itaque Iupiter Deus, qui sub Infero iacere sinat, iustitia, fortitudine, grauitate, eloquentia conspicuos Heroas; in Olympum transcribat luxuriam, seditiones, auaritiam? Tales, aut Monarcha, aut penes quos Principum corda, qui æquitatis obliti, Reipublicæ dedecora honore, muneribus afficiunt, & probos in angulo latitare, egestate tabescere, despisci, conculcari permittunt.

Ethnicorum in Dijs fingendis iniusta existimatio.

Tertull.

An ex horum vecordium Principum classe Achis ille, ad quem Dauid confugerat? & indixit peregrinationem tandem, aula exulare iussit; Quid commisit Dauid in Dynastam? quid in aulæ Proceres? quid in subditos regni? An latro, an stuprator, an violentus? Discè ab ipsomet Achis Reg. 1. cap. 29. vers. 6. *Vocauit ergo Achis Dauid, & ait ei: Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo: & exitus tuus, & introitus tuus mecum est in castris, & non inueni in te quidquam mali ex die, qua venisti ad me vsque in diem hanc: sed Satrapis non places: Reuertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos Satraparum Philisthym:* O Rex, si probus, si honestus, si næuo carens Dauid, cur non apud te retines? cur non reliquis amicis præfers? Nempe, displicet Satrapis: Quorsum vero? quid mali egit? ánne ideò, quoniam vir optimus? Proh Satrapas iniquos, & aulæ flebilem conditionem! Vt viderint hominem seuerum, disciplinatum, moribus, & virtute insignem, sufferre non possunt, tristantur, donec procul abeat, pellatur, è regio discedat limine, non ille locus innocentiæ; quisquis apud Satrapas gratus esse cupiat, & auræ frui deliciis, malitia præstet, necesse est; Ecce Dauid indicuntur exilia, cùm tamen Rege ipso iudice rectus & bonus perpetuò fuerit: Non omi tam Carthusiani notulam ad præfatum Regum caput; *Sic frequenter contingit* (ait) *in domibus Principum, quòd aliqui boni, & strenui, Principibúsque placentes, aliorum per hoc displicentiam, odiúmque incurrant, à quibus & mendaciter accusantur, qui aures Principum simplices callida fraude decipiunt:* Ac sanè, quanquam Achis reluctanter Dauidem videatur dimittere, atque ideò tantùm, ne Satrapas offenderet; tamen in Rege & culpa fuit, concessisse Satrapis, vt virum bonum, & integræ famæ ob eorum causam à se amandaret; neque enim tam ignauum deceat esse Monarcham, cuius animum de Optimatibus quispiam sic occupet, vt in eius solatium non verecundetur Iustitiam opprimere, innocentiam etiam sibi notam satis delinquentium calamitatibus afficere.

19. 1. Reg. 29. *Aulæ, & Regum palatia exurbantur boni.*

Comitemur paulisper Abrahamum in Ægyptum descendentem, & intueamur quàm erga eum munificus Pharao; quæramus, & quanta sit largitatis iustitia; *Abraham* (inquit Geneseos Auctor cap. 12. vers. 16.) *benè vsi sunt propter illam: fueruntque ei oues, & boues, & asini, & serui, & famulæ, & asinæ, & cameli;* Sed, quid egerat Patriarcha tantis diuitiis dignum? num Ægypti hostes dimicans profligauit? num pro Regis capite vitam obtulit? num aduersùs eum coniurationem molientes detexit? num orauit eloquenter, & Monarcham dulcissima lingua encomiis in cœlum sublimauit? Nihil istorum omnium; Quid vero? Quoniam secum pulcherrimam adduxit feminam, quæ laudata à Principibus, Dynastæ placuit, & sublata est continuò in domum Pharaonis; *Abraham verò benè vsi sunt propter illam*; Ecce præclara merita! en pulueremm, & sudores! *Propter illam*; Interim miles infelix, cui vix sanguis ob vulnerum multitudinem; panem non habet, non pallium, non calceamentum; Philosophus post Atticarum noctium vigilias, stipem mendicat, nec est, qui consideret, vt egestate pereat vterque; atque Abraham, quòd feminam in paucis iucundam & bellam exhibuerit aulicis videndam, Crassi substantiam post biduum quàm intrauit Ægyptum,

20. Gen. 12. *Principes munifici in eos, qui eorū voluptatibus deseruiunt: illiberales erga strenuos.*

propè

Oleaſter. propè æquat: Concinnè Hieronymus Oleaſter in explanatione morali eius, quod nominauimus Geneſeos capitis; *Quàm benè* (ait) *Principes operas ſoluunt illis, qui eis in ſuis cupiditatibus deſeruierunt: & melius, quam ijs, qui Communitati in bello, aut in alijs, quæ ſunt Communitatis, ſeruiêre.*

21. Ergo non infrequens Rectoribus mundi huius, vacuos, & ſubtriſtes dimittere, qui ſtrenuam, aut in bello, aut in pacis artibus operam nauarunt; replere eorum crumenas, qui nihil vnquam arduum, & immortale aggreſſi ſunt, quorum vniuerſa laus, Principum miniſtraſſe vitiis, & iniuſtæ concupiſcentiæ; Non ita apud Chriſtum IESVM, Regum Regem; Satis vobis exploratum, quid filij Zebedæi tentauerint; nempe ambitione aliqua tacti cùm repulſam metuerent, ſubmiſerunt matrem, quæ poſtularet, vt ſederent cum Domino Seruatore, vnus ad dexteram eius, & vnus ad ſiniſtram; Verùm neque matris ſuperatus precibus reſpondit Chriſtus, *Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo*; Matth. cap. 20. verſ. 23. In quibus verbis illud difficile, Matth. 20. quod aſſeuerat, *Non eſt meum dare vobis*: Cuius igitur? An Patris? *Sed omnia dedit ei Pater in manus.* Ioan. 13. verſ. 3. Si igitur poteſtatem, vt faciat, habet Genitor, & Gnatus; cùm omnia, quæ ſunt Patris, eadem Filij ſint, dedit enim ea Parens in manus illius; quamobrem ergo dixerit: *Meum non eſt dare* cui vniuerſa poſſibilia noſcuntur? Accipe ſignificationem: Petebat genitrix filiis præmia magna ante tentamenta, & labores: imò & nihil perpeſſos anteponi aiebat his, qui cruentam cum hoſte pugnam commiſerant: itaque otioſos coronari, pugiles meritis fruſtrari honoribus optabat: *Non eſt meum hoc*, (inquit Dominus:) Non apud me tam iniqua diſtributio; Sic Reges nationum diuidunt ſpolia: honorant ignauam plebem, ſceleratos euehunt in altum, optimè de Republica meritos ſpe, & muneribus deludunt: alienum à nobis, cum quibus moratur æquitas, & iudicium, tam vile opus: ergo *non eſt meum* hoc abſque epoto laborum calice, ſcilicet, confeſſum gloriæ præſtare: Principum, qui in terra improbi ſunt, iſtud fuerit: Breui dictione Baſil. Seleucienſis orat. 24. *Thronus, laborum præmium eſt, non ambitionis donum gratuitum; ex rectè geſtis thronus comparatur; nudam poſtulationem datio non ſequitur.* Ioan. 13. Baſil. Sel.

22. Et quemadmodum aliis regnandi in ſuperis poteſtatem, antequàm magna fatigatione promeriti fuiſſent, concedere reſpuit: ita nec ipſe oblatum ſibi admittere voluit; Tentauit Cacodæmon poſt quadraginta dierum inediam, & cùm artes aliæ in vanum ceſſiſſent, *Aſſumpſit eum Diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia dabo tibi, ſi cadens adoraueris me*, Matth. 4. verſ. 9. Cur reſpuit Seruator Matth. 4. infigne donum? An, quoniam Satanæ liberalitatem eſſe nouerat? Sed, quare Satanæ munus? Primùm, quoniam, vt vnum locupletaret, omnes vniuerſo orbe ſubditos extremæ ſubiicere miſeriæ non eſt veritus; ſpoliabat nanque poſſeſſionibus cunctis, cùm omnia ſe daturum Chriſto ſpondebat: non potuit igitur non eſſe tartareus Princeps, qui tam immitis erga ſubiectam plebem, cui vnus, quàm multitudo, chatior; Secundò, cogitabat Inferni Præpoſitum eſſe, qui abſque meritis totam Monarchiam conceſſerit: quod enim meriti genus, vt genua quiſpiam flexerit? Sicut ergo matri filiorum Zebedæi ſedilia à dextero, atque ſiniſtro latere negauerat, eò quòd ſine laboribus prætenderet debitam fatigationi pacem: ita nunc & ſua indignum auctoritate arbitratur id regnorum genus admiſiſſe, quod ante laſſitudinem offerebatur: Dæmoniorum eiuſcemodi eſt munificentia, quæ poſſeſſoribus demit parta ſudore, vt in eum congerat, qui nihil fatigationis ſuſtinuerit: Suppeditauit interpretamentum poſterius Origenes homil. 30. in Lucam: *Dicit ergo ad Dominum Diabolus: Vnum eſt, quod precor, procidens adora me, & accipe regnum omne, quod teneo; Verùm Dominus noſter atque Saluator vult quidem regnare; ſed vult regnare quaſi iuſtitia, & non vult abſque labore ſubiectus Diabolo coronari, nec ſic regnare cæteris*: Ergo Chriſti diſciplina, vt regnum præcedat labor: & diadema accipiat, qui meruit, qui populos in officio continere valeat ob prudentiam, animi magnitudinem, pacis, atque armorum ſcientiam: qui norit ſeuerus eſſe, atque placidus, quando vſus poſtulet: quem ſubditi ament, & reuereantur, hoſtes formident: hæc Regum ornamenta, hæc, quæ purpura dignum reddunt: Quas in Adonia dotes, longùm deſideratas, cùm non reperiſſet Dauid, & ſenectus vigeret, eſſétque nominandus hæres regnorum, antequàm inter viuentes eſſe deſineret, neeo ſublato Adoniæ faurores tumultus excitaſſent, Salomonem præclariſſimam ad regna indolem monſtrantem, ſucceſſorem declarauit, præpoſuitque ſeniori germano, virtutem ætati anteferens. Origen.

Omnia in vnum conferens, Dæmoni ſimilis.

Vilis dominatus abſque laboribus acquiſitus.

SECTIO III.

Inclytum, proprias iniurias remiſiſſe; in Dei cauſa vlciſcenda, in alieno vindicando conuitio ſeuerum extitiſſe.

VIx genitore ſublato throno regio Salomon confederat, & à ſanguine fundendo exordium imperij: Itáne Pacifici titulo ſublimis; & tam citò cruentus? At conſueuêre etiam tyranni, & ad cædem, vaſtationémque nati, ſub initiis lenimen fingere, ne ſubita crudelitate contriti ſubditi excutiant iugum, in ſeditionem armentur, quemadmodum Roboamo Salomonis proli contigit; Quæ igitur ſapientia, ab internecione, & luctibus inchoaſſe, quando etiam ne fratri Adoniæ parcitur? Sed iuſſit Dauid moriens, vt faceret; debebat parentum monitis auſcultaſſe obtemperans filius: At, cur non ipſe Dauid ſupplicium malefacientibus intulit? Erant in eius perſonam commiſſa ſcelera; Arbitrabatur indecorum eſſe, de propria iniuria ſumpſiſſe pœnas; ne tamen æquitati defuiſſe videretur, & dum patiens, mitiſque apparere velit, iniuſtus haberetur, abiturus ex hoc ergaſtulo, Salomoni commendauit, quod conueniens fuiſſet, actitaret; & ille, quando non ſuam iniuriam, ſed in genitorem contumelias caſtigaret, non diſtulit in ſequentia tempora; ſed continuò mactationem aggreſſus, ratus nemi- 23.

nem

nem futurum, qui immitem arbitraretur, quando aduersùm se partata crimina, aut condonaret, aut leuiter plecteret; quæ puniret delicta, ea esse, quæ ad alienam pertinerent famam, cámque optimi parentis; Verùm, quæ Salomonis clementia in sibi hostiles? Placérne, vt referam? Considerate, qualis in Ioabum militiæ Ducem; qualis in Abiathar Sacerdotem: nempe, Ioabum, etiam ad asyla confugientem, persequutus, nec tabernaculi religio defendit, succubuit Bananiæ gladio; 3. Reg. 2. cap. 1. vers. 34. Abiathar vita donatus, & leui exilio tantùm oppressus: Quid, nónne Abiathar aduersùs Salomonem conspirauerat, & de eorum factione, qui eripere sceptrum, atque trabeam tentauerant, & in Adoniam transferre? Sed non tam graue scelus Ioab; nullum enim cum læsæ Maiestatis crimine (quale fuit Abiathar) conferendum delictum; Cur igitur, qui minùs peccauit, acerbiùs luit? Qualis in hoc iustitiæ ordo? Verùm fuerat Abiatharis insultus contra Regis auctoritatem; Ioabus in externos deliquerat: quoniam igitur generosum est erga proprias iniurias blandum, atque mansuetum extitisse; neque minùs inclytum, alienam iniuriam impunitam non destituisse; ob hæc parcitum Abiathari fœdiora committenti; Ioabus, qui in minoribus exorbitauerat gladio transuerberatus; *Abiathar* (inquit Tostatus quæst. 39. in cap. 2. lib. Reg. 3.) *non fecerat alia peccata, nisi quòd læserat Maiestatem regiam conspirando contra Salomonem; & quia ista iniuria erat personalis, poterat ipse remittere eam; Ioab autem fecerat alia peccata; scilicet, quia occiderat Amasam, Abner, & Absalon; ideò, licèt posset Salomon remittere ei, quod contra ipsum fecerat; tamen non poterat remittere peccata facta contra alios.*

Tostatus.

24. Luc. 13. *Arborem fici habebat quidam* (ait Lucas c. 13. vers. 6.) *plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit*; Stomacharus ad tantam malignitatem infrugiferi ligni, (nam per tres annos nihil attulerat,) conuersus ad vineæ cultorem, strinxit dirum anathema; *Succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* Doluit ad tam acerbam sententiam vineti custos, & exorauit terribilem possessorem, vt in vnum saltem annum relinqueret; At, nónne inuersa parabolæ huius narratio? quem enim excandescere, concitari, furoribus agitari oportebat? nónne hortulanum? Planè: nam, si quæ arboris noxa, in hunc quidem; ipse nanque in sudore vultus sui circunfoderat, fimum & stercoramenta admouerat, amputauerat luxuriantia cacumina; hyeme, vere, autumno visitauerat sæpiùs: interim pomœrij dominus hilares traducebat dies; nempe, domi iucundus latebat, si pruinæ, si ventorum flatus, si grauis imber: æstate spatiabatur per camporum amœna, per maris deambulabat littora, semper in deliciis: Quando igitur ab infœcundo stipite delusi vinitoris labores, cur non potiore causa hic tonitrua mittit, & excscindi, atque in ignes proiici expetit? Sed vide egregium ficeti possessorem, meliorem tamen eiusdem vigilem; nempe, hortulanus, quoniam aduersùs eum condonari iniuriam exposcit, agit apud magistrum sollicito studio ligni causam: verùm dominus, quia non eius, sed alienæ iniuria illa est, remittere nullo pacto velit: O pulchrum duellum procuratoris, & domini! quando & is, qui offenditur, misericordiam pro iniuriante flagitat: & ille, qui læsus non fuerat, non sinat alienam iniuriam inultam transire! Atque ideò certè non sinit; quoniam is, qui læsus fuerat, vindictam sumere respuit: si enim lacessiti Domino vindictam relinquimus, ipse proculdubio retribuet. Afferamus Nysseni Gregorij verba quædam, si fortè nostram iuuant considerationem, atque ex oratione in eos, qui alios acerbiùs iudicant: *Tam alienus autem à cædendi acerbitate* (inquit) *Sacerdos esse debet, tam promptus, & paratus ad excolendam humanitatem, vt etiamsi Dominus aliquem, vti plantam inutilem, exscindere iubeat; ipse, tanquam insitor, debeat supplicare, vt ignoscat parumper, & sententiam differat: sic enim monet oratio illa de ficu, quam vt sterilem, cùm dominus vellet concidere, orat agricola, vt illi pauliſper parcat, & moram aliquam interponat, aliquid enim bonæ spei in diligentia sua reliquum esse.*

Nyssen.

25. Innocuum Abelem sceleratissimus Caïn occiderat, & continuò affuit in homicidam laturus sententiam Creator; Aduentus significaturus causam, *Quid feci sti?* (ait.) *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Genes. 4. vers. 10. Sed, cur non Abelem postulare vindictam asserit? cur non præstantiores materiæ partes, cor, cerebrum, oculos, aut huiusmodi quidpiam? Verùm annotasse expediens fuerit, & Philosophorum, Theologorúmque boni nominis opinionem haberi, neque Aristotelis, neque Angelici Præceptoris auctoritate destitutam, sanguinem haud esse partem humani corporis, neque rationali ab anima informari: at obtinere normam alimenti, quod postquam per nutritionem in hominis substantiam conuertitur, atque incipit informari anima humana, tum incipit esse pars hominis: Vide Suarium tom. 1. in 3. part. disput. 15. sect. 6. Si igitur sanguis non est pars corporis Abel, quid attinet ad sanguinem de iniuria in Abelem commissa? Cur ipse non ingemiscit, & loquitur? Ideò quidem non complorat Abel, neque Iudicem interpellat, quoniam iniuria propria erat Abelis; sanguis autem, quia non de Abelis corpore pars, sed quasi alienæ naturæ, propterea alienam vindicare causam postulat clamore vehementi: Hoc igitur est, quod non Abel, sed sanguis vociferatur. Habent & illa emphasim: *Vox sanguinis de terra*, id est, cruoris, postquàm in terram decidit: nam, quamuis admittamus, sanguinem, dum intra corpus est, à rationali anima informari: tamen simul atque separatur, aliam induit formam: quòd etiam fuerit verum, etsi dum intra hominem est, asseramus, propriam aliquam, & peculiarem formam sortiri: nam conseruatio huius formæ à dispositionibus, quæ intra corpus sunt, dependet; Itaque non iam *simpliciter* idem sanguis est, sed *secundùm quid*: sicut corpus hominis defuncti non idem est *simpliciter*, sed *secundùm quid* (excepto Christo ob specialem rationem, vt docet S. Thomas 3. p. quæst. 50. art. 5. ad 1.) quamuis, quia eadem est materia, idémque color, consueuerit nominari idem sanguis viui, & mortui: Pulchrè igitur sanguis, qui vindictam exposcit, sanguis *de terra est*, non sanguis inter venas Abelis diffluens: sanguis, nempe, velut ignotus iam alteri formæ coniunctus: Eiusmodi itaque peregrinum sanguinem pro vindicta clamare deceat, non sanguinem in corpore Abelis manentem, ne fortè dum intra venas clausus, si pro vindicta os aperiat, Abel propriæ iniuriæ vindictam petiisse videatur: longum hoc à patiente Abele: At, si ille in propria causa tacet, vociferetur sanguis in terram

Gen. 4.

Sanguis quomodo pars humani corporis?

Suarez.

Sanguis viui & defuncti an idem? S. Thom.

terram proiectus ; poterit nanque absque rubore ; quoniam eiusmodi cruor , cùm non sit de sanguinibus Abelis , non propriæ , sed alienæ iniuriæ vindictam petiisse iudicabitur ; Hoc autem decorum est , ad propriam siluisse iniuriam, ad alienam intensa vociferatione clamasse: Atque secundùm huiusmodi expositionem scripsisse videatur Ambrosius lib. 2. de Caïn, & Abel, cap. 9.

Ambr.

Et benè (inquit) *ait: Vox sanguinis fratris tui clamat, non frater clamat: Hoc innocentia , & gratia germanitatis, etiam in ipsa morte seruat ; non accusat frater, ne videatur parricida ; non accusat vox ipsius, non anima eius , sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti ; Tuum te ergo facinus, non frater accusat :* Et his insinuat Mediolanensium B. Patronus primum nostræ cogitationis membrum, cùm affirmabamus, sanguinem etiam intra venas alia affici forma , quàm sit rationalis ; ac propterea non Abelem esse , qui vindictam imploret ; sed alterum ab Abele; *Vox sanguinis fratris tui* (inquit) *clamat : non frater clamat , non accusat frater :* Cæterùm & aliud membrum de cruore in terram profuso , & inde vociferante ex eiusdem loci Ambrosianis verbis confirmari valeat: subdit nanque statim : *Et bene ait : Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra; non dixit, De fratris clamauit corpore ; sed , de terra clamat ; Etsi frater parcit, terra non parcit : si frater tacet , terra condemnat : ipsa est in te & testis , & Iudex.* Sic igitur nunquam Abel pro vindicta clamans, mitis post mortem , sicut donec viueret ; verùm illo obmutescente , neque sanguis tacet , neque silet tellus ; pro aliena iniuria fortiter clamant.

26. Et fuit quidem scelus Caïn , mors iustissimi fratris : Sed quam extorsit vindictam , sanguinis de terra clamor? *Nunc igitur* (intimauit Creator Genes. 4. vers. 11.) *maledictus eris super terram , quæ aperuit os suum , & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua :* Vt video , tristior hæc pœna est , quàm illa , quæ Protoplasto inflicta est; neque enim maledictioni suppositus ipse, sed gleba , ne agricolantis responderet desiderio; *Quia audisti* (inquit Genes. 3. vers. 17.) *vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo:* An maius peccatum Caïn, quòd vnum leserat quàm Adæ , cuius delictum in omnes pertransiit , excepto Messiâ , & eius Genitrice ? Quòd si Adæ vehementior noxa, cur non & maledictionis forma ? Nam ideò homo in Caïn maledictus, quoniam aduersùs hominem deliquerat , vt in quo peccauerat , in hoc quoque penderet mulctam; & ob similem causam , eò quòd in amandis fructibus terræ primus inter mortales recesserat à iustitia, propterea iussa tellus , ne etiam laboranti gratum suppeditasset pastum ? Arrisit Oleastro in 2. expositione c. 3. Geneseos : *Aduerte* (ait) *hominem in cibo punitum; quia in cibo peccauerat : vt vera sit illa sententia, Per quæ quis peccat, per hæc torquetur :* Verùm non est disquisitio de supplicium differentia ; sed , quare mitior videatur fuisse incussa Adæ maledictio, vt aduertit Chrysostom. hom 19. in Genesim ? Sanè præuaricatio Adæ contra solum Deum fuit ; neque enim mortalium cuipiam damnum intulit , (non loquor de originariæ transfusione noxæ ,) nempe , vt corpus vulnerarit , possessiones abstulerit, aut eius generis ; affectabat esse sicut Deus , bonum, atque malum sciens; Caïn autem in alium, quàm Deum peccauerat , quoniam fratri vitam eripuit Numen ergo , quoniam ab Adamo illata offensa , propria ipsius erat iniuria , cum Protoplasto leniùs agere visus: quia autem à Caïno perpetratum scelus , aliena erat iniuria , acriter castigauit, ipsi maledicens homicidæ , & personam simul cum aruo feriens.

Gene. 3 & 4.

Per quæ quis peccat, per ea torquetur.

Oleast.

Chrysost.

Igitur in sua repetenda iniuria Numen remissum, in vindicanda aliena formidabile ; An non homo factus sustinuit à nequissimis alapas , & sputa , opprobriis exsaturatus ? Quem de offensoribus læsit ? cui vitam , robur , salutem impedierat ? Sanauit continuò Pontificis seruo amputatam auriculam ; & aduertit Discenti , paratas ad munimen plusquàm duodecim Angelorum legiones ; sed non esse illud tempus vexandi ; Et fuit tempus sanè , cùm Ieroboamus extendit manum suam imperans ministris , vt de Prophetis vnum apprehenderent: *Et exaruit manus eius , quam extenderat contra eum , nec valuit retrahere eam ad se.* 3. Reg. cap. 13. vers. 4. Planè , quòd Vatem teneri iusserit Rex , acerbiùsne, quàm quòd Virginis Filium sceleratissimi sic deturpauerint , vultum illum beatum , in quem desiderant Angeli prospicere , vt non esset illi species , neque decor ? Cur igitur non vecordes milites pari saltem affecit supplicio, & quando in profundissimum inferni, terra eos sorbente, detrudere noluerit , brachia ad minimum non sunt arefacta, vti Ieroboamo contigit ? Sed, siue ante carnem assumptam , seu illa circundatus , idem perpetuò , & sibi æqualis Deus ; Peccabant in Verbum hominem factum satellites Pilati , atque Iudæorum : noluit pœnas exoluerent , ne si aduersùs contumaces stomacharetur , propriam vlrum fuisse iniuriam diceretur: nam propria fuit illa iniuria : sed alienam dissimulare iniuriam , & in seruos conuitia , id nequaquam patiatur : ob hæc itaque vix extenta in Prophetam dextera iniqui Principis , & absque mora exaruit : ipse toties verberatus , percussoribus malum non rependit : Dicat cum eloquentia os aureum Chrysostomi homil. de Phoca Hieromartyre: *Vide* (ait) *benignitatem : quo pacto , quæ seruorum sunt , vendicet : quæ verò sua sunt , prætermittit: Propheta quondam fuit quispiam*, (Reg. 3. cap. 13.) *qui Regem impiè agentem redarguebat : & cùm accessisset , dixit : Altare , altare , & subitò ruptum est altare: Et vide, quid accidit: extendit manum suam Rex, vt Prophetam apprehenderet, & continuò manus eius exaruit : quando seruus iniuriam passurus erat, Regem puniuit : quando alapis ipse cædebatur, nihil mali ei, qui alapas impingebat, inferebat.*

3. Reg. 13.

Chrysost.

Atque hic tam mansuetus ille homo Rex est, quem Matth. cap. 22. narrat fecisse nuptias filio suo , & inuitauit multos ad geniale sympósium, quò maior esset pompa ab hospitum multo numero : ex iis quidam Principis contempserunt liberalitatem , & gratiam , ob villæ culturam : alij propter negotiationem : sed improbissima quædam turba in summam prolapsi dementiam , tenuerunt seruos eius , & contumeliis affectos occiderunt : vt Principi innotuit , ira exarsit , atque missis exercitibus suis perdidit homicidas illos , & ciuitatem illorum succendit, Quos homicidas vastauit ? Nimirum , qui iniustissimam necem seruis intulerant , Fateor quidem nulla esse tormenta , quæ horum immanissimæ crudelitati paria censeantur : sed cur impuniti

28. Matth. 22.

impuniti abeunt illi primi, qui ob viliſſima opera, Regis deſpexêre conuiuium? Scio apud Lucam comminatum patremfamiliâs, cap. 14. Luc. 14. *Quòd nemo virorum illorum, qui vocati fuerant, gustarent cœnam eius*: Sed hæc læuis afflictio eſt, imò ne afflictio quidem ſtolidiſſimis hiſce: nam maluêre potiùs quinque iugis boum moleſtiſſimo labore terram frangere, quàm ad eius inſtructiſſimam menſam ſedere; tanta eſt homuncionum vecordia: Cur igitur tam inſanum genus non in patibulum agit, aut in tenebras exteriores mittit? Equidem hi, qui & à coniugiis, & à villa, & ab aratione excuſationes fraudulentas mutuarunt, in conuiuij dominum tantùm procaces fuerunt; miniſtris nullam intulêre iniuriam, neque verbere, aut verbo ab eis malè excepti: aliter ſecundi inter bipedes nequiſſimi, non contenti Satrapam contempſiſſe, ſeruos non tolerando aliquo malo affecerunt, ſed omnium grauiſſimo, morte videlicet: quoniam igitur iniuria illata à prioribus erat ſolius Regis iniuria, & eius propria, propterea aduersùs hos nullam exercuit violentiam, quàm quòd cœna prohibuerit, qua excludi & ipſi optauerant: ſecundi autem, eò quòd in miniſtris ſæui extitiſſent, aliena iam erat hæc iniuria, proinde cum his nulla fuit commiſeratio, ſed horrenda perpeſſi ſunt, ipſis interfectioni datis, & eorum in fauillas redacta vrbe.

29. Cùm igitur Deus aduersùm ſe delinquentibus facilè remittat, miniſtris illata conuitia vehementer perſequatur, docet & ſeruos vicem rependere, atque ipſis allata nocumenta ſine tædio condonare; in Dei vindicando honore, in vlciſcendis blaſphemiis, terribiles eſſe; Quid Deus cum Moyſe fideli cliente? quàm velox ad puniendos illos, qui Moyſi detrahebant, quàm lentus ad domandos ſibi rebelles, imò quàm erga illos beneficus? *Patres noſtri* (inquit Pſalmodus Oda 105.) *in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ*: Sed in quibus impegerunt? Nempe, *irritauerunt aſcendentes in mare mare rubrum*: videlicet, cùm ad Erythræa littora tenderent, inſequentium Ægyptiorum metu conterriti, de Numinis poteſtate malè ſentientes, regreſſum ad veterem ſeruitutem meditabantur, Exod. c. 14. verſ. 12. At qualiter proprer diffidentiam enormem vapulaueruut? Scilicet, *Et increpuit mare rubrum, & exſiccatum eſt, & ſaluauit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici*: Hoc liberari diſcrimine, ſolitudine recepti, iterant querimonias, & de alimentis murmur, Exodi c. 16. Num indignè querulantes deſpexit Creator, & neque exaudiuit? *Et dedit eis petitionem ipſorum, & miſit ſaturitatem in animas eorum*: Talis Omnipotens cum iis, qui ipſum offenderant, *qui non crediderunt verbis eius, citò obliti ſunt operum eius, & non ſuſtinuerunt conſilium eius*: Sed, cùm in Moyſem inſurrexêre de filiis Core, Abiron, & Dathan, Numer. c. 16. nunquid iram continuit rerum Gubernator? nunquid patiens fuit, aut leni increpatos virga dimiſit? Equidem *aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan, & operuit ſuper congregationem Abiron, & exarſit ignis in Synagoga eorum; flamma combuſſit peccatores*: Percipe iam Chryſoſtomi effata, ex poſteriori in Pſalmos explanatione, ad allegatam Odam Dauidicam: *Nec cùm Deum* (inquit) *in mari rubro ad iracundiam prouocaſſent, nec cùm eundem in deſerto tentaſſent, is, qui peccata diſſimulat, de ipſis ſupplicium ſumpſit? imò verò cupiditates ipſorum expleuit: At, cùm Dathan, & Abiron Moyſem ira commouiſſent, dicentes: Nunquid Moyſi duntaxat locutus eſt Deus, ac non etiam nobis? Eos cum vniuerſa familia dehiſcenti terræ tradidit; neque enim Deus ſeruos ſuos contemni, & pro nihilo haberi vult.*

Deus quàm ſit velox ad vlciſcendum in eos qui ſeruis ſuis detrahunt. Pſal. 105.

Exod. 14.

Num. 16.

Chryſoſt.

Sic igitur pro famulo zelatus eſt Dominus, 30.
quaſi eius honorem proprio chariorem habeat; ſic iniuriarum contra ſe obliuiſcitur quodammodo, de iniuria contra alios, graues repetit pœnas; annon acturus quidpiam Moyſes pro Domino? Attende, qualem ſtragem ediderit: peccauit Iſraël vitulum faciens in Horeb, & adorauit ſculptibile populus craſſus & inſipiens; vidit abominationem Legiſlator, poſtquàm de monte deſcenderat, & incredibili efferueſcens bile, armari gladios imperat continuò, ſtringi aduersùs idololatras; ceciderúntque in die illa quaſi viginti tria millia hominum, Exod. c. 32. verſ. 29. Proh cruentum Legiſlatorem! quid maius aliquid Sylla? Non inſcitè Sephora coniux, ſponſum ſanguinis appellauit; ſed heus rem optimam & iucundam! hunc tam à cædibus, & vulnere abhorrentem alibi ſacer Textus, *virum mitiſſimum ſuper omnes homines, qui morabantur in terra*, nominat c. 12. Numeror. verſ. 3. Noui quidem toleraſſe patienter ſæpiùs iniuſtas ſubditorum contumelias, atque allegato nunc loco præclarum ſuſtinentiæ exemplum, quando acerbum nihil meditatus eſt contra Mariam, & Aaron, qui Æthiopiſſæ obiectabant matrimonium; ſed fuiſſent hæc memoranda in omne ævum, ſi tantam non attexuiſſet crudelitatem: quando igitur eius gladius ſic debacchatus eſt, quo pacto æſtimabimus iure vocatum hominem mitiſſimum? At, intuendum, ob quos fines tam ſeuerè à Moyſe animaduerſum in cultores vituli; num de propria aliqua iniuria excanduit? Nemo tam dulcis cum hoſtibus atque ille, pro quibus & frequenter cum lacrymis Numini ſupplicauit; fuit autem intolerabilis in Deum & contemptus, & ingratitudo, ſimulacrum vaniſſimum fabricaſſe, & tantorum prodigiorum effectori præruliſſe? Hoc admirandum Moyſem vexauerat; hoc adegit, vt tantam carnificinam ante vnam conſumptam lucem exerceret: Igitur, ſi trux, atque acerbus videatur Legiſlator, ſed nihil irarum in eo, cùm de propriis agit iniuriis: in aliena cauſa, & Omnipotentis præſertim, formidandus, verùm non ideò immitis cogitandus: nam ea demum manſuetudo certa eſt, quæ ad ſua tacet opprobria cùm in Dei vlciſcenda iniuria, Ætnam totam euomit: quare Moyſes egregia, iuſtáque laude mitiſſimus virorum: Abulenſis quæſt. 12. in c. Numeror. 12. *Proprias iniurias patienter tolerabat, ſed non iniurias Dei: ideò in fabricatione, & adoratione vituli viginti tria millia hominum interfecit, Exod. cap. 23. nam manſuetus medius eſt inter iracundum, qui iraſcitur, quando non oportet; & inſenſibilem, qui in nullo iraſcitur; Moyſes autem iraſcebatur aliquando, & fortiſſimè circa iniurias Dei; ſed circa ſuas, nequaquam; ideò tenebat medium.*

Moyſis Zelus in vindicanda Numinis iniuria.

Exod. 32.

Num. 12.

Abul.

Aſpice, quàm grata Numini huiuſmodi lenitudinis, atque irarum admixtio, quæ & ſuas dimittat iniurias, & Dei vlciſcatur: Cùm nullis ſe mouendum precibus ſignificaret, ecce quid per Hieremiæ os locutus c. 15. verſ. 1. *Si ſteterit Moyſes, & Samuël, coram me, non eſt anima mea ad populum.* 31.

Hierem. 15. *Vnde iam efficaces Moyſis & Samuëlis apud Deum orationes?*

pulum, id est, quamuis interpellent ij, quorum maximè succumberent orationibus; Sed cur duos hos antiqui fœderis reliquis anteponit Ducibus? Quid si Abraham obtestetur? quid, si Iobus? quid, si Dauidis lingua? Quamobrem ex hac fulgentissima classe non aliquem publicauit? Sanè & nominati Patriarchæ, aliique etiam omnibus condecorati ornamentis, sed excelluêre Moyses, atque Samuël in sufferendis sibi illatis malis, qui plurimi fuêre in castiganda aduersùs Deum temeritate; Hac igitur iniuriarum distributione sic delectatum Numen, vt cùm de remittenda offensa sermocinaretur, quò summè terrefaceret, elegit ex omni Patriarchatu veteri Moysem, & Samuëlem, quorum ne supplicationibus inclinandus sit; Percipiamus à Gregor. Romano homil. 77. in Euang. *Certè, cùm Iudæa* (inquit) *Conditoris sui iustitiam culpis exigentibus offendisset, Prophetam suum Dominus ab oratione prohibet, dicens; Si Moyses, & Samuël steterint coram me, non est anima mea ad populum istum; Quid est, quòd intermissis, relictisque tot Patribus, soli Moyses, & Samuël ad medium deducuntur, quorum mira obtinendi virtus ostenditur, nisi quòd hi duo tantummodo in cuncta Testamenti veteris serie, etiam pro inimicis suis leguntur exorasse? Vnus à populo lapidibus impetitur, & tamen pro lapidatoribus suis Dominum deprecatur: alter ex principatu eijcitur, & tamen petitus, vt exoraret, fatetur dicens; Absit à me hoc peccatum in Domino, quominùs cessem orare pro vobis.*

Greg.

32. Pſal. 58. Ecce contradicentia in vno, eodémque Psalmo 58. Orat Propheta vers. 6. *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem:* & paululum progressus vers. 12. inclinat; *Ne occidas eos*; Augustinum obstupefecit diuersitas sententiarum: *Quid est* (ait Psalmum explanans,) *Ne miserearis omnium, qui operantur iniquitatem: & Ne occidas eos, nequando obliuiscantur legis tuæ? quomodo non miseretur omnium, qui operantur iniquitatem? & quomodo non occidit eos, ne obliuiscantur legis suæ? Sed hic de inimicis suis dixit, rogat pro inimicis suis, implet præceptum*: Verùm ego concesserim Augustino, cùm Psalmographus obsecrat, ne morti tradantur, rogare quidem pro salute hostium: at cùm expetit vt à quibusdam auertatur misericordia, quinam illi sunt? An, cùm primùm loqueretur Dauid, *Ne miserearis*, &c. iustam exposcebat vindictam à Creatore & huius etiam cùm pœniteret deinde in posterioribus supplicauit, ne affligeret illos? Equidem puto, & vindictam postulasse, & auerti supplicium quoque orasse; nimirum, cùm pro indulgentia deprecabatur, ad suas attendebat iniurias, has obliuioni tradi optabat, propterea dicebat ex clementiæ affectu, *Ne occidas eos*; cùm verò amoueri misericordiam, iram effundi desiderabat, illúdque: *Ne miserearis*, &c. vsurpabat, ferebatur ad alienas iniurias, & in sceleratos contra Deum præcipuè; O vindica, Domine, causam tuam, apprehende scutum, & arma, & interfice rebelles filios! meæ consopiantur iniuriæ; ne occidas eos, qui exprobrauerunt seruo tuo, qui rem iniustam fecerunt in me tota die ac nocte; his vtique parce, sed non violantibus nomen sanctum tuum.

Augustin.

Christus illata sibi ignoscit mala, qui ea tris iniurias vindicari exoptat.

33. Augustin. Hæc in Dauidis gymnasio prælectio, de cuius exedra potens discipulus Stephanus; Intuere, qualem pingat Augustinus serm. 237. de tempore: *Loquebatur* (inquit) *Iudæis, sæuiebat, & diligebat; Vtrunque ostendere debeo: quia dixi, sæuiebat: dixi, & diligebat; vtrunque debeo demonstrare, & sæuientem, & diligentem; Audi sæuientem; Dura cerui-ce,* (verba sunt sancti Stephani, quando loquebatur Iudæis:) *Dura cerui-ce, & incircuncisi corde, & auribus, vos semper restitistis Spiritui sancto: quem Prophetarum non occiderunt Patres vestri? Audisti sæuientem? alterum debeo, audi & diligentem; Irati illi facti, & grauius inardescentes, Dei famulum lapidare cœperunt; Hic proba, S. Stephane, dilectionem tuam; sæuiebas aduersùs tacentes, videamus, si diligis sæuientes: Primò, B. Stephanus stans orauit pro se, & ait: Domine* IESV, *accipe Spiritum meum: Deinde positis genibus pro lapidatoribus orans: Domine, inquit, ne statuas illis hoc peccatum: Hoc dicto obdormiuit in Domino: O felix somnus, & requies vera! ecce, quid requiescere, pro inimicis orare!* At, si Stephanus sub finem tam mitis, cur sub exordio Passionis excanduit in Iudæos, & homicidia obiectauit, mortésque Prophetarum? Cur nunc implacatus, & asper, nunc blandus, atque humanus? Equidem cùm Protomartyr orationem haberet ad coronam Iudæorum, subiit animum neglectus ab eis diuini nominis honos; non potuit itaque sufferre Spiritu sancto, & zelo plenus Deitatis iniuriam, atque prorupit in sanctam inuectiuam; at, cùm iacerentur in eum lapides torrentis, agebatur ipsius causa, & de Heroüm more ad propriam iniuriam nihil mordicans protulit; imò in similitudinem Præceptoris sui Christi rogauit obnixè pro illis, qui mortem afferebant, & Saülum Ecclesiæ peperit; Quando igitur erga propriam iniuriam facilem, & benignum esse præstat; aduersùs Deum autem, & proximos iniusta facta vlcisci deceat; propterea commissa in ipsum scelera Dauid punire omisit; at verò Salomon, quoniam ea, de qua pœnæ repetendæ fuerant, aliena esset iniuria, & noxæ, quæ genitorem tangerent; noluit differre supplicia, sed statim ac regni throno sedit, Adoniam quanquam fratrem Ioabum, alióque malefactores, promerita affici morte imperauit.

Stephanus aduersùs tacentes Iudæos sæuiebat, quos sæuientes diligebat. Cur?

SECTIO IV.

Ad sapientiam adipiscendam, breuis & præclara via, sanctæ orationis studium.

34. *Quibus modis Salomon tantã adeptus sit sapientiam.*

VErùm, ob nulla ornamenta tam memorandus Salomon, vel æuo suo, vel in sequuta tempora, atque ob sapientiæ laudem; Sed, quibus modis tantam adeptus cognitionem? quem habuit Pædagogum? Credo equidem, Dauidem optimum Parentem à teneris annis Magistros adhibuisse excellentes, qui efformarent; at, cùm longæ in discendo traherentur moræ, nec tam tædiosa spatia ferret amator animus, volens breui cursum consummare, ad orationis præsidia confugit; *Abijt itaque in Gabaon* (locum ex sacris, & postulationibus dicatum,) *vt immolaret ibi.* Reg. 3. cap. 3. vers. 4 *Hic optauit, & datus est, ei sensus* (Sap. cap. 7. vers. 7.) *inuocauit, & venit in eum Spiritus sapientiæ & præposuit eum regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxit in comparatione illius*; Sed, quantùm putas notitiæ hoc compendio consequutum esse? Quantum nullum vnquam mortalium

3. Reg. 3. Sap. 7.

lium ingenij viribus, etsi ille maximo acumine præditus, summos nactus anteceſſores, librorum omnium copia inſtructus, & his abundans adminiculis, præterea ſummam adhibuerit diligentiam: quæ eius cum Salomone vel leuis æmulatio? Quippe, qui impletus fuerit, quaſi flumen, ſapientia, Eccleſiaſt. cap. 47. verſ. 16. *Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum; & erat ſapientior cunctis hominibus.* Reg. 3. cap. 4. verſ. 30. O mirum ſanctæ orationis emphaſim, quæ momento eruditiſſimos facit! Omnes ſitientes, venite ad aquas has; emite abſque argento, & vlla commutatione vinum & lac, vinum fortioris ſapientiæ, lac minoris doctrinæ; guſtate, & videte, quàm ſuauis eſt Dominus exardeſcat, in meditatione ignis veſter, & Pater luminum continuò quaſi imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ, ipſe palam faciet diſciplinam doctrinæ ſuæ.

Eccli. 47.

35. Significaturus Ioannes Euangelij veſtibulo illuminatos fuiſſe à Verbo homines, ab eo claritatem, & ſcientiam accepiſſe, præfatus eſt in eodem illos vitam fuiſſe; *Quod factum eſt* (ait cap. 1. verſ. 3.) *in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*; Quid hoc eſt, creaturas, & quæ facta ſunt, in ipſo vitam fuiſſe? Mihi quidem declaraſſe Angelicus Doctor egregiè viſus, vt innuerit Ioannes, ante tempora extitiſſe creanda in mente diuina quaſi exemplari cauſa; & cùm vita eſſet diuina cognitio, quæ factibilitatem poſſibilium repræſentabat, vitam etiam tum fuiſſe agenda in Numine, in quo quæ ſibi mortua ſunt, viuebant exemplariter; Præſtat autem verba ſancti Doctoris tranſcripſiſſe ex 1. parte, quæſtione 18. artic. 4. in corpore; *Reſpondeo, dicendum, quòd viuere Dei, eſt eius intelligere; in Deo autem eſt idem intellectus, & quod intelligitur, & ipſum intelligere eius; vnde, quicquid eſt in Deo vt intellectum, eſt ipſum viuere, vel vita eius; vnde, cùm omnia, quæ facta ſunt à Deo, ſint in ipſo vt intellecta, ſequitur, quòd omnia in ipſo ſunt vita diuina*; Itaque, ſecundùm beatum Aquinatem idem eſt aſſeruiſſe Euangeliſtam, creaturas fuiſſe vitam in Deo, ac fuiſſe intelligere Dei; Sed, quorſum opus fuerit hæc præmiſiſſe, vt ſubinferret protinùs illuminatos à Verbo homines eſſe ab ignorantia erutos; Nónne accidiſſe hoc poterat, quamuis aut omnipotentiam, aut æternitatem, aut de attributis aliud fuiſſe affirmaſſet? Sed attende ſubtilem Ioannis ſcopum; Narraturus erat donatos ſcientia mortales; *Erat lux vera* (ait,) *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; Atqui, vt docti euaderent, contemplatiuos priùs fuiſſe oportebat; Iam verò contemplatio ad operationem intellectus ſpectat, vt idem S. Doctor 1. 2 quæſtione 3. artic. 5. in corpore; Porrò, qua Verbum cognitione exemplariter creaturas demonſtrat, & quæ earum idea eſt, hæc quoque contemplatio eſt diuinæ eſſentiæ: ſic igitur creaturæ quo pacto viuunt in Deo, & contemplantur Deum; Quando igitur conſtans ſit, creaturam Deum contemplari; ſcientia autem contemplationi adiuncta ſit iure quodam; præclarè ſubintulit, illuminatas à Verbo, quæ erant doctrinæ capaces omnes creaturas, ſcilicet, omnem hominem venientem in hunc mundum; imò ſic illuſtratas, vt ob eminentiam claritatis non tam ſplendeſcere affirmares, quàm ipſos eſſe ſplendores; *Et vita erat lux hominum*; Sed tam radioſum fuiſſe iubar, quod nec vmbrifera annubilarent: *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eum non comprehenderunt*; Ad hoc forſan alluſerit Origenes tom. 1. in Ioannem: *Præponit enim* (ait) *hominum luci vitam, etſi idem eſt vita, & lux hominum; ſubeſſe enim vitam oportet, vt is, qui viuit illuſtretur; non erat autem hoc conſentaneum, vt is illuminatus eſſet, qui nondum intelligitur viuere:* Ergo ſecundùm Adamantij mentem, illuminationem vita præcedere debuit, id eſt, contemplatio, ad eum, quo expoſuimus morem.

Ioan. 1.

Vita Dei, intellectio S. Thom.

Origen.

Contemplatio ad intellectũ ſpectat.

Vidit Iſaïas Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, & audiuit clamantes alterum ad alterum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Iſaïæ 6. verſ. 3. Cur non ad Angelorum imitationem & ipſe laudauit Numen? An, quia non erat guttur illi, quo dulciter caneret, & noluit ſtrepere anſer inter olores? Ita quidem, & linguæ ruditatem ſtatim ſignificauit pennigeris Miniſtris; *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutis labijs ego ſum;* Sic enim Chryſologus explanat ſermone 57. *Percellitur ſuperhumano hic dolore, quia quod de Deo ſentit, & videt, annunciare non poteſt:* Dolet igitur Propheta, quòd ad loquendum peritia deeſſet: miſeratus illius vnus de Seraphim tentauit palato laxare habenas, & infantiam labiorum tollere: Sed intuere diligentiùs, quibus viis: *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum:* Atque ſuppono quidem ex communi interpretatione calculum hunc fuiſſe carbonem ſuccenſum, & ignitum, quem de altari holocauſti ſuſtulit ſupernus nuncius: Verùm, quæ hæc medicina ad labia ſolidanda, ad loquendum promptè? Nónne potiùs admotæ prunæ etiam ſolutam linguam impediiſſent, læderent nimirùm atque comburerent? exuſtæ autem fauces quomodo politè verba formaſſent? Deinde, quamobrem de altari ſignatim carbonem ſumpſerit? & ſi ad thuribulum, vt incenderet ſacrorum Præfectus, ſuſtinendum eſſet: nunc autem quaſi ad profanam emendationem, ad labia caſtiganda, quale decorum eſt? Mihi igitur ſuſpicio ſpiritalem dicendam prunam hanc; tum, quòd de loco ſacrificij, & orationis, altari videlicet deſumptus; tum, quia materialis carbo magis impediret linguæ vſum, & obſtaret eloquentiæ; Vbi igitur inueniendus carbo flammeſcens, accenſus, igneus? In oratione quidem: ita monet Pſaltes Oda 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis*; Quæ in verba Commentarius ſub nomine Hieronymi; *Quid*, inquit, *meditaberis? Illud, nempe, qualiter ignem illud reperire poſſem, qui peccata conſumeret, mentem illuminaret, qui eſt Spiritus ſanctus, de quo Cleophas, & qui cum eo erat, dicebant: Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis cùm loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Ergo cum carbone, eóque incenſo fieri admonet Seraphim, vt labia erudita euadant, & quæ tantam conſequantur ſcientiam, vt ſimul cum Angelis canere valeant: eiuſmodi autem prunæ in meditatione exardeſcant, & non niſi in altari, loco orationis inueniantur; Planè inſinuat, ſi quem habet ardor eloquentiæ, ſi quis flagrat deſiderio ſcientiarum, meditationi ſedulus incumbat, oret, contemplatur multùm: euadet tam peritus artifex, vt ſo-

36. Iſaï. 6.

Chryſol.

In oratione calculus ſuccenſus & ignitus quo purgãtur labia, inuenitur. Hieron.

cium in pangendis diuinis encomiis Seraphim non aſpernentur.

37. Amiſit ſponſum dilecta; quæſiuit per vicos, & plateas, & non inuenit; Amiſit filium duodennem Virgo intemerata: luſtrauit inter cognatos, & notos, exiſtimans illum eſſe in comitatu, & non reperit amantiſſimum ſolatium; Tandem oblatus ſponſæ, quem diligebat anima eius; & arbitror prope muros ciuitatis; nam paululùm cùm pertranſiſſet Vigiles, tenuit eum, non dimiſſura in poſterum; erant autem Vigiles, aut portarum, aut murorum vrbis; Tandem & MARIÆ, atque Ioſepho reuelatus Chriſtus, quem poſt triduum inuenerunt in templo, ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos, Luc. cap. 2. verſ. 46. Sed, cur non prope metropolis portas puerum IESVM reperêre parentes, vti ſponſum dilecta inuenit? quippe iuxta ciuitatum oſtia apud Hebræos forum, ſubſellia Iudicum, ac proinde & frequentiſſimus populorum concurſus; ſolent autem pueri in foro ludere, atque ibi aggregari, vbi ſpiſſior multitudo: apud portas igitur verſaretur, aut certè in campo; nam templa non amauit minor ætas: Sed perpende, quamobrem apud Solymos manſerit Puſio ſanctus; nimirum, vt diſceret à veteribus Magiſtris, & ipſe quoque doceret Præceptores antiquos; Itaque omnis Chriſti actio, ſiue interroget, ſiue percunctantibus ſatisfaciat in doctrinis, atque eruditione; Vt igitur innuat ſcientiarum præclariſſimam ſcholam eam eſſe, in qua crebræ ad Deum preces funduntur, eleuetur animus ad ſuperna, & incaleſcat à ſacræ conſiderationis fornace; denique locum, qui domus orationis eſt, non aliam delegit magnæ vrbis partem, in qua parentes inueniſſent, in medio Doctorum audientem illos, & interrogantem eos; Origenes homilia 18. in Lucam; *Non enim inter cognatos, & carnis propinquos inuenitur* IESVS; *in multorum comitatu* IESVS *meus non poteſt inueniri; Diſce, vbi eum quærentes reperiant; Et inuenerunt* (inquit) *eum in templo: Non vbicunque in alio loco, ſed in templo ſimpliciter; ſed in medio Doctorum; Et tu ergo quære* IESVM *in templo, quære in Eccleſia, quære eum apud Magiſtros, qui in templo ſunt, & non egrediuntur ex eo: ſi enim ita quæſieris, inuenies eum.*

Luc. 2.

In templo voluit Chriſtus inueniri quaſi in præclariſſima ſcientiarum ſchola

Orig.

38. Cùm tabernaculum ſibi fabricari præcepiſſet Numen, iuſſit & Propitiatorium ædificari: duos quoque Cherubim aureos & productiles ex vtraque parte oraculi, Exodi capite 25. verſ. 18. Quare ex hierarchicis ordinibus hoc genus ſpirituum elegerat? Nam ſanè Propitiatorium Dei ſedes erat: Meliùs igitur ex Thronorum claſſe vocaret, ſuper quibus ſederet; atque hos cùm reſpuit, quamobrem non aut Poteſtates, aut Dominationes, aut Seraphim? Erat locus ille orationi, & ſupplicationibus dicatus, quemadmodum Abulenſis oſtendit quæſtione 1. in cap. 37. Exodi, atque demonſtrat Leuitici cap. 16. ibi enim Sacerdos, & pro ſe, & pro reliqua multitudine ſupplicabat; iam verò rationali creaturæ nihil ſic inſitum, atque ſcientiarum auiditas, in hoc fertur paſſis habenis animus quoties ſui compos, quoties antiquæ memor nobilitatis; Voluit igitur Deus ſignificare, vnde petendæ eſſent ſcientiæ, ac proinde Cherubim ſuper Propitiatorium delineari præcepit; Declarauero hoc: Solent quidem tituli, & inſcriptiones rerum vænalium, aut quæcunque alia indicantia ſigna, quoad fieri valeat eiuſmodi eſſe, quæ analogiam habeant cum rebus ipſis, & proximam ſimilitudinem: ita, ſi venundantur arma, quidpiam de bellico apparatu ſuſpenditur: ſi libri, codex in foribus eminet: quò itaque innueret Creator venam, vnde ſcientiæ hauriantur, orationi eſſe deſtinata loca, iuſſit vt Propitiatorio, quod precibus conſecratum, Cherubim, quod ſcientiæ plenitudo interpretatur, ſuperemineret, non Throni, aut Dominationes, aut alia Hierarchia; non enim eiuſmodi Mentes ſigna idonea fuiſſent ad ea præmonſtranda, quæ locus ille ſuppeditabat, nimirum ſapientiæ donum: Subinnuit Beda lib. 1. de Tabernaculo, & vaſis eius, cap. 5. *Quibus*, (inquit, ſcilicet, Cherubim) *nomen ſcientiæ multitudinis, vel ſcientiæ multiplicatæ conuenit, quòd, videlicet, Scriptura ſacra ſpiritali, ac diuina ſcientia plena eſt, eadémque ſcientia, ex quo Scriptura ipſa condi cœpit, augeri ſemper, ac multiplicari non deſinit; Rectè Cherubim gloriæ Propitiatorium obumbrare dicuntur; quia teſtamento creſcente per tempus, & multiplicata ſcientia propitiationem nobis Domini Saluatoris prædicant*; Sed inquis: Cherub puerum denotat, vt ex Rabbinorum ſententia monet Oleaſter in 1. expoſitione, cap. 25 Exodi; non ergo apta nota, qua exprimantur doctrinæ? imò puer ignorantiæ ſymbolum: Reſpondeo, eſto ſignificet ita: verùm & cognationis multitudinem denotare quoque, quam etymologiam Patres frequentiſſimè amplexantur: eſt verò vtriuſque ſignificationis venuſtum Sacramentum; Quamuis quidem ſic exiſtat rudis quiſpiam, vt puero nihil doctior ſit, & vix prima teneat elementa: hunc tamen ſi meditationis, contemplationiſque aſſueſcat ſtudiis, breui tam locupletem euaſurum, vt conſummatus Magiſter vocetur: nempe, in quo non vna aliqua ſcientia, ſed doctrinarum reſplendeat plenitudo.

Beda.

Cherub & puerum, & Magiſtrum denotat. Oleaſt.

Exod. 25.

Abul. Leuit. 16.

39. Inuitat nos Iobi de aquilarum natura elegans oratio: *Nunquid* (ait cap. 39. verſ. 29.) *ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum? In petris manet, in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus, inde contemplatur eſcam, & de longè oculi eius proſpiciunt:* Videatur autem hic ſermo innuere aquilam, vt prædam videat editiſſima loca ſcandere, & quæ longùm ab eſca ipſa diſtent: Sed, obſecro, an hoc prudenter volucris faciat? Cur Iobus commendat, cùm potiùs vituperare, & ſtultitiæ arguiſſe debuit? Fatuum nanque eſt ad contuendum certò obiectum, receſſiſſe multùm: nam ad abſentia difficiliùs fertur intuitus, iuxtà poſita diſcernuntur plenè: Voluítne indicaſſe tantam eſſe aquilini luminis perſpicaciam, vt cùm cætera animantia non niſi propè loca attingant oculorum acie, illa ſpiritalem, & intelligibilem imitata vim feratur ad diſſita, & meliùs intueatur peregrina, atque amota? Verùm Gregorio ſubſcribo hæc ad contemplatiuos referenti lib. 31. Moralium, cap. 19. Quid igitur meditationibus dediti conſequantur? Sanè videndi ſtupendam vim, acumen mirabile, ſcientiam incomparandam: Itaque alij mortales ſtudio, & vigiliis adipiſcuntur, vt lumine præditi eſſe intelligantur, vt Rabbi, & Magiſtri vocentur, primáſque in

Iob 39.

Gregor.

Lyceo

Lyceo occupent cathedras; sed hi tamen post tot exantlatos labores contemplantur solùm circumpositа; si remoueas obiectum, hebescit statim oculorum vigor, & nescio quid indistinctum tantùm, atque confusum hauriunt; at verò contemplatiui distantia penetrant, in petris, in præruptis silicibus commorantur, inde contemplantur escam, vbi cæteris impossibile, vt videant; & de longè oculi eorum prospiciunt: hæc meditantium priuilegia, hoc ornamentum, sic orationis amor intellectum acuminat, suósque cultores aquilarum in morem supervolare facit, & omnem pennatorum gloriam vincere. Dixi nimiùm fortasse; sed Gregorius Angelis æquat, loco, quem memoraui: *Sed quisquis ita contemplatione rapitur,* (ait,) *vt per diuinam gratiam subleuatus, intentionem suam iam Angelorum choris interserat, & fixus in sublimibus, ab omni se infima actione suspendat, non ei sufficit gloriam angelicæ claritatis aspicere, nisi eum etiam, qui est super Angelos valeat videre; Consideremus, quam sublimis fuit aquila Paulus, qui vsque ad tertium cœlum volauit,* &c.

Contemplatio intellectiũ acuit.

Aaronicum contemplatus sacerdotium, stupui ad tam vocalem Mystam; nam totus deorsum vestimenti limbus sonorus malogranati pomis & tintinnabulis oneratur; Cur tot linguæ, quando Sacerdotis ornamentum insigne taciturnitas? Resoluit Hieronymus epistola ad Fabiolam; *Tanta debet esse scientia* (inquit) *& eruditio Pontificis, vt & gressus eius, & motus, vniuersa vocalia sint: veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet, & ornatu;* At, quare sacrorum Antistitem oporteat tam eruditum esse, vt nihil in eo appareat, quod non scientiam olfaciat? Ideò, quòd tunicam totam de hyacintho vestiret, Exod. 39. vers. 20. Quid hyacinthus de aëreo colore, nisi perpetuam rerum supernarum meditationem indicat, & vt, iuxta Paulum, Flaminis tota sit conuersatio cœlestis? Audies lubentiùs ab Arnoldo Carnotensi tom. 12. Bibliothecæ Patrum magnæ, parte 2. *Hoc est enim summum Sacerdotium, ad hunc apicem sanctitatis attingere, vt totum se vir iustus cœlestem exhibeat, moresque supernos, & diuinam exprimat formam; solique Creatori mente infixa indiuidua conuersatione inhæreat, hoc totum complectens tunica hyacinthini coloris insinuat;* Cùm igitur tunica eiusmodi esset, quæ perennem diuinorum contemplationem postularet, hominémque perpetuis intentum meditationibus, ad tantam cœlestium materiarum considerationem, necessum erat subsequi illustrationem mentis parem contemplationi: quare, sicut meditatio totum possidebat Antistitem, vt nihil ne in motu, nein incessu appareret, quod non entheum fuisset, & de conuexo; ita decuit, talem esse scientiam, quæ totum sibi vendicaret; Ac proinde egregiè Hieronymus; *Tanta esse debet scientia, & eruditio Pontificis,* (inquiebat,) *vt & gressus, & motus, vniuersa vocalia sint, nihilque in eo sit, quod non scientia peruadat.*

40. Hieron. *Pontificis quanta debeat esse scientia?* Exod 39. Arnold.

Cùm reuerteretur Iacob in patriam, postquàm nox rebus incubuit, obuius ei factus de fortissimis vnus, *& ecce vir ille luctabatur cum eo vsque mane,* Genes. 32. vers. 24. Quale tempus agonis, atque palæstræ, tenebris omnia confundentibus? Quid videlicet agonotheta? quam ferret sententiam? cui palmam daturus sit? quam spectatores voluptatem cœperint? Sed & ipsa palæstritæ quo pacto sciuerint, num in certantibus omnia paria sint? an fraudem alter alteri struat, & occultent vmbræ dolum aliquem? Apage nocturnam luctam, aut saltem produc faces, & lampades, quæ noctem in diem vertant; quemadmodum nubentes fecêre? Sed nolit is, qui Iacob prouocauit; nam, vt exorientem Auroram conspexit, dimitti continuo flagitauit; At nosce, contemplatiuorum hanc esse luctam, quando scilicet iustus media nocte surgit ad confitendum Domino, & adsunt frequentes spectatores de Angelorum contubernio, & vident sine facibus, videt absque tædis & diuinus certaminis Præses, dicat autem Gregorius modum pugnæ homil. 14. in Euangelia; *Significat ergo Angelus* (inquit) *Deum; & Iacob, qui cum eo contendit, contemplatiui viri animam exprimit; quæ cùm Deum contemplari nititur, velut in certamine modò quasi superat, quia intelligendo, & sentiendo de incircumspecto lumine aliquid gustat: quasi ergo vincitur Angelus, quando humano intellectu intimo apprehenditur Deus.* Sed, quæ finis palæstræ? nempe, vt Iacob in alium deinceps hominem variato nomine mutetur: *Nequaquam* (ait) *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël;* Quid verò Israël? nempe videns Deum; Hoc igitur retulit ex contemplatiua lucta Iacob, vt deinceps inter Deum videntes connumeraretur; ipsi autem sunt, quos scientiarum Regina Theosophia alumnos agnoscit, ipsi, qui Deum speculantur, qui in diuina obtutum perenniter figunt; Cerne igitur, quid contemplatio Iacob attulerit, nimirum, vt litterarum rudis, doctrinarum apicem Theologiam vnius noctis pugilatu comprehenderet.

41. Genes. 32. Greg. *Per contemplationem vnius noctis, Iacob ad doctrinarum apicem peruenit.*

Sic itur per compendia ad sapientiæ culmen. Quid agitis, filij hominum? Cur per tot ambages à vobis quæsitæ artes, quas didicisse exiguo interuallo expeditum sit, ad vestigia, ad plantas sacras IESV, & huius crucifixi? Sic in virum perfectum euasit Bonauentura, sic Thomas orbi inclaruit, & neque modò abbreuiata dextera manus Domini; Aquarum penuria laborante exercitu cum ducibus, Elisæus Vates fossas aperiri mandat, Reg. 4. cap. 3 vers. 16. & de exsiccato torrentis gremio subiungit; *Hæc enim dicit Dominus; Non videbitis ventum, neque pluuiam, & riuus iste replebitur aquis & bibetis vos, & familiæ vestræ, & iumenta vestra?* Quid spondet Prophetа? ecce tellus neque puteis, neque fonte, neque amne aliquo abundat; si igitur ex ventorum concitatione nubes non mittant imbres, quis dabit sitientibus optatos latices? Sed hæc Elisæi potestas est vt sine iis adminiculis pluuias accipiat: quorum tamen præsidio reliqui homines accipere consueuêre, in hoc magnus Elisæus: Verùm, qui imbres isti nisi doctrinarum eloquia? Non nouum istud, cùm Moyses optans, *Concrescat* (ait Deuteron. 32. vers. 2.) *vt pluuia doctrina mea; fluat vt ros eloquium meum; quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina;* Igitur apud iustos eiusmodi pluuia absque iis omnibus quodammodo quæ eruditos facere valeant, imò absque ipsis pluuiis repletur aluus torrentis: non illis Bibliotheca, non Magistri, non Academica exercitamenta: & tamen qualis euasit Magister Bernardus inter fagos, & nemorum secreta? scilicet, petebat, & inueniebat: pulsabat, & accipiebat: orabat, & dabatur illi mensura superefluens: hauriebat de fontibus Saluatoris, cùm in manuum, pedúmque aperturas defixus altis-

42. 4 Reg. 3. Deut. 32.

Sancti absque cõflictu disputationũ, & doctrina pluuia, per orationẽ à Deo eruditi.

sima ectasi gloriabatur se IESVM scire, & hunc ob plagas multas non habentem decorem, cùm tamen sic vulneratus esset speciosus coram Deo præ hominum, Angelorúmque pulcherrimis: Stephanus apud Tilmannum in Allegoriis Biblicis, ad nominatum Regum Textum: *Non videbis ventum, id est, conflictus disputationis, neque pluuiam doctrinæ, & aluus replebitur aquis scientiæ; Hoc sæpè videtur in claustralibus, qui Scholas non intrant, nec disputationibus intendunt, & scientiam habent per gratiam: Vnde Ioannes, Non necesse habetis, vt aliquis vos doceat, sed vnctio eius docebit vos in omnibus.*

Steph. apud Tilm.

43. Ioan. 21. Postquàm de mortuis Seruator euigilauit, ad Tiberiadis algas discipuli retia trahebant: mane autem facto stetit IESVS in littore non tamen cognouerunt discipuli quòd IESVS est, Ioan. c. 21. vers. 4. Sed ecce, dum cæteri caligant, prorumpit Euangelista, quem diligebat Magister, *Et dicit Petro, Dominus est*: Verùm, cur non indicat ante Ioannem Simon Apostolorum Vertex? Nónne enim hic est, qui sciscitante Christo, quem dicerent homines esse Filium hominis, inter absurdas multitudinis opiniones edidit memorandum testimonium, Filium Dei viui pronuncians? Qui igitur ad Diuinitatem vsque penetrauerat iunior adhuc in Schola Redemptoris, cur nunc adultus Discens humanitatem ignorat? An ideò Ioannes plùs videt, quoniam ardentiùs amat? Sic putauerit Chrysologus sermone 78. *Primus, qui diligitur* (inquit) *videt, quia semper amoris oculus acutiùs intuetur; & semper viuaciùs, qui diligitur sentit:* At non plùs amasse Ioannem, quàm Petrum Augustinus contenderit tract. 124. in Ioannem: *Porrò quòd Apostolus Petrus* (ait) *plus aliis dilexerit Christum, possunt quidem documenta multa proferri: sed, vt longè in alia non eamus, in ipsius tertiæ manifestationis Domini paulò superiore lectione, quæ istam præcedit euidenter satis appareat, vbi interrogans eum dixit: Diligis me plùs his?* Quæ fusiùs pergit ostendere: Quando igitur non fuerit vehementior Ioannis amor, quàm Petri, non ideò potiùs vidit, quoniam plùs amaret: Quare ergo? Sanè, vt idem sanctus Doctor asserit eodem tractatu: *Duas sibi vitas diuinitùs prædicatas, & commendatas nouit Ecclesia, quarum vna in labore, altera in requie; vna in opere actionis, altera in mercede contemplationis:* Porrò, ex his duabus vitis, eam quæ in actione est, Petro adumbratam; illam, quæ theoriæ vacat, Ioanne repræsentatam affirmat; Cui subscripsisse videatur Arnoldus Carnotensis tractatu de septem verbis Domini, ad verbum *Mulier, ecce filius*, &c. *Petro* (inquit) *commendatur Ecclesia; tibi* MARIA: *illi tumultuosa negotia; tibi pacifica: illi atria, & vestibulum, & altaria sanguinum; tibi commendatur altare incensi, & Sancta Sanctorum. Ad culmen mysterij tui nullus tecum admittitur:* Ergo, si Ioannes vitam speculatiuam, Petrus actionem designat; cùm acumen in videndo, atque scientia perspicacior contemplationi annexa sit: quid mirabile, si quod alij intueri non valeant, Ioannes discernat? & caligantibus eorum luminibus Ioannes indicauerit eum, qui in littore stetisset IESVM Præceptorem fuisse?

Amor acuit intellectum. Chrysol.

Augusti. *Petrus an plùs amauerit Christum, an Ioannes Euangelista.*

Arnold.

44. Totus in Rachele Iacob, pro Rachele septem anni, atque illis emensis iterum septem, atque omnes pauci videbantur nimiùm æstuanti: Nihilne pro Lia, ô sancte Patriarcha; Non annũs vnus, non mensis saltem, aut dies, aut hora? Quæ hæc tam formosa, quæ sic illaqueat, sic vendicat sibi totum, vt sorori nihil relinquat; Dicet vobis egregia eloquentia Richardus Victorinus in Benjamin minori, lib. 1. cap. 1. *Sed iam, quæ sint istæ duæ vxores Iacob? Rachel, doctrina veritatis; Lia, disciplina virtutis: Rachel, studium sapientiæ; Lia, desiderium iustitiæ. Sed scimus Jacob septem annis pro Rachel seruiisse; & tamen videbantur ei pauci præ amoris magnitudine: Quid miraris? Secundùm magnitudinem pulchritudinis erat magnitudo dilectionis: Certè, si in laudem sapientiæ aliquid tentare voluero, minùs erit, quantuncunque dixero; quid enim sapientia ardentiùs diligitur, dulciùs possidetur? Eius decor super omnem pulchritudinem, eius decor omnem excedit suauitatem: Quid ergo mirum, si Iacob in huiusmodi sponsæ amore flagrabat, & si tales ignes, si tantæ dilectionis flammas temperare non poterat? O quantùm amabat! qualiter eius dilectione flagrabat!* Igitur Rachelis cùm arderet amplexus Iacob, mancipium Labanis vltronè factus est; Sed, in quibus seruiuit? Nempe, in pascendis gregibus: oues ducebat in saltum, ad pratum, ad fontes, hæ exercitationes, syluæ comites, & eremus desiderium: At, cur non in aliis tentauit Laban? Frumenta sereret, amputaret vineam, oleum sub autumno exprimeret, rem domesticam procuraret? Cui potiùs, quàm cognato, credidisset familiam? Tam rudis Iacob, vt nihil præterea sciat? Oues solùm nouerit ad pastum mittere, ad caulas reuocare? Verùm prudenter Iacob non aliam quàm pastoritiam artem velit tractare, quippe ambiebat vehemens procus Rachelis, id est sapientiæ nuptias: Has autem vt consequeretur, contemplatiuum esse oportebat: non enim cum sapientia inire connubia, nisi speculantibus concessum: in horum illa amplexus atque oscula ruit hilaris: Sed, quemadmodum contemplari didicisset Iacob, nisi apud eremum, vbi nulli tumultus, qui assurgentem suopte ingenio animum inquietent? Sic quondam factus magnus contemplator, & citharœdus insignis Dauid: Athanasius homil. de semente: *Dauid, cùm in solitudine pastorali ageret, nec esset cum quibus loqueretur, citharam compinxit, ex cuius concentu duo in primis consequebatur; quòd & inde solitudinem suam mitigaret, & Psalmos caneret, & modulationis fructum perciperet, & pietatem adiuuaret: psallebat quoque multifaria miracula Dei:* Ita igitur & Iacob, vt psalleret, vt ore, & mente in diuina encomia prorumperet, pastorum dilexit ministeria, pastorum moratus tabernaculis: Quidni enim? Sapientiæ coniungi optabat; hæc autem contemplantium sponsa est: Igitur pastor, ideò vt contemplaretur; contemplabatur autem sapientiam meditando consequuturus; & quoniam orationis, speculationúmque labore adipiscitur sapientia ab his, qui pro ea suspirant; propterea Salomon, cùm præ omni solatio ambiret sapientiæ thalamos, hanc vt adipisceretur, ipso Monarchiæ exordio in Gabaon profectus est, orationi vacaturus: fuitque cogitatio felix: nam bibit de sapientiæ plenissimis fontibus vsque ad satietatem.

Solitudo cõtemplationi deseruit.

Athan. *Dauid Psalmodia solitudinis lenibat mœrores.*

***

SECTIO V.

Quale vnicuique nomen, tales debeant esse & mores; turpe ementiri factis decoros titulos.

45. SAlomon, Pacificus nomine, imperio concors: Vis scire multitudinem pacis, cùm regnaret? *Habitabátque Iuda, & Israël asque timore vllo, vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, à Dan vsque Bersabee cunctis diebus Salomonis*: Dignus planè tam ingenti principatu, qui, quod nomine spondebat, opere exequutus: Vtinam habiturus gloriæ multos commilitones: Sed itur in aduersum à mortalium plurimis: Atque ille quidem toto gestu Philosophus: hoc & neglectus capillus, & in mento diffusa barba, & pallium leuidense, déque tudi tinctura, & contempta obsonia, deiecti oculi significauêre. Punge tantisper, obsiste ambitiosæ mentis superbis cogitationibus; experieris continuò solam Philosophiæ vmbram: nullus tam biliosus sermo, tam mordax calamus: atque in his (quod mirere supra modum) obsequium, & Ecclesiæ, & Superis præstari audax contendit: Alter quispiam superciliis & fronte Cato, toga Aristides, verbis nouus Socrates; quantum Reipublicæ columen facie tenus? Insidiatur in occulto furcifer, & callida fraude pauperum rapinis deuastat tabernas, locupletúmque turres Harpyia crudelis: Vbi timor, vbi sensus, vbi verecundia? Aliud apud vulgus ostendisse, aliud in operto, & in cubilibus? Proh Sanctis inuisam nationem, & Christo exosam! ne cum his dissimulet, quod vel amicos habiturus sit.

46. Dum transiret Seruator, præcurrens Zachæus Publicanorum Princeps ascendit arborem sycomorum, vt videret eum. Luc. cap. 19. vers. 4. *Suspiciens autem* IESVS *vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe, festinans descende:* Verùm occurrit Chrysologus sermone 54. & interrogans: *Si benè* (ait) *ascenderat, quare ei dicitur, descende?* Porrò optimè ascendisse appareat: nam scandit lignum, vt auctorem vitæ intueretur, probauítque rerum melior exitus fortunatam extitisse scansionem: igitur, si bonus ascensus, quorsum imperat Redemptor, vt descendat? Nimirum arbor illa Crucem Domini representabat, atque in stipite sublimis Zachæus, Crucifixorum vnus videbatur. *Antè Zachæus* (subnectit Chrysologus) *ascendit arborem, quàm Crucem Dominator ascenderet: hinc est, quòd dicitur ei, Festinans descende:* At, nónne Christo gratissimum, Zachæum de Crucifixorum purpurata militia esse? Quid ipse inclamat, quid Euangelio intonat, nisi vt Crucem baiulent, qui velint eius imitatores esse? Quorsum igitur displiceat Zachæus, quoniam de Crucifixorum notis glorietur? Animaduerte diligentiùs, Zachæum tum, cùm inter Crucifixos numerari auebat nondum valedixisse malè partè substantiæ, quam multam possidebat: Desiderabat igitur Publicanus Crucifixorum titulis nobilitari? (erat nanque hoc eximiè gloriosum, & apud Deum, & apud homines:) at Crucifixorum mores respuebat omninò: nam interim domus omni lautitia abundans, abaci, tapetia, famulorum greges, mensa ad lenocia, & gulam instructa, & totum istud de spoliis pauperum: Quoniam igitur Christo videbatur indignum, vt Crucifixi nomen haberet, ab onere, & moribus abhorrens, præcepit, vt è vestigio descenderet: *Descende ergo* (loquitur Chrysologus) *vt deponas tantæ fraudis onera, pondera cupiditatis, vsurarum molem, magisterium publicani, exactionis crudelissimæ principatum: expeditus intres pauperis Scholam, discipulatum misericordiæ, pietatis vsum, patientiæ disciplinam, studia virtutum, scientiam Diuinitatis, tolerantiam passionum, Philosophiam mortis, atque inter vitalis ligni ardua iam perfectus ascendas*: Scilicet, cùm huiusmodi fuerit Zachæus, qui nihil de hoc mundo habeat, qui omnia tanquam stercora despiciat, vt Christum lucretur, tum poterit inter Crucifixos censeri: O vos, quibus cùm diuinior fuit cogitatio, sub Crucifixi vexillis placuit dies paucos, & breues huius vitæ traducere; attendite & videte, si nominibus mores consimiles: Quorsum apud Crucifixum tam varia, tam diues supellex, & illa in picturis tanta laus, in mensa, in reclinatorio, in thalami vniuersa facie? Vereor, ne & hos descendere iubeat, cùm apparuerit signum Filij hominis, & venerit cum potestate magna: Aderunt dies illi, & non elongabuntur. O si non Crucifixi, sed potiùs crucifigentes multi inuenientur, qui de Cruce tamen sibi speciosè plaudunt!

47. Tabescebat longa fame vniuersus Israël, & iusto Domini Eliæ non deerant alimenta: non si abundasset à fructibus terra Chanaan fuisset lautior mensa Prophetæ: Cura est Numini de Sanctis suis; atque Regum aulæ inediam patientur, iusti autem saturabuntur, & comedent in lætitia: Igitur sedenti torrente Carith, qui est contra Iordanem corui deferebant ei panem, & carnes mane; similiter panem, & carnes vesperi, & bibebat de torrente. Reg. 3. cap. 17. vers. 6. Abiêre famis tempora, & Iezabel, impotens femina, persequi Eliam aggressa: Nec sustinuit mulieris iram contra viros robustus Propheta: Igitur eremum petens, cùm viuere tæderet, obdormiuit in vmbra iuniperi: Excitauit soporatum Angelus, & iussit, vt comederet, quoniam grandis ei restabat via: Vah! quàm grandis, cùm & ipsos quadraginta dies ambulare oporteret! Experiamur quos attulerit cibos supernus Legatus tantæ peregrinationi? Nimirum, subcineritium panem, & vas aquæ. Regum 3. cap. 19. vers. 6. Quid verò hoc? Cùm sederet quietus in herba prope torrentis hilares cursus, afferebantur carnes, tum, quando, neque labor, neque fatigatio: modò, cùm ad iter quadraginta dierum accingitur, minor est esca, & demuntur carnes, præcipuum robur allaturæ? Sed intuere: Cùm in torrente Carith sederet Elias, omnia in pace erant; pace autem vigente omnia iucunda sunt; quare & iucunda decens tempora, lautior Vati exhibetur esca, de carnibus, nimirum: cùm verò insaniret Iezabel, persequutio regnabat, eius autem, qui sub persequutione est, tristis & deiectus est habitus: Vt igitur mores nominibus coaptarentur, quando Elias de iis, in quos persequutio desæuiebat; horum autem, sicut vile est nomen; ita & cibi & vestis, & reliquus ornatus; voluit Angelus eos tantùm afferre cibos, qui afflictorum proprij; panis autem esca lugentium; carnes in hilaritate positos decuêre: atque ideò cùm à vultu Iezabelis fugeret

3 Reg. 17. & 19.

Persecutionis tempore ieiunandum.

Zachæus ex arbore iubetur descendere, ne de Crucifixi titulis gloriaretur qui adhuc Crucifixi mores abhorrebat.

Tertull. Vates, panis ei solùm datus, atque panis subcineritius quidem: Tertullianus libro aduersùs Psychicos, de ieiunio, c. 9. *Reuertor* (ait) *ad Eliam. Cùm corui illum pane, & carne saturare consueuissent, cur postmodum apud Bersabee Iudææ excitato ei de somno quidam ille Angelus sine dubio, panem solum, & aquam obtulit? Defecerant corui, qui eum liberalius pascerent? An difficile Angelo fuerat, aliquem aliunde de conuiuio Regis ministrum cum instructissimo ferculo raptum ad Eliam transferre, sicut Danieli in lacum leonum esurienti prandium metentium exhibitum est? Sed constitui oportebat exemplum, docens, in tempore pressuræ, & persequutionis, xerographiis esse viuendum:* Benè addidit; *In tempore pressuræ, & persequutionis:* Postulabat enim ipsum temporis nomen, quod à pressura, vt alimoniæ nihil de lauto, lætóve haberent, alioqui non essent conuenientes luctibus & pressuræ dapes; & diuersa fuissent, quàm titulus, significata.

48. Nudus patibulum ascendit Christus, & cùm haberet amictus imperij indices, spoliari voluit, priusquàm ascenderet; Cape ab Ambrosio lib. 10. in Lucam, ad c. 23. *Pulchrè autem ascensurus Crucem, regalia vestimenta deposuit: vt sciat, quasi hominem passum esse, non quasi Deum Regem, etsi vtrunque Christus: quasi hominem tamen, non quasi Deum Cruci esse suffixum; iudicio quasi victor assistit; ad passionem tamen quasi reus humilis venit.* Sed, quare tunc purpuram reiecit, qui verè Rex erat, & Princeps Pastorum? Nempe, vt præclarè aduertit Ambrosius, tunc, & Diuinitas, & Maiestas abscondita, & insipicientium oculis innotuit solùm homo in labore, & ærumnis positus: itaque erat ipse status in primis miserabilis, & supplicium infame, atque vsque in eum diem homuncionum tantùm, & qui de vilissima plebe erant, absurdum igitur putauit Redemptor, vt homo in calamitate positus, & factus omnium peripsema, regiam affectaret maiestatem: Gaudeant purpuræ ambitione, & fastum præferant, qui in domibus Regum sunt, & ducunt in bonis dies suos quoniam & in momento ad Inferos descendent: Crucifixum talia non decent, sed patientia, longanimitas, mansuetudo, contemptus sui: Quid tumidè de Crucifixi Schola te esse iactas, & gloriaris cum Pharisæo superbè te non esse sicut alij homines sunt, qui vigiliis catent, ieiunia ignorant, vestem horridam nescierunt? & tamen vsque ad cœlos pertingit eleuatio cordis, & adorari tanquam Deus velis? Si non in omnibus Prælatus obsecundet, si quisquam increpatorio sermone læsit, insanis, & exilis, & cum Lucifero seditionem, turbásque moliris; scilicet, te non esse quasi vnum de populo, consilio, nobilitate, doctrina fulgere: Fateor: habes vestimenta regalia: sed memento te esse de Crucifixis; & quoniam Crucifixorum Antesignanus, arborem conscensurus regalia vestimenta deposuit: At portauit etiam in Cruce diadema: nam coronatus apparuit, inquis: Ita quidem: sed neque in hoc latum vnguem à Crucifixo recessit: nam, quod honoris est, abdicauit, chlamydem, videlicet, quia ex purpura erat; diadema autem, quoniam punctiones, & opprobrium (de spinis, nempe frontem laceraturis) magis, quàm adorationem erat allaturum lubens vertici induit; talis, qui per Crucem nos redemit, semper attendens, vt qualis fuisset habitus, quale nomen, similes extitissent & mores; nihilque esset in verbis, nihil in gestis, quod à Crucifixi submissa patientia abhorreret.

Ambr. *Quare purpuram tunc reiecit Christus cùm in Crucem ascendit.*

Præcessit in Dauide specimen: Saltabat totis viribus ante Arcam Domini, ephod lineo accinctus. Reg. 2. cap. 6. vers. 14. Quem cùm Michol vxor eius, filia Principis, per fenestram prospectans vidisset, despexit in corde suo; tolerabile, sit non & in verba prorumpere ausa mulier: *Quàm glorioſus* (inquit) *fuit hodie Rex Israël, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris?* Verùm, quare non acriùs obiurgauit procacem feminam sanctus Dauid? an non debuerit, cùm de sacris ageretur, & Deus magis, quàm homo contemneretur; Certè, non sic leniter Iob respondit, cùm & ipsius exorbitaret coniux, & de Numinis paterna castigatione non rectè sentiret: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es,* (inquiebat cap. 2. vers. 10.) At non minor stultitia Micholis, quæ ludibrio habuit Deo factum obsequium. Quare igitur non & Iobum æmulatus Dauid; Sanè, quamuis Dauid Rex esset, & ipsius Michol caput & Dominus, & ob hanc causam iustè reprehendere posset: sed tamen, quia ephod induit, & de minori Leuitarũ ordine fieri voluit, decuit, vt verbis & opere Sacerdotem esse semet ostenderet; oportet autem Sacerdotem loquela modestum apparere: oportet quoque eum, qui de Leuitarum infima sit classe, vt non audeat Reginam obiurgare: hoc aut ad Summum Antistitem, aut ad Leuitarum proceres attinet, quos etiam & cum reuerentia dicere conuenit: Ne igitur Dauid ab eo, quem portabat, habitu, moribus discrepasse videtur, & vltra mensuram ephod gestantis progredi Reginam increpando, dissimulauit iniuriam: non verbum protulit, quod non minores Leuitæ pronunciare valuissent: Hinc Petrus Damianus Apologetico de contemptu sæculi, cap. 18. *Cùm Dauid Michol filia Saül obiurgaret, dicens: Quàm glorioſus fuit hodie Rex Israël discooperiens se ante ancillas seruorũ suorum? vt ostenderet, quia eadem humilitas vigebat in mente, quæ parebat in corpore; non iratus efferbuit, non elatus verba respondit: sed humiliter dixit: Ante Dominum, qui elegit me, vilior fiam plùs quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis: Nonnulli enim, quò se deformiùs in exteriori compositione deiiciant, eò de se intrinsecùs maiora decernunt:* Itaque, quoniam humilis erat status, quem tunc referebat Dauid, Leuitæ scilicet minoris; excelsa autem fortuna Michol, taxare noluit: arrogans enim haberetur sic agens, cùm superbum sit ab humilis conditionis viro sublimes homines reprehendi: hoc enim est velle inopem locupleti patrem fieri: At verò cùm Iobus omni pompa spoliatus fuisset, aula, satellitio, amicis, destitutus, quam ille patiebatur egestatem, eandem sustinebat & vxor illius: quare coniugem obiurgans fortunæ cancellos non prætergrediebatur; neque enim humilis excelsum, pauper diuitem increpabat, nihilque committebat Iobus, quod esset præter decorum, aut nominis, aut officij, aut status, ac proinde, & Iobus benè egerat, quoniam vxorem diuinæ Prouidentiæ immemorem acriori inuectiua perstrinxit: Dauid quoque rectè fecerat coniugem sustinendo, & ab increpatione, pro illis rerum circunstantiis, temperans.

49. 2. Reg. 6. Iob 2. *Quanta debeat esse Sacerdotis in loquendo modestia.* S. Petr. Dam.

Postquàm ex hominibus primi Numinis mandatum transgressi de vetito fructu gustarunt nuditatem erubescentes, consuerunt folia ficus, & fecerunt

50.

Gen. 3. fecerunt sibi perizomata. Genes. cap. 3. vers. 7. Quamobrem de ficu magis, quàm de alterius ligni foliis; Scilicet, quoniam luctibus, & pœnitentiæ aptiores illius frondes: nam dolebant super commissis, & satisfacturi elegerant de ficubus, quòd horridiora essent folia, & pungerent magis, Discе ab Irenæo lib. 3. c. 39. *Per succinctorium, quod sibi Adamus circundedit, ipso facto ostendit suam pœnitentiam, foliis ficulneis semetipsum contegens, existentibus & aliis foliis multis, quæ minus corpus eius vexare potuissent: condignum tamen inobedientiæ amictum fecit conterritus timore Dei, & retundens petulantem carnis impetum; quoniam indolem, & puerilem amiserat sensum, & in cogitationem peiorem venerat, frænum continentiæ sibi, & vxori suæ circundedit, timens Deum, & aduentum eius expectans, & velut tale quid significans: Quoniam, quam habui à Spiritu sanctitatis stolam amisi per inobedientiam: & nunc cognosco, quoniam sim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præstat; mordet autem, & pungit corpus:* Qua oratione planè significat Irenæus Paradisi primos incolas ad fletum, & satisfactionem post commissam noxam citò conuersos: Sed, ecce adest subitò Creator irarum plenus, & increpans rebelles: hoc enim illud eodem capite, *Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es?* Qam interrogationem Ambrosius expendens libro de Paradiso, c. 14. *Quid est ergo? Adam, vbi es? id est, non in quo, sed in quibus es? Non ergo interrogatio est: sed increpatio: De quibus, inquit, bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam incidisti? Dereliquisti vitam æternam, & attumulatus es morti, consopitus errori. Vbi est illa tua benè sibi conscia confidentia? Timor iste culpam fatetur, latebræ prævaricationem: Vbi ergo es? hoc est, non in quo loco, quæro, sed, in quo statu? Quò te deduxerunt peccata tua, vt fugias Deum tuum, quem antè quærebas?* At, quomodo verus fuerit Ambrosij sermo? Si enim, antequàm Numen ad auram post meridiem deambulasset, Adam commissa scelera detestatus, cilicium induit ex pungentibus foliis, cur non sic dolentem Creator blandè excipit, ad amplexus, ad basia vocat, stolam primam & annulum proferri imperat, vitulum saginatum occidi iubet? Nónne enim consueuit ita facere? Nónne de longinqua regione venientem filium iuniorem his deliniuit obsequiis? Sed intuere primi hominis peruersam malitiam: Peccatorum quidem est abscondi à facie Omnipotentis, nolle confiteri delicta, latere in iniquitate sua: pœnitentium est operiri obscuro & cruciante amictu: igitur volebat Adam apparere cum insignibus dolentium, & habere nomen, famámque compunctorum; verùm, cum honore isto simul coniungere peccantium opera, & sicut ipsi faciunt, celare delicta sua: ob hoc igitur Deus increpat, hoc malè habet Numen, quòd alter haberi, alter voluerit esse Adamus; videri quidem pœnitens, esse tamen peccator: Verum igitur est, & quod Irenæus adstruit sub pœnitentium ornatu occurrisse Deo primos homines; veráque etiam Ambrosij sententia aientis, voces Creatoris ad Adamum, increpatorias fuisse; quoniam, scilicet, nundinaria tantùm illa erat pœnitentia, & gloriæ aucupium.

Ficus folia aspera. Iren.

Ambr.

Sub pœnitentiæ amictu à Deo increpãtur primi parẽtes, quòd nundinaria tantùm esset eorum pœnitentia.

§ I. Stupenda vsus patientia Christus ab exordio passionis, duos quidem, & hos leniter tamen, reprehendit; nempe, discipulum infidum Iudam, cùm ab eo traderetur, inquiens: *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* Luc. 22. vers. 48. & brutum illud caput, atque immane, à quo alapa sæuissima impacta, dicens: *Si malè loquutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cædis?* Ioan. c. 18. vers. 23. At Iudas nondum omnem exuit verecundiæ sensum, de more apostolicæ institutionis osculo, non contumelia Præceptorem excipit; adnotauit Hieronymus lib. 4. in Matthæum, ad illud c. 26. *Et confestim accedens,* &c. *Tamen adhuc* (inquit) *aliquid habet de verecundia discipuli, cùm non eum palam tradit persecutoribus, sed per signum osculi:* Cur igitur eodem modo perstringit, quo illum impudentissimum, qui omnem bestiarum vicerat immanitatem? Idémne maxillam blando attigisse osculo, atque ferrea, & impatienti manu luridam reddidisse? Verùm considera, quid tentauerit Iudas: amici nomen possidere, opus habere inimici: Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto, c. 18. *Si multi se nominent Christianos, nomen vsurpant, non omnes mercedem habent: Iudas accepit osculum, sed audiuit: Iuda, osculo Filium hominis tradis? hoc est, amoris pignore scelus imples, & pacis instrumento odia seris, & charitatis officio mortem irrogas?* Igitur, quòd Iudas socij nomen, & famam occupare vellet, renunciaret autem amicitiæ sanctissimis operibus, dicam, grauiús tulit Redemptor, quàm si in faciem verberaretur palàm: Ita quidem existimauit Leo Papa sermone 1. de passione, c. 3. *Impius Iudas vim sceleris per speciem pacis incipiens, signum traditionis seueriore telis omnibus osculo præbuit:* Cùm itaque Leo Magnus asserat, telorum omnium violentia peius extitisse basium illud, vicit & impactæ alapæ crudelitatem; ac proinde non mirum, si quemadmodum Christus eum, à quo in maxilla dira impietate cæsus sit reprehenderit, Iudam quoque increpauerit.

Luc. 22.

Ioan. 18.

Hieron.

Ambr.

Leo Pap.

Iudæ proditoris osculum telorum omnium violẽtia peius.

§ 2. Hebræorum peccata dum enumerat Psalmographus Stropha 105. vers. 14. illud habet: *Et concupierunt concupiscentiam in deserto, & tentauerunt Deum in inaquoso:* nimirum, de alimentis conquesti, & pro esca gementes: Sed, quamobrem Vates eremi memoriam intulit? num ad gulæ exaggerationem? At, si qua re excusantur, hac quidem vnicè: quippe si iuxta vrbem viuerent, vbi forum vænale, & pecuniæ obediunt omnia, vltione digni extitissent, quoniam argento comparare poterant, & ad vendentes ire debuissent in remotissima autem, & à villis, & ab oppidis regione quis suppeditaret, nisi ille solùm, qui dat escam omni animæ, etiam pullis coruorum inuocantibus; Non igitur ideò delinquentes, quoniam in deserto & loco vastæ solitudinis concupierunt concupiscentiam: Verùm præclarè Spiritus per Dauidis Musicam ob hoc redarguit: nam certè cùm in ciuitate lenocinia, & gulæ irritamenta ad manum sint, non admodum stupendum, qui oppidanam vitam profitentur, si in eiusmodi labantur vitia: neque enim ipse status ab his omninò abhorret: Sed, qui desertis vrbibus, nemora, & saltus amarunt, eremicolæ sunt, & Monachorum instituta æmulantur: debent igitur in eremo versantes eremi colere ritus, obseruantias sustinere: at verò turpissimum in Monacho, & solitudinis amatore, sollicitum esse, quid manducet, & bibat, hæc enim gentes inquirunt: Soliuago satis est de torrente in via bibere, arborum poma decerpere.

Psal. 105.

Eremitæ paucis contẽti esse debent.

Concinnè

Concinnè igitur Dauid obiurgat, quoniam cùm in deserto habitarent, non sicut eremi cultores, aggresti esca contenti fuerunt; sed oppidanos imitati, lautitias optarunt: debuerant, quoad in deserto erant, mores ad deserti vsum formare; Sciè Chrysostomus tom. 1. in allegatum Psalmi versum: *Duo autem peccata coniunxit: vnum, quòd in deserto, vbi philosophari, atque ab omni cupiditate abstinere oportebat, carnium concupiscentia tenebantur: alterum, quòd cùm aquæ inopia laborarent, non eam peterent, sed Deum tentauerunt:* Dixit eximiè Chrysostomus, desertum ad Philosophiam ordinatum, non ad seruiendum gulæ. Chrysost.

53. Cùm eleuatum esset cor Oziæ, & neglexisset Dominum, sacra profanis copulare aggressus, adolere voluit incensum super altare thymiamatis, Paralipom. 2. c. 26. vers. 16. Sed restitit Azarias Sacerdos, & cum eo alij Flamines octoginta, Viri fortissimi: Fuêre autem Azariæ verba, *Non est tui officij, Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium:* O vtinam tales Antistites haberet Ecclesia, qui regiam non formidarent potestatem: sed liberè monerent errantes, præsertim cùm in sacra auctoritatem, indebitam sæculi Rectoribus, vendicant ipsi nonnunquam præcipui aulæ parasiti: Quid Regem facere prohibituri sint, qui Regis gratiam modis omnibus ambiunt? Non de horum censu animosus Azarias: Sed tamen miror, cur non Regem appellauerit, verùm omissa principatus memoria, tanquam priuatum alloquutus hominem, *Oziam*, absque aliis titulis, simpliciter nuncupauit: Quid? An ob iram, & furorem despexit? Minimè quidem: alia fuit causa, quippe aliter vulgus nomina, aliter Sancti imponunt: apud plebem quicunque purpura & diademate splendet, & in alios dominatum exercet, Rex habetur; Sancti autem, & Viri summi non ita: opera, mores, sermonem penetrant: hæc si titulis digna sint, nomen adhibet; sin verò nomen diuersum à moribus, delent continuò; Cùm igitur Azarias nihil intueretur in Ozia, quod Regis appellatione dignum esset; sed facta omnia tam grandi vocabulo aduersarentur; noluit Regem appellare, indecorum arbitratus nomen habere opere & meritis vacuum: Chrysostomus tom. 1. hom. 5. in verba Isaiæ: *Vidi Dominum*, &c. *Non appellauit Regem, neque titulo principatus appellauit, propterea quòd ipse præueniens seipsum dignitate deiecerat.* 2. Par. 26. *Cur Azarias sacerdos Oziam increpans, regem non appellauerit?* Chrysost.

54. Huiusmodi aliud apud Moysem, dum texit de cataclysmo historiam, Genes. c. 6. vers. 12. *Cùmque vidisset Deus terram esse corruptam, (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram,) dixit ad Noë*, &c. Sed, quinam corruperant viam suam? nónne homines tantùm? quippe peccati solùm rationalis capax est creatura, cùm ea solùm libertate prædita sit: quando igitur ab homine omnis corruptela, & offensio, quamobrem appellat carnem, & terram, occultato genuino rationali substantiæ vocabulo? Resoluit sapienter quæstionem Chrysostomus homil. 23. in Genesim: *Tunc enim homo est,* (inquit,) *quando virtutem colit: neque enim specimen habere hominis, & oculos, & nares, & os, & genas, & cætera membra, hominem esse ostendunt; hæc enim membra sunt corporis: hominem illum dicimus, qui imaginem hominis saluam retinet: quæ autem est imago hominis? rationalem esse. Quid ergo? annon & illi fuerunt rationales? Verum non hæc solum fuerit hominem esse, sed & virtutibus esse deditum, & vitia fugere:* Quoniam igitur eius sæculi mortales humanæ nobilitatis obliti, in brutæ, atque carneæ naturæ mores declinarunt? non putauit diuinus Scriptor alio afficiendos vocabulo, quàm mores promeruerant: hi, quando carnem, & terram sapiebant; & carnem, & terram eos vocauit. Subaddit Chrysostomus: *Vidisti, quomodo ob malitiam, carnem eos vocat, & non homines? Et iterum, vbi processerimus, statim audiemus, terram eos nominari à diuina Scriptura, eò quòd terrenis cogitationibus absumantur, dicit enim, Corrupta erat terra coram Deo, non de terra sensibili loquitur; sed inhabitatores terram vocat.* Gen. 6. *Homo apud Deum quis?* Chrysost. Chrysost.

Atque hinc illud est in Angelis nobilissimis Mentibus commendatissimum, quòd ipsa legatio, & ministerium nomen illis accommodat, idque semper egerint, quod titulo præmonstrant: itaque, si Archangelus MARIAM salutans, Gabriel, id est, *fortitudo Dei*, appellatur; exequutus & ipse fuit nomine comprehensum; scilicet, annunciauit mysterium, in quo Dei virtus præcipuo quodam iure elucebat: Et Iacob quidem Angeli, quocum luctabatur, nomen scire desiderans, rogauit panderet, quis diceretur? Genes. c. 32. vers. 20. At ille certum nihil retulit. Quamobrem? Acutè Lyran. ad præfatum caput: *Cur quæris nomen meum? Ac si dicat: Fruſtrà quæris quia & ego, & alij Angeli in ministerium missi, non habemus fixa, & stabilia nomina; sed diuersa sortimur nomina secundùm legationes, ad quas mittimur.* Igitur, si Angelus discordes conciliat, à pace nomen imponitur: si docet, à scientia: si propugnat, à robore: O plæclaram beatissimorum Spirituum Rempublicam! in qua merita probantur ante collata nomina, atque titulos; nullum ibi in vocabulis mendacium, nulla deceptio: quem sciêtem denotat cognomen, is sapientissimus est quem demonstrat fortem, is strenuissimus; quem locupletem indicat, ditissimus est: ita veritas vbique regnat apud ciues patriæ illius admirandæ, & cum nominis claritate, atque fama certant opera: Salomon ergo, vt & ipse summæ huius laudis gloriam aliquam consectaretur, nomen intuitus suum, quod pacem, atque tranquillitatem subditis pollicebatur, nempe *Pacifici* vocabulum; studuit, vt & mores, atque dominatus nomini responderent: quare tumultus, atque bella declinauit, adscitis in amicitiam finitimarum gentium Toparchis, aliisque prudentiæ artibus: & cùm regnorum maximam quietem deprædicarent aliæ nationes, simúlque stupescerent; omnes *Pacifici* titulum approbare, omnes dicere tam speciosо epitheto iustissimé donatum fuisse. 55. *Nomina Angelis accõmodata ex ipsorum ministerio.* Gen. 32. Lyran.

SECTIO VI.

Homines erga Deum negligentes plerumque, & illiberales; erga profana diligentes, atque profusi.

SVb Principe Salomone floruisse Palæstinam pace, diuitiis, bonorum omnium copia gauden 56.

Vnde tanta prosperitas in Palestina regnante Salomone?

gaudentem, vidimus nupera Sectione: Vnde rerum tam secundi cursus? Nimirum, primus Regis labor templum admirabile Deo fabricare, sacra disponere, religionem promouere: & quanquam ille in pluribus ædificiis glorioſus extitit, quæ in Hieruſalem, atque in Libano conſtruxerat, vicerítque omnium Gentium pompam; tamen profanis dicata vſibus ſplendore & magnificentia à diuinis ſuperata: Ergo, cùm Salomon Deo meliora ſemper detulerit, retribuit & Salomoni Numen, optima in illum conferens, cui inuidere poterat vniuerſus Orbis: O ſi mortales ſaperent, & primùm quærerent regnum Dei, potiora Superis obtuliſſent; quomodo ſtatim hæc, quæ tantùm dilexerunt, caduca, & euaneſcentia adiicerentur eis? Non diſcent exemplo Salomonis, & Deo præcipua tradiderint, ſaltem vt reuertantur cum fœnore? O & in amata lucra ſegnem populum! Sed vecors natio eſt, gens abſque conſilio, & intelligentia: alea, comeſſationibus, ſcortatione diſſipauerint patrimonium amplum: pauperi negauerint, quas & canibus non vetuerint micas de menſis dominorum cadentes: Ad Circi ſpectacula, ad hiſtrionum acroamata, & fabulas prompti & alacres; non hyems, non ventus, non pluuiæ retardauerint: ad verbum ſalutis audiendum pigri, & oſcitantes: Ad ſuas vlciſcendas iniurias; ad Dæmonum exequenda mandata veloces: ad Numinis repetendum honorem, ad eius obtemperandum præceptis tardi, & imparati: Verùm experiamur, an gratis à nobis hæc dicantur; an Scripturæ aſſerere cogant.

57. Pugnaturus aduersùm Philiſthiim Saül, nouus Monarcha, adiurauit populum dicens, *Maledictus vir, qui comederit panem vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis.* Reg. 1. c. 14. verſ. 24. Ionathas regnorum hæres de paterna adiuratione ignorans, extendit ſummitatem virgæ quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum ſuam ad os ſuum: excanduit infinitùm Saül, neque mediocri aliquo placatus ſupplicio, mortem Ionathæ dare, ſi non omnis obſtitiſſet populus, & grauem metueret tumultum, deſtinauit omninò: tantùm in eo irarum, ob violatum mandatum, vel etiam à filio, quem tamen ſtrenuè amabat: Itur & altero die in certamen aduersùm Amalec, quid autem facturus eſſet Saül victor futurus, Legatus Domini Samuël indicauit aſſerens, Reg. eodem volumine, cap. 15. verſ. 3 *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius: non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid: ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum, atque lactantem, bouem, & ouem, camelum, & aſinum:* Committitur pugna, ſuperatus Amalec; quid triumpho potitus egerit? Mactationem exercuit, & trucidauit à maximo ad infimum vniuerſos, etiam irrationalia, armenta boum, & greges ouium; atque caprarum, & cum aſinis camelos? Certè occidit, & ſanguine enſem tinxerat: at vulgus interfecit in ore gladij; pepercit autem his, quæ potiſſimùm delenda fuerant, nempe Agag Principi Amalecitarum, optimis gregibus ouium, & armentorum, & veſtibus, & atietibus, & vniuerſis, quæ pulchra erant: At ignorabat præceptum eſſe à Domino, ne quid illæſum maneret; ſed in homines, & omne inſtrumentum ferociret gladius victoris? Sciebat manifeſtè: Cur igitur nunc tam ſupinus in exequendis mandatis, qui contra Ionatham ita nimius, & pene ſuperſtitioſus? An, quoniam ad noſtra delicta cœcutimus, & ne trabem quidem in noſtris animaduertimus oculis, in proximis & feſtucam videmus, imò & feſtucam arbitramur horrendum ſcelus quod niſi morte, alióve ſupplicio expiari non valeat? Sed intuere præceptorum differentiam: nimirum, quod tranſgreſſus fuerat Ionathas imperium, Saülis erat: *Iureiurando enim conſtrinxit pater, dicens, Maledictus vir, qui comederit panem hodie:* At Saülem ipſum obligans diuina extiterat iuſſio: ergo, quoniam mortales diuinis imperiis ſegniter obtemperant; ſuas autem leges ne in minimis offendi permittunt, ideò Saül, & Amalecitarum Optimatibus, & meliori prædæ indulget; & aduersùs Ionatham vſque ad furorem excandeſcit: Innuit Theodoretus quæſt. 33. & 34. in 1. Regum, *Quomodo* (inquit) *pepercit Amalec, & pecoribus eius, quæ iuſſit occidi? Ipſe quidem, cùm anathemate ſanxiſſet, vt nemo ſumeret cibum, aut potum, illum quidem, qui ex ignorantia decretum erat tranſgreſſus, voluit interimere: cùm Deus autem vniuerſorum Amalec ſubieciſſet anathemati, non pauca, ac parua aliqua; ſed plurima accepit ex anathemate: Infelix, cùm Deus iuſſiſſet punire, miſertus eſt; & cùm Deus morte damnaſſet, ipſe, vt exiſtimauit, vitam tribuit: Non fuit ergo paruum eius peccatum, ſed maximum.*

Mortales diuinis imperiis ſegniter obtemperant ſuas autem leges ne in minimis offendi permittunt.

Ad noſtra delicta cœcutimus.

Theodor.

58. Tandem reluctans Propheta (Ionam ſtatim intellexeris,) in Niniuem delatus, ſeuerus Vates: nam continuò ſpatioſæ, atque opulentæ vrbi vaſtationem, extremámque annunciauit ruinam, *Adhuc* (inquit) *quadraginta dies, & Ninive ſubuerteretur*; Compunguntur ad ferale nuncium vniuerſi, dolent cum Rege ſuo in ſacco & cinere; & miſeratus Creator veniam peccatrici conceſſit ciuitati: Quid nónne ad ſtupendam miſericordiam lætatus eſt Ionas ſuper omnibus diebus vitæ ſuæ? Quod enim gaudium his, qui annunciant Euangelium pacis? Nónne & vnius amiſſæ recuperatio ouiculæ, de qua & Angeli lætantur, & tripudium eſt in cœleſtibus? Ecce habes vrbem, & terrarum ambitu, & ciuium multitudine nationi parem, de malitia gementem, deteſtantem antiquas ignominias; non tympanum, Iona, ſumis, & ducis choros canentium in voce robuſta, quoniam bonus Dominus, quoniam in ſæculum miſericordia eius? Sed intuere iacet mœrore confectus Vates, triſtatur vſque ad mortem, neque aliud ſolamen maghitudini infandi vulneris, quàm ſi hanc relinquere auram tribuatur miſero: *Et nunc, Domine, tolle, quæſo, animam meam à me, quia melior eſt mihi mors, quàm vita.* Ionæ cap. 3 verſ. 3. Quis te morbus occupat, Iona? quæ tormentorum anſæ? Aſpicis vnà, Deo honorem, proximis emolumentum creſcere; extracta ciuitas magna, quæ paulò minùs habitabat in Inferno, è profundo lacu: refulſit, ſi quo vnquam tempore, ab initiis rerum, Dei clementia: quem exhilareſcere oporteat, ſi Vates mœrore conſumantur? At contemplare in his neſcio quod detrimentulũ famæ prophetalis: ſcilicet, oraculi vim non percipientes, Ionam mendacem vaticinantem dicturi ſint, quoniam vtique euentus alienus à cortice verborum: O deflendam humanæ mentis imbecillitatem! Plùs concitare valeat ad triſtitiam inconſolabilem vana quædam ſuſpicio læſæ propriæ famæ, quàm tot argumenta, & à proximorum ſalute, & à Dei enconiis mutuata, ad reficiendum

Ionæ 3.

Mœrore afficiebatur Ionas quia periculum erat ne mendax putaretur.

dum animum; charior nobis ſtilla vna proprij honoris quàm Oceanus diuinarum laudum: *Mœrore affictitur Ionas,* (ait Theophylactus,) *non tanquã ſeruatis inuidens; neque tanquam in terminationibus hominum voluptatem capiens: cæterùm, quia periculum erat, ne ipſe etiam mendax putaretur, quique ſeu præſtigiator aliquis fruſtrà turbauerit, non ex ore Domini loquutus:* Ergo ob leuem auram maculandæ famæ abſorbetur triſtitiæ barathro Ionas; ob Dei, ob proximorum commoda non etiguntur tantillùm ſpiritus.

Theophyl.

59. Sed vadit extra vrbem Propheta; eamus comitatum? extendit venas hedera, creuêre folia, cancellantur; & gauiſus naturæ opificio de tentorio hilaris Ionas, ſpernebat ſeuientis Phœbi rotam: ſedit itaque ſub vmbra illius, quam deſideraverat: Fuit breuis conſolatio: parauit Deus vermen aſcenſu diluculo in craſtinum, & percuſſit hederam, & exaruit; en ſecundò renouata lamenta, & mortem iterum inuocat; tantùm doloris attulit vnius hederæ marceſcentis occaſus; nec potuit ſufferre vlteriùs Numen iniuſtam querelam, *Tu* (inquit) *doles ſuper hedera, in qua non laborasti, neque feciſti, vt creſceret, quæ ſub vna nocte nata eſt, & ſub vna nocte periit; & ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt, quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam, & iumenta multa?* Itáne, Iona, hoc æquum, hoc conueniens eſt, pro infructuoſæ plantæ ruina ſic triſtari, & ad proximorum irreparabile damnum ſiccos habuiſſe oculos? Saltem meæ exiſtimationis non te aliquis tangit affectus? Quid de mea patientia, quid de inexhauſta bonitate dicturi mortales, ſi ad tantas miſerorum voces, inexorabilem intueantur? Neque emphaſi carens illud, *Tu*; videlicet, qui Propheta ſis, quem ego à morte, à maris, à ceti periculis liberaui; qui in lege eruditus, qui miſſus ad prædicandum Gentibus: ob hos omnes titulos charior tibi eſſe debuit vnius animæ recuperamen, meæ vel cum vno delinquente bonitatis ſpecimen, quàm quicquid inter peritura exquiſitum, ratúmque eſt: nunc autem contingit, de hedera, obſcura, & ignobili planta, plùs doluiſſe, quàm de vaſtiſſimæ vrbis calamitate. Hæccine decent? Benè Theodoretus: *Tè,* inquit, *vtar Iudice: Conſidera, an æquum ſit, te ex cucurbita dolere, quam non coluiſti: an non æquum ſit, me tantæ vrbi non ignoſcere, quæ à me creata eſt, in qua habitant pluſquàm duodecim myriades virorũ, qui ignorant dextram, & ſiniſtram?* Scitè quoque Baſilius Seleucienſis orat. 12. *Floſculi miſereris, ego ciuitati non parcam? Eſto peccatores damnes, quid habes, quo recens natos incuſes?*

Theodor.

Baſil Seleuc.

60. Neque omittenda Lyrani tropologia, quoniam plurimùm deſeruit noſtro inſtituto, interpretatur enim carnis oblectamenta, hederæ vmbraculum: *Et fecit ſibi* (ait) *vmbraculum in delectatione temporalium: & idem ſignificatur per hederam citò productam, & citò arefactam: nam huius mundi delectationes ſunt valdè breues, propter quod de ſubtractione earum, ſapientibus non eſt dolendum.* Quid igitur Ionas ad proximorum emolumenta, ad Dei amplificandam gloriam pigritans, & hærens, atque idem vltra modum triſtis, quia hedera marcuerat, deſignat, niſi filios ſæculi, tepidos orthodoxos? Nempe, ſi dicatur ſpectaculis dies, ſi taurorum agitationi, ſi theatrali fabulæ, ſi ludicræ pugnæ, tenebroſus illuxit; & vi-

Mundi delectationes breues. Lyran.

cêre Apollinem atræ nubes, tonitrua, atque imbres parturæ, lugent quaſi in morte primogeniti, & concitantur aduerſum Superos; & vtinam non aliquando blaſphemiam execrabilem euomant: at verò, vt hoc ipſum contingat per Quadrageſimæ feriam aliquam, quando euangelizantes in Sion, quaſi tubam exaltant vocem ſuam, & ſanctificatur ieiunium; tantùm abſit, vt doluerint, quin magis lætantur plurimùm oblatam occaſionem, qua citra populi murmur, concioni deeſſe valeant; nempe, ad diuina ignaui, atque ſocordes; ad ſtulta, atque profana alacres, & ſeduli.

De hac maleolenti ſentina Iudas Iſcariotes, latro, & detractor, Noſtis, quæ effutiuerit, quando Maria Magdalena caput, atque pedes IESV vnxerit fracto alabaſtrite nardi piſtici: *Quare* (inquit) *hoc vnguentum non venit trecentis denaris, & datum eſt egenis?* Matth. 26. verſ. 6. Ioan. 12. verſ. 5. At, quamobrem, quando eadem in domo Simonis attulit alabaſtrum vnguenti, & pedes IESV eo perfudit, Luc. 7. verſ. 46. Euangeliſta neminem exhibuerit, qui malè exceperit? Murmurauit tunc Phariſæus ſed non ob myrrhæ, aut nardi diſpendia; verùm, quia Seruator, cùm Propheta, & vir ſanctus eſſet, permitteret vel pedum veſtigia à peccatrice tangi: Sanè Maria, cùm in Phariſæi ædibus erga Redemptorem officioſa, & liberalis extitit, peccatrix habebatur; & Simonis oratio ſatis indicat, ab hoſpitibus exiſtimatum non gratia ſanitatis acceſſiſſe feminam ad Chriſtum; verùm muliebri leuitate, atque audacia, cùm ne ſympoſium interpellare verita fuerit: Itaque vnguentorum prodigam effuſionem quaſi à profanæ feminæ arbitrabantur emanaſſe inſania; quando autem in Bethania, & caput, ſimúlque plantas largiori irroratione madefecit, cùm ſub hæc tempora pœnitentiæ, & ſanctitatis increbuiſſet fama, ſciebant ſacro ductam ſcopo, etſi non neceſſario, vt ipſi iudicabant; Quoniam igitur prior vnguentorum diſtributio in Phariſæi triclinio ſæcularis, & profana habebatur, de hac nemo extitit, qui acerbè ſentiret: quæ enim vanitati deſeruiunt, quæ alea, ebrietas, ſcortum rapiunt, nullus eſt, qui reprehendat: quæ autem in ornandis Eccleſiis, in ſuſtentandis Monachis, in orphanorum, & viduarum ſubſidiis conſumpſeris, hæc dilapidatio ſubſtantiæ eſt, hæc bonorum deflenda amiſſio: Et animaduerte iterum; caput Chriſti, Diuinitas eſt; itaque adumbrat vertex, quæ ſacratiora reputamus: pedes externa & ſæcularia repræſentant; contemptibile enim membrum corporis eſt, & puluere turpatur: prima igitur Mariæ vnctio, quando ſolis plantis dicata fuerit, ea innuit, quæ ſæculum, & voluptas integrè ſibi vendicant; poſterior vnctio, quæ aſcendit ad caput, & barbam, (quamuis & pedes quoque complexa,) illa, quæ in Dei honorem, ſaltem ex parte geruntur, inſinuat: Quia igitur primam vnctionem totam ſibi mundus raptare videbatur; non fuit qui in eam inueheret: in vltima verò, quia diuina partem aliquam ſortiebantur, & non omnis Iudæ relinquitur nardi odoratus ſuccus: eſt, qui tumultuetur, Chriſtum obiurget procaci lingua, & in cœlum os temerarium ponat: Orig. tract. 25. in cap. 26. Matthæi: *Et ſuper vnguentum quidem peccatricis vngentis Domini pedes, & non effundentis, neque indignati ſunt diſcipuli, ne-*

61.

Matth. 26. Ioan. 12.

Quæ vanitati inſeruiunt non reprehẽdunt ſæculares ſed quæ Eccleſiæ.

que doluerunt, neque dixit Iudas; Quare vnguentum hoc non est venundatum, & datum pauperibus? Super mulierem autem apud Mathæum, & Marcum indignati sunt discipuli, & doluerunt perditionem vnguenti, quod decurrebat à capite eius vsque ad caterum corpus: Ita, cùm sæculo omnia tribuant gaudentes, ne frustulum Numini dare velint.

62. Attende mihi nunc stupendum quidpiam, & quod belluinam vincat stoliditatem narrauit; *Homo quidã Rex fecit nuptias filio suo, & misit seruos dicere inuitatis; Ecce prandium meum paraui, tauri, & altilia occisa sunt:* Ita Euangelista Matthæus cap. 22. & quidem lautæ epulæ, posteriorisque æui, quæ & altilia præbet: nam antiqui Heroës tauris & robustioribus vesci consueuerunt: sed amabat eos plurimùm symposiarcha, ideò & delicias prouidit: Quid? statim aduolarunt ad locum epulis destinatum? placuit illis genialis & festiua dies? egerunt gratias quàm maximas liberalitati Principis, quoniam inter amicos nuptiarum scriberet? Sanè inaudita feritate, contra omnem Gentium morem, ex legatis alios tenuerunt, alios contumeliis affectos occiderunt: At, quorsum lucem cantibus, & lætitiæ destinatam contemnunt? Meliora fortasse, certè iucundiora immorantur? Audi ab ipsorum quodam: *Iuga boum* (ait) *emi quinque, & eo probare illa.* Ergo propter arationem conuiuium deseritur; O insipientiam filiorum Adæ! vocat Christus ad epulum solenne, ad mensam gaudiosam, ad omne genus voluptatum, & non est qui velit esse hospes illius: inuitat Dæmon ad laboriosissimum arationis, & culturæ opus, vt frumentum ferat homo in sudore vultus sui, & ad vnum sibilum accurrunt innumeri! Iam verò si impostor malignus iugo illos donasset, tolerandum vtcunque; emunt infelices tormenta sua, iugum pretio comparasse coguntur; *Emi* (inquit) *quinque iuga boum;* Desperandum mercaturæ genus, indicauit Bernardus exordio Declamationis in illud? *Ecce nos reliquimus omnia,* &c. *An verò comparatum iumentis insipientibus quis dubiter hominem, qui sibi iuga emerit iumentorum? nisi, quia eò sanè ipsis iumentis quoque conuincitur stolidior, & bestialior bestiis comprobatur, qui iuga necessitatis earum, propria ipse subeat voluntate? Sed, quid eum iuga subiisse causamur? arguamus magis emisse? illud enim stoliditatis miserãdæ; istud extremæ dementiæ est:* Quid igitur mirum, si de sua nolint substantia Deo largiri, cùm & largientis Dei munera respuunt? Quantùm est orationis, sacrificij, pœnitentiæ loca fugisse, quando pertinaci, atque temerario odio, & triclinio, & instructis mensis omnifaria cupidine, valedicunt amentes? Sic eis semper Christus inuisus, atque grauis, etiamsi ad hilaria inuiteret; sæcularia grata sunt, imo diabolica; licèt glebam findendam, opus incomparandæ fatigationis, imperent.

Matth. 22.

Veterum Heroum cibi robusti.

Bernard.

Maxima stoliditas & amentia peccatoris, qui iugum Diaboli, & tormenta sibi pretio comparat.

63. Fuit quidem hoc escarum conuiuium: aliud potationis repræsentare vestris oculis placitum est; & quidem latices tres in vsu mortalium frequentiores, aqua, lac, vinum; Omnes Deus per vaticinantem Isaiam Gentibus obtulit, ne quis extitisset, qui diceret, exhiberi stomacho aduersantia; ne quam infantes excusationem obtendere valeant, lac habent, quod sugant, si Baccho, & aquis insufficientes; At tabernæ pretium ingens est, & supra pauperum censum? Minimè profectò: Credite vel Isaiæ, inquo spiritus Domini loquitur; *Omnes sitientes* (inquit cap. 55.) *Venite ad aquas; & qui non habetis argentum, properate; venite, emite absque argento, & cõmutatione vinum, & lac:* His effatis si Nazianzeni Commentarium adiungamus, nihil vltrà optari valeat; Ille igitur orat. 40. in sanctum Baptisma, *O ingentem benignitatis celeritatem!* (exclamat:) *ô facilem contrahendi rationem! hoc bonum sola voluntate vænale tibi proponitur; cupiditatem ipsam Deus ingentis precy loco habet; sitit sitiri; bibere cupientibus potum præbet; cùm ab eo beneficium petitur, beneficio afficitur:* Atque fuit hic calix Domini tam præclarus, tam facilis adipisci, nemo tamen de illo potasse legitur; non est, qui ad Domini liquores anhelet, & currat; Est & calix Dæmoniorum quoque plenus absynthio; quis bibat de amaritudine? Biberunt quidem vsque ad ebrietatem: Testatur Hieremias cap. 3. vers. 15. *Replenit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio:* Hoc igitur est in stuporem rapiens, in ecstasim penè, quòd de absynthio non timidè bibunt; sed tota exhausta amphora ad ebrietatem vsque: pro Deo ne stillam probare velint: quid asseram, vt de absynthio probent, quando ne lac, ne vina falerna degustare cupiant? Gregor. lib. 20. in Iob, c. 15. *Ebrius quisque* (inquit) *quod patitur, nescit: humanum igitur genus recto Dei iudicio in voluptatibus suis sibi dimissum, atque per easdẽ voluptates spontaneis tribulationibus traditum, absynthio est ebriũ: quia & amara sunt, quæ pro huius vitæ amore tolerat; & tamen eandem amaritudinem cæcitate cupiditatis, quasi insensibilitate ebrietatis ignorat.*

Isai. 55.

Nazianz.

Deus sola volũtate vænalis proponitur.

Hier. 3.

Greg. Pap.

64. De hoc absynthio potauit Naaman ille, Princeps militiæ Regis Syriæ: pro fœda lue cùm medicinam ab Elisæo postularet, retulit Vates, *Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* Reg. 4. c. 5. vers. 10. Renuit antidotum, & iratus patriam repetebat denuò: Quæ hæc est sapientia, ô Naaman, Chirurgi monitis restitisse? Fortasse seuera, & perpessu dura imperat? Sed per vstiones, & vulnera redintegratur amissa valetudo: Times aquarum vortices, & aut submergi metuis, aut congelari? Sed reminiscere pristinæ gloriæ, quoties pro Rege Syriæ rigentia flumina tranasti impauidus, risisti Boreæ flatus, & attollentem fluctus Neptunum? Cur hæres, bellorum ductor? Nec tamen res hæc ardua est, aspice, quid amici occinant: *Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras: quantò magis, quia nunc dixit tibi: Lauare, & mundaberis?* Puto, si nõ Propheta Dei excelsi iussisset, citò Naaman obsequutus fuisset: Ergo pro Syriæ Monarcha, & telis se obiectat, & sanguinem vertit, & congelatos amnes superat: hæc omnia corruptibilis ob gratiam coronæ: pro Deo vero per os Prophetarum loquente, & amœna præscribente, non vult Iordanis vndis tingi, nec vt lepram deponat: Et considera, quæ Sacrificulis suis onera imponant detestanda Numina: *Incidebant se iuxta ritum suum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* Reg. 3. c. 18. vers. 28. Hæc pro Dæmone mortales: & ne sacra lympha aspergi pro vero Creatore sustineant! Grauiter Tertullianus ad finem Operis de corona militis: *Erubescite, Romani Commilitones eius, iam non ab ipso iudicandi, sed ab aliquo Mithræ milite, qui cùm initiatur in spelæo, in castris verè tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam, quasi mimum martyrij, dehinc capiti suo ac-*

4. Reg. 5.

Quanta onera Sacrificulis suis imponerent falsa Numina.

Tertull.

commodatam, monetur bina manu, capite depellere, & in humerum, si fortè transferre, dicens, Mithram esse coronam suam: Agnoscamus ingenia Diaboli, idcirco quædam de diuinis affectantis, vt nos de suorum fide confundat, & iudicet.

65. Præbebit grandiorem ideam Matthæi narratio, cap. 21. *Ite* (inquit IESVS discipulis) *in castellum, quod contra vos est; inuenietis asinam colligatam, & pullum cum ea; soluite, & adducite mihi.* Porrò, quia ad rem nostram plurimùm duo ab aliis Euangelistis obseruata faciunt, nequaquam omittenda sunt: Primùm, vt habet Marcus cap. 11. inuenerunt pullum ligatum ante ianuam, foris in biuio: Secundum, non vnum fuisse pulli dominum: nam *Soluentibus illis pullum*, inquit Lucas cap. 19. *dixerunt domini eius ad illos: Quid soluitis pullum?* Iam quis ignoret, iumentorum nomine designari homines peccatores? *Homo enim cùm in honore esset* (Psalm. 48.) *non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Atqui horum domini qui sint, nisi Dæmones? Contemplare autem horum, atque Christi dominium; *Alieni alligant, vt possideant; Christus soluit, vt teneat,* inquit Ambros. lib. 9. in Lucam ad principium, cuius & illa pauca sunt: *Non præsepe, non alimenta, non stabulum: misera seruitus, cui vagum ius est: plures enim dominos habet, qui vnum non habet.* Sed nemo sublimiùs de hoc pullo loquutus est S. Athanasio serm. in illud: *Profecti in pagum, qui ex aduerso est,* &c. *Nullus eorum negotia obit, nemo eorum abscedit, imò nullum aliud opus illis in manibus: omnes pariter, non in aliud occupati sunt, quam vt asellum in biuio alligent: asinus interim diuersorium non habet, præsepe non habet; non est, qui in forum descendat: id tantummodo agitur, vt pullus in biuio vinciatur, & omnes domini eius seruandi causa, proximo assident.* Consideras, vt inuigilant domini isti super pullum: quàm de eo custodiendo solliciti? multùm debet pullus tam vigilantibus dominis: nam, vt ipsi attendant, ne aliquando per vim, aut fraudem auferatur; non comedunt, non voluptati, non rei familiari incumbunt, squalet ager cultore indigens; sed placet, vt squaleat, priusquàm pullum deserant: non est, qui mercaturam exerceat; non est, qui causas dicat in foro; non est, qui pugnet contra hostem; sed omnia iacere malunt, & ruinam pati, quàm pullum destituere: & sufficiebat ex multis dominis vnus aliquis, qui asinum seruasset, interim aliis, aut otio, aut negotio attendentibus: an non est aliud negotium mortalibus nisi pulli huius custodia, vt omnes domini huic solùm procurationi incumbant? O pulle satis custodite, vtinam ad salutem! Sed, heu casum lacrymabilem! Agunt excubias domini plures, & agunt in hoc tantùm, vt tu pereas: non habes, misselle, diuersorium, non præsepe, non fœnum, non hordea, sub dio agis, biuio nimirum, pluuiis, frigore, inedia confectus, cute vix ossibus hærente, & cùm præ macie ambulare non possis, vincitis, ne diffugias: non sufficit capistro alligasse collum, quæruntur & pedibus nexus: *Vnusquisque enim eorum*, (inquit Athanasius) *vincula vinculis congeminauit, & omnibus modis vt ipsis in tuto esset, omnem curam adhibuerunt; & (vt ego existimo) pedes quoque eius concatenarunt.* Hæc pulli sub Dæmone sors.

66. Examinemus nunc, quid Christus cum hoc pullo facere statuat: *Cæterùm Dominus*, (prosequitur allegatus Athanasij codex,) *qui ideo iter susceperat, vt prædicaret captiuis remissionem, & cæcis recuperationem visus; emendat discipulos suos, vt dissoluant asinum: cui cùm ita solutum haberet, præsepe ædificat, & pabulum apparat: id enim Propheta cùm indicare vellet: Dominus, ait, pascit me, & nihil mihi deerit: in loco herbido, ibi me collocauit: super aquam refectionis educauit me.* Itaque Christus vult pulli liberationem, sui vt iuris sit, campo fruatur; & si quando montes pastum non suppeditant, stabulum habeat, vbi fœno, quod æstate cecidit, & exsiccatum est, aut palea iumentorum esca vescatur: hæ Christi artes, & pulli commoda propria reputat: *Dicite*, inquit, *quia Dominus opus habet*: Nónne tu ille, IESV bone, de quo Psalmodus attestatur: *Quia bonorum meorum non eges?* Monarcha potentissimus cuius sunt omnes bestiæ, & feræ syluarum; apud quem est pulchritudo agri; qui appendis terram tribus digitis: in cuius conspectu gentes omnes sunt tanquam situla; & iumento eges? Potiùs tui asinus indiget: irretitur enim, & non est, qui soluat vincula captiui colli, nisi tu redimas in manu forti, & virtute multa: & tamen opus habere te iumento asseris, quasi parum beatus futurus, huius si consortio careas. Inspexisti certamen Christi, & Dæmonum super pullo; & tamen stupidi animantis tanta est insipientia, vt potiùs eligat apud Dæmones manere, quàm apud Seruatorem: Non furit; non pedum nexus disrumpit, & comminuit; non colli restem mordet, dissolui cupiens, & esse cum Christo, apud quem & stabulum, & pastus, & equorum, quin & iumentorum nutritores; non veniet nisi reluctanti similis, nisi tractatus, nisi compulsus ab Apostolis; Tam segnis etiam ad lucra sua asellus infelix: Tam verò gratum illi, & tam volupe est Tartareo tenebrarum Duci obsequi, vt propterea multorum dominorum seruus factus sit: quando fortè aliquis manumiserit, alius sit, qui retineat, neque vnquam à captiuitate omninò liber sit: tanquam ad vincula, ad onera, ad verbera (neque enim aliud est studium possessorum asini) vnus non fuisset sufficiens dominus: Hæc igitur est humanæ infirmitatis calamitas, erga iuratos hostes, mundum, Dæmonem, carnis blandimenta, suauem esse, prodigum, diligentem: erga Deum perpetuum benefacientem, socordem, ingratum, illiberalem: Didicêre à primo auorum protaplaste nepotes: nam, cùm perspectum haberet, imminere infinita incommoda, vtriusque Paradisi exilium proponi, ad vnam coniugis vocem, de vetito fructu gustauit: Deum tot colliccntem dona, si inter copiosi nemoris innumeras escas, de vnius arboris pomis abstineret, contempsit infidus, nimiúmque audax: inde in ipsum, illiúsque progeniem tanta mala, quantis numerandis nullus sit æqualis sermo: Fortunatus Salomon, qui Deo prima obtulit, antepossuit & tempore, & maiestate, & diuitiis cæteris ædificiis templi sanctissimi fabricam, quam dum continuauit pietatem, & Deo morem gessit, in tantam amplitudinem eius excreuit imperium, vt Regum nullus inuentus sit, qui gloria cum eo contendere possit.

Christi artes in alliciendis ad te peccatoribus.

SECTIO.

Marc. 11.
Luc. 19.
Psal. 48.
Ambr.
Vaga & misera peccatorũ seruitus.
Athan.
Dæmones maxima sollicitudine hominũ perditioni inuigilant.

SECTIO VII.

Indecorum, paritèrque miserandum, seruatæ ab adolescentia iustitiæ, in senectute iacturam feciſſe.

67. *Salomonis miseranda senectus.*

PRoh Salomonis deplorandos exitus, & indignam tanta sapientia cataſtrophen! tum ad meretricia conuersus irritamenta, idola colere, ludere, epulari, quando & audaciter scelesti vitia relinquunt; *Cùm esset senex, depranatum est cor illius:* Solent mortales plerique in iuuentute laxare cupiditatibus habenas; nullum pratum, quod non pertranseat luxuria eorum; nihil oculis, nihil cordi ab eis negatum; sed quamprimùm canescere incipiunt, & ætas ipsa lethi memoriam ingerit, condemnant priora, lacrymas amauêre, atque seceſſum, si quo modo valeant, extrema saltem pœnitentia Iudicem placare: Salomon, qui puericiam cum laude transegerat; adoleſcentiæ effrænato restitit incendio, viriles annos temperauerat; nunc pudibunda inconstantia retractat vetera, & cùm ad ianuam propè mors, init cum Inferno pactum, vagatus per omnem spurcitiem, & libidinem; Sed, quid reprehendimus Salomonem? Scilicet, antiquus dierum est, rexit per longum tempus imperij clauum: ipsos triginta annos: iam rude donandus, neque deinceps emeritum curis grauare expediens; patiamur, quieti indulgeat, arcum remittat, otio fruatur; alia est conditio tyrocinij, alia veteranorum; num de gregaria caterua Salomon, quem fama, eruditio, proaui, officia, consilium nobilitant, vt non eximendus à vulgi regulis, liceátque ipsi, quod cæteris denegatum? Eximatur profectò Salomon, ob quos velitis titulos: separetur à multitudine, & habeat prærogatiuam, modò non & à iuſtorum cœtu in æternum separetur: Certè, vt ipse aiebat Prouerb. 4. vers. 18. *Iuſtorum semita quasi lux splendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem.* Si igitur iuſtorum est, quotidie augeri, locupletari, distendi; cur ipse in senectute rètrograditur, & minuitur; cur otio & voluptatibus succumbit fortis in eum diem, & exercitatus miles? Vereor, ne vnquam in eo solida extiterit virtus, quæ labascit sub finem.

Prouerb. 4.

68. *Vestales virgines post triginta annos viris iuncta.*

Habuêre & Pagani virginum collegia, Vestæ dicatos cœtus: nefas à quopiam virorum transcendi limina ad venerem, & pruritum: asseruabantur sartæ tectæ puellæ; quibus tamen datum triginta superasse annos, quibus Vestæ obsequutæ fuerint, his conceſſum post tam longum famulitium ad nuptias transire: ergo, postquàm consenuêre, maritos ambiunt, & pigmentis, quas grandioris ætatis rugæ lacunas fecerant, abscondunt, coaceruantur gemmæ, & vestium pretioſa in supplementum formæ, quam tempus, & Vestæ rapuêre seruitia: Pudet tam serò pro thalamis suspirare: præstat latuisse, vbi hactenus vitis denegatas: cœlibis iuuentutis non bona comes lasciuiens senectus: Do comptum Ambrosij stylum lib. 1. de Virginibus: *Quis mihi prætendit Vestæ virgines & Palladis Sacerdotes? Qualis ista est non morum pudicitia, sed an-*

Ambroſ.

Sherlogi Anseleq. in Cant.

norum, quæ non perpetuitate, sed ætate præscribitur? Petulantior est talis integritas, cuius corruptela seniori seruatur ætati: ipsi docent virgines suas non debere perseuerare, nec posse, qui virginitati finem dederunt: qualis autem est illa religio, vbi pudicæ adoleſcentes iubentur esse, impudicæ anus? Sic igitur Mediolanensis Antistes Paganorum subsannat ridendis virginibus: *Nam qualis* (inquit diuinè) *est illa religio, vbi pudicæ adoleſcentes iubentur esse, impudicæ anus?* Præclara quidem instructio: fugiant à virorum aspectibus adoleſcentulæ, compescant lumina, dominentur appetitui, componantur ad omnem honestatem: verùm omnis ista paratura ad tempus, donec & officiis, & annis præstent: tum effringantur cancelli vniuersi, diruantur repagula & munitiones; viros non solùm intueri, alloqui liberum sit, sed & in amplexus tuere, & thalamo coniungi: Apage horridam vitæ pudicæ fimbriam! Non hæc religio est, monet Ambrosius: vbi vigor disciplinæ ibi melior adoleſcentiâ senectus, iuuenibus grandæui præunt, nihil sibi indulget virgo, & quæ respuebat in flore annorum virum intueri, in senecta vel de eo cogitare renuit: ita se ipso maior quotidie, & potestas non detrimentum affert, sed ad potiora stimulat: vt progredi in dies videatur, & in nubibus cacumen velle ponere felix existimetur planta.

69.

Tardi ad credendum semper Iudæi, cùm in ligno pendentem clauisque affixum viderent Seruatorem, si tamen descenderet ex alto alligatus, crediturus ei spondebant: *Si Rex Israël est,* (inquiunt Matth. cap. 27. vers. 42.) *descendat nunc de Cruce, & credimus ei*: O Domine, fac secundùm verbum populi huius! eum nanque vt redimeres cum genere humano ascendisti in arborem, eius tibi salus tantorum occasio laborum, nunc ecce ansa reconciliationis: quid moraris? non tibi difficile est sed nemini insuaue Crucem deseruisse? Verùm non decebat Christum, quod postulabatur: *Descendat* (inquiunt) *nunc de Cruce*: Quid est, *nunc*? videlicet, quando passio ipsa ad extremum vergit, cùm penè finita est, dicam suo verbo: in senectute & vltima ætate passionis: Itáne ille, cuius anima tristata vsque ad mortem in Gethsemani: de cuius emanarunt corpore sanguinum riui: ille flagellatus: ille vinctus, quem alapa, quem sputa deformarunt, post terebratam spinis sacram frontem, & foraminatos pedes, manúsque, nunc quando breuis mora superest, crucem destituet? si patibulo liberari optabat, & præambula carnificina fugisset cùm ad verbum illius ceciderunt retrorsum, qui comprehensuri venerant: modò id turpe, & inhonorum: quid facturi adoleſcentes, qui crucem baiulare cœperunt, quando veteranum Crucifixum, à quo iuuentutem discere conuenit, videant abiicere lignum, & consolationem amare? Sanè, si in hoc tempore descendat, non roborabitur fides Israël, sed magis destruetur: Bernardus sermone 1. in die Paschæ, *Descendat*, inquiunt, *si Rex est Israël: imò verò, quia Rex est Israël, titulum regni non deserat, virgam imperij non deponat; cuius, nimirum, imperium super humerum eius, sicut præcinit Isaias: si descenderit, neminem saluum faciet. Cùm enim saluus esse non possit, nisi qui perseuerauerit vsque in finem, quantò minùs poterit esse Saluator*? Certè si aliquo modo saluos faciat cre-

Matth. 27.

Non decebat, Christum è Cruce descendere, etsi spoderent Iudæi se in eum credituros.

Bernardus.

dere volentes, & æmulari exempla ſua cupiat ſublato vexillo poſt eum, id quidem non niſi manendo in Cruce; cùm enim iuniores viderint veteranum Crucifixum omnia reiicientem ſolatia, nónne verecundabuntur ipſi de mortificatione, de cruce conqueri? Alioquin iudicabunt abdicationis ſtudium non tam virtutis amore arreptum, quàm ad famam comparandam; & vileſcet in oculis eorum, quod intuentur à ſapientioribus, nempe ſenibus, in quibus eſt intellectus, deſpici.

69. Sed, quis docuit, vt à Chriſto deſcenſum iidem poſtularent, qui toties inſinuarunt, *Tolle, tolle, crucifige?* Vultis, vt Leo Papa interroget ſermone 4. de Paſſione Domini, cap. 2. in illud: *Si Rex Iſraël,* &c. *De quo erroris fonte, Iudæi, de quo inuidiæ lacu talium blaſphemiarum venena potaſtis? Quis vobis Magiſter tradidit, quæ doctrina perſuaſit, quòd illum Regem Iſraël, illum Dei Filiũ credere deberetis, qui ſe crucifigi non ſineret, aut à confixione clauorum liberum excuteret? Non hoc vobis legis myſteria, non paſchalis obſeruantiæ Sacramenta, nec vlla vnquam Prophetarum ora cecinerunt:* Pulchrè Leo ponderat, cùm lex illa vetus tam fuerit imperfecta; nihil tamen tam diſſolutum tradidiſſe, atque vt Crucifixus ſub extremũ interuallum à tormentis eximi potuiſſet: non cadit ſuſcepti itineris remiſſio in Crucifixum, qui de horum numero ſunt, vſque ad vltimum halitum pendere debent: ſingularitas eſt de Cruce, niſi ad ſepulcrum, deſcendere; non amat Chriſtus ſingularitatem, nolit priuilegia, quæ Crucis gloriam minuant; Quare certè hortamentum ſuadens, ne incœptos Crucis labores conſummaret Redemptor, ſed quaſi in fine, & in nouiſſima luctæ hora communem patibulariorum prætergreſſus vſum, de prærogatiua gauderet, & quieſceret vltima periodo, à Dæmone excogitatum, qui & ſuis inſtillauerit aſſeclis, Bernardus palàm teſtatur memorato ſermone 1. in die Paſchæ: *Quid enim conſequentiæ* (ait) *videtur habere, ſi deſcendat, ſi Rex Iſraël eſt, & non magis aſcendat? Sic non meminiſti, ſerpens antique quam confuſus abſceſſeris olim, cùm dicere præſumpſiſſes Mitte te deorſum; & hæc omnia tibi dabo ſi procidens adoraueris me:* Ecce quanta auctoritas doctrinæ quæ crucifixis inſinuet vti ſingularia affectent, ſub agonis & ſtadij exitum patibulo liberari deſiderent; nimirum, quæ non alium habeat Præceptorem, quàm Inferni, & tenebrarum Rectorem.

Leo Papa.

Singularitates, & exemptiones viri ſpiritales abhorrent.

Bernard.

70. At, quid mirum, ſi Lucifer tam dira venena in corda, animúmque iniecerit? Quid enim apud illum aliud, quàm ſingularitas, & priuilegia, & communis vſus, ordiníque deſpectus? *Sedebo* (inquit) *in monte Teſtamenti.* Iſaiæ 14. Sed, quare tu ſedens in conſpectu Dei altiſſimi, quando exercitus Angelorum coram eo ſtet pauidus, & contremiſcens? non ſunt enim ſtellæ mundæ ante faciem eius: Nimirum, ego ſum de ſuprema Mentium diuinarum hierarchia: æquum eſt ob maiorem naturæ, donorúmque excellentiam, ſublimiorem poſſidere locum, & non confundi cum omnibus Spirituum turmis: Verum eſt hoc; nónne tamen Seraphim de eleuatiſſima claſſe? Planè ipſi in cacumine: & tamen ſtant: Vidit Propheta ſolium excelſum, & eleuatum Seraphim ſtabant, alter ad alterum clamantes *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* Si ergo Seraphim ſtant, cur tentas ſedere? quæ hæc tua ſuperbia eſt? Dei eſt ſedere: Seraphim ſtare ſufficit: Cur Numini ſimilis eſſe præſumis Quæ tam audax temeritas; Egregiè Bernardus cum hoc tumidiſſimo Angelo loquutus, de gradibus ſuperbiæ diſſerens: *Millia millium miniſtrant ei,* (Dan. 7.) *& decies centena millia aſſiſtunt ei: vbi nemo ſedere perhibetur niſi ſolus is, qui ſedet ſuper Cherubim: & tu neſcio quæ præ cæteris perſpiciendo differentiùs, curioſiùs inquirendo, irreuerentiùs perſuadendo, ſedem tibi collocas in cælo, vt ſis ſimilis Altiſſimo:* O intuere qui in caſtris Dei viuentis, & videntis omnia habitas, & reſpice ad illos tuæ militiæ primos duces, quanta in eis generis, & auorum claritas? quanta ſapientiæ profunditas? quàm aureum eloquentiæ flumen? Et tamen Beati illi noluerunt, ſicut Deus eſſe: ſed tanquam homines ſtare, & accingi ad prælium, dura pati, ſingularibus abſtinere, immunitates odiſſe: vti eadem menſa, indumento, deſcendere ad omne miniſterium. Audi rurſum Bernardi increpationem ſerm. 3. in Iſaïam, *Stant planè Seraphim, ſtant attoniti, & ſuſpenſi in contemplatione ſedentis in throno; tu ſedere tentaſti, ô impie; propterea tui moti ſunt pedes, & effuſi ſunt greſſus tui: Filius eſt, qui ſedet in throno; Dominus Sabaoth cum tranquillitate iudicans omnia; ſola ſedet Trinitas, quæ ſola habet immutabilitatem; Seraphim verò ſtant:* Relinque igitur Altiſſimo, vt ſedeat in lateribus Aquilonis: tu ſta, ſicut cæteri, quoniam & ipſi Seraphim, quemadmodum & tu; alioquin ſi pro ſingularitate contendere pergas, & exemptiones ambitioſus affectare; vel illæ tam diſpoſitæ hierarchiæ tumultuabuntur: Michaël, & Angeli eius præliabuntur, & dicetur apud nationes cum dedecore; quoniam inter adminiſtratorios Spiritus quoque rixæ inueniuntur, imò quales nec in Gentibus: O vtinam Lucifero Olympum turbare ſufficeret! inde pulſus aduersùm nos inſtruxit machinas: vidit, quoniam Omnipotens magnificauit hominem, & appoſuit erga eum cor ſuum, & deliciæ eius eſſe cum illo: tulit acerbè ſibi antiquiori adoleſcentiorem Plaſtem anteponi, & meditatus eſt apud ſe vltionem terribilem nimis, antiquitatis diminutos, aut peſſundatos honores vindicaturus: Baſilius in aliquot Scripturæ locos hom. *Diabolus* (inquit) *poſtquam vidit hominem, paruum quidem animal, ſupra omnem creaturam honoratum, cum eſſet antiquior homine, hunc ei honorem inuidit.*

Bernard.

In cælo ſola Trinitas ſedet, Seraphim verò ſtant.

Baſil.

Ingreſſus aliquando domum Simonis Chriſtus, ſocrum eius febricitantem liberauit; *Et continuò ſurgens* (inquit Luc. cap. 4. verſ. 40.) *miniſtrabat illis:* At demiratus grandæuæ feminæ obſequia Chryſolog. ſerm. 18. *Et Chriſtus* (ait) *mulieris indigebat obſequio, & mulieris prouectæ ætatis, ſenectutis ſummæ filiis aggrauatæ; ſic in domo Petri non erat vernula, non miniſter, non familiaris, non propinquus, certè non vxor, quæ matris obſequium præueniret? & ad ſummum Petrus ipſe cauſas ſuæ verecundiæ non videbat, vt hoc anus, hoc ſocrus faceret Magiſtro, diſcipulus quod debebat?* Anne ab illa factum ad oſtenſionem prodigij, quæ non ſanitatem adepta qualencunque, ſed conſummatam valetudinem, nempe, ad miniſteria robuſtam? Verùm, cur Dominus permiſit, vt in familia princeps mulier, cui deferre cæteros par erat, quam & auctoritas, atque ætas excuſabant, obiret, quæ ab ancillis fieri oportebat

71.

Luc. 4.

Chryſol.

tebat? Erat Christo optatissimum spectaculum, & in quòd attentiùs defigi Apostolorum animos cupiebat summoperè: videbant feminam, quam omnis colebat domus, post rugas frontis, post debilia genua ob annorum incrementa, ea exercentem ministeria, quæ ancillæ & pediſſequæ, cùm vetulæ fiunt, prætermittere consueuerunt: O mulierem, cuius senectus iuuentutem æmulata est! Et qualem habuit prima dies, talem & vltima adspexit: nec peior exordio finis: O tectum spatio angustum, censu tenue, virtutibus amplissimum, in quo nulla præsumptio; sed quales famulæ, tales & domina; nemo contemnit abiecta, nemo despicit communia, vbi nemo feriatur, otio vacat, ne in ipsa quidem senectute, quando & vires franguntur!

Cur Socrus Simonis statim ac sanata fuit, à Christo permissa sit ministrare?

72. Discessurus ex hoc mundo Redemptor, vt transeat ad Patrem, *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Ioan. cap. 13. vers. 3. & 5. Quid est, quòd generis claritatem insinuat Euangelista, vt qui à Deo prognatus sit, & potestatem quoque aduertit, cui is, qui omnia habeat, vniuersa tradiderit, scientiam, regna, pulchritudinem, attributa cuncta? Nempe, quò magis commendaretur Scholæ illius humilitas, in qua nemo à contemptiori ministerio liber, ne Caput ipsum cæterorum, atque tale Caput, quod in infinitum vincat disciplinæ socios: Euthymius: *Sciens* IESVS, *quòd omnia dederit ipsi Pater in manus, tanquam Filio legitimo, & vnigenito: sciens seipsum omnipotentem, & Dei Filium: licèt tanta esset potestatis, talisque dignitatis, ad extremam tamen descendit humilitatem; tum dilectionem erga discipulos suos ostendens; tum eos animi modestiam edocens:* Nemo igitur cum IESV militans, quando iniunguntur quæ minùs gloriosa & pompatica, excusaturus obtendat, aut auorũ cum imaginibus atria, aut Magistratus & Præfecturas eorum, qui genuerunt, aut possessiones, & substantiam multam; aut, quod his omnibus excelsius, diuini ingenij partus; *Sciens* IESVS, *quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, cœpit lauare pedes discipulorum*: Huius sodalitij documentum: *Qui maior est fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator*; Luc. c. 22. vers. 26. Verùm ego expendo illa, quoniam faciunt ad præsens institutum; *Sciens* IESVS, *quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo*: Velitne significare Euangelista, mortis timore perculsum Christum, humilitatis admirandum specimen exhibuisse? Nequaquam sanè: quid enim metueret, quod desiderio desiderauit; qui & coarctari se dicebat, donec Baptismo sanguinis proluceretur? Arbitror equidem apposita hæc etiam ad humilitatis commendationem: nam erant illa vitæ vltima spatia, solent autem remittere de veteri conatu homines sub finem dierum: & quò magis excrescit ætas, sicut maior auctoritas; ita minor affectus ad inhonora; nempe, tyronum exercitamenta sunt, domum verrere, pedes hospitibus lauare, & eius formæ alia; Christus igitur vt innuat apud suos sectatores nullam excipi ætatem neque, ab externis submissionis profitendis operibus immune esse tempus quodcunque, cùm definitum viuendi curriculum in occasum properaret, tum in contemptioribus exercendis

Ioan. 13.

Euthym.

Luc. 22.

In Christi schola nulla ætas ab exercitio humilitatis excipitur.

lubentiùs versatus; Scio Petrum opinari, non competere maiestati Christi tam vilibus occupari, minui auctoritatem à sordido ministerio, non esse hominum prouectorum functiones, & qui ad vitæ exitum peruenêre: rudimenta, nimirum, illa sunt spiritalis disciplinæ; Verùm egregiè Cyprianus, aut alius Auctor eius de cardinalibus Christi operibus Tractatus, de ablutione pedum, c. 2. *Habebat in excusatione sua Zelum Dei Petrus; sed non secundum scientiam*; Bona est auctoritas, & sæpè necessaria sed non contemptu humilium exercitationum augescit: si quis aliud existimet, errore laborat; zelo, non scientia ducitur.

Cypr.

73. Cùm ab Abrahæ tabernaculum, quod erat in conualle Mambre tres hospites diuertissent, Genes. c. 18. ecce festinauit Patriarcha ad Saram, dixitque ei: *Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcineritios panes: Ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum*: Nullúsne Abrahæ seruus, qui ad armentum properet? nulla Saræ famula, cui subcineritius committendus panis, vt ipsos omnia domus officia obire necessarium sit? At certè lego Genes. cap. 12. vers. 16. quoniam Abrahæ fuerunt, *& asini, & serui, & famulæ, & asinæ, & cameli*: Atque idem, vt captum recuperaret Lot, quos in prælium mitteret, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persequutus est vsque Dan, Genes. 14. vers. 14. at oportebat abundantissimam extitisse familiam, de qua prodierunt bellatorum cohortes: Cùm igitur tanta esset Abrahæ clientela, tot afflueret ancillis, atque ministris domus: quamobrem ipse cogitur ad armentum procedere? Sara commiscere similam? Et sanè tanta magnitudo familiæ indicat regia præditum auctoritate, & Monarchis parem: Docuimus nos in antelapsis: Nónne autem indecorum tali fungentem maiestate, ipsum de agricolarum more, ex vsu & consuetudine pastorum, ad stabulum currere? Bubulcorum id est, nempe, vitulum arcessere: non eius, qui trabea, & diademate fulgeret: Saltem non respiceret ætatem conthoralis suæ? Erat nonaginta annorum Sara tunc: parceret itaque vetulæ, quæ robur amiserat, & laborem ex mandris puellarum alicui commendaret? Equidem Abraham, & vxor ilius ab adolescentia excelluêre hospitalitatis gratiâ: & quoniam non tam homines in recta admittere, quàm Deum ipsum arbitrabantur, cùm seruitio ædes plenæ essent, ipsi suis manibus omnia agere, nec vile iudicare ministerium, quod ob gloriam Creatoris exercebant? In hac igitur misericordia, quoniam & iuuentam, & robustam ætatem consumpserant summa cum laude, ne iam senescentes viderentur ab antiquo recessisse honore, manibus suis conuiuio necessaria apparant: Bonus adolescens Abraham, nec peior senex; Alij vetustate sua, & multa potentia indignum reputent, quod mancipiorum est, per se & pedes venientium peregrè lauare, & cibos coquere hospitibus: Abrahamus inter decora & encomia numerabit: nolit vitæ nouissimam periodum dissimilem prioribus annis: ætas quantùm vigoris eripuerat corpori, menti adiunxerat: Scribamus de Chrysostomi textu, qui homil 41. in Genesim: *Quare enim, dic mihi, nulli famularum hoc præcepit? sed mulieri tam prouectæ ætatis? nonaginta enim annorum erat: non rebellat*

Gen. 18. & 12 & 14.

Abraham senex, & regia insignitus maiestate, abiectiora hospitalitatis officia non contempsit.

Chrysost.

mandato Sara; ſed parem alacritatem etiam ipſa affert: audiant viri, audiant mulieres: viri quidem, vt ſic ſuas contubernales erudiant, vt ſi quando ſpirituale lucrum incidat, ne per famulos hoc perficiatur, ſed per ſeipſos faciant omnia: mulieres autem vt feſtinent iuuare viros in tam bonis operibus, & non erubeſcant, aliquos excipiendo hoſpites propter Chriſtum, illis congruum præbere miniſterium, & per ſeipſas afferre: ſed imitentur ſacram vetulam, in tanta ſenectute libenter ſuſcipientem, & abſque famularum opera perficientem.

74. Tertull. Cætera cùm Deus verbo produxiſſet; nam, *Dixit, & facta ſunt*, hominem manibus formauit ſuis: *Perſequar itaque propoſitum*, (ait Tertullianus de reſurrectione carnis, prope initium) *ſi tamen tantum poſſim carni vindicare, quantum contulit ille, qui eam fecit, iam tunc gloriantem, quòd illa puſillitas, limus, in manu Dei, quæcunque ſunt, peruenit, ſatis beatus, etſi ſolummodo contactus: itaque toties honoratur, quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur: recogita totum illic occupatum, ad dedicatum manu; ſenſu, opere, conſilio, ſapientia, prouidentia, & ipſa in primis affectione, quæ lineamenta ducebat*; Verùm, cur nunc ſexto die plùs laboratum à Numine, & ipſe omnia agit, cùm habeat millia millium miniſtrantium ei, & decies centena millium aſſiſtentium throno glorioſo? Et poterant quidem Angeli corporis ædificationi ſubſeruire; imò iam feriari decebat; ſatis enim laboratum eſt per quinque dies integros; otio fruatur qui tam multa, tam pulchra & admiranda conſtruxit: itáne omnia facturum Verbum, & in eum tota operis tam vaſti moles incumbet? Animaduerte & alteram cauſam, quamobrem Verbo indigna ſit huius diei ſextæ fabrica; nimirum, homo de limo terræ conſolidatus. Quid putas fuerit limus ille? Equidem glebæ abiectiſſima portio. Chryſoſtomus homil. 12. in Geneſim: *Formauit Deus*, inquit, *hominem, puluerem accipiens de terra: Quid dicis? acceptóne de terra puluere formauit hominem? Etiam*, inquit; *& non ſimpliciter nec quamuis fortuitò terram dicit; ſed puluerem: quaſi ſi quis dicat; tenuiſſimum, & viliſſimum, quod eſt in terra:* Igitur, quando de contemptiſſima terra formanda ſit reſta, cur hoc ſibi in primis adſumit opificium, quod ignobilius eſt? Diſce, ô homo, tu qui figmentum, & cinis, à Verbo modeſtiam, & perſeuerantiam: operatus per dies quinque, & innumera, magnáque perfecit luſtra quicquid præter hominem continent, & conuexa, & depreſſa omnia, pro tantis laborauit; nec tamen rudem ambit, inter emeritos referri ſupplicat: ardens ſpiritus non priùs otio vocaturus, donec abſoluat, quæcunque facienda ſuperſunt: At, ſaltem vile miniſterium omiſiſſet poſt tam magnifica patrata opera? Erras, ſi de Verbo ita concipis; non ea conditio Verbi, non mores; quantùm creſcit tempore potentia, celebritate, (dico apud homines, atque ex eorum iudicio, qui ex humanis diuina metiuntur,) tantùm ſubmiſſione; augetur in Verbo, eiúſque germano quoque imitatore cum honoribus modeſtia: quare, qui initio mundanæ fabricæ, quando non ita famoſus erat, (ſic loquamur;) neque enim innotuerant opera, quæ erant allatura ſplendorem nemini, velut reſpuebat ſuis manibus formanda aptare, & tangere, & imperio paſſim vtebatur, dicens, *Fiat lux*, Firmamentum, Oceanus; poſt edita potentiæ ſuæ clariſſima documenta, quando ſe ipſo quodammodo maior, tunc humilior apparere; & cùm terræ abiectiſſima pars in vitam animanda eſſet, non Angelos, non aliam creaturam ad miniſterium adhibere; ſed per ſuas manus vniuerſa exequi; tanta quidem hilaritate ac ſi in id temporis nihil laboraſſet, tanto conamine, vt vocauerit ad participium diligentiæ, vti inquiebat Tertullianus, *manus, ſenſus, conſilium, ſapientiam, prouidentiam.*

Chryſoſt.

Verbi diuini, in opificio hominis, ſingularis modeſtia.

75. Imò potiùs in hac corporis humani molitione quaſi non ſatis patiens onerum Verbum aſſeuerabis; nam quòd ſibi relictum videret omnem laborem, atque alias diuinas Perſonas otio fruentes, cùm ad hominem effingendum ab eo ventum, excitauit & alias Perſonas, dicens, *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. putà, tanquam pronuntiauerit: Vt quid mihi vniuerſæ incumbunt operæ? Eritis vos ſpectatrices tantùm agendorum? Quando à reliquo abſtinueritis labore, iuuate hominis conſtructionem: Si enim non huiuſmodi quidpiam indicarit Verbum, quorſum à duabus Perſonis ſuppetias poſtulauerit? Arbitror quidem ab altiori illa & infinita Mente præuiſum, extiturum homuncionem Arium, qui effutiret Filium Patre minorem, neque defuturos etiam, qui in Spiritum ſanctum blaſphemarent; Sed, quæ conuitij occaſio? nempe, intuebantur non æquè progredientes ad opera diuinas Perſonas: Spiritus enim contentus ſuperferri aquis; hac prælibatione laborum ſibi vendicata ſolùm, reliquit difficilia ſecundæ Perſonæ: Pater autem & ipſe operabatur, & vſque modò operatur; ſed in magnis tantùm occupatus, & quæ plauſum, atque honorem afferebant maximum: nimirum, in gignendo infinitæ ſcientiæ, atque potentiæ Filio, quaſi ad terreſtria & abiecta deſcendere contemneret: ne igitur exiſtimaretur diuina illa Reſpublica talis eſſe, in qua ex Perſonis quædam operibus tantùm diſtentæ, quæ & voluptatem, & encomium coniuncta haberent, & nunquam deſpectis miniſteriis ſe exercerent; magis autem appareret, omnium Perſonarum eandem eſſe conditionem, nullam eſſe ob quoſcunque titulos exemptionem, cuncta paria eſſe; non Patrem aliquid arrogare, quòd ab eo Gnatus procedat; non vtrunque, quòd ab illis Flamen ſpiretur; omnes ad hominis ædificationem confluunt: Illud igitur, *Faciamus hominem*, diuinarum Perſonarum inter ſe colloquentium exhortatio, & quaſi contentio quædam; nimirum, quia opus contemptum apparebat, de argilla ſcilicet abiecta & vili teſtam conficere, omnes certare, omnes deſpectiora ſibi vendicare; Quantùm, putas, antequàm fierent hæc, præceſſerat? Certè non anni Mathuſalis, non ſæcula Neſtoris; ſed abſque initio ætas æterna; Satiſne antiqua Perſona? & deſunt fortaſſe ornamenta, quibus nobilitantur clariſſima quæque? Tamen neque infinitam auctoritatem dedecere arbitrantur, limum attrectare, componere, conglutinare. *Videtiſne, fratres dilectiſſimi*, (conclamat Zeno Veronenſis ſerm. 3. in Geneſ.) *quia nullus exactè hoc alteri iubet?* (nempe, *Faciamus hominem ad imaginem*, &c.) *in opere nullus otioſus eſt? O ſancta æqualitas, ac ſibi ſoli digniſſima individuæ Trinitatis.* Eximiè illud: *O ſancta æqualitas!* Si magna perpetranda ſint, omnes de magno participant: ſi leuia exercenda ſunt, nemo à minutis excuſatur: quocunque modo, quòd Pater

Zeno Ver.

Mirabilis diuinarū Perſonarū æqualitas.

ad

ad extra, siue ingens, siue mediocre, hoc Filius, hoc Spiritus sanctus.

76. Huiusmodi sibi vxorem desponsat Numen apud Salomonem Prouerb. 5. vers. 16. *Lætare (ait) cum muliere adolescentiæ tuæ; cerua charissima, & gratissimus hinnulus, vbera eius inebrient te omni tempore:* Sequar mysticam explanationem: cur sponsa ceruæ, hinnulóque assimilis? Aug. tom. 4. lib. octoginta quæstionum, quæst. 71. *Sicut enim de ceruis nonnulli talium cognitionum studiosi scripserunt; cùm fretum ad insulam transeunt pascuorum gratia, sic se ordinant, vt onera capitum suorum, quæ gestant in cornibus, super inuicem portent; ita vt posterior super anteriorem ceruice proiecta caput collocet; & quia necesse est, vnum esse, qui cæteros præcedens, non ante se habeat, cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur; vt lassatus sui capitis onere ille, qui præcedit, post omnes redeat, & ei succedat, cuius ferebat caput: ita inuicem onera sua portantes, fretum transeant, donec veniunt ad terræ stabilitatem: Istam fortasse ceruorum naturam intenderat Salomon, cùm dixit: Cerua amicitiæ, & pullus gratiarum tuarum colloquantur tecum:* Atque paria in illud Psalm. 129. *Propter legem tuam sustinui te:* &c. At, nónne debuerant multorum annorum cerui à portando eximi? nónne ætati, & anteactis laboribus oportet deferri quidpiam? nullúmne discrimen inter heri natos, & cana seniorum tempora? Nulla apud ceruos differentia; tyronis, & veterani eadem est sors atque fortuna: quales in flore vitæ, tales in occasu; ab oneribus nunquam liberi; sola quiescendi spes post mortem; hîc semper dolor, & exercitatio: & ideò certè, quia talis ceruorum natura, ipsi securè æquora tranant; cùm tamen alia animantia multa naufragium patiuntur, ipsi serpentes deuorant, & dracones exterminant: quidni? apud quos tanta æqualitas, & omnis ætas similis, omnis alterius onera supportans? Vbi tanta charitas? O si imitatus ceruos Salomon, senectuti non parcens, neque otio & libidinibus succubuisset! O si qualis fuit ætas prima, talis & vltima extitisset, & semper aduersùs carnem, & voluptates seuerus! Nunquam sanè tot expertus naufragia esset, in barathrum lapsus immunditiæ, & ex mulierum amatore idololatra factus.

August.

Ceruorũ ars, cùm fretæ transnatant.

SECTIO VIII.

Qui fuêre quondam optimi, si à rectitudine deflectant, omnium iniquissimi euadunt.

77. TÆdet meminisse, in quantam amentiam prolapsus Salomon; quàm hebes ad diuina, ad humana monita; prætereo infandam lasciuiam, & nunquam satiatam pruriginem; taceo gulam, & comessationes; non arguo auaritiam; illa, illa demiror altaria non vni fabricata idolo, & offerentem thura ementitis Diis non subulcum aliquem, non terræ filium, & vix à trunco distantem hominem; sed ingenij medullam, doctrinarum apicem, Oraculum orbis, denique eruditum à Domino; & super his, eum, in quo excellens pietas, summa religio, mores incontaminati; neque ista ad momentum, ad horam vnam, per annos quinquaginta ferè. O nihil stabile in humana vita! Sed non stupesco mutatum quamuis tot pollentem adminiculis: nam & auertit faciem suam à Dauid quoque Dominus, & conturbatus est, & cecidit: hæreo contremiscens, quòd aut tot, tantáque mala adiunxerit, aut perstiterit in dolo, & iniquitate surdus ad internam turbam, ad externa exempla, consilia plurima; Sed iustè iraseeris tu Deus Sabaoth peccatis nostris, quoniam impiè fecimus in conspectu tuo, abusi sumus beneficiis multis, & magnis; supra iniquitatem Sodomorum, & Gomorrhæ scelus nostrum, aduersùs hanc viperinam generationem insultabunt in iudicio Niniuitæ, & melius erit Bethsaïdæ, & Corozaïn: Attendite ad Iapsum hunc Viri spiritualium diuitiarum: operamini salutem vestram cum timore, & diligentia: quoniam si labi contingat, vereor, ne æternùm submergamini: Perpendite, quoniam montes transferuntur in cor maris, & occupat eos tempestas valida, meliúsque fuisset proditori Apostolo, si nunquam natus esset: illi hoc melius, qui dux & notus Christi extiterat, qui simul comedebat panem cum eo, qui Spiritus de obsessis expellebat, qui miraculis refulsit.

Salomon in quantam amentiã prolapsus sit.

78. Auspicemur à meretricio adolescente, qui abiit in regionem longinquam, & consumptis bonis omnibus adhæsit vni ciuium illorum, & misit illum in villam pascere porcos. Luc. cap. 15. vers. 15. Sed, quare tam egregiam adamauit artem? Nempe, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere; cùm autem nobiliora seruitia respuerent plerique propter inopiam panis, coactus est setigerum genus custodire, ne saltem esurienti siliquæ deessent: & ne hæ quidem ad saturitatem dabantur: Neque mirum, regnabat enim famesingens: Verùm, quamobrem famem validam nuncupauit, quæ hunc oppresserat iuuenem? Aut certè cur à Numine permissum vt incideret, non in qualencunque famem, & tolerabilem aliquo modo sed in eam, quæ fortis, robusta, vrgens extitisset? Circunspice quidem: reliquerat domum alimentis affluentem, in qua obsoniorum copia: nam vel & mercenariis (quod est ministrantium genus gregarium) erat in abundantia panis: *Quanti* (ait) *mercenarij in domo patris mei abundant panibus:* Qui igitur deseruerat ædes felices, in quibus omnifariæ escæ ad amussim, iusta Creatoris, & punitione, & prouidentia translatus est in ea loca, in quibus regnaret fames prorsus non ferenda, qua vix alia posset esse vehementior: Bernardus sermone de conuersione ad Clericos, cap. 13. *Meritò siliquas esuriit, & non accepit, qui porcos pascere maluit, quàm paternis epulis satiari;* Sed spiritaliter hæc explicanda, vt nostro prosint instituto: nam, quæ illa tam beata, & sufficiens domus, in qua etiam mercenarij, id est, qui abiectissimi sunt, non hordeo vescuntur, sed pane, qui etiam Regibus delicias præbet: nisi certè cœnobialis aliqua excellens Congregatio, vbi etiam imperfectiores lautè pascuntur ab vbertate diuinarum consolationum? Quid, si proletariæ id contingit multitudini, quid de filio opinabimur, eóque iuniore, quem plùs à genitore diligi vsus? O si de hoc voluptatis torrente bibere fastidiat imprudens iuuenis, & de cisternis dissipatis potare anhelet! si manna de cœlo præstitum contemnere audeat; sciat, cùm de hoc venerando cœtu exierit, quoniam bonorum operum famem experietur super

Luc. 15.

Filius prodigus eò miserior factus quò prius fuerat nobilior.

his, qui nunquam intrauerunt patris domum; vincet impietate sceleſtiſſimos, & erunt, ſi cum eo comparentur, publicani atque ethnici moderati; tanti eſt à magna iuſtitia receſſiſſe: Splendidè Chryſoſtomus apud S. Thomam in catena, *Signanter autem ſubdit*, (inquit) *Ego autem hic fame pereo; Ego, non alienus; ſed filius boni patris, & frater filij obſequentis ego liber, & generoſus factus ſum miſerior mercenarijs; à ſumma celſitudine primæ nobilitatis ad infimam humilitatem delapſus*; Ita ſanè; nam talis ſolet eſſe caſus, nempe, qui in extremam paupertatem deſcendunt, ij ſunt qui olim ditiſſimi fuêre, & ſuperabundat delictum, vbi fuit non remiſſa, ſed nobilis, & capax iuſtitia. Chryſoſt.

79. Vultis audire etiam, & ex puellarum numero de virgine diſſipatrice? nam hactenus apud vos ſemper adoleſcens prodigus; Ezechielem vobis profero cap. 16. verſ. 10. *Et veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te ianthino, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, & ornata es auro, & argento, & veſtita es byſſo, & polymito, & multicoloribus & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo*; Satiſne gloriosa Virgo hæc? Quid ampliùs ei facere potuerit ſponſus? Sed oportet Theodoreto auſcultaſſe; *Vnunquodque horum* (inquit) *moraliter decet intelligere; armillas manibus impoſitas, eam virtutem, quæ ad agendum nos excitat; monile collo circundatum, legis iugum; inaurem naſo iniectam, à vitijs dehortationem; inaures verò auribus adhibitas bonam ſignificat doctrinam; coronam ſuper caput impoſitam, eam gloriam, quæ à pietate, & cultu legis, atque adeò ex omnibus bonis comparata ſit*; Sed tu conſidera huius feminæ euectiorem apicem; quod ſummo Sacrorum Antiſtiti pro tunica eſt, hoc illi pro calceamentis, nempe ianthinum; *Diſertiſſimus Philo* (ait Hieronymus in præfata Ezechielis verba) *hyacinthum in veſtibus Pontificis aëri comparat, in quo cœleſtia ſignificari putat*; Igitúrne in pedibus quidem, vbi cæteri terrenum aliquid de luto, & puluere calcati fundamenti, niſi cœleſte, purum, indefæcatum habet? tanta eſt mulieris vndequaque nitela, à planta vſque ad verticem, nihil in ea ſordidum, & in amictu cuncta de pretioſioribus; verùm terga vertit tandem Creatori illa tam ſplendeſcens, & formoſa, & habens fiduciam in pulchritudine ſua, eleuatum eſt cor illius, & ſequuta eſt amatores falſos; At in qualem putas voraginem delapſa ſit miſerabilis, quantiſque oppleta abominationibus? *Quia fabricaſti lupanar tuum in capite omnes viæ*, (allegato iam capite verſ. 31.) *& excelſum tuum feciſti in omni platea; nec facta es quaſi meretrix faſtidio augens pretium; ſed quaſi mulier adultera, quæ ſuper virum ſuum inducit alienos; omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autem dediſti mercedes cunctis amatoribus tuis, & dona donabas eis, vt intrarent ad te vndique ad fornicandum tecum*; Vbi Gentium, vbi terrarum talis, qualis hæc fornicatio? Hæccine illa tam cœleſtis, tam vallata, tam dives gratiæ atque virtutum, & nunc omnem immunditiam vincens, quæ mercede conducit libidinoſos? Denique & textus aſſerit: *Quia fornicata eſt, ſicut non factum eſt, neque futurum eſt*; O terribilem ruinam! à quanto nitoris faſtigio in quam denſam caliginem & ſpurcitiem? Sic confundentur Domine recedentes à te in ſuperbia & abuſione, & obliti miſericordiarum, quas feciſti illis in multitudine dulcedinis tuæ; Et quoniam coniunximus hanc infauſtam virginem cum adoleſcente prodigo, mutuemur auctoritatem ab Hieron. epiſt. 146. ad Damaſum de duobus filiis, *Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis porcorum; & nemo illi dabat: Id, quod in Ezechiele cum increpatione dicitur ad Hieruſalem: Et factum eſt in te peruerſum vltra mulieres, quæ ante fornicationem tuam, & poſt te ſunt fornicatæ, in eo, quòd dediſti mercedes, & mercedes tibi non ſunt datæ; Videmus in filio minore completum, Subſtantiam ſuam in regione Principis perdidit, & poſt perditas facultates, miſſus ad porcos egeſtate contabuit: Dæmonum cibus eſt ebrietàs, luxuria, fornicatio, & vniuerſa vitia: & Satanas, cùm aliquem ſua arte deceperit, & ei proprium impoſuerit iugum, vltra abundantiam vitiorum non procurat, ſciens eſſe iam mortuum: ſicuti multos idololatras videmus panis miſeria, & egeſtate confectos: hi ſunt, in quibus propheticus ſermo completur: Omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autem dediſti mercedem omnibus amatoribus tuis, & non accepiſti mercedes.* Hieron.

Gzech. 16.

Theodor.

Hieron.

Animæ excellenti Iuſtitia ornatæ terribilis ruinæ.

80. Eſt inter miracula Chriſti, mortuorum ad vitam reuerſio; iuſſit ſepulcrale linteum exuere, & fuit leue imperium, velox obedientia eorum, qui dormierant: Archiſynagogi filiæ loquitur: *Puella, tibi dico, ſurge, Et confeſtim ſurrexit, & ambulabat.* Marc. cap. 5. verſ. 42. Viduæ gnato: *Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui.* Luc. cap. 7. verſ. 15. Moritur Lazarus, Marthæ & ſororis frater, tum & infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum, & eleuatis ſurſum oculis Patrem obteſtatus eſt, & voce magna clamauit: *Lazare, vem foras.* Ioan. cap. 11. verſ. 43. Stupeſcit Hieronymus tract. de vera circunciſione: *Infremuit*, inquit Euangeliſta, *ſpiritu, & turbatus eſt, & ait: Vbi eum poſuiſtis? Quid eſt hoc? Quæ confuſionis cauſa? quæ formidinis? Quid autem erubeſcit, aut metuit, cum & virtus ſit peracturæ miraculum, & Deitas non ſit ſubiecta terrori? Quæ ſepulcri tam inconſulta requiſitio, vt omninò credas de turbato, confuſóque profectam? Ille Deus noſter, qui diſcipulis conſtanter dixerat de abſente, Lazarus mortuus eſt, qui ſororibus eius confidenter promiſerat de mortuo, Reſurrecturus eſt, ſub neſcio qua confuſione ſepulcrum quærit, quaſi hoc ſolum, qui omnia noſſet, & præſtare poterat, ignoraret: Non planè hoc eſt, nam alius intellectus oculitur:* Quando igitur arcanum latere Hieronymo viſum, ſcrutemur quódnam illud ſit? Lazarum quidem nouimus amicum Chriſti fuiſſe, quod ipſe palàm teſtatur nominato Ioannis capite, verſ. 11. *Lazarus amicus noſter dormit*: Alios autem ignoramus, an eius amici extiterint: nam de inito fœdere ſilentium apud Euangeliſtas: ergo alij defuncti adumbrauêre animas liberas, & concupiſcentiam voluptatéſque ſequutas, de IESV familiaritate nihilum curantes: Lazarus autem mentes repræſentat, quæ ſanctitudinem dilexêre, quæ Verbi ſodales fuêre: ſed gratia tandem exciderant in vitia prolapſæ: Ita intelligere viſus Origenes tom. 28. in Ioan. *Sed notemus.* (inquit) *neceſſe eſt aliquos etiamnum Lazaros eſſe, qui poſt contractam cum* IESV *amicitiam infirmati ſunt, & perière: qui etiam in monumento, & in mortuorum loco manſerunt cum mortuis mortui, poſteà oratione* IESV *qui illos è monumento ad prodeundum foras voce ſua magna vocauit, viuificati:* Orig.

Indicat

Indicat igitur difficilius esse, à mortuis suscitare eos, qui fuerunt amici IESV, quàm qui non fuerunt; At, quamobrem? nam è diuerso contingere opus fuisset: nónne enim laboriosius, sanitati restituisse eum, in quo inuetetata pestis malignitas, quàm qui optima vsus valetudine ad tempus decubuerit solùm? Cur igitur tam multa fatigatio, vt Lazarus euigilet? O intuere! quoniam, sicut ad excellentem gratiam, & amicitiam Lazarus quondam admissus; ita, postquam datam fidem, atque dexteram fregit, nemo illo impudentior, nullus tam palmaris scurra, (loquor de mystico Lazaro) de quo enim mortuorum legistis, quòd & quatriduanus sit, & fœteat? *Credo iam* (ait Bernard serm. 4. in Assumpt. B. MARIÆ) *multorum ingenia præuolant, vt intelligant, quem velim dicere Lazarum; eum sine dubio, qui nuper peccato mortuus fodit sibi parietem, vt videat abominationes multas, & malas praui, & inscrutabilis cordis sui*; Vt igitur innuat Christus eos, qui veritatem aliquando cognouerunt, si Deo dorsa vertere cœperunt, peiores fieri iis, qui lucis semper expertes fuêre, & malorum coryphæos euadere; ideò, cùm de tumba illos, qui amici non extitêre, excitat, nullum præ se fert animi cruciamentum, non vociferatur, non superos testes aduocat; tantùm in Lazari funere, qui sodalis fuerat, hæc ostentamenta; quo repræsentaret, huius quàm difficilis fuerit redintegratio.

Difficilius est à mortuis suscitare eos qui fuerunt amici IESV, *quàm qui nõ fuerunt.*

Bernard.

81. Coniungamus & altarius Lazari gesta; Plurima in hac vita perpessus à lue, ab inedia; sed excepit afflictam ætatem mors glorioſa, & hilaris, tandémque Abrahæ læto sinu receptus secundùm dolorem fuit & consolatio; hùnc ad se mitti postulat diues purpuratus, & bonarum escarum vorator; In quantum arbitramini solatium? Scilicet, vt intingat extremum digiti sui in aquam, ad linguæ refrigerium à flammis adustæ. Luc. 16. vers. 7. Puto à tormentorum immanitate sibi excidit miser iste; quid enim attulerit commodi gutta vna, quam digiti summa pars stillare valeat? Crescit à stillicidiis Vulcanus; Cupiátne augeri Ætnam suam? Verùm, ne contemne petitionem; nam ad tantam redigi inopiam oportebat, nimirum, cùm aula, & deliciis frueretur, cibi fuêre, & stomachi irritamenta vltra mensuram; nisi enim abundassent cellaria, atque penus, quotidie epulari, idque splendidè, non posset; ergo, qui copia affluenti exciderat, non in vulgare aliquod miseriarum chaos prolapsus, sed durissima experiri coactus; Verùm, quid hac repræsentatione spiritaliter adumbratum? Videlicet, locuples ille typum sustinebat Iudaïci populi vt memorat Gregor. Papa homil. 40. in Euangelia inquiens: *Quem, Fratres charissimi, quem diues iste, qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie splendidè, nisi Iudæum populum designat?* Et similia Augustinus lib. 2. quæstionum euangelicarum, capite 38. quantæ opes illi nationi, quantæ escæ ad opiparè vescendum, quæ volumina Scripturarum possidebant, apud quos tot sancti Vates, atque Patriarchæ, iustorum tam fertilis messis? Certè ille populus, apud quem singulariter habitabat Omnipotens; Vis scire de beneficiorum multitudine partem aliquam? *Circunduxit eam, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui; sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, assumpsit eum, atque portauit in humeris suis; constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo*; Planè non erat sub cœlo alia gens sicut ista ante Euangelium; Incrassatus recalcitauit; Sed, quibus non est deturpatus maculis? Leues Gentilium noxæ quodammodo, si cum Hebræorum comparentur sceleribus; ne apud Hæreticos tam graue malum; Videndus Hieronymus in cap. 1. Isaïæ, ad illud: *Cognouit bos possessorem suum*, &c. ad finem c. 3. Oseæ; hoc est igitur, ab abundantissimis ferculis, à poculis falerno despumantibus venisse ad tantam egestatem, vt ne aquæ vna guttula relicta sit illis.

Luc. 16.

Greg.

Augusti.

Populus Hebræorum in quantã scelerum enormitatem delapsus?

Hieron.

82. Mirabilem Hierosolymæ statum sub Romanis ducibus prædicens Christus, Luc. 19. vers. 44. *Quia venient dies* (inquit) *in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & ad terram prosternent te, & non relinquent lapidem super lapidem*; Atque ostendentibus illi templum Apostolis de eodem totidem Matth. cap. 24. vers. 2. *Videtis hæc omnia. Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur*; Cur tam fatalem ruinam, & vrbi, & templo sacro vaticinatur? aut cur certè ipse, qui Deus pariter cum homine est ciuitatem Sion, de qua glorioſa dicta sunt, quæ gaudium vniuersi Orbis nuncupata, vrbs pulchritudinis dicta, tam immani strage afficiat patiatur? Deliquit, scilicet? Verùm & alia peccauerunt oppida, nec tamen in illa ita sæuiit inimicus; etiam crudelitati satis est præclara quæque demoliri; vt quid & in murorum lapides excandescat? Verùm tu animaduerte vrbium, oppidorúmque differentias: qualis ciuitas, talis & destructio: ignobilis oppidi obscuri sunt casus: si Hierusalem aliquam, & prouinciarum oculum destrui contingat, non leui subiiciuntur cladi: vt fuit, cùm staret, & polleret decor admirabilis: ita cùm oppugnatur, cùm incipit venustate spoliari, in eam transit ignominiam quæ ne vestigia antiquæ gloriæ manere sinat: *Et hæc corporaliter dicta sint* (ait Origenes tractatu 24. in Matthæum) *moraliter autem hoc modo: Sicut illud templum non insimul est dirutum, sed paulatim tempore procedente: ita & omnis homo, qui suscipit in se verbum Dei, templum est: & si quidem post peccatum, non ad plenum decidit à verbo Dei, sed adhuc seruat ex parte vestigia fidei, & religionis in se mandatorum Dei? templum est ex parte destructum, & ex parte consistens; qui autem, postquam peccauerit, curam sui non habet, sed semper à fide decurrit, & à vita, quæ est secundùm Euangelium paulatim minuitur, donec ad plenum recedat à Deo viuenti; hic est templum, in quo non relinquatur lapis dogmatis super lapidem mandatorum Dei, qui non destruatur; non ergo prospicere nobis debeamus, vt omnis ædificatio pietatis in nobis integra perseueret, vt & lapidibus salutarium dogmatum adornati, & donis bonorum operum decorati, capiamus in nobis Dei virtutem, & gloriam, & Christum qui est Verbum, & Sapientia Dei*; Igitur Hierusalem florentes animas denotat, quæ ad eximiam sanctitudinem prouectæ fulsêre admirandis virtutibus: atque alias quidem animas, quarum non tam probata rectitudo, si labi contingat: sed non feruntur præcipites in ima vitiorum, mediocris est impietas, sicut & fuit religio: si verò Hierusalem, alti nimirùm, & sublimes spiritus rimam aperuêre hosti: Sic deuastat omnia Satan, vt ne lapidem super lapidem, id est vel lineamenta quædam antiquæ probitatis in eis relinquat:

Matth. 24.

Luc. 19.

Orig.

Qui à fide decidit, hic est in quo nõ relinquitur lapis dogmatis super lapidem mandatorũ Dei.

relinquat; ita lapsus optimorum periculosior esse consueuit.

83. Reuertamur iterum ad filium iuniorem; Cùm profectus esset in regionem longinquam; *Adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.* Luc. cap. 15. vers. 7. Quis hic ciuis, & sub grege porcorum quæ absconduntur? Chrysologus serm. 2. *Et sic nos primario regionis illius, hoc est desperationis auctori Diabolo iam tradamur, & ille nos mittat in villam suam, hoc est, ad huius sæculi illecebrosas conualles mittat ad pascendos porcos; eos, videlicet, qui proni semper in terram viuunt ventri, & æstus carnis in volutabro luti temperant, in cœno premunt, refrigerant in gurgite vitiorum*; Sed Hieronymus epist. 146. ad Damasum de duobus fratribus, de paganismo construit inquiens; *Talis est Dæmonum multitudo, quæ per idola manufacta, cruore pecudum, & victimis pascitur, & nouissimè saginatiore quadam hostia, ipsius hominis morte saturatur*; At, quo pacto in eam desperationem peruenit insaniens iuuenis, vt post amatas ingluuiem, venerem, intemperantiam vniuersam, Deum Creatorem negauerit, & inter gentes connumeratus sit? Excipe: Domus, in qua educatus, imò aula magni Principis tam sancta extitit, vt ne vnum mandatum genitoris filij moderatissimi aliquando transgressi fuerint; fas enim credidisse huic adolescentiori donec apud patrem versatus, accidisse, de quibus senior germanus gloriatus sit; *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterii*; Cùm igitur à tantæ innocentiæ schola diuerterit volens, sciénsque ex iusta Numinis vindicta, atque permissu vitiorum cœno vsque adeò demersus, vt & fidem tandem abiecerit & idolis litauerit, quemadmodum Salomon; Verùm, ne otiosè pertransieris annotatiunculam; contemplare, vt hic magister porcorum euaserit; ille signifer, ille ductor; Atque sanè alij porci quidem sunt, nempe abdomini, & lasciuiæ indulgent; hic autem, qui eximiè iustus extiterit, nihil fecerit, si cum aliis comparetur tantùm, nisi & vincat longo interuallo facinorosorũ Antesignanus, & Primipilus: Aduertit Chrysolog. memorato sermone; *Quòd autem mercenarios suos mittat ad porcos, facit hoc insatiata crudelitas quæ contenta non est hominum criminosos fieri, nisi eos vitiorum duces, criminum faciat & magistros*; Vah miserandam conuersionem! ex duce, atque virtutis face, non impium tantùm fieri, sed pessimorum Coryphæum, atque Principem.

Luc. 15. Chrysol. Hieron. *Dæmon mercenarios suos non tantùm criminosos facit, sed etiã criminum magistros.*

84. Conduxerat Balaam non bonum Prophetam Balac Moabitarum Rex, vt malediceret castris Hebræorum; *Veni*, inquit, *& maledic Iacob; propera, & detestare Israël.* Numer. c. 23. vers. 7. Translatio autem Septuaginta Seniorum paulò aliter; *Veni, maledic mihi Iacob; & veni, supermaledic mihi Israël*; Quare acerbiori anathemate feriendus Israël, quàm Iacob? Nónne idem vterque populus? Idem quidem; diuersorum tamen meritorum secundùm differentiam nominum: nam Iacob, qui luctator actiuam denotat vitam, & obscurioris iustitiæ homines: Israël, qui videns Deum, contemplatiuos repræsentat, qui Deum quodammodo facie ad faciem intuentur, vt loquebatur Patriarcha, & salua fit anima illorum: in hos igitur debacchatur crudelis mortalium aduersarius Satan: sed mitiori bello contra Iacob, contra imperfectorum Rempublicam; si verò de Israël, id est, egregiis theoreticis, & contemplantibus aliquem prosternere concessum sit, ibi ille rabiem omnem effundit, & supercongerit maledicta: Quid verò est, supermaledici Israël, nisi alio, atque alio scelere contaminari, donec mergatur abysso impietatis? Quemadmodum Israël in domo Domini sors melior est, atque nobilior Iacob: ita, si propelli è templo sancto contingat, grauior multò esse consueuit ruina Israël, quem non simplex aliqua sed congeminata excipit maledictio: Referat Origenes homil. 15. in Numeros: *Potest ergo dici, Veni, maledic mihi Iacob; & veni, supermaledic mihi Israël: Per quod ostenditur idcircò sermo repetitus, vt ampliore vi, maiore intentione maledictionem in Israël, quàm in Iacob Balac videretur exposcere: donec enim quis tantùm Iacob est, hoc est, in actibus solis, & operibus positus, inferioribus maledictionibus impugnatur: vbi autem profecerit, & interiorem hominem ad videndum Deum reuelato mentis oculo exacuerit, tunc non solùm maledictis ab inimico, sed & supermaledictis, hoc est vehementioribus maledictorum iaculis impugnabitur.* Orig.

Num. 23. Septuag. *Vehementioribus maledictis Israël à Balaã percellitur quã Iacob.*

85. Dum moras traheret Moyses, Deos sibi fieri populus contendit, & obsecundat Aaron, & vitulum ædificat: Cur tam vile figmentum? Nónne meliora Numina Phœbus & soror eius, Zodiacus cum signis suis? Cur despecta tellus, contempta maria, atque inter animantia, seu quæ tranant aëra, seu quæ syluas, & montes incolunt, an non insigniora multa, leo, rhinoceros, aquila, vultures? Equidem petiere Numen, quod præcederet, viámque eremi abstrusam doceret, Exod. cap. 32. Sed inter bruta non aliud tam stolidum, quàm vitulus, & bos; deinde & nuperè effecto idolo, quæ eius formationem præcesserant, attribuunt, videlicet, quòd eius præsidiis de Pharaonis ergastulo liberati sint, plaudentes enim dicebant: *Hi sunt Dij tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti*; Benè Lippomanus tantam intuitus amentiam: *Vidisti, obsecro* (inquit) *insaniorem insipientiam! audisti verba magis hominum sensu carentium: ac stupidæ mentis indicia, velle quod homo quispiam Deum faciat? & in animum sibi inducere, vt credant hos Deos fabricandos, eduxisse ipsos de terra Ægypti, cùm eo tempore, quo liberati sunt, Dij ipsi nondum formati essent*; Credo, neque apud Poëtas mendaciorum peritissimos fabros, quidpiam inueniri quod his absurdius existimetur; quare igitur in tantum furorem versi, in tam indecora prolapsi? Erat hic populus tunc præ omni natione præclarus, seu consideremus mentis integritatem, seu de superis & æternaturis scientiam: sed voluit sponte cadere, à Creatore sancto veróque recedere impudenter: O Israël, quale tibi præcipitium! quemadmodum hactenus fuit præstantior gloria claritatis tuæ: ita & in futurum qui vituperio similis tibi sit, nemo reperietur: Nimirum; si quando eueniat labi qui cæteris iustiores fuerant, euadunt frequenter sceleratiores vniuersis: & adorant sanè aliæ prouinciæ ementita Numina, habent tamen aliquam solatij vmbram, scilicet decepti sunt ab Apollinis, & Lunæ pulchritudine, ab astrorum radiis, ab elementorum perpetuis beneficiis in genus humanum: tu fatua gens supergressa es stoliditate nationes cunctas: vbi enim tam indoctum Numen? *Et quod valdè mirandum est* (inquit Rupertus libro 4. in Exod. capite 24.) *talem, tantámque gloriam mutauerunt in similitudinem vituli comedentis fœnum*: Valdè quidem mirandum, Lippom. *Israëlitarum incomparabilis amẽtia.* Rupert.

mirandum, & tamen iusta pœna nimiæ ingratitudinis.

86. Efformato autem vitulo, quoniam de sacris ad Aaron pertinebat; *Ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit dicens: Cras solennitas Domini est: Surgentéque manè, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas*; Et quidem aliquod Aaroni velamen, quòd vitulum conflauerit de inauribus multitudinis; nam tumultuabatur aduersùs eum vulgus; at verò vt erigeret altaria, vt elato sono conuocaret ad sacrificandum, nullus impulit: quocirca Pontificis & numero plura, & ex circunstantiis grauiora fuêre delicta: Subsentit Caietanus; *Non meretur* (inquit) *tanta blasphemia Aaron excusationem: insaniuit enim & ipse multò magis, quàm alij: nam alij, vt ex Hebræo constat, nomina communia Dei idolo attribuerunt; ipse autem incommunicabile, & ineffabile nomen Tetragrammaton attribuit idolo, nullo ad hoc instigante, & quod peius est, voce publica*; Itaque Aaron prauitate superauit, quidni enim? sic nanque comparatum esse asseruimus, vt quò quisque melior est, si malus fieri incipiat, pessimus omnium euadat; erat autem Aaron multis nominibus vulgo excellentior: ille interpres legum, atque ipsius etiam Moysis apud Pharaonem, ille intercessor apud Deum, ille in sactis Princeps; ergo vt fuit in virtutibus summus: ita & cùm sceleri se commisit, nequissimus apparuit; *Insaniuit enim ipse* (vt aiebat Caietanus) *multò magis quàm alij*: Nemo confisus præteritis securus agat in hac labili vita; qui plusquàm Aaron, qui Dominum consulere solitus? qui plusquàm Salomon, in quo eruditio, forma, potestas, consilium, & omnibus melior pietas erga Deum emicuit ingens? fortitus animam bonam, excoluit eam & custodiuit à iuuentute, vir iustus & metuens Deum per quinquaginta ferè annos; O si & in quarta noctis vigilia, cùm iam esset senex, non dormiisset! obscuratum est cor insipiens illud, proh dolor! & fuit certè ruinæ stupendus casus: nam quasi aut tæduerit anteactæ probitatis, aut doluerit ad vitium superesse breuia viuendi spatia; ita sordes amauit, vt nullum esset tam capitale malum, in quo peritus artifex non euaserit; etiam peior, quàm fuisset anteà bonus; & vt quondam optimus, sic posteà nequissimus.

Caiet. *Aaronis Pontificis peccata grauiora fuêre quàm cæterorum Idololatrarum.*

SECTIO IX.

Luxuriæ timendam, formidabilémque esse vim etiam strenuissimis bellatoribus.

87. NEmo, qui diligentiùs peruoluit Salomonis Acta, non ecstasim & stuporem passus, dum cum prioribus vitæ spatiis vltima comparat: quis enim instructior vnquam contra vitium? quid præsidij non defuit? non pietas, non consilium, non scientia, & his fortius quidquam, nimirum conseruata in annos multos stola innocentiæ; quàm egregia propugnacula; Itaque hæc dum contemplantur sedulò, plurima eos occupat admiratio, vt patuerit inimici ictibus tam vallatus; Sed cogitasse debuerant aduersùs Salomonem armasse cohortem luxuriam: sæua nimis bestia, & in Sanctos quoque audax; hæc cum præclarissimis congressa militibus Protoplaste, Samsone, Dauide, vexauit superbè tantos viros; sed nulli sic dominata, atque Salomoni: illa infatuauit, illa dilapidare substantiam cum meretricibus impulit, illa fana condere peregrinarum gentium Diis suasit, illa in transuersum egit omnibus modis; Fugite à fornicatione quicunque portatis vasa Dei: non ætas, non vigiliæ, non macerationes, non retroacti superati agones vos negligentes, & incautos faciant: ab hac furia victi, qui de omnibus penè triumpharunt: & probauero si non fallar.

Salomonis exitium ex luxuria.

Heroüm suorum, Vatum, atque Patriarcharum inconcussum robur significaturus Creator, adamanti sæpè comparauit; aduertit Hieronymus epist. ad Pammachium super obitu Paulinæ vxoris; *Tale quid & Dominus loquitur ad Prophetas, quòd posuerit faciem eorum, quasi vrbem æneam, & lapidem adamantinum, & columnam ferream, ne pauerent ad iniurias populi: sed impudentiam subsannantium frontis rigore conterereret*; Iam & percipiamus eundem Hieronymum de natura adamantis dissertantem ad c. 7. Amos, in illud, *Hæc ostendit mihi*, &c. *Adamas* (inquit) *sui nominis lapis est, quem Latinè indomitum possumus appellare, eò quòd nulli cedat materiæ, nec ferro quidem: nam, si ponatur super incudem, & graui ictu feriatur mallei, anteà incus, & malleus vulnus accipiunt, quàm adamas conteratur: cúmque ignis omnia domet, vniuersa metalla consumat, reddit adamantem duriorem: vt ne paruulum in eo angulum vis nimij ardoris obtundat; Vidi & in auro adamantem magnitudine milij, cúmque vicinum consumatur aurum longo vsu, ac nimia vetustate, solus adamas non atteritur, & nulla lima minui potest, sed è contrario limam terit, & quicquid attigerit, lineis sulcat*: Verùm ista mysticè interpretantem eundem subaudiamus; atque de vaticinantibus loquentem superiùs perspeximus; hoc autem Amos loco inquit; *Hic stat supra murum adamantinum. id est, supra sanctos, & Apostolos suos, quibus donauit, vt & ipsi adamantes vocarentur, & à nullo superati dicerent: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius*? Et iterum: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*: O quid hoc robore fortius esse queat? Nihil aut in superis, aut in infernis relictum, quod non vicerit hic miles! Dormi beate pugil, placidus, atque intimidus: quis enim tecum congredi, quis ad pugnam lacessere audeat? Sed, ô non dormias adhuc, quoad vsque videas Deum Deorum in Sion: nam, quos non auaritia, non ingluuies, non superbia, non odium deiecêre: hos venus, & blanda, atque lasciuiens voluptas prostrauit: Ecce rursus de adamante Hieronymum, *Hic lapis durissimus, & indomabilis, solo hircorum cruore dissoluitur, & missus in calidum sanguinem, perdit fortitudinem suam*: Quid hoc est? ab hirci petulantis & lasciui animalculi edomari cruore, nisi à muliebri specie decipi, quem subiugare alia non potuêre? Ergo, quem non malleus, non securis, non limæ, non vetustas, non ignis omnia deuorans, consumpsêre, sanguis hircinus fregit, disiunxit, contriuit: *Et in tantum robustus est*.

88. Hieron. *Adamantis durissima natura.*

(prosequi

(prosequitur Hieronymus,) nempe, Dei Athleta, *vt dicatur ad eum; Si transieris per ignem, flamma non comburet te; quantòque magis tentationibus cæditur, tanto fortior fit, & pro nomine Saluatoris inter flagella lætatur; cùmque à nullo superari queat, solo mortiferæ libidinis calore dissoluitur; hæc enim sanguinis hircorum, & ipsius hirci dicitur esse natura, vt sit ad libidinem calidissimus; & quod ignis edomare nequeat, solus illius dissoluat cruor;* Notanda admodum sententia viris magnis; *Cùmque à nullo superari queat, solo mortiferæ libidinis calore dissoluitur;* Non igitur stupendum, quamuis in longum tempus, multísque certaminibus egregium se bellatorem probauerit Salomon, deuictum tamen à libidine etiam in vitæ termino; quoniam incautè egerat, & de elapsis plùs æquo confisus triumphis, hostem despexerat.

Adamantinas mentes etiam libido domat.

89. Certè si quisquam inter maximos Heroës adamas, vt fuerunt innumeri, Iobus de primis; quid enim in eo non gloriosum? quibus vnquam succubuerit tentamentis illecebris? Dimicatum aduersùs illum per incendia rapinas, regni, & filiorum despoliationem, & post omnia fortunæ ludibria sæuitum in corpus eius; vsus omni stratagemate Infernus, & de omnibus semper ouans & triumphator: restabat mulier, quæ opponeretur; ecce ad classicum auditum trepidare continuò Athleta, colorem amittere, terga vertere; *Pepigi* (inquit) *fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine; quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem Omnipotens de excelsis?* cap. 31. vers. 1. & 2. Sed esto, cohibuerit oculos, quoniam ipsi fenestræ, per quas mors intrat; quid etiam circuncidit cogitationem? Nimia formido hæc est in tam strenuo duce! At sciebat Iobus, omnium monstrorum domitores à libidine vinci, proinde in fuga, in occludendis sensuum ostiis omnem salutis spem esse positam; parum est aspectus, colloquia, munuscula declinasse, alligandæ & intus latentes cogitationes: Depinxit rem hanc luculentè Chrysost. serm. 1. de continentia Ioseph: *Eosdem sermones nobis loqui, & magnus Iob potest, qui non solùm diligens continentiæ fuit excitator; sed & legem oculis suis posuit, ne in virginis videret faciem, ne fortè mentem illius irradians raperet pulchritudo; Quis non admiretur, & obstupescat, videns virum hunc cum Diabolo quidem viriliter certare, & omnes maligni machinas vincere; virginis autem faciem fugere, & à formosa puellæ aspectu oculos subducere? Diabolum quidem videns accedentem, non fugit; sed manfit sicut leo, viribus fidens: virgine autem visa non stetit, censebat nimirum, in prælio contra Dæmones, virili & audaci animo opus esse; in continentiæ autem præparatione, victoriam concedi, non virginem consuetudine; sed secessu.*

Iob 31.

Chrysost.

Iob Diabolũ videns accedentem non fugit virgine autem visa non stetit

90. Oblata Danieli dum esset prope Tigrim fluuium magnum, species viri; *Et renes eius accincti auro*, cap. 10. vers. 5. Vidit & Ioannes similem Filio hominis, *præcinctum tamẽ ad mamillas zona aurea.* Apoc. 1. vers. 13. Cur non ad renes vtrique baltheus? scilicet, vberum in medio cordis locus est, vt annotauit Rupertus in citatum Apocalypseos caput: *Et talis præcinctura* (inquit) *cordis statum naturæ vitalis, vel vitam continentis, significat;* Potrò visio Ioannis nouum fœdus indicat, quemadmodum & illa Danielis vetus; vt igitur innuat postquàm Christus natus est, & Euangelium illuxit, tantam debere esse castitatis eminentiam, quæ ne repræsentationem admittat indecoram, cor de qua prodeunt cogitationes, zona alligat; Anselmus ad notatum Ioannis locum, *Vidit* (inquit) *Daniel eundem Angelum scilicet in persona Christi, præcinctum renes in veteri Testamento, Danielis cap. 10. quia ibi carnalia opera constringuntur: hic mamillas perstringit, qui in Euangelio etiam cogitationes iudicantur, ex quo significatur nostris, vt nos cogitationes perstringamus;* Richardus Victorinus idipsum, *Quia nunc* (ait) *etiam cogitationes illicitæ refrænantur;* Verùm, nónne abundantior gratia post Euangelium? Nónne robustior creatura rationalis aduersùm inimici hostilia spicula? Ergo sub antiquo Instrumento desiderabantur munitiones potiùs, & non solùm renes cingendi, sed etiam pectora? An quoniam sub Christo, quemadmodum prælantium vires adauctæ, ita hosti concessa maior licentia tentandi electos, & fortiora nunc multò certamina, quàm apud Moysem? Sed mihi cogitanti occurrit, inter luxuriam & alia crimina singularem apparere differentiam; quippe hoc habet libido, vt robustissimis præcipuo terrori sit; nónne perspeximus paulò anteà in Iobo? Diaboli minas, & conatus despexit, de virgine ne cogitare ausus! Alia igitur vitia infirmi timent, & qui destituti præsidiis: venerem & lacertosi metuunt: Creuit itaque sub Euangelio fortitudo mentis, gigantæus iste populus, si bona sua nosset: At ob hoc ipsum, quoniam nimirum potentiores viribus, plùs aduersùs luxuriam muniendi: Itaque non opera tantùm, sed etiam cohibeatur apprehensio: nouerint cum pessimo inimico luctam esse, cuius tanta insolentia est vt putet, quòd Iordanis influat in os eius, & nulla sint tam vallata castra, quæ non expugnare possit: igitur contra alias sordes sufficit lumbos constringi: ad luxuriam depellendam oportet & mamillas vincire: & quò quisque robustior euadit, eò magis contra hoc Dæmoniorum genus importunum, & temerarium armari oporteat, cunctísque accingi modis.

Anselm.

Rich. Vict.

Quò quisque sanctior, eò magis contra luxuriam armari debet.

Mittebat ad bella Psalmodus adolescentem 91.
speciosum præ filiis hominum, eundémque ex strenuissimis; nam & decorem, & fortitudinem induit, & præcinxit se virtute: Hortatur ad prælium, *Intende*, inquit, *prosperè procede, & regna; sagittæ tuæ in corda inimicorum:* Sed intelligamus, quo armorum genere donat: *Accingere* (ait) *gladio super femur tuum, potentissime.* Psalm. 44. Nihil de Martis penu præter ensem? Tantùm de robore fisus, vt contemnat clypeum, loricam, galeam, & vniuersum, quod defendere valeat Palladis munus? Anne aliqua temeritas, & iuuenilis ardor? nam vel ipsi gigantes cùm in pugnam descendunt, obteguntur, certè Philisthæo illi, qui exprobrabat Hebræorum castris, & ad duellum prouocabat, *Cassis ærea super caput eius, & lorica squammata induebatur, & ocreas æreas habebat in cruribus, & clypeus æreus tegebat humeros eius.* Reg. 1. cap. 17. vers. 5. Iam quando animus non nisi vnam corporis partem munire, cur omittuntur nobiliora, frons, oculi, genæ, pectora? Totus in defendendo femore adolescens, quamobrem? Nempe, spiritalia sunt hæc certamina: femur autem seminalis & genitiuæ sedes virtutis, proinde & carnis opera significans, & quidquid lasciuiam nutrit: ergo tam valens hic pugnator, qui & inermis hostes superaturus, scilicet, potentissimus; at, cùm omnia subiugauerit

Psalm. 44.

1. Reg 17.

monstra,

monstra, & eius terror super omnibus animalibus, vna est luxuria, quæ curas afferre possit: ideò ô tu, in cuius labiis diffusa est gratia, licèt Hercule præstantior, quanuis ad cerebri, ad oculorum, ad cordis defensionem, neque vmbonis, neque scuti, aut thoracis necessarius vsus, tamen vide etiam atque etiam, vt femur munias; nunquam imparatum luxuria inueniat, nunquam à femore discedat excubialis gladius: sæuus est hostis femur, cùm & gigantes & potentissimos cogat perpetuò accingi.

92. Gen. 39. Reliquit dominæ apprehensum pallium Ioseph, Gen. cap. 39. vers. 12. tam imbecillis, qui feminæ resistere non possit, iuuenis præsertim, & flore ætatis vigens? Quin & laciniam, extremáque pallij mulier tenuit, neque ardua diuulsio, cùm vltima possideret solùm: Suspicor, arbitratum ab illo, femineum venenum tam mortiferum, atque pestilens, quod vno, eóque leui tactu virus infundat, cui neque adolescentis firma valetudo resistendo par sit; Abiecit igitur pallium, ne si assumpsisset, laciniæ tabe correptus inficeretur, infirmaretúrque statim ad mortem: Ambros. Mecum Ambrosius lib. de Ioseph Patriarcha, cap. 5. *Reliquit tanquam non sua, quæ adultera suis manibus detinebat, & aliena iudicauit, quæ tactu impudicæ potuerunt comprehendi; Sed quare tanquam non sua deseruit? Contagium enim iudicauit* (subdit Ambrosius) *si diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiua transirent*: Tu mihi compara morborum species: Sit, qui febri laboret, neque malum supra vulgare; tandem cedit calori virtus, & abit ad patres suos, qui languebat: post elatum cadauer, quæ decumbenti ministrauerant tegumenta, asportantur in apricum, atque per dies aliquot sole, ventisque purgata, recluduntur iterum loculis, quibus extracta fuerunt: Sit verò tabes lethalis aliqua, qualis & Italiæ, & Franciæ egregias vrbes multas his depopulata diebus, neque adhuc parcens, videas & pretiosa quandoque in sterquilinium projici, & spectant possessores non tantùm siccis luminbus, sed læta quoque fronte: Vt quid perditio hæc? Nimirum lues hæc secunda dira est, atque immedicabilis, & potior est iactura exuuiarum, quàm vitæ; Tunc igitur id, quod Ambrosius asserebat, contingit, scilicet ob contagium *relinquunt tanquam non sua*: Quoniam itaque laciniæ non qualiscunque tabes; sed de his, quæ etiam valentissimos momento prosternunt, & quarum est intolerabile aconitum; propterea Ioseph prudens adolescens, quod à lasciuienti femina contactum fuerat indumentum quanquam leuiter, ob contagij sæuitiam, *tanquam non suum*, apud heram reliquit.

Luxuriæ pessima cõtagio.

Ausus de filiis Israël vnus in oculis castrorum intrare ad scortum Madianitidem, prospectante Moyse, & omni multitudine Numeror. c. 25. non sustinuit effrænatam impudentiam Phinees filius Eleazari: *Surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingressus est post virum Israëlitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet, & mulierem*: Cur priuata auctoritate, Moyse inconsulto, non postulata à Iudicibus facultate? Bonus quidem zelus: verùm qui secundùm scientiam: Vt quid Magistratus, si quisque lictor ex arbitrio? Dices, inspiratum à Numine, vt significat Textus vers. 11. *Quia Zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Israël in Zelo meo*: Verùm, quamobrem à Deo talis instinctus, qui Iudicibus deferre honorem præcipiat in lege sæpiùs? An, quoniam, si expectanda Magistratus sententia, moræ traherentur: expediebat autem continuò suffocari malum? Sic coniector: At, quæ huius celeritatis necessitas? Nempe, luxuriæ contagium erat: hæc autem tam dira pestis est, quæ nisi statim præoccupetur, stragem sit allatura infinitam, quæ & robustissimos momento prosternit: itaque alia morborum genera modestiora sunt, paulatim dominantur, hoc subitò irrumpit, & in mora ob toxici potestatem egregium periculum est, proinde continuò exsurrexit Phinees, trucidauit fornicarios insalutatis Iudicibus: Origenis tropologiam exhibeo ad finem homil. 20. in librum Numerorum, *Tibi autem, qui à Christo redemptus, & cui de manibus gladius corporalis ablatus est, & datus est gladius Spiritus arripe hunc gladium, & si vides Israëliticum sensum cum Madianiticis scortantem meretricibus, id est, cum diabolicis se cogitationibus volutantem; nolo parcas, nolo dissimules; sed statim percute, statim per ime: ipsam quoque vuluam, id est, secreta naturæ discutiens, & penetrans illum ipsum peccandi fomitem deseca, ne vltrà concipiat, & maledicta peccatorum soboles Israëlitica castra contaminet.*

Num. 25. *Luxuriæ vitium absque mora extinguendum.* Orig.

Demiratus sum plurimùm protoparentem vxori fuisse tam obsequentem; *Et tulit de fructu illius, & comedit, dedítque viro suo qui comedit*; Genes. c. 3. vers. 6. Vbi terrores; vbi minæ robustum deiecturæ? Vbi saltem blanditiæ, & pollicitationes, aut subtristior mulieris vultus, quoniam maritus illicita respuebat? Non diceret aliquid comiti suæ tanta amissurus ob vnius pomi gustationem? Certè Eua fragilior sexus non nisi post colloquia à serpente decepta, imò post amplissimam spem: spondebat nanque aperiendos coniugatorum oculos, futurósque sicut Deos scientes bonum, & malum: O si non femina porrexisset Adamo, & hactenus fortasse tutus! Porrexit mulier, detulit contagium esca infandum: & quamuis Adamus innumeris munitus præsidiis aduersùs omnem violentiam, sed docta strenuissimos vincere libido facilè prostrauit: non opus feminæ eloquentia, non suasionibus: sufficit mulierem esse, vt & Adam indiscusso munere ad nutus solùm vincatur: Venustè Augustinus à nobis in antecedentibus citatus: August. *Vxorem igitur, quæ iam seducta manducauerat, delicias suas noluit Adam contristare, quam credebat à se alienatam tabescere, & sine solatio interire, non quidem carnis concupiscentia, sed amicabili beneuolentia, quasi sæpè Deus offenditur*: Atque eadem Lyranus in allegatum Genesis locum: Verùm, si tam potens ad subuertendum femina instrumentum, cur non eadem passus Lot quæ vxor illius? Quamobrem non & ille coniugi indulsit, atque morem gerens illi, non & respexit ipse post se, & conuersus est in statuam salis? Genes. 19. vers. 27. Premam ex Auito, Viennensium Archiepiscopo singularem cogitationem: Putat fœminæ præreptum tempus, vt marito significaret, aut voce aut nutu eadem facienda: itaque mox vt vultum ad Sodomam conuertit, subsequuta est vindicta: Quòd si spatium concessum fuisset alloquendi virum, & hic quoque fortasse succubuisset; Sume ex metro de peccato originali pauca de libro 2.

93. Gen. 3. Lyran. *Vxori Lot præreptũ tẽpus quo marito suaderet vt post se incendiũ Sodomæ respiceret.* Gen. 19. Auitus.

Hoc tamen hîc mirum est, quòd Lot non flectitur, ipsam
Nec sociam sequitur, primo constantior Adam:

Quanquà id credo magis factum, quia visa referre
Iam nequit eliuguis : quæ si comperta referret,
Forsan & in similes ausus temeraria traxit,
Credulo vt imposuit virgo primæua marito.

Fortunata Lot vltio, quæ feminæ spatia loquendi subtraxit: nam si datum, vt ad decipiendum labia componeret, tanta est potentia muliebris philtri vt etiam ignes & incendia spectans, & non vanum Inferni simulacrum, Lot blandimentis, & suadelæ eius quam deperibat, consensisset fortasse.

94. Sed, quoniam esse luxuriam de pestiferis morbis asseruimus, aduersùs quos neque robur, neque Æsculapiana pharmaca sufficiant, de Loti gestis probare non omittamus : *Salua animam tuam* (aiunt Angeli Genes. c. 19. vers. 17.) *noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione ; sed in montem saluum te fac, ne & tu simul pereas :* Gen. 19. Quæ verba interpretatus Ambrosius lib. 1. de Ambr. Abraham, c. 6. *Fuge ergo Sodomam,* (inquit,) *relinque ocyùs, desere elementa huius mundi, ne te imminentia inuoluant pericula : non resistas fugiens, nec in tota vitiorum regione immoreris :* Nicolaüs de Lyra : *Qua periculum erat viro iusto manere prope locum peccatorum, ne patiatur in anima, vel in corpore propter vicinitatem eorum* : Sed, quare tam ingens discrimen capiti Lot à Sodomitica Æthna incumbat, vt non sufficiat prouinciæ remotiora petiisse, sed omni exeundum sit tractu? omnis deserenda regio? At in mentem veniat dixisse nos, Sodomiticam luem contagium esse, & de crudelissimis: Quid igitur viri nobiles, quibúsque chara est salus tabe pestilente ingruente? Equidem tunc lubenter vrbanas relinquunt delicias, & eremum petunt, montésque in primis, quoniam purior ibi ventorum flatus: & quoniam malum eiusmodi est, quod longè etiam recedentes sequatur, nõ suburbana, non proxima villis loca habitando diligunt, abeunt in distantissima; nonnunquam & regna permutant; cogit nimia contagij malignitas, quæ cætera præter fugam adminicula contemnit, Quoniam itaque ex hoc contagiorum genere, quæ & valentissimos prosternunt luxuria est, ideò loca, in quibus dominatur pessimum vitium, omninò vitare iubetur Lot, & in circuniacentibus non stare; sed cyùs montium cacumina scandere.

Sodomorũ regionem quasi pestifera iubetur Lot penitùs desere re.

95. Salubre Angelorum monitum : nam, quamuis lapideus, & penè insensibilis extitisset, tamen nisi à Sodomis procul abiisset, si in proximo mansisset, & inficeret aura pestilens libidinosæ nationis : Dabo ex lapidum naturali Historia insolitum quidpiam, auctore Petro Damiano, lib. 2. epistolarum, literis ad Desiderium Cardinalem, quæ ordine 18. *In quodam, nempe, monte Orientis* (inquit) *lapides sunt igniferi, qui masculus, & femina nuncupantur, & dicuntur Pyriboli ; qui, nimirum cùm à se inuicem procul sunt, non accenduntur : si verò femina appropinquauerit masculo, protinus ex eis ignis egredietur : ita vt omnia, quæ circa montem sunt, flammis vaporantibus exurantur: Ab ipsis ergo lapidibus edocemur, vt si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectus speciem declinemus.* Præclarè Damianus: quid enim lapide frigidius? quid tam insensibile? ideò & virginitatis symbolum, scilicet, & Christus petra, & Genitrix quoque, atque tum præcipuè quando Filium enixa quoniam absque detrimento clausstri virginei in lucem producebat: propterea & vaticinatus de Prophetis vnus, orabátque simul, vt emitteretur Agnus dominator terræ de petra deserti : si tamen his tam frigidis, tam insensibilibus admoueatur femina, concipiunt ignes, qui magnum nemus, & montem omnem in cinerem, in fauillas vertant : O noli inueterare dierum, aut præsumptuosus, aut negligens esse ; quoniam cum senectute frigora intrauerunt, & recessit à membris vigor pristinus : nam, si propiùs accedas, ossa illa arida vaporabunt iterum.

Lapis Pyriboli natura.

S. Pet. Dam.

96. Quòd si non Loto data monita, non lapidum Vulcanus persuaserint fugiendum esse ; saltem Christi exempla compulerint, & stupenda quidem : Pollicitus sæpè Creator Abrahæ sobolem, per quam & nationibus benedictio aduentaret; Cur distulit in seros annos partum, tum cùm vxori muliebria deficerent? Scitè mater ipsa Genes. c. 21. vers. 7. *Quis auditurum crederet Abraham, quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni?* Equidem Isaac singulariter Christi typus fuit : quare & Paulus ad Hebræos c. 11. vers. 20. *Vnde eum & in parabolam accepit*, id est, vt exponit Anselmus, *in similitudinem Christi*: Quoniam igitur Christus impensè fugit, quæ aliquam cognationis vmbram habent cum lasciuiente pruritu, noluit vt vel typus, & imago ipsius Isaac nasceretur etiam ex licitis amplexibus tum, quando natura vigorosa est, cùm spiritus genitales ardent, & ebulliunt : expectauit autem sedata tempora, cùm omnis voluptas recessit, & consopiuntur ignes : Hoc Auctor de mirabilibus sacræ Scripturæ, lib. 1. c. 12. nam de Sara, & Isaaco tractans : *Sed hoc valdè conueniebat* (ait) *vt, quoniam filius, quem parturiebat, ipsam figuram Christi, qui ex sola Virgine, sine aliqua humanæ voluptatis cupidine, nasceretur, pertulit; illum non ætate, qua solent feminæ parere ; sed contra illius consuetudinis metas, parturiret.* Proh sanctam vigilantiam tanti Principis, qui cùm peccare non valeret, neque Patri vnquam displicere ; sic tamen aduersùm luxuriam cautus, vt, non dicam, in se aliquid sustinuerit de veneris prurigine ; sed neque in vmbra, & imagine sua passus tum in auras prodiret, cùm natura etiamnum efferuescseret, & suus in corporibus ignis esset.

Cur Isaac in senectute Parentum natus. Gen. 21.

Anselm.

Auct. mir. sacr. Scrip.

97. Iussus Saül contra Amalec pugnare, & post victoriam ferocire : Quantùm putaueris? *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius : non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius : sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum, atque lactantem, bouem, & ouem, camelum, & asinum.* Reg. 1. c. 15. vers. 3. Nónne satis homines de medio sustulisse? Vt quid & armenta, & pecora trucidantur? Et aliàs quidem præceptum viros delere, vt qui certare possent, & tumultus mouere, mulieribus percitum: nunc & nè vnius diei infans à miseratione vacuus? Proculdubio infestior omnibus inimicis Israëli Amalec, quando ita in eius vniuersa sæuitum est, & de cœlo eius sublata memoria : O nunquam tutus Israël, si vel vngula de Amalec superstes sit! abole, eradica funditùs, vmbram quoque persequere ita omninò conueniens est : Ac sanè Israël perfectorum imaginem repræsentant : De Amalec Gregorius lib. 6. expositionis in 1. Regum, c. 1. *Superiùs* (inquit) *Amalec luxuriæ vitium designare diximus, quæ velut lambit, dum voluptatem blandiendo suggerit :* Igitur Israëlem, hoc est, perfectionis studiosum aduersùs omne vitium crudelem esse, pium, laudabile, salutare est : cæterùm contra luxuriam immortale esse præstat odium, æternum furorem ; nihil hîc temperatum,

3. Reg. 15.

Greg. *Amalec luxuriæ vitiũ designat.*

tum, nihil remiſſum, delenda cuncta vſque ad lactantem, & bouem; Immanis ſerpens eſt; & quamuis non ſit alia natio tam fortis, atque munita ſicut Iſraël, & quæ Deum ita propinquantem ſibi habeat; tamen niſi vniuerſa Amalec demoliatur, ſi quidquam viuat, ſatis contra tantum robur; vnus de Amalec fugabit decem mille ex Iſraël, tam ditus hoſtis eſt; Crede Gregorio loco allegato, ad illud: *Non parcas ei, & non concupiſcas ipſius aliquid*, &c. *Quis eſt hic, qui parcit Amalec, niſi qui, aut in cogitatione, aut in ore, aut in carne laſciuiæ aliquid retinet? Nam plerique turpitudinis opera non exercent; ſed linguam à turpi locutione non cohibent; plerique per opus luxuriam vitant, per cogitationem non vitant; quidam nihil turpe agunt, ſed quod actu refugiunt, corde concupiſcunt. Parcit ergo Amalec, qui blandimenta laſciuiæ, aut in locutione, aut per intentionem, aut per cogitationem tenet. Dicit itaque: Non parcas ei, quia de tam nequiſſimo vitio nihil accendi debet in mente, nihil permitti ardere in opere. Dicit ergo, Non parcas ei, vt omnes libidinoſi motus, omnes obſcœnæ locutiones prorſus perimantur in corpore. Dicit ergo: Non concupiſcas aliquid ipſius, vt penitùs eradicetur à cogitatione. Quid eſt ergo? Non parcas ei, & non concupiſcas aliquid ipſius? niſi, quia luxuria omnis in carne perfectè domanda eſt, & à mente radicitùs extirpanda?* Sic Gregorius de Scripturis exponens, quàm indefeſſam eſſe oporteat iuſtorum contra luxuriam vigilantiam, vt quæ fortiſſimis quoque Athletis timenda ſit. Quem dabis inter innumeros, qui Salomoni æqualis ſit? Quibus enim fidunt ſuperbi? quoniam iudicio, ſcientia, pietate excellunt? at in Salomone hæc omnia extitêre ſumma: quia tamen remiſſus fuit in continentiæ ſtudiis, aut de ſuis meritis nimiùm præſumpſit, didicit experimento à libidine cuncta peſſundari; & neque ætatem, neque alia ornamenta ſufficere, niſi manus Domini protegat.

Luxuria in carne perfectè domãda, & à mente radicitùs extirpanda.

SECTIO X.

Non eſſe fulminandam in reos ſententiam, niſi poſtquàm Iudici ſatis compertum pro illorum innocentia non ſupereſſe alleganda.

98. DIximus probabiliorem opinionem, & Scripturarum, Patrúmque meliori ſuffultam robore, quę Salomonem ſub æterna gemere nocte, & damnatorum experiri cruciatus arbitratur! O magna ſupplicia, & iuſta nimis! Siccine voluptas breuis, & momento vaneſcens æterni laboris pondus operatur? Sed, quàm lentè ad vindictam proceſſit Creator? Expectauit decem annos ad pœnitentiam: hos ille in offendêdo conſumpſit, poſtquàm deprauatum eſt cor eius, vt adamaret mulieres alienigenas, & ſequeretur Gentium ſimulacra; tandiu obuiauerunt ſibi iuſtitia, & miſerationes in Deo, cùm Themis vltionem poſtularet. Clementia differri mortem peccatoris rogaret; Quoties interim admonitus à Numine ingratus reus? Legátur ſuperioris præludij ſect. 2. enarrata; O Principes! ô Rerumpublicarum adminiſtri, vt quid illa tam præceps, tam inconſiderata reorum proſcriptio? Cogitate, quoniam volat irreuocabile verbum, & denoctatam ſemel innocentis famam, quæ poterit dies rurſum antiquæ reſtituiſſe nitelæ? Libet vobis proponere, quem feliciter imitari poſſitis, debeatis.

Ergo animaduertite, Creatorem, nunc languidè, & remiſsè gradientem; nunc mouentem paſſus, & ſupra hinnulos, ſupra gigantes velocem. Deſcenderat in hortum voluptatis, non properans, non accurrens, non ambulans ſuper pennas ventorum, ſed ad auram poſt meridiem, lentè, ſegniter, vt qui recreationem affectant, & zephyros captant morosè; Hug. Vict. homil. 8. in Eccleſiaſt. *Non ambulauit* (inquit) *ſed deambulauit. Quid eſt deambulauit? Huc, & illuc quaſi errabundus, & vagus in directum non vadens, ſed pergens quocunque, hoc eſt, deambulauit; deambulabat tamen, & non diſcedebat, neque abiit in directum elongans quaſi irreuocabilis, ſed propè gyrans, & iuxta deambulans; abiit, & non abiit, modò vadens, modò rediens, & magno quodam incerto æſtuans; quaſi nolens ſedem ſuam deſerere, nec valens pollutam manſionem ſuſtinere.* Hæ igitur ambages Verbi in Paradiſo; ſed apud Dauidem quàm feſtinans Pſalm. 18. *Exultauit vt gigas ad currendam viam; à ſummo cælo egreſſio eius.* Apud Salomonis Hymenæum volans penè cap. 2. verſ. 8. *Ecce iſte venit, ſaliens in montibus, tranſiliens colles; ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum.* Quæ diuerſitas iſta? Nempe, cùm ab exordio rerum Orientis beatum pomœrium ingrederetur, vltionem de tranſgreſſoribus ſumpturum deſcendebat Verbum: Dauidis autem cithara, & Salomonis plectrum cecinêre aduentum Dei in carne, cùm redimere Plaſten cogitaret, & vinculis quibus tenebatur apud Stygium Principem, exoluere. Quando igitur Numine dignum ſit, ad vindictam quaſi reluctanter, & inuitum procedere; ad benefaciendum apparere alatum; propterea iturus ad Paradiſum, moras nectit: hominem liberaturus, præ celeritate venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles, exultans ſicut gigas.

99. Hugo de S. Vict.

Deus quàm procedat inuitus ad vindictam.

Pſalm. 18.

Cant. 2.

Verùm his difficile vt ſubſcribamus; nam pone ita eſſe; debebat ad vindictam properare, in beneficia cunctabundum eſſe. Primùm, quando humana repræſentabat, ex more hominum data quaque opportunitate comprehêdere latronem, ne fuga ſaluti proſpectans elaberetur:, conueniens erat: Secundò, atque præcipuè, quoniam vitiorum initia ſtatim præoccupanda ſunt; ſalubre enim conſilium eſt, mala ſimul ac pullulant, antequàm roborentur, extinguere: cùm igitur eſſet illud malorum caput, continuò plectendum fuerat: Denique & vltionis pars magna, ipſa eſt celeritas; & in primos tranſgreſſores exercendæ erant ſine mora vindictæ, quò cæteris incuteretur vtilis metus. Atque vti hæc ſuadent, vltionem feſtinam eſſe debuiſſe, ſic & beneficentiam tardam eſſe debuiſſe ſignificat, quoniam abſque labore acquiſita; facilè contemnuntur; chariora nobis, in quibus faſtidia paſſi ſimus. Fateor, non euanida hæc eſſe argumenta; ſed puto Creator voluit reorum proſpicere emolumentis: Erat inter homines prima illa noxa; ad huius forenſis cauſæ exemplar aliæ in poſterum componendæ erant; vt igitur Iudices attenderent, moderatè procedendum eſſe, & conſultationem adhibendam; ideò velut qui præmeditatur poſt meridiem ad auram Verbum deambulabat; & quoniam in rei fauorem iſta peragebantur omnia, & commẽdabatur potiſſimùm, vt de crimine

100.

Iudicibus quid attendendum, & quàm moderatè procedendum in reorum cauſis.

accusato aures præberent arbitri absque tædio; ideò, quamuis latis cognitum Numini scelus omne cum circunstantibus, reos spatiosè alloquitur, & ab eis, quæ dicere possint, vniuersa expromit; neque anteà condemnat, quàm quę allegari possint, nouisset singula; Iam ex Tilmanni catena allegoriarum percipe Galfridum ad cap. 3. Genes. in illa vers. 8. *Et cùm audisset vocem Domini deambulantis*, &c. *Non sic posteà venit ad sponsum; Ecce* (inquit) *venit hic saliens in montibus: Nunc verò deambulare dicitur, quærens latentem inter facies peccatorum; retardabatur, & lentis gressibus incedebat, vtpote qui veniebat tristem mortalibus inferre sententiam; ad sponsam verò veniens festinat, & latis admodum saltibus aduolat, æternæ reparationis afferens medicinam: nobis autem, vt ex his morale aliquid sumamus, sicut in saltibus istis vigor charitatis innuitur; sic in deambulatione illa fraternæ correptionis grauitas commendatur: vt discamus ex istis cuilibet indigẽti cum festinatione, & alacritate succurrere: ex illa verò cuiuslibet offensæ vindictam cum multa deliberationis põdere tractare: absit enim, vt similes eorum simus, qui cùm petuntur suffragari, dissimulando deambulant; & cùm sitiunt vindicari, saliunt, & festinant.* Sed quoniam, de qua agimus materiam luculenter tractauit Lucifer Calaritanus Episcopus exordio libri primi ad Constantium Imperatorem pro sancto Athanasio, dabo eius ardentem orationem: *Cogis nos, Constanti,* (inquit) *absentem damnare Consacerdotem nostrum, religiosum Athanasium: sed diuina id facere prohibemur lege: Impellis auctoritate latiùs regali Domini Sacerdotes ad effundendum cruorem, ignorans iura iustitiæ tradita nobis diuinitùs te conatum ex nostris auferre mentibus: an diuinitus poteris asserere permissum, absentem, inauditum, & quod est maximum, innocentem damnari? Quomodo enim arbitraris diuinitùs permissum, puniri inauditos, quando videas Adam, & Euam Principes nostri generis auditos, sententia percussos Dei? Et vocauit Deus Adam, & dixit ei: Adam vbi es? Et dixit, Vocem tuam audiui, Domine in Paradiso, & timui; quoniam nudus sum, & abscondi me: Et dixit Deus: Quis tibi indicauit*, &c. *Cum igitur huiusmodi formam iudicandi dedisse Deum aduertas, cùm à latebris euocatis, cõfessisque Deum sententiam dedisse de sacris Scripturarum collegeris fontibus cuius fuisti, atque es impudentiæ, iudicandi Dei seruos eam dare formam, quæ non fuisset de lege veniens Domini?*

Succesit genitori pessimus Caïn, ausus barbara feritate mansuetum Abelem per violentiam de medio tollere: Sparsus continuò facinoris inhumani rumor, & tantùm diuagatus, vt & cœlos penetraret: Cur non ab alto fulmina misit Omnipotens ad tam vocalem, atque sonoram famam? *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* Genes. 4. vers 10 Si clamat, ô magne Arbiter, exsurge, & vindica sanguinem Sanctorum tuorum, qui effusus est: At putauit egregiè Chrysologus indignum tanti Iudicis integritate, famæ solius quantuncunque clamosis rumoribus incitari, & reum condemnare ob audita ab alieno ore. *Ergo ille famæ credidit?* (ait serm. 125.) *fama nuntiante cognouit? Absit: Vox sanguinis fratris tui clamat de terra: Clamabat terra, clamabat cælum, dolebant Angeli, quando iam tota sæculi fama loquebatur:* Quid igitur superest tot proclamantibus testibus? Nimirum; vt audiatur ipse reus, vt ipse, si quid habeat, quo impietatem, aut delere, aut extenuare valeat, alleget: quare & colloquiũ initur post publicam etiam famam cum iudicando: *Et ait Dominus ad Cain, Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit, Nescio: Dixitque ad eum, Quid fecisti*, &c? Sed proferamus iterum nominatum Calaritanum Antistitem Luciferum, cuius multa est vetustas; is memorato lib. 1 pro S. Athanasio: *Dedisti præcepta damnandum esse inauditum absentem, negandámque audientiam; Abel interficitur iustus, & interrogatus Caïn sententiam subiit; & tu Domini inauditum vis puniri Sacerdotem? Nunquid non licuerat Deo, priusquàm Caïn conuocaret, atque interrogaret, punire? Sed noluit; dans formam quo genere inciperemus iudicare commissos nobis; Damnate, inquis, eum quem ignoratis deliquisse. Cur? nempe, ad hoc, vt iam non Episcopi, sed merearemur nuncupari vesani, atque carnifices.* Cognata est & Ambrosij expositio lib. 2. de Caïn, & Abel, cap. 10. *Vbi peccatum obrepsit, statim & lex diuinæ mansuetudinis prorogari debuit; ne si continuò vindicatum esset in reum, homines quoque in iudicando nullam patientiam, modum, rationémque seruarent, sed statim reos supplicio darent; diuinæ autem sententiæ prouidentia huiusmodi est, vt magnanimitatem, & patientiam doceret Iudices, ne quis præpropere raperetur studio vindictæ, & ipsa deliberationis immaturitate puniret innoxium:* Caietanus propiùs ad institutum nostrum expendens, cur post clamores sanguinis è terra resonantis, adhuc Numẽ Caïnum ipsum scisciatur de nece fratris: *Inquirit ad docendum* (ait) *Iudices hominum, vt citent reum, quantumcunque certum antequam iudicent.* Verùm præclarissimè Tostatus quæst. 6. in cap 4. Genes. *Dominus clarè videbat peccatum Caïn; sed noluit eum punire, donec eum de peccato manifestè conuinceret; vt non conqueratur Caïn, quòd iniustè punitur, cùm eum patuerit pro magno scelere puniri; & vt detur forma procedendi iudicibus, vt non antè sententient, quàm partes interrogent, & merita causarum discutiant.*

Mirabile artificium Rationalis in pontificio Aaronis amictu; sed illud in primis celebrẽ, quòd insculpta in Logio illo duo nomina, nimirum, *Veritas, & doctrina*: Exod 28. vers. 30. vbi translatio septuaginta Seniorum, *Demonstratio, & veritas*, alij, *Splendor, illuminatio, & veritas*. Sed, cur singulariter maritantur, *Veritas, atque illuminatio*? Dicunt Hebræi, quoties Tribuum Israël lites iudicandæ essent, huius Rationalis opitulamine vsos Antistites, vnde responsa peterent, de quibus consule Tostatum latè qu. 15. & Oleastrum ad nominatum Exodi caput; Quicquid de his tamen, certè exploratum rostri, & subselliorum scopum esse veritatis indagationem; nam, si de possessione altercatio, comperto vero domino, sopiuntur discordiæ: si de fama, si de rapina, aut incendio, vniuersa in eam metam collimant, vt quid indefæcatum, atque syncerum sit, aperiatur. At, quomodo eruenda veritas? Per *doctrinam*, per *illuminationem, & splendores*; Dimittantur tenebræ, pateant cuncta; postquàm Iudex accusatoribus aurem præbuerit, alteram reo, eiúsque Patronis suppeditet; sic cùm omnia manifesta fuerint, & quæ accusator aduersùs nocentem producere valeat; & quæ criminosus pro se afferre queat, expeditum erit Magistratui subolere vbi veritas effulgeat. Hinc igitur in Logio, seu Rationali copulantur *veritas*, & *doctrina*, seu *illuminatio*, quoniam nisi omnia clarescant, quæ & accusans, & de crimine notatus expromere

Galfrid.

Lucif. Calar.

Nõ licet reos punire inauditos.

101.

Gen. 4.

Chrysol.

Lucif. Cal.

Interrogatus Cain, & auditus, sententiâ percussus est.

Ambros.

Caiet.

Abul.

102.

Exod 28. Septuag.

Ex Rationali num oteret responsa Sacerdos Hebræorum? Tostatus. Oleast.

mere possint, manca erit iudicij ratio, & latebit
Phil. Iud. oppressa veritas; Philo ad hoc Aaronicæ vestis membrum alludens libro de Iudice, *Quid enim in vita* (inquit) *aquè pretiosum, ac veritas? quam Vates sapiens inscripsit loco sacratissimo, ea parte vestis pontificiæ, vbi est principalis vis animæ, vt Sacerdotem per hoc ornamentum augustiorem faceret; veritati autem adiunxit cognatam virtutem, declarationem vt vocant; vt essent, seu imagines orationis quæ vel animo concipitur, vel profertur etiam; nam hac declaratione opus per quam aperiatur alijs quicquid latet in animo:* Venustè Philo *declarationem* nominauit, quam nos *doctrinam*, & *splendorem* appellabamus; scilicet, per declarationes partium, vt dicere consueuerunt, emicat verum; quòd si actor solus admittitur, & reo negantur aures, quemadmodum manca fuerit declaratio, ita & imperfecta erit veritas.

103. Grauabatur Moyses à nimiæ multitudinis onere, & volebat in regendo socios; *Non possum* (inquit Numerorum cap. 11. vers. 14.)
Num. 11. *solus sustinere omnem hunc populum*; O monstrum in Principe, velle consortem potestatis habere! *Et dixit Dominus ad Moysem; Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quòd senes populi sint, ac Magistri, & auferam de spiritu tuo, tradámque eis; vt sustentent onus populi, & non tu solus graueris:* Verùm, qui fuit hic Legislatoris spiritus, quem nouis Magistratibus infundere vellet Numen? Equidem prophetiæ donum: *Cúmque requieuissent in eis spiritus prophetauerunt, nec vltra cessauerunt*; At, quamobrem Vates constituit eos, qui Rempublicam administraturi sint, qui iudicium, & iustitiam facturi populis? Equidem vaticinia ad contemplationem spectant, solentque videntium mentes eleuari supra se, cùm Omnipotens eis arcana pandit; theoriis autem contraria sunt negotiosa, & actiua, in quibus est omnis vita illius, qui prouinciæ clauum tenet; quorsum ergo homines curis distractos in horas singulas in Prophetas destinat, cùm speculationi, & otio deditos eligere præstaret? Abulensis quæstione 54. in cap. 11. Numerorum; *Dicendum, quòd spiritus propheticus datus est eis vt benè explere possint iniunctum officium; quia committebantur eis causæ arduæ, quæ sine prophetia non poterant expediri; potissimè illæ, quæ ad Deum pertinent*; Anne igitur innuere voluit Numen tam circunspectos in ferendis sententiis debere esse
Iudicibus quàm sit arduum de absconditis ferè sententiã. Iudices, præsertim cùm definienda ex magnis, absconditisque sunt, vt si fieri possit, non anteà de criminosis resoluerent, quàm Angelus de cœlo euangelizaret, quid tutum fuisset? Ac sanè Hieronymus ab Oleastro non inscitè aduertit, propterea vaticinali luce donatos ad regimen assumptos; quoniam sicut prophetiæ munus præstantissimum est, subsequutura penetrare; ita gubernationis excellentior portio, mala præpedire imminentia; Verùm ad scopum nostræ disceptationis: equidem, quamuis in vaticinio præcipuus actus id cognitionis genus, quod futura prospicit: tamen & habitus prophetici, veri propriíque actus sunt, quæ aut præterita attingunt,
Prophetia quot actus? quis præstãtior? aut præsentia arcana, atque latebrosa peruadunt: Consule Gregor. Romanum homil. 1. in Ezechielem, Tostatum nominata modò quæstione, P. Suarez de fide, disput. 8. sect. 3. Itaque amplissimum est prophetici luminis dominium omnes temporum articulos coaceruans: quid enim subterfugiat intuentem & anteriora, & præsentia, & nascitura? Talis igitur debeat esse idoneus Arbiter, & causarum Iudex, cuius exactissima comprehensio æmuletur vaticinij capacem sinum, qui vniuersa pertentet, & euoluat antelapsas rerum circunstantias, coràm positas scrutetur, & de futuris diuinet, nihil indiscussum præteruolet; Sed hæc quo pacto ille peregerit qui semiplenam narrationem hausit? & in reum difficilis, omnem auditum solis calumniatoribus præstet? Quin certè Vatibus peculiare est, vt non conceptus suos, sed alienos referant: id enim enunciant, quod à Deo loquente perceperunt; Deus nanque sermocinatur, illi auscultant, & instillata proferunt: *Loquens* (ait Paulus ad Hebr. cap. 1.) Hebr. 11. *Auditio vaticinationũ radix.* *Patribus in Prophetis:* Fons igitur, radixque vaticiniorum, auditio est: Quando itaque in prophetia cæterorum origo & caput auditio sit: Iudices Deus Prophetas constituens, auditiuos esse cupiat, & hanc præstantissimam officij dotem: Audiet ergo partes singulas: excipiet cum patientia non morosus quæ criminator referat: deinde & officiosas, & hilares aures reo præbeat cupiens ex animo, vt ea producat quæ diluere valeant accusantium obiectiones: Talis Iudex proculdubio mercedem Prophetæ accipiet, cùm & ipse integrè audierit, & secundùm allegata pronunciauerit.

Sed dolor est Iudices multos optare magis 104.
Pilatum imitari, quàm Prophetas: nam intuere, quid Ioannes recenseat cap. 18. vers. 38. *Dicit ei* Ioan. 18. *Pilatus, Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos:* En alterum Aristidem! & quàm præclarè fungatur munere suo Iudex integerrimus! nempe tota die præbuit aures promptas populo contradicenti Filio Dei, & à quo accusabatur: nunc simul ac reum percunctatus est, antequàm ab eo de interrogatis quidpiam discat, abiit, excessit: scilicet, volebat Cæsari, & Hebræorum plebi morem gerere, & vtriusque beneuolentiam conciliare: necessarium autem Christum de medio tollere modò his gratus futurus: at, si innocentem damnasse videretur, atque illum, qui obiecta ab aduersariis egregiè confutasset, infamiam subiret: Igitur, quò gloriari liceat interrogatum à se reum nihil replicasse, & de veritate quæsitum, obmutuisse, Christo quæstionem facit, & ne respondere possit, discedit continuò: Nemo vnquam Pilato infelicior Magistratus, cui Filium Dei morti tradidisse contigit: Verùm, quid obstupescimus, cùm de Iudicum numero extiterit, qui rei defensionem audire respuunt? nihil enim tam horrendum, quod ab eiusmodi patratum iri mirabile sit: Lyranus in Lyran. morali explanatione: *Per hoc autem, quòd non expectauit Christi responsum, significata fuit eius instabilitas: quia timore Cæsaris, & fauore Iudæorum, à veritate declinauit, dando sententiam contra Christum. & sic hodie faciunt multi Iudices, timore, vel fauore à veritate iudicij declinantes.*

Graphicè admodum Psalmodus Metro 81. 105.
Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Psal. 81.
Deos diiudicat: Euthymius, *Stans in medio eorum diiudicabit, hoc est, redarguet, Principes, scilicet, & Iudices populi*: Et quidem Deorum nomine Iudices adumbratos Auctor etiam Theodoretus, Commentarius sub Hieronymi nomine, Lyra, qui de vocabuli metaphora ex c. 22. Exodi: Quid verò in his Iudicibus displicuit? *Vsquequo* (inquit) *iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?* Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris

Regula: Deorum vocabulo iudices significati in Scriptura. Euthym. Theod. Hieron. Lyran.

toris liberate : Reprehendit igitur, quòd in potentum gratiam omnia facerent ; neque criminum naturam attenderent, ſed *facies peccatorum*, id eſt, externam fortunam, & locum eorum, qui exorbitauerant: ſi diues, abſque cenſura remittebant ; ſi inops, ergaſtulo, & vinculis amandabant. Sed, vnde emanauit tanta in Iudicibus audacia ? Videlicet, *Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant* ; Inde tam ſpiſſa temeritas, quòd imperiti eſſent, ſcientia deſtituti ; Verùm, nónne ipſi legis Doctores, de Scribarum claſſe, Magiſtri in Iſraël ? Sanè ita, neque mentis tenebræ ab ingenij vitio, ſed à malitia voluntatis : Notauit prudenter Lyranus : *Scilicet, talia facere non propter ignorantiam legis, ſed propter errorem electionis, quam ignorat omnis malus, vt habetur tertio Ethicorum :* Quamobrem ignorabant data opera, eò quòd audita criminatione pauperis, & egeni iniuſta, nollent accommodare aures his, quæ infirmiores pro tutela ſui allegabant : hinc tanta peruerſitas, & ob hoc cùm Academiæ miracula eſſent, & ſapientum Promachi, dicuntur neſcire, non intelligere, ambulare in tenebris : Neque omittendus profectò Commentarius Hieronymo adſcriptus in illa verba, *Et facies peccatorum ſumitis*, &c. *Cæterùm eſt & alia interpretatio ſacratior; ſolet in theatris vnus homo frequenter diuerſas habere perſonas, nunc ingreditur in mulierem, nunc in virum, nunc in Regem ; & qui in Regem proceſſerat, rurſum in ſeruo procedit : Dixi exemplum, vt de carnali venire poſſemus ad ſpirituale :* Ergo quemadmodum in Circo, qui prodit diademate, & oſtro inſignis, non is Monarcha eſt ; ſed gregarius homuncio, tantúmque faciem, & locum Regis ſuſtinet : ita, qui *in tenebris ambulant*, id eſt, reorum patrocinia, & defenſionem ſupprimunt, neque alteri ex partibus aures præſtant; non Iudices aliquo modo ſunt illi, ſed lineamenta ſolùm, & falſa iudicantium imago.

Hieronym. incertus.

106. Pſal. 118.

De hac iuſtitiæ cathedra conqueſtus voce innocuorum apud Dauidem quidam Pſalm. 118. verſ. 161. *Principes proſequuti ſunt me gratis : & à verbis tuis formidauit cor meum :* Quid eſt gratis, ô Martyr ? Nónne de multis, iiſque informibus accuſant ſceleribus ? Scilicet, & quòd in Deos, & in Auguſtum blaſphemus, & contumax extiteris ? quòd coniuratus imperij hoſtis dicaris ? quòd Magiam, & incantamenta exercueris ? Talia quidem in Martyrem congeruntur ; ſed cùm luce meridiana clariùs demonſtrare poſſit falſa eſſe, obtuauêre aures Iudices, & noluêre Apologetico auſcultare : Hoc igitur eſt, quod affirmat, gratis perſequutos fuiſſe ; *Benè hoc Martyr dicit* (inquit Ambroſius ſerm. 21. in hunc Pſalmum,) *quòd iniuſtè perſecutionum tormenta ſuſtineat, qui nihil rapuerit, nullius thorum putauerit eſſe violandum; qui nihil legibus debeat, & grauiora latronum ſuſtinere cogatur ſupplicia ; qui loquatur iuſtè, & non audiatur ; qui loquatur plena ſalutis, & impugnetur, vt poſſit dicere, Cùm loquebar illis, impugnabant me gratis* : Splendidiſſimè illud ab Ambroſio : *Qui loquatur iuſtè, & non audiatur:* Hoc vexamentum, hæc perſequutio, & hinc quòd gratis opprimitur innocens : quoniam non eſt, qui auſcultare velit pro iuſtitia decertare paratum, iiſque à veritate armatum præſidiis, quibus triumphum de iniqua criminatione proculdubio reportaſſet : Subnectit inclytus agoniſta ad Chriſtum conuerſus: *Et à verbis tuis formidauit cor meum :* Qui non timuit crucem, equuleos, vngulas, & omnia tormenta Diaboli ; à ſono vocis Chriſti trepidat: neque enim viri fortes, & magnanimi mortem timuêre, ſed infamiam : itaque id ſingulariter metuunt, ne poſtquàm Magiſtratus omnia diſcuſſerit, examinauerit, ipſis ad longum patientes aures præbuerit, inueniantur comperta eſſe, quæ actor oppoſuerit ; & quoniam Chriſtus viuentium, mortuorúmque à Deo Patre conſtitutus Arbiter, nunquam anathema pronunciat, niſi poſtquàm vel ipſe reus ſuo ſe ore condemnat, & intuetur manifeſtè à ſe patrata delicta, ideò ſapienter: *Et à verbis tuis formidauit cor meum:* Quaſi affirmet : Tu ſolus metuendus : nam, quæ tu dixeris ſcelera, talia fuerint omninò ; reum enim clariſſimè vincis : Non ſic homines : imponunt, quæ non valeant probare : cùm purgare ſe reus aggreditur, obaudire renuunt: Auguſtinus in nominatum Pſalmum loquutus de tortoribus : *Habuerunt quidem & illi verba minacia : Expello, proſcribo, occido, vngulis torqueo, ignibus torreo, beſtiis ſubigo, membra dilanio, ſed tua me potiùs verba terruerunt: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & poſteà non habent, quod faciant: ſed eum timete, qui habet poteſtatem, & corpus, & animam perdere in gehennam: Ab his verbis tuis formidauit cor meum.*

Sonus vocis Chriſti ſuper omnia timẽdus.

Auguſt.

Tyrannorum artes in perſequendis Martyribus. Ambr.

107. *Anglicana perſequutionis acerbitas.*

Vidimus planè & nos, qui perſequerentur *gratis*, cùm per Angliam, & Inſulam noſtram dicatas facinoroſis ſubterraneas ſpeluncas, ergaſtula, in quibus horror, & vmbra mortis, replerent Sanctorum examina, & cupiebant vel de hordeaceo implere ventrem & nemo dabat illis: O quid feciſtis Elizabethæ Reginæ immoderatæ atque ſæuienti vos, qui non eratis de hoc mundo ? quibus viuere Chriſtus, & mori lucrum? Scilicet, decere negaſtis feminam Anglicanæ, Hybernicæ, Scoticæ Eccleſiæ Caput eſſe ; Damnaſtis Lutheri impudentiam ; Caluini detexiſtis fabulas, & mendacia ; Principis Apoſtolorum Sedem defendiſtis omni niſu : Ergóne ob hæc cum latronibus & ſceleratis pars veſtra ? Verè perſequuti eſtis Heroas (ô Anglicani Iudices) *gratis*: quidni enim ſic vos alloquar ? nam mecum Ambroſius: *Verè fruſtrà impugnatur* (inquit) *qui apud impios, & infidos gratia impietatis accerſitur, cùm fidei ſit Magiſter ?* Certè fidei Magiſter Campianus, Briantus, Garnetus, & Epiſcoporum, Monachorum, Sacerdotum ſexcenti nouo crudelitatis genere apud vos extincti : Expoſtulabo parumper Arnobij ſenioris verbis initio libri 2. *Si nullam eſſe ducitis contumeliam, reſpondere aliquid interrogatos, ediſſertate nobis, & dicite, quid rei, quid cauſæ eſt, quòd tam grauibus inſectamini bellis* Viros omnibus modis conſpicuos, Roffenſem, Morum, Hurleum, Chregium, Campianum, Collinum, Ogilbeum ; Et quoniam veſtris iudiciis Campianus Ieſuita bipedum nequiſſimus (puto ob reſcriptum Oxomienſe incurrit tantum odiũ) hic, qui in verecundia omnes ſuperauit, ediſcite, *quas eius continetis offenſas, vt ad eius nominis mentionem rabidorum pectorum efferueſcatis ardoribus? Nunquid regiam ſibi vendicans poteſtatem, terrarum orbem*, aut quidem veſtræ poſſeſſionis angulum, *legionibus infeſtiſſimis occupauit? Et pacatas ab exordio nationes, alias deleuit, ac ſuſtulit, alias ſibi parêre ceruicibus compulit ſubiugatis? Nunquid ardoribus auaritiæ flagrans vniuerſas opes illas, quibus ſe genus humanum ſtudioſè contendit impleri, poſſeſſionis ſuæ mancipio vindicauit ? Nunquid libidinum cupiditatibus geſtiẽs, pudicitiæ repagula vi fregit, aut alienis*

Ambr.

Arnob ſen. lib. 2. contrà Gentes.

alienis furtum insidiatus est matrimoniis? Nunquid arrogantiæ supercilio tumidus, iniurias, & contumelias passim sine vllius personæ discriminibus irrogauit, vt non omnium virtutum amore in cunctos, & lumen prætenderit vitæ, & periculum ignorationis amouerit? qui si dignus non esset, cui auscultare deberetis, & credere; vel hoc ipso fuerat non aspernandus à vobis, quòd salutaria vobis ostenderet, quòd vias vobis ad cœlum, & vota immortalitatis optaret: At enim odio dignus est, inquitis, quòd introductam à Sectariis religionis pulchriorem faciem obliterare tentauerit: *Ergòne ille religionis extinctor, & impietatis auctor arguitur*, qui *veram* in Angliam *religionem inducere* voluit? *qui hominibus cæcis, & reuerà in impietate degentibus, pietatis aperuit ianuas, & cui se submitterent, indicauit*? nempe, Christi in terris Legato, Romano Pontifici, qui Ecclesiarum omnium supremum Caput? Sed, quò me rapuit desiderij feruor? quo calamum zeli æstus? non enim cum vobis instituerâ sermonem: Catholicos arguebam, in quorũ aliquibus quandoque etsi non vestra scelera, sed tamen imitatio tantæ prauitatis; non potui tamen oblata occasione non cordis intrinsecum dolorem testari, & hac qualicunque paræneſi excitare, ne fortè veniat super vos, & super filios vestos omnis sanguis, qui effusus est à sanguine iusti Roffensis vsque in præsentem diem, & occupet vos calamitas maxima! O si Carolo Monarchæ senissimo reseruatum, vt Anglia refloreat iterum Scotia, atque Hybernia mea ambulent iuxta dies pristinos, cùm penderent incoactum vectigal Romanis Pontificibus! holocaustum dixerim ab Hybernia oblatum, quæ tota sub Petri, & apostolicæ Sedis dominatu! Verùm erit de his tractandi opportunior locus: nunc pergamus incepta prosequi.

Baron. tom. 12. anno Christi 1159.

SECTIO XI.

Antelapsa Sectione oratoriè versata, seriò probantur ex Pontificum, Conciliorum, Patrum effatis.

108. PVtauerit quispiam, superuacaneum esse de hoc argumenti genere disceptationem instruere, cùm natura ipsa doceat consentaneum fore vt rei defensionem Iudex obaudiat; præsertim si in accusationis diem, qui de crimine arguitur, bonum habuerit nomen, optimè in multis de Republica meritus fuerit, & non ad contumaciam panoplia vtatur, sed paratus Maiorum dictis obtemperare, postquàm de veritate edocuerint: Fauebit his largè Athanasius Apologia 2. *Sed tamen ea* (inquit) *quæ inaudita altera parte fiunt, nihil habere roboris, nemo mortalium ignorauerit: hoc enim & lex diuina præcipit: hoc quoque, cùm insidias pateretur B. Apostolus, & reus esset, postulabat: Oportebat, inquiens, Iudæos ex Asia coram te adesse, & accusare si quid haberent: Quo tempore & Festus conantibus Iudæis contra Paulum insidias, quales nunc patior, loquutus est ita: Non est moris Romani gratia aduersariorum donare hominem reum, qui nondum accusatores ante oculos suos habuit, aut respondendi locum de crimine adeptus*: Sic Festus Actorum cap. 25 versic. 16. morem vel ethnici fori innuens: Sed maior Athanasio, & tempore, & officio Clemens Romanus lib. 2. apostolicarum Constitutionum, c. 51. *Diximus verò* (scribit) *non esse æquum, altera tantùm parte audita, iudicare: etenim si alterum audiatis, cum alter abest, & cum nihil ad illatum crimen responderit, sententiam de damnatione eius tuleritis, rei de cæde illius, & eadem cum illo calumniatore mensura commensi esse apud Deum iustum Iudicem reperiamini*: Vera quidem hæc: sed tamen, quia est humana conditio obnoxia deceptionibus, cùm inuidiæ, & maleuolentiæ intolerabiles sunt stimuli, falluntur interdum & egregij viri, dum parasitis nimiùm obscundant, aut imponunt nulli, quos credidêre oues esse, cùm intus sint lupi rapaces: Huic contagio mederi admonitione isthac cupimus: at qui in muscipulam inciderint exhibeamus Principum aliqua exempla.

Athan.

Clem. Rom

109. Arque occurrit omnibus ornamentis gloriosus Monarcha Dauid, qui inexplorata causa Miphiboseth, Sibæ accusatori præcipiti inconsiderantia auscultauit, & innocuum damnauit. Reg. 2. cap. 16. ad quem locum Tostatus quæst. 6. *Secundò peccauit Dauid, quia condemnauit eum inauditum, indefensum: nam etiam dato quòd verum fuisset peccatum obiectum Miphiboseth: condemnando eum non vocatum, & indefensum, peccatum esset: quia etiam in notoriis delictis citatio requiritur, vt veniat reus ad audiendam sententiam, & allegandas aliquas excusationes, si quas habet: nam, licèt notorius sit actus, non est notorium, an iniustè egit, & ad hoc vocandus est, ne innocens condemnetur.* Nicolaüs de Lyra: *Quod fuit malè, & præcipitanter, & iniustè dictum; tum, quia iste Siba dixerat falsum; tum, quia, dato, quod verum dixisset, tamen Miphiboseth dominus suus non erat condemnandus, antequàm audiretur, vel antequam veritas alio modo sufficienter declararetur*: Dionysius: *Dauid grauiter peccauit tam inordinatè proferendo iudicium, vtpote sine accusati auditione, sine accusationis examine, sine debita mora, seu deliberatione.* Caietanus: *Iniqua, temerariáque sententia fuit hæc, inaudita parte*: Quibus subscribit Salianus tom. 3. anno mundi 3009. num. 39. Dauidi simile quidpiam Magno Constantino accidit, qui Athanasium per improborum calumnias illectus, exilio multauit; in cuius tanti Imperatoris defensionem Theodoretus ecclesiasticæ Historiæ lib. 1. c. 33. *Neque mirum videri debet, tantos illum Viros per errorem exilio multasse: credidit enim Pontificibus celantibus quidem improbitatem, sibique imponentibus specie, & claritate sua: non autem fugit eos, qui diuinos libros versant planè deceptum Prophetam Dauid; deceptum autem non à Pontifice, sed seruo vernaculo, & mastigia, Siba inquam, qui de Miphibosetha mendacia Regi dixerat, quibus ereptum agrum illius obtinuit; quod non ita accipi dictum velim, quasi Propheta à me accusetur: sed defensionem parare regij facti, & ostendere imbecillitatem humanæ naturæ, ac docere nunquam accusatoribus tantùm quamuis fide dignis credendum: sed alteram reseruandam esse reis aurem*: Accesit quidem insigne hoc postremum Theodoreti monitum, ne sanè etiam quando fide accusatores digni sunt, eis ecquiescendum, priusquàm rei, aut confessio, aut expostulatio adhibeatur.

Dauid an peccauerit Siba credendo? 2. Reg. 16. Abul.

In notoriis delictis citatio requiritur.

Lyra.

Dionys.

Cdiet.

Salien.

Theodor.

Accusatoribus, etsi fide dignis, nõ est se solis credendum.

110. Iam & vt ad Petri cathedram proficiscamur: animaduertite, quid talis tantúsque Vir, qualis & sanctitudine, & doctina fulgentissimus Cardinalis Petrus Damianus passus sit: is libro 1. epistolari, epist. 4. ad Leonem IX Pontificem

S. Petr. Dam.

Maximum; *Antiquus nanque hostis* (ait) *timens, ne ego possem vobis suggerendo destruere, quod ille in istis partibus non desinit quotidie nouis inuentionibus fabricare; malignantium aduersus me linguas exacuit, complices suos ad componenda mendacia, quoddam sibi velut organum fecit, per vascula sua crepuit, & malitiæ suæ virus sacris altaribus instillauit; Et quid mirum, si Domino meo tantis oppresso negotijs versuta calliditas hominum obrepere potuit? cùm & Dauid, qui prophetico plenus erat spiritu, dum Sibæ inconsultiùs credidit, innocentem protinus Miphiboseth sententiæ proscriptionis addixit? tantúmque apud eum falsæ accusationis sermo præualuit, vt plectibilem seruum in herilis consortium hæreditatis ascisceret, & infidelitatis reum libertatis dignum præmio iudicaret? Veruntamen, si Creatoris nostri facta vigilanter attendimus, ad credenda cuiuslibet mala fidem adhibere facilè non debemus; ipse enim cuius oculis nuda, & aperta sunt omnia, non dedignatus est dicere; Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, descendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint: an non est ita vt sciam; Quod profectò ad nihil aliud dictum videtur, nisi vt humana doceatur ignorantia, sine experimentis audita non credere, incognita non leuiter adiudicare, nec antè sententiam promere, quàm rem dubiam testimonijs approbarit; Quam profectò cautelam cùm vos prudenter in alijs habere liquidò nouimus, quia nobis obseruata non est, non vobis adscribimus, sed nostris proculdubio meritis imputamus*; Sic Damianus omnia, quæ dicenda forent complexus, & sapienter Pontificem multis distentum curis excusans; & quod est vitij, atque malitiæ prauis adscribens ministris, à quibus & Dynastæ & Antistites circunueniuntur.

III. Quoniam igitur scopulus est, in quo & Dauid, & Constantinus, aliique egregij Magistratus nonnunquam offenderint, neque adhuc cessat inimicus fallere, perpendamus, quid Romani Antistites consulant; Euaristus Papa tom. 1. Conciliorum, epist. 2. *Deus autem omnipotens, vt nos à præcipitante sententiæ prolatione compesceret, cùm omnia nuda, & aperta sint oculis eius; mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare, priusquàm manifestè cognosceret, quæ dicerentur*; Eodem volumine Telesphorus Papa epistola decretali; *Et accusatori omninò non credi decernimus, qui absente aduersario causam suggerit, ante vtriusque partis iustam discussionem*; Ibidem ex epistol. 2. Calixti I. ad Galliarum Episcopos; *Quia per scripturam nullus accusare, vel accusari potest, sed propria voce, & præsente eo, quem accusare voluerit, quisque agat accusationem, nec absente eo, quem accusare voluerit, cuicunque accusatori credatur*. Ex epist. 2. Fabiani Papæ ad Orientales Episcopos; *Nec vllus vnquam præsumat accusator esse simul & Iudex, vel testis; quoniam in omni iudicio, quatuor personas necesse est semper adesse, id est, Iudices electos, & accusatores, ac defensores, atque testes*; Atque hoc ipsum Stephanus Pontifex epistol. 2. decretali, de accusatoribus Sacerdotum; Iulius verò Romanæ Sedis Antistes epist. ad Orientales in causa Athanasij, quæ & habetur 2. Athanasij Apologia, & nominato tomo 1. Conciliorum, (sequor autem modò editionem quinque voluminum sub Sixto V.) *Oportebat autem, dilectissimi, si quidem synceriter illud iudicium agebatur, non solùm accusatorem, sed & reum præsentem sisti, & vt Tyri Macarius aderat reus, & Ischyrus accusator, vbi nihil criminum docere potuit: ita quoque in Mareoten, non solùm oportuit accusatorem, sed reum quoque vnà proficisci; vt, vel præsens conuinceretur, vel si victus non esset appareret eum calumnijs petitum fuisse*: Ex Damasi Papæ epist. 3. *Habetur quoque in decretis sanctorum Patrum sancitum, non fore canonicum, quenquam Sacerdotem iudicare, vel damnare, antequàm accusatores canonicè examinatos præsentes habeat, locúmque defendendi accipiat, id est, inducias ecclesiasticas*: Atque eadem repetit in epist. 6. Tomo autem 3. ex rescriptis Nicolaï Papæ I. num. 8. *Reuerà iustus mediator non est, qui vno litigante, & altero absente, amborum emergentes lites decidere non formidat.*

Euarist. Pap.

Telesph.

Calixt. I.

Iulius I. Fab. Papa.

Stephanus.

His consona in sacrorum Conciliorum Actis; Tributiense c. 22. *Deus omnipotens, cùm omnia nuda, & aperta sint oculis eius* (vt in epistol. Euaristi Papæ scriptum legimus) *quò nos à dubijs, & incognitis sententiam proferre compesceret, mala Sodomæ noluit audita iudicare, priusquàm manifestè agnosceret, quæ dicebantur: vnde ipse ait, Descendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam: Quo exemplo moniti, ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites simus, aut temerè, indiligentérque indiscussa quæque quoquo modo iudicemus: sed exemplo Domini descendamus, videamus, & iusto examine criminosos diligenter perscrutemur, sicut ipse Sodomam*; Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 8. verba relata ex c. 18. Geneseos de Sodomitico iudicio eodem more explanat, atque paulò pòst subnectit; *Debet igitur esse præsens is, contrà quem facienda est inquisitio, nisi se per contumeliam absentauerit, & exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, vt facultatem habeat defendendi seipsum*: Neque ab istis diuellenda, quæ habentur tertio volumine Conciliorum inter capitula, quæ per Adrianum Pontificem ex Synodis, & Canonibus diuersis collecta fuêre; *Iudicantem* (aiunt) *oporteat cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogandi, ac proponendi, adyciendique patientia præbita ab eo, vt ibi actio partium limitata sit plenior: nec priùs litigantibus sua velit sententia obuiare, nisi quando ipsi peractis omnibus iam nihil amplius habuerint in quæstione, quod proponant*. Ex Cleri Alexandrini litteris in 2. Athanasij Apologia; *Ita enim iudicia constitui debent secundùm sacram Scripturam, vt reus, & accusator simul appareant.*

112. Conc. Trib. Cõc. Later. Adrian. Põt. Athanas.

Verùm in gratiam huius thesis lubet omninò celebrem Geneseos Textum amplissimis Patrum, & bonorum Interpretum suffragiis communire: ac quanquam fortasse tædio alicui fuerit, vt verba auctorum ad longum recensemus; quoniam tamen in re admodum graui versamur, maluimus Lectoris aliquam reprehensionem subire, quàm celando Scriptorum effata, diminuere nostræ probationis vim: At, cuinam id poterit molestum esse atque ingratum? Nam, quis liber ab inuidia, præsertim si magnus ille sit, atque excellens? Omnium causam actitamus, cùm nullus à malitiæ iaculis securus: Quòd si semel poterimus suadere, vt à reo parata defensio cum alacritate excipiatur, spes optima poterit esse Viris egregiis: nam cùm apud eos abundet antiqua simplicitas, tantùm audiantur, triumphabit breui veritas: Age itaque, premamus verba illa ex cap. 18. vers. 20. & 21. *Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum, & Gomorrha multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis; descendam,*

113. Locus ex Geneseos c. 18. ad longam discussionem.

dam,& videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita,vt sciam: Ac dedimus quidem in antè traditis locupletissimos testes quatuor Euaristum Papam, cuius tanta est antiquitas, Concilium Lateranense, vnà cum Triburiensi, & sanctum Petrum Damianum: quibus assóciare placet Philonem Hebræum ita dissertantem opere de confusione linguarum: allegata igitur dicta Moysis historiantis sententia: *Vt doceamur moneamúrque* (inquit) *ne quis homo de absentibus rebus,& incertis putet se posse certam coniecturam facere; sed propius introspecto negotio, diligenter cuncta perlustret: visus enim certus, potius quàm fallax auditus, testis adhibendus est: quapropter in optima constituta Republica lege cautum est, ne quis audita dicat pro testimonio. quia iudicium auditus naturaliter facile est corruptoribus:* apud *Moysem quoque inter vetita legitur: Non admittes auditionem vanam.*

Phil. Hebr.

Optimus testis, qui viderit.

114. Chrysost.

Atque,vt post Philonem à Græcis exordiamur, Chrysostomus eximiè hom.42 in Genesim: *Quid sibi vult, quòd sermonem suum ita attemperat? Cum descenderim, inquit, videbo; Nunquid de loco in locum transit vniuersorum Dominus? Absit: non hoc dicit sed vt dixi per verbum crassius docere nos vult, quòd opus sit magna diligentia, & non auditu solo peccatores condemnandi sint, neque sententiæ ferendæ, nisi comprobatio præcedat; Audiamus hæc omnes: non enim solùm vy, qui pro tribunali sedent, obseruare hanc legem debent; sed & nullus vnquam ob nudam accusationem proximum condemnet:* Et idem tom. 5. orat. 4. de facto, & prouidentia, in horum verborum declaratione: *Quid tam humano, ac miti Deo par cogitari potest? nos enim, cùm aliquem punimus, vix dignamur sæpè causas dicere: ille verò nisi prius te docuerit, nisi tibi prius persuaserit; nisi tuum ipsius ceperit suffragium: illum iustè supplicium infere non putauit eos, qui iam diu supplicio, atque animaduersione digni erant; & rationem sæpè reddere paratus est, tecúmque disceptat, & in iudicium venire non grauatur: Vides Prophetas istorum plenos sermonum, vbique controuersiæ Dei cum hominibus, & sæpè ipsos iniuriosos, vt causam diiudicent, aduocat; sæpè creaturam ad suffragium ferendum collocat, iudiciorum suorum splendorem demonstrans, cùm neque aduersarium suum, neque res sensus expertes repudiet Deus ad iudicandam rem vocare:* Ambrosius Græcorum studiosus æmulator lib. 1. de Abraham, cap. 6. *Non ignorabat Deus peccata Sodomorum: sed propter te instruendum verba huiusmodi loquebatur. vt tu propius scruteris eorum commissa, in quos vindicandum arbitraris: Descendam (inquit) vt videam, hoc est, etiam tu descendere cura: deinde indaginis studio, ne quid sit, quod fallat, aut lateat absentem, vt oculis facinus deprehendas: cominus posita multa nescire possunt:* Hilarius lib. 9. de Trinitate, non longè à fine: *Nam, cùm peccata magna valdè sciat esse, & rursum descendit, vt videat, an consummata sint; & si nondum consummata sunt, vt sciat, intelligimus eum, non ea tunc scire, quia prius nesciat, sed tunc scire, quia tempus ad agendum sit:* Gregorius Romanus lib. 19. Moral. cap. 14. in illud Iob 29. *Et causam, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam,* &c. *Qua in re notandum video, ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites esse debeamus. ne temerè discussa iudicemus, ne qualibet mala audita nos moueant, ne passim dicta sine probatione credamus: quod profectò perpetrare pertimescimus, si Auctoris nostri subtilius facta pensamus: ipse quippe, vt nos à præcipitata sententiæ prolatione compesceret, cùm omnia nuda, & aperta sint oculis eius: mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare, qui ait; Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est,* &c Albinus Flaccus interrogationibus in Genesim, interrogatione 179. *Quod autem dixit: Descendam, & videbo, & huiusmodi: omnipotens Dominus, & omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi vt grauitatis nobis exemplum proponat? ne mala hominum antè præsumamus credere, quàm probare?* Rupertus, Tutiensis Abbas lib. 4. in Genesim, c. 41. de simili loquutione Numinis descendentis ad immanis turris structores: *Et sic loqui debuit Scriptura, vt nihil temerè esse credendum insinuaret: si enim is, qui omnia scit, descendere hîc dicitur, vt videat: & alibi dicit, Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est: descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint: Quantò magis homo, qui falli potest, antequam sententiam proferat, rem diligenter inuestigare debet?* Philippus Abbas bonæ spei, de silentio Clericorum, c. 98 *Clamor,* inquit *Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est: descendam & videbo,* &c. *Vult æquus Iudex sceleratorum vitia sic punire, vt aduersùs eum nullus possit iusta querimonia vel mutire, vt antequàm inueniatur illorum perditio definiri, eorum possit malitiam, quasi præsentialiter, experiri:* Glossa interlinearis: *Vt à præcipitatione iudicij compescereet: mala Sodomæ prius voluit probare, quàm iudicare:* Loquuntur & in eundem modum Hugo Cardinalis: postilla in Genesim sub nomine S. Thomæ, quæ allegat Innocentij III. decretale: Nicolaus de Lyra, Abulensis, Carthusianus, Lippomanus, Caietanus, Oleaster, in secunda expositione morali, Honcala, Guillelmus Hammerus, Pereira tom. 2. lib. 16. in Genesim, n. 62 & tom. 3. ad versum 21. cap 18. Delrio, Bonfrerius, Cornelius à Lapide, & nemo non hoc ex illis, quos euoluere potuimus: Est & huiusce rei (vt aliæ multæ imitationes) vestigium aliquod in fabula de Lycaone apud Nasonem: nam Deorum Summum ita loquentem facit Metamorphoseos lib. 1. fictione 8.

Albin. Flac.

Rupert.

Philip. Abb.

Interlin.

Hug. Card. S. Thom.

Nicol.

Abul.

Dionys.

Lippom.

Caiet.

Oleaster.

Honcal.

Pereira.

Delr.

Bonfr.

Cornel.

Deiquàm iusta in reos sententia.

Ambr.

Hilar.

Greg. Papa.

Contigerat nostras infamia temporis aures,
Quam cupiens falsam summo delabor Olympo,
Et Deus humana lustro sub imagine terras:
Longa mora est, quantùm noxæ sit vbique repertum
Enumerare, minor fuit ipsa infamia vero.

Ouid.

Adeò malesanus Pater Iupiter, & prouidentiæ satis negligens. tamen ne in tam enormem amentiam delapsus, vt antequàm ipse vidisset, antequàm expertus fuisset, reum præcipiti vindicta condemnasse, idoneum existimaret.

115. Sed colligamus etiam nonnulla ex his, quæ sparsim Patres tradidêre, quibus monent cautos nos esse debere in iudicando, & in primis accusato præstandas aures; atque iterum inceptemus à Philone Hebræo, qui libro de Iudice: *Ergo ante omnia lex præcipit Iudici, ne vanam narrationem auribus accipiat: nam oculi rebus ipsis interueniunt, & contrectant quodammodo negotia, totáque percipiunt adiuuante luce per quam illustrantur, deprehenduntúrque omnia: aures autem, sicut rectè quidam è veteribus, minùs fidei habent, quàm oculi: vt quibus non cum rebus ipsis sit commercium, sed cum sermonibus rerum interpretibus, non semper veritatem sectantibus: quod legis caput mihi videntur quidam è Græcis Legislatores absumpsisse à sacris Moysis tabulis, interdixisséque, ne ex auditu feratur testimo*

Philo.

Græcorũ Legislatores ex Moysi sumpserunt præcepta quædã.

Orig. *testimonium: quòd quæ quis videt, certa iudicanda sint, quæ verò audiuit, non perinde firmæ fidei:* Orig. lib. 2. in cap. 2. Epistolæ ad Rom. prope medium: *Rectum iudicium Dei, quis dubitet esse, vbi accusatores, & defensores adhibentur, & testes? Et quidem de hoc iusto iudicio Dei nos homines exemplum capiamus, ne putemus vnquam sine accusante, & defendente, & testibus iustum haberi posse iudicium:*

Iust. Mart. Sanctus Iustinus Martyr initio 2. Apologiæ pro Christianis: *Iam si quis eorum, qui accusantur,* (loquitur de Orthodoxis,) *verbo non neget, eum absolueritis, quasi nullum eius crimen docere possitis: si quid autem concesserint, propter confessionem, de eo supplicium sumitis, cùm oporteat & eius, qui fatetur crimen, & eius, qui negat, vitam exquiri, vt ex factis, qualis quisque sit, appareat:* Et paulò pòst: *Non iudicia exercetis, & animi motu, qui à ratione auersus est indicta causa sine cura alios supplicio afficitis.*

Athenag. Anathenagoras Philosophus Atheniēsis Christianus exordio legationis pro iisdem: *Examinetur vita eorum,* (sermo est de Catholicis,) *nomēnne culpetur: Porrò nunc ab initio institutæ orationis meæ obsecro vos summi Imperatores, æquis, & benignis animis auscultare vt dignemini; neque vos communis, & nulla ratione vigentis famæ præiudicio occupari, & ad illius veluti impetum rapi patiamini: quin illud vestrum sapientia, & veritatis auidissimum studium mea quoque oratio, vt sentiat, sinite: sic fiet, vt neque vos per ignorantiam delinquatis, & nos depulsis, confutatisque iis, quæ temerè in nos vulgus hominum effutit, quietiores agamus:*

Symmach. lap. Symmachus Apologetico contra Anastasium Imperatorem: *Verùm tu si Romanus Imperator es, etiam gentium barbararum legationes debes clementer admittere: si Christianus Princeps es, qualiscunque Præsulis apostolicè debes vocem patienter audire:* Iterum

Lucif. Cal. Lucifer Calaritanus Antistes, qui superiore bis datus fuit Sectione, in causa Athanasij ad Constantium Imperatorem lib. 1. *Sed iam redeamus ad illud, quod nos facere præcipiebas: Dixisti: Damnate Athanasium: Quid interuenerat, vt non facie ad faciem illum vidissemus? Quid factum fuerat, vt non omnem cardinem rei fuissem perscrutatus? Cur idoneis testibus non es passus eundem superari? Nunquid vel hos sanctissimus Daniel, quinimò per Danielem Spiritus sanctus, inauditos damnauit? legimus enim gloriosum Danielem dixisse ad populum: Separate eos ab alterutro: Et vocauit vnum ex illis, & dixit ad illum: Inueterate dierum malorum,* &c. Danielis c. 13. *Quid respondere, Constanti, imprudentia tua potest ad hæc? Conspicísne reos tanti sceleris passim damnatos nisi omnibus diligentissimè discussis?* Sed ab hac fama Cōstantium liberare visus ipse

Athan. Athanasius Apologia ad eundem Imperatorem: *Ideòque in absentem* (ait) *deblaterant, sperantes se, ita pietati tuæ obrepere posse, sed frustrà: non enim ita eis aurem præbuisti, vt sperabant; sed pro tua mansuetudine dedisti & nobis locum, vicémque respondendi: te enim non statim commotum fuisse, nec è vestigio supplicium postulasse, signum fuit euidentissimum, vt iustum Imperatorem decet, nihil æquè te expectare quàm delati hominis defensione m*

116. Prodeat secundò in arenam Ambrosius serm.

Ambros. 20. in Psalmum 118. in illud: *Miserationes tuæ multæ nimis,* &c. *Ergo & hic personam Iudicis, Prapositique suscepit, dicens: Non possum à me facere quicquam: Bonus enim Iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed iuxta leges, & iura pronunciat: scitis viris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratū & meditatū domo defert: sed sicut audit, ita iudicat; & sicut se habet negotij natura, decernit: obsequitur legibus, non aduersatur: examinat causæ merita, non mutat: Discite, Iudices sæculi, quē in iudicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam syncerit atem: Dominus omnium dixit: Non possum ego à me facere quicquam:* Rursum quoque & Chrysost. homil. Chrysost.
30. in Genesim, ad illud: *Et descendit Dominus Deus, vt videret ciuitatem,* &c. *Vide, quomodo humano modo Scriptura loquitur: Et descendit,* inquit, *Dominus: non, vt humano modo intelligamus, sed vt per hoc erudiamur, nunquam temerè fratres condemnandos, neque auditu solo iudicandum, nisi pluribus argumentis priùs certi reddamur:* Saluianus lib. 1. de Saluian.
gubernatione, & iusto Dei iudicio, probat scitè, Deum optimum Magistratum vel indè, quòd ipsi Gentium Philosophi animam vniuersi esse dicant, & cuncta perlustrare, nec quasi rumore, & auditione duci antequam ipse cuncta pertentet: *Vnde etiam illud mysticæ auctoritatis exemplum* (inquit) *quo se non minùs Philosophum Maro probare voluit, quàm Poëtam, dicens: Deum namque ire per omnes, Terrásque, tractúsque maris, cœlúmque profundum: Ab eo igitur mundum regi necesse est:* Laurentius Iustinianus de triumphali Christi agone, c. 12. *Docet prorsus Iudicem, omni postposita cordis feritate, audire diligenter, & ad interogata respondere:* Abulensis quæst. 1. in c. 23. Exodi, ad illud: *Non susc ipies vocem mendacij,* &c. *Id est, non audies vnam partem volentem litigare alia non præsente: quia illa tunc vocem mendacij habebit; scilicet, quia loquitur mendacia multa: nam, cùm vna pars sola auditur, multa mendacia contingit dici, & causa valdè inutiliter tractatur:* Eandémque particulam secundùm aliam translationem, quæ asserit: *Non accipies vocem vanitatis.* expendens: *Nam audire partes* (inquit) *est ad dirimendum litigia per sententiam diffinitiuam: sed audiendo vnam partem, nunquam poterunt dirimi lit gia: quia ex illo auditu non potest ferri sententia diffinitiua, nec aliqua alia, cùm nondum sit iudicium inchoatum; ideò cùm venerit alia pars, oportet incipere iudicium: vanum ergo fuit audire vnam partem solam:* Nicolaïis de Lyra in Laur. Iust. *Verba c. 23. Exodi declarata, v. 1.* Abul. Lyra.
eundem c. 23. Exodi 1. versum: *Hic* (inquit) *ordinatur rationale, quantùm ad Iudices: & primò erga partes quæ debent in iudicio aliquid proponere, vt non audiatur vna pars sine alia: quia quando vna auditur in absentia alterius, solent multa mendacia immiscere ad iustificationem suæ causæ: & hoc est, quod dicitur: Non suscipies vocem mendacij,* &c. Paulus Burgensis ibidem prima additione ad Burgens.
Postillam Lyrensis: *Nam rectus Iudex non inclinabitur ad assentiendum donec audiat aliam partem, & hoc communiter fit in multis iudiciis, scilicet, quòd vna pars in absentia alterius proponit multa mendacia: sed postquàm auditur pars aduersa, negotio discusso deuenitur ad rectitudinem iustitiæ.*

Quando igitur euenit plerunque omnia ad 117.
falsitatem compingi, absente altero ex controuersistis, & negatis reo auribus, incassum sententiæ proferantur, significantiùs dixerim, impiè; ideò instruximus aciem pulcherrimam ex Conciliis, Pontificibus, sacris Doctoribus, vt videant in posterum talia agentes, à quantis proscribantur, à quàm fulgentibus; atque vt fuerit omni tempore necessarium huius naturæ antidotum, & nostro idem sæculo perutile, in quo bonorum virorum fructuosis Ecclesiæ laboribus homines otiosi, & peruersi insidias substernunt:

Finiam

Oleast. Finiam Oleastri verbis ad memoratam nuper de Exod. c. 23. sententiam: *Nihil in iudiciis* (inquit) *mendaciis pernicioſius: ideò maximè cauendum ab eis docet dum Iudices inſtruxit: ſed hoc tempore nihil mendacio licentioſius: Expendè, quæſo temporum noſtrorum malitiam, quando tam auidè mendacia audiuntur, & veritas cunctis exoſa eſt, & omnibus faſtidio, maximè Magnatibus.*

SECTIO XII.

Peccatum hebetare ingenia, etiam peritiſſimos ad maximam ruditatem trahere.

118. INfatuatum Salomonem per libidines, aliáque vitiorum inquinamenta, & diuino illo altioris ſapientiæ munere ſpoliatum, oſtendimus anterioris Controuerſiæ Sectione 10. ex Patribus: ô vtinam regna, antequàm doctrinam, amiſiſſet! Quid enim mens infelix abſque tanto nauclero? quos non experta ſcopulos? quanta ſuſtinuit naufragia puppis animæ caligantis? Ergo, ſi non fuiſſet obſcuratum cor inſipiens, obtuliſſet ille thura Numinibus inſanis, adoraſſet opera manuum hominum, & non vni mendacio fana ædificaſſet? Sed dereliquit animam informem ſcientia, pura atque illibata diligens: Iam improuidus adoleſcens pertæſus ciuem, cui adhæſerat in regione longinqua, (nam erat auara herilis dextera, quæ nec ſiliquas ad ſatietatem ſuppeditabat,) reuertebatur in patriam: *Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius.* Luc. cap. 15. verſ. 20. Sed, cur non magis viſum à puero genitorem Euangeliſta aduertit? nónne potiùs adoleſcentem attentum, & vigilem eſſe oportebat, & quærentem ſedulò per vicos, & plateas, vbi inueniretur genitor, quando ſine eo pater beatus eſſe poſſit? ille abſque genitore niſi pauper, & miſerabilis eſſe non valeret? Equidem arbitror iuuenem in votis habuiſſe paternos contueri vultus, & conatum vidiſſe: ſed erat infirma oculorum acies, nec poterat à longè reuelare: quippe peccando amiſit lumen, & ingenij gloriam: & dudum quidem deteſtatus ſcelera, meditabatur virtuti coniungi per caſtos amplexus: ſed, quoniam tyro nondum recuperauerat antiquum acuminis robur: Quoniam igitur viſum hebetauerant delicta, non ille genitorem, ſed eum pater à longè intuitus eſt: Apertè nobis fauet Chryſologus ſermone de duobus filiis tertio, ad illa: *Vidit illum pater ſuus*, &c. *Pater vidit illum, vt & ille patrem poſſit attendere: patris viſus illuſtrauit filij venientis aſpectum, vt tota fugaretur obſcuritas, quæ circunfuſa fuerat de reatu: non ſunt tales tenebræ noctis, quales illæ ſunt, quæ de confuſione veniunt peccatorum: Audi Prophetam dicentem, Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre: Et alibi Iniquitates meæ grauatæ ſunt ſuper me, & poſt: Et lumen oculorum meorum non eſt mecum. Nox ſepelit heſternum lumen, peccata ſenſum.*

Luc. 15.

Chryſol.

119. Quem referes inter puros homines Adamo ſcientia comparabilem? Diſquiſitus à Creatore, vbi eſſet, ait: *Vocem tuam audiui in Paradiſo, & timui, eò quod nudus eſſem; & abſcondi me.* Geneſ. cap. 3. verſ. 10. At, quorſum abdebatur criminoſus? Ne Iudex latitantem inuenire valeat? Sed, quæ opinatio, ô ſapientiſſime? Quæ enim natio tam barbara ignoret Deum ire per omnia, & nihil ab æternùm non dormituro oculo poſſe ſubtrahi? Si hæc prima doctrinarum rudimenta, cur Adam tam ſtupidus, qui vel elementa neſciat? Nónne hic ille tam clarus, ad quem delata cuncta animantia terræ, & omnia volatilia cœli, *Vt videret, quid vocaret ea: omne enim, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.* Gen. cap. 2. verſ. 19. Qui igitur vocabula naturam cuiuſque ſignificantia terreſtribus, & aligeris impoſuerit, cur tam ſpiſſo errore laboret, vt innuat hominem à Deo abſcondi poſſe? Sed peccauerat Adam, & amiſit ingenij lumen, comparatus iumentis inſipientibus, & ſimilis factus illis: quoniam, cùm in honore eſſet, non intellexit: Chryſoſtomus homil. 17. in Geneſim: *Nihil peccato peius, dilecte: ipſum enim ſimul vt introierit, non ſolùm confuſione totos nos replet; ſed & inſipientes facit eos, qui anteà intellectu, & ſapientia multa prædita fuerant: Animaduerte, obſecro, quàm inſipienter agit nunc, qui anteà tantæ pollebat ſapientia; qui reipſa traditam ſibi ſapientiam nobis declarabat; qui talia prophetabat: Audita voce Dei deambulantis in horto ad meridiem, occultauit ſe, tam ipſe, quàm vxor illius, à facie Domini Dei in medio ligni Paradiſi: Quantæ hoc eſt inſipientiæ, quòd à Deo, qui vbique præſens eſt, qui ex nihilo res vt eſſent produxit, qui abſcondita ſcit, qui finxit ſigillatim corda hominum, & nouit omnia opera eorum, qui ſcrutatur corda, & renes, qui etiam ipſos cordis motus cognoſcit, abſcondere ſe tentant?*

Gen. 3.

Gen. 2.

Chryſoſt.

120. Ecce & in alia abſurdiſſima ſtatim prolapſus Adam: Notum eſt, homines, ſi in ſtatu innocentiæ ab eis perſeueratum eſſet, mortem haudquaquam ſubituros: ſed contra vetuſtatem à ligno vitæ roboratos tranſituros præſtituto tempore lethum inexpertos ad videndum Deum beatificè: Conſule Molinam de opere ſex dierum, diſp. 28. Fuit autem inſtabilis Adam: tranſgreſſus eſt pactum Creatoris, & peccati ſtipendium ſubſequuta mors: *Quia puluis es*, (inquit), *& in puluerem reuerteris.* Geneſ. cap. 3. verſ. 19. Quid protoplaſtus audita graui hac ſententia corruptelam intimante; *Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ, Heua, eò quod mater eſſet cunctorum viuentiũ:* Quæ hæc nominis impoſitio eſt? Loquitur Dominus: Quia puluis es, & in cinerem reſolueris: quoniam per delictum mors in omnes pertranſiit: & tum viuentium genitricem appellas, quando debuiſſes magis perituræ ſtirpis matrem vocare? Bonus hic titulus donec innocentiæ perſiſtebat ſtatus: modò videnda nomina ſunt, cùm mors latè dominetur, & neque ipſe Filius Dei ab interitu liber: Sed miſereamini infelicis Adæ: non enim ſibi conſtat intellectus, non qualis olim cogitatio; poſtquàm deliquerat, confuſa eſt à peccato memoria; & quaſi vertigine laborans, neſcit, quid dicat: propterea ex diametra ſignificatione, quam debuerat morientium appellare genitricem, *viuentium* nuncupauit: Probè Rupertus libro primo in Geneſim: *Quid enim inſanius, quàm in tali articulo Euam dicere eam, quæ non habet vitam? Eua nanque transfertur in vitam: dixerat nanque Deus: In quocunque die comederis, morte morieris: Et nunc in preſentiarum dicebat, Puluis es, &*

Homo in ſtatu innocentiæ mortis expers.

Molina.

Rupert.

es, & in puluerem reuerteris: Quid ergo insanius, quàm in illo talis causa illam nuncupare Euam, id est, vitam? dicere matrem cunctorum viuentium, eam, quæ potius est mater cunctorum morientium?

121. Excepit hospitio tres viros Abraham, & prandio finito, cùm accingerentur ad eundum, surgentes *Direxerunt oculos suos contra Sodomam, &*
Gen. 18. *Abraham simul gradiebatur deducens eos:* Genes. cap. 18. vers. 16. Vt quid Angelos comitatur Patriarcha? Num, vt integrè officiosus appareat, qui non solùm hospitibus mensam, & thalamum præparauerit, sed etiam in viam se dederit cum illis? Sanè & horum gratia: nam & vrbanitas cum vera sanctitudine coniuncta; rusticitas, & erga peregrinos supercilium, latentis naturæ vitium est, non est bonitatis argumentum: Placet Oleastri aduertentia: *Abraham* (inquit) *ibat cum eis: Sancti viri, non solùm sancti sunt, sed etiam vrbanitatem norunt: abhorret Dominus à sanctis inciuilibus*: Verùm Abulensis opinatur, Abrahamum Angelorum socium factum, quòd putaret eos tramitem ignorare, qui Sodomam ferret? *Abraham* (ait) *simul gradiebatur deducens eos, id est, demonstrans iter quasi ipsi ignorarent*: Quod etiam Caietanus, & Aloysius in catena: Sed excusemus Abrahamum Angelos docere, quoniam latebat eum de spiritibus esse, cùm sub forma humana intueretur: cur ipsi Angeli permiserunt, vt de via instrueret Patriarcha? cur non sibi notas semitas significarunt? anne & fuit aliqua ignoratio in mentibus beatis? tam abstrusi calles, qui Sodomam ducerent, vt etiam apud Angelos errandi periculum? imò verò patentes semitæ, quales esse consuêuere, per quas itur in magna oppida: Nónne hi iidem Angeli absque duce peruenêre in loca, vbi Abrahæ tabernaculum; cùm tamen absconderetur? nam in valle Mambre latebat, & fortasse circum erant nemora, atquæ syluæ occultantes prospectum? Qui igitur absque præuiante magistro deuenêre in loca arcana, potuêre faciliùs in Sodomam deferri: nam in aperto posita vrbs populosa; Arbitror quidem Angelos dissimulasse ignorantiam: sed, quem in scopum? Nempe, ex plurimis damnis, quæ peccatum consequuntur, de præcipuis, quòd menti caliginem, & tenebras offundat: Atque sibi vt noceret solùm peccator, tolerandum esset, coguntur & alij malum experiri: Itaque tam densæ illæ tenebræ sunt, quæ non solùm nocte demergant impios, sed appropinquantes quosque cæcutiant: Angeli igitur, vt significent, nè & ipsos à tanto inquinamento vacuos quodammodo, Sodomam perrecturi, ducem viarum adsciscunt; innuentes, tantam esse caliginem peruersorum, quæ & semitas confuderit in tantum, vt ne ipsi Angeli satis discernere, quò ambulandum esset absque discrimine, valerent: Quare Abrahæ tecta, etsi vallibus latentia, quoniam tamen ibi nihil de peccati vmbra horridioris, sine præceptore ipsi marte suo reuelauerant: Sodomam autem, quanuis in aprico sitam, quoniam & libidinis efferatæ, & aliorum vitiorum caligo semitas ab oculis subduxerant, nisi iuuante comite, & præmonstrante rectos tramites, petere ausi non sunt.

Vrbanitas cum vera sanctitate coniuncta.

Oleast.

Abul.

Caiet.

Lippom.

122. *Locupletatus est Isaac, & ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est,*
Genes. 26. Genes. cap. 26. vers. 13. Inuidit fortunato Abimelech Rex Geraræ, dixítque ad Isaac: *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valdè:* O nunquam sine formidine tiaram! Si quis extollitur, si quis locupletatur, timor, & tremor venerunt super eum, qui sedet in regni throno superbus, ne veniat aduersùs illum cum viginti millibus, quando ipse cum decem millibus tantùm occurrere possit; Quid dicam trepidare Reges ad famam maioris potentiæ, quando & puero nato turbatur Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo? Sed relinquamus hæc, & intueamur, quid insuper egerit Abimelech: Sanè & Palæstini, quos foderant serui Abraham puteos & ad Isaac spectabant, obstruxerunt implentes humo: At, elapsis diebus aliquot amicitias inire cum Isaaco visum Regi; & alloquutus suo, fœderatorúmque nomine, *Sit iuramentum* (ait) *inter nos, & ineamus fœdus, vt non facias nobis quidquam mali; sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus, quod te læderet: sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini:* Expende nunc horum verborum ordinem, & concentum, & reperies, Dynastam mente penè amotum: nam certè, nónne à subditis eius iniuriam recepit Isaac, qui puteos oppleuerant immunditiis? Nónne coactus subitò sedes permutare non sine armentorum, & pecoris detrimento, neque absque numerosæ familiæ incommodo, cùm non fuit expeditum continuò reperire vbi tot, & homines, & animalia inuenirent quæ ad victum & voluptatem desiderabantur? Quomodo igitur his affectum nocumentis, illæsum abiisse affirmat? *Sicut* (ait) *& nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus, quod te læderet:* Deinde & imprudens, atque stulta fuit prior oratio: *Recede* (inquit) *à nobis, quoniam potentior nobis factus es valdè:* Verùm, si multò potentior, quæ politia est, robustiorem prouocare, indicendo exilia & peregrinationem? Quid, si propterea excandescat fortior armatus, bella moueat, & non recessisse contentus, eripiat ciuitates, & agros? Chrysostomus hom. 52. in Genesim: *Sit*, inquit, *iuramentum inter nos, & inter te: Deinde dicunt, & tale iuramentum fieri volunt: Et ineamus fœdus tecum, ne feceris nobis malum, sicut nos non fumus te abominati: Vide, quomodo pugnantia inter se præmentis angore, & turbatione loquantur:* Talia igitur sunt peccatorum ratiocinia, sine glutino, & cohærentia, quæ mentem cardine amotam innuunt: Sic loquitur, quisquis est velut Rex Geraræ, Abimelech; id est, tyrannus, atque oppressus, libidinis mancipium, simulacrorum superstitiosus cultor.

Chrysost.

123. Latitabat in spelunca Elias, & de fugæ causa interrogátus: *Zelo zelatus sum* (inquit) *pro Domino Deo exercitium, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël: altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus,* &c. Reg. 3. c. 19. vers. 14. Proh solitudinem Eccle- 3. Reg. 19.
siæ Israëliticæ, vastationem inauditam, cùm de veri Numinis adoratoribus vnus tantùm superstes relictus! Non est diuinæ gubernationis vsus, tantam iustorum orbitatem permittere: neque opinor etiam Iezabele sæuiente, ad tam paucos reuocatum piorum numerum in Israël: Habeo meliorem Eliæ testem Deum ipsum: *Et derelinquam mihi* (inquit) *in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt curuata ante Baal*: Si igitur fidelium tam copiosa messis in Israël, quamobrem affirmat Elias, relictum se tantummodo? Scilicet, ignorabat adhuc & tantam multitudinem Deo vero relictam? Sed, quomodo latere ista poterant eum, qui velut communis Prouinciæ

ciæ parens habebatur, currus, nimirum, & auriga Israël? Deinde & Propheta eximius erat, cui & Numè statum Ecclesiæ aperiret: Timeo quidem, Eliam aliquid humanum passum, & inter speluncæ angusta latera pompæ, illecebrarum, gulæ victorem, superbiæ aura afflatum: Difficile pertinax supprimere vitium, quod de ipso pallore, atque macie quandoque oritur: Itaque in præclaris facinoribus sibi complacens, elationi succubuit; superbiam autem ignorantia sequuta; & ille, qui quondam incerta & occulta diuinæ mentis penetrabat, nunc cùm septem millia sint in Israël, qui ante Baal genua non inclinauerint, putat Elias se solum derelictum, qui pro Domino exercituum zelet: O quanta est hallucinatio mortalium! atque illi putant sibi solis traditam doctrinæ clauem, extra suas exedras reliqua adulterina esse, & neoterica; isti apud se tantùm reperiri veterum Monachorum gloriam, vigilias, ieiunia, cilicia, cæteràsque maceraciones: Nunquid vos meliores Elia? & tamen tum arbitratur se absque sociis derelictum, quando non mediocris aliquis hominum numerus, sed inueniebantur septem millia virorum ab ethnicismo immunes? Audiamus Rabbanum apud Glossam auctiorem in præfata ex Regum Historiis verba: *Tanto* (inquit) *Propheta quid difficile fuit cognoscere, in hoc mundo famulos remansisse Deo? Sed, qui humilis etiam occulta Dei nouerat, elatus & aperta nesciebat: vnde certum est, quòd humilitatis radio se illuminat, qui aliorum bona subtiliter pensat: quia, dum ea, quæ ipse fecerit facta foris & ab aliis conspicit; eum, qui de singularitate intus erumpere nititur, superbiæ tumorem premit: Hinc est, quòd voce Dei ad Eliam solum se æstimantem, dicitur: Reliqui mihi septem millia virorum, vt dum non solum se remansisse cognosceret, elationis gloriam, quæ ei de singularitate surgebat, inclinaret*: Annectam Petri Damiani sententiam serm. 2. de sancto Vitali: *Propheta erat Elias, & sæpè mysteria superna cognouerat: Quid ergo difficile fuit agnoscere in mundo fideles Deo famulos remansisse? Sed hinc solerter intuendum est, oculum cordis elatio quàm nequiter claudat.*

Rabban.

Petr. Dam.

124. Lenibant, absente Domino mœrorem piscando Apostoli, & inopinatò apparuit ad marginem Tiberiadis Præceptor: hærebant Discipulorum lumina, neque agnoscebant, cùm Ioannes prorumpit, & dicit Simoni Petro, *Dominus est*. Ioan. cap. 21. vers. 7. Sed, cur non Petrus ante omnes animaduertit? Nónne enim his, atque illis incerta opinantibus, & dicentibus quibusdam Eliam, nonnullis Ieremiam, aut vnum de Prophetis; cùm & Apostolorum schola interrogata, Petrus vnus inter commilitones glorioſa confessione enituit, affirmans Filium esse Dei viui? Cur nunc hebetior solito, & in humanitate cognoscenda lentus? Chrysolog. serm. 78. de septima Christi manifestatione: *Quæ res illam Petri sic tardauerat mentem, vt ab alio audiret Dominum, qui cæteris consueuerat nunciare? Vbi est illud ipsius singulare: Tu es Christus, Filius Dei viui? Vbi est? In domo aufugerat Caiphæ Principis Iudæorum; tardiùs suum Dominum videbat, qui vocem facilè ancillæ susurrantis audiuit*: Itaque Chrysologus autumat, diminutum in Petro acumen ob peccata, quæ commiserat, Seruatorem negando: at, nónne hoc crimen Simoni condonatum fuerat, simul ac fleuit amarè?

Ioan. 21.

Chrysol.

Quid igitur lumen auertat, & hebetet? Nempe, vt quanta ea sit caligo, intelligamus, quam peccatum affert, quæ ne delicto sublato recedit; sed manent antiquæ malitiæ vestigia: ideò Petrus, qui ante passionem, priusquàm offenderet, etiam de Diuinitate Ioanne obmutescente testimonium exibuit: post negatum Redemptorem, ne humanitatem agnoscit, antequàm à socio edoceatur.

125. Animaduerte Apud Matthæum, singularem loquendi vsum, c. 8. vers. 11. *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium*: Dixi singularem in loquendo vsum, quòd tenebras exteriores appellet, cùm magis intrinsecas dicere oportebat? nam ibi caligo, atque nox, vbi lucis nullum iubar nulli radij: lux autem à foris est; clausa tenebræ occupant, extra cælum, & aëris ambitus, ac proinde aut Solis tota interdiu, aut Lunæ, atque stellarum ignes post vesperam: hæc autem omnia splendorem afferunt: Nequeunt igitur vmbræ exteriùs dominari: Quid itaque tenebræ exteriores, vbi fletus, & stridor dentium? Fateor quidem, vbi Olympus apertus est, lucem regnare; sed non ibi tamen omnibus claritas, nisi illis in quorum cordibus, & ore non est inuentum mendacium, atque prauitas & corruptela: peccatores autem quoniam cæcutiunt, vbique noctem offendunt, & intra penates, & exteriùs quoque, etiam in medio foro, vbi nulla Phœbi, aut syderum obstacula: Sed acerbiores illis, & toleratu difficiliores exterioris caliginis vmbræ; quippe grauiter tulêre communi beneficio spoliatos iri, & ibi negatum lumen, vbi concessum vniuersis: Amandat igitur in tenebras exteriores Iudex, quò magis affligat nox: Concinnè Hieronymus in relatum Matthæi caput: *Tenebræ semper interiores sunt* (inquit,) *non exteriores*: sed, quoniam qui à Domino foras expelluntur lumen relinquunt, idcircò *exteriores tenebræ nominatæ sunt.*

Matth. 8.

Hieron.

126. Apud Dauidem aliquis de impedita semita conquestus: *In via hac* (ait,) *qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi, considerabam ad dexteram, & videbam.* Psalm. 141. vers. 4. Sed, quid prospexerat in tramite? Laqueum, nempe, & muscipulam: & hoc, inquit, quoniam *ad dexteram considerabam*? Quid, si ad sinistram deflecteret lumina? non quoque laqueos animaduertisset? Puto, sicut manus duas sortitus homo, ita & oculos duos, vt quæ à læua ponantur, intueri valeat non minùs, quàm iuxta dexteram locata: Quod ergo sacramentum innuat, cùm asserat, propterea vidisse, quoniam à dexteris considerauit? Meminisse oporteat, quæ Iudex in tempore magni Examinis statuet à dextris, quæ à sinistris: nempe, dexterum latus muniet piorum religiosa turma: à sinistris stabunt vinculis tradendi æternis cum Satana, & Angelis eius omnes in peccato morientes: Ergo dum affirmat, vt videret, vt aperirentur oculi, ad dexteram conuersum se: significat iustitiam sequutum: alioquin, si amasset à læua positos, eósque æmulatus & nequitiam ipse dilexisset, sanè luminibus illicò captus non videret, ac proinde in laqueum incideret, qui iuxta viam positus erat: Fugiat sinistram, peccata detestetur, quisquis videre cupiat: Augustinus præclarè in dictos Psalmi versus: *In*

Psal. 142.

Augusti.

dexteram (inquit) *considerabat, & videbat; in sinistram qui considerat, excæcatur: Quid est in dexteram considerare? Vbi erant illi, quibus dicetur, Venite benedicti Patris mei, possidete regnum: Erant enim quidam in sinistra, quibus dicetur: Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius: Fremente ergo toto mundo, & minante persequutionibus, crebrescentibus vndique insultationibus hominum, atque terroribus; ille contemnens præsentia, respiciebat in futura, attendebat in dexteram, vbi futurus est, vbi esse meditabatur; illuc attendebat, & videbat, & ideò omnia ferebat: illi autem, qui persequebantur, non videbant.*

127. Sed miraris, videre eos, qui ad dexteram considerant, cæcutire ad læuam flectentes lumina; vide & simile discrimen in Paradiso: Postquàm homo deliquerat, descendit Creator in Paradisum, & deambulabat ad auram post meridiem, Gen. c. 3. vers. 8. At legunt Septuaginta, deambulasse *ad vesperam*. Verùm, si paulò post meridiem vt vulgatus innuit, eo scilicet tempore, quo qui post matutinas epulas dormierunt, de strato consurgunt, & refrigerantur à leui susurro blandioris venti, cur inclinato die ex septuaginta Seniorum translatione? altera hora lucida est, & splendens; altera caligans, & noctis prænuncia; An igitur constans vtraque narratio? Ita sanè: quippe Deo fulgens tempus erat; Adæ autem, & feminæ insidiatrici sociæ, vmbrosum: Itaque Deus qui ad dexteram considerabat, videbat, & in splendoribus erat; protoplasti, qui ad sinistram cum peccatoribus per transgressionem legis, deflexerant, cæcutiebant, & illis vespera, atque obscuritas incubabat. Colligo ex Ambrosio lib. de Paradiso, cap. 14. *Ergo, cum legit peccator has Scripturas diuinas, audit vocem Dei quasi deambulantis ad vesperam; Quid est ad vesperam, nisi quia culpam suam serò cognoscit? & serò venit quidam erroris præteriti verecundia, quæ errorem præuenire debuerat?* Verùm eandem sequutus translationem in Psalm. 39. ad illud: *In capite libri*, &c. clariùs pronunciauit: *Denique in Paradiso, vbi semper matutinus erat dies, vesper est factus; quoniam omnia peccata tenebrosa sunt.*

Gen. 3. Septuag.

Ambros.

128. Sed demus, (quæ solida interpretatio est,) vulgati editorem à septuaginta Senioribus non discrepare, & idem per ambas versiones significatum; nempe, finientis diei exitum, quando de montium altissimis apicibus maiores cadunt vmbræ, & Phœbus properat sorori locum dare; quare ad decimam horam ex antiqua horarum distributione referunt Procopius, Strabus, Abulensis, Nicolaüs? cur non sub plena luce hortum voluptatis ingressus? Certè, quãdo in cæteris imitatus hominẽ, quamobrem non & in istis? nam, quibus pomœrium inuisere gratum, id potissimùm auent, florum varietatem, & pulchritudinem ad amussim contemplari, areolas, & in his mille topiarij artes, & scientiam cum natura iucundè decertantem perfectè intueri; Ergo, cùm in speculatione horti deliciæ, quorsum tempus elegerat tenebrosum, quando nox iter suum peragens incipiebat omnia velare, & latebant ruris beati vniuersa ornamenta? Accipe singularem à Gregorio Romano traditam regulam lib. 2. Moral. c. 2. *Intueri libet*, (inquit) *quomodo sacra eloquia in exordiis narrationum exprimant, terminósque causarum: aliquando nanque à positione loci, aliquando à positione corporis, aliquando à qualitate aëris, aliquando à qualitate temporis signant, quid de ventura actione subiiciant:* Quorum omnium deinceps suppeditat exempla, Sumam nunc de tempore solùm: *A qualitate quoque temporis*, (ait) *finis exprimitur actionis; Sicut non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte Iudas exiisse perhibetur, cùm egrediente illo ab Euangelista dicitur: Erat autem nox, hinc & iniquo Iudici dicitur, Hac nocte repetent animam tuam abs te; Anima quippe, quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti, sed in nocte memoratur:* Ex hoc igitur canone habe quæsiti facilem enodationem: nempe, à temporis circunstantia animorum status colligendus erat: quoniam ergo per delictum in corda intrauerat ignorantię nox, densæque tenebræ mentis arcem occupauerant; hoc significaturus Creator, non manè, non Phœbo ad altitudinem deuecto, viridarium ingressus, sed ad vesperam, cùm vmbræ, & caligo instarent: Innuit alibi Gregorius libro videlicet Moral. 28. cap. 2. *Quid est enim, quòd post peccatum hominis in Paradiso, Dominus iam non stat, sed deambulat, nisi quod irruente culpa, se à corde hominis motum demonstrat? Quid est, quòd ad auram post meridiem, nisi quòd lux feruentior veritatis abscesserat, & peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant?*

Procop. Strab. Abul. Nicol.

Greg. Pap.

129. Reuertamur iterum ad diuisam à caligine lucem: *Vox Domini* (canit Psalm. 28.) *intercidentis flammam ignis*; Equidem subtilem, & acutam in primis oporteat esse vocem, quæ ignis incendia valeat separare: Verùm, quid non Domini sermo possit, gladio ancipiti penetrabilior; At, quæ illa sunt in flammis diuungenda? Arbitror, vim illuminandi, vimque exurendi: Et de peccatoribus loquutus Dauid; relinquetur illis ad tormentum, quod in ignibus crudele, & exosum est, vt torreat, depascat viscera sine fine, torqueat infelices: auferetur quod luminosum & fulgens est: Quare? Quoniam omnis peccator in tenebris, in nocte est. Egregiè Basilius Magnus in nuncupatum Psalmum: *Longè est admirabilius, ignis naturam intercidi, quàm mare rubrum in partes diuidi; Attamen Domini vox, ignis sibi continenter cohærescentem, atque vnitam naturam intercidit: quanquam igitur indiuisibilis, & insecabilis humanis sensibus videatur ignis: veruntamen ad præceptum Domini interciditur, ac diuiditur: existimo autem, quòd ignis ad supplicium Diabolo, & Angelis eius paratus, Domini voce interciditur; quoniam duo sunt in igne potissima: vstiua vis, & illustratoria: vis prior ignis, acerrima quidem ad pœnas irrogandas, reposita est his, qui vstione sunt digni: altera, nempe, splendidiui sui luminis diffusiua, velut sortitò succedet iis, qui claritate perfruituri sunt gaudij perennis: Vox itaque Domini intercidentis flammam ignis, ac diuidentis: ita vt obscurus quidem sit ignis supplicij: vi verò comburendi careat lux illa refocillationis*; Ergo Salomon, quondam mortalium sapientissimus, mox vt conspurcauit animam suam, cœno omnis immunditiæ volutatus; amisit pulcherrimam animæ gemmam, repetente Numine ab indigno, atque ingrato, quam scientiam morigero concesserat.

Psal. 28. Basil.

SECTIO XIII.

Ab exprompta Bacchanaliorum diebus Eucharistia, suis armis confossus, & iugulatus Diabolus.

130. Greg. Rom. PLacet valdè consideratio Gregorij Papæ Cáticorum Prologo; *Hinc est* (ait) *quòd in libro hoc, qui Canticum Canticorum inscribitur, amoris quasi corporei verba ponuntur: vt per verba amoris, qui infrà est, excitemur ad amorem, qui suprà est. Notemus quidem, quàm mirabiliter, quàm misericorditer nobiscum operatur, qui, vt nos ad amplexus sacri amoris accendat, vsque ad turpis amoris nostri verba se inclinat*; Itaque Gregorio id in hoc Epithalamio stupendum, dignúmque, quod omnes admiratione celebrent visum; nempe, quando scopus sit, animam Deo per ardentissimæ charitatis nexus coniungere; eo tamen vtatur adminiculo, quod fini potissimùm aduersari videbatur, scilicet, amoris corporei lingua & phrasibus; nónne enim ad libidinem hæc potiùs incitent? nónne extinctura (si quæ manfit) diuini incendij materiam? Verùm hæ magni Numinis artes eximiæ, ea ad salutem ordinantis, quæ læsura iudicabantur, & de toxico facientis antidotum saluberrimum? Quibus hæc accommodabimus? Eucharistiæ nobilissimo triumpho de Bacchanaliorum insolentia; Vidit nostra Societas quoniam omnis ferè caro corruperat viam suam; vidit ex plebe Christiana partem haud modicam, non intra penates non in vrbium angulo aliquo, sed palàm, & vbi confertissima multitudo, ea exercentem, quæ vix Ethnici per Lupercalia olim patrauerint; dominabatur ingluuies passim; sedit populus orthodoxus manducare & bibere, & surrexerunt ludere: ergo, impulsore Christo, instituit vt in Domibus huius minimi Sodalitij per quadraginta horarum interuallum, quo fieri posset ornatu, atque pompa, præpararetur mensa aduersùs eos, qui tribulabant pacem animarum; quanto id fructu, boni omnes nouerunt: Verùm, quæ ars, aut prudentia ad carnis extinguenda opera, Carnem, & Sanguinem exhibere? vino & dapibus, gulæ fregisse ardores? Nónne magis talibus fomentis inualescet voluptas comessandi? Sed Verbi debuit esse talis victoria, tam inclyta, atque superba quæ Carne carnem extruderet, iisque gulam suffocaret, quæ incrementum allatura videbantur: Si poculo, & mensa pugnat Diabolus; & calice, & mensa superandus à Filio Dei.

Orlandin. Hist. Societ. lib. 16. n. 10.

131. Gen. 21. Tandem optata sobole donatus Abraham, lactauit genitrix ipsa magna cura: & cùm ab vberibus dimouere tempus, fecit pater *grande conuiuiũ in die ablactationis eius*. Gen. c. 21. v. 8. Quid agis, Patriarcha? aut quod hoc tuum consilium est? Velis ne, deinceps puer mammosus sit: vt solidioribus assuescat? & hoc consequuturus, lautum, atque opiparum triclinium instruis? Benè ista, si delicatum euadere infantem cupido est: notũ quippe testam recentem primum odorem conseruare diu: Si igitur, quæ porriguntur primitiuæ escæ de suauioribus sint, ad has etiam grandior factus anhelabit Isaac; amoue à puero splendidum epularum apparatum: præbe de amaris absynthium, aut eius naturæ aliud, si lactea, & voluptuosa odisse desideres: Atque sanè Augustino tam difficile visum, vt hoc genere medicamenti à lacteis depellere Abrahamus conatus sit, vt propterea huius loci non posse historicum capi sensum dixerit tom. 4. lib. 1. quæstionum in Genesim, q. 50. *Meritò quæritur* (ait) *cur Abraham, nec die, quo natus est ei filius, nec die, quo circunciſus est, sed die quo ablactatus est, epulum fecerit? quod nisi ad aliquam spiritalem significationem referatur, nulla solutio quæstionis est: Tunc, scilicet, esse debere magnum gaudiũ spiritalis ætatis, quando fuerit factus homo nouus spiritalis, id est, non talis, qualibus dixit Apostolus: Lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis: sed nec adhuc potestis; adhuc enim estis carnales:* Suggessit Rupertus lib. 6. in Genesim, c. 19. aliquid ad præsens institutum floridè accommodum; *Illic profectò grande conuiuium est* (inquit) *cùm destitutis lacteis, id est, infantilibus ritibus, verbi gratia, brutorum animalium sacrificijs; traducit suos ad vnicum, & verum sacrificium Corporis, & Sanguinis sui; Igitur, si quidem simplicem sequamur litteram, leuia sunt hæc: si autem interiorem sentis spiritum multum attinet ad rem narrare: quia creuit puer, & ablactatus est, & quia fecit Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius*; Innuit igitur Rupertus, per viuifici Corporis institutionem, abolendam veteris populi ingluuiem: nam omnis eorum voluptas in manducando, & bibendo, & sine his neque victimæ, neque solennitates apud illos: Præclarè itaque hoc adumbraturus Abraham, non de amaris aliquo, non contrario vsus est antidoto facturus vt Isaac mollia, & delicata contemneret: sed ex omni dapsili mensam instruxit: significaturus nimirùm venturi Seruatoris gesta, qui vt à carnalibus, & Hebræos, & Ethnicos auocaret, & posterioribus sæculis nationem Christianorum, Carnem suam dedit illis in escam, & Sanguinem in potum: videlicet, per homogenea de Satana triumphans, & confodicans inimicum suis telis.

Augusst. Rupert.

132. Præbeat & eius fortitudinis specimen Iuditha supra virorum strenuissimos robusta femina: Illa patriæ miserata cladem, processit inter armatos constans Holofernem alloquutura militiæ Ducem: Quæ pepulêre mulierem? Cur ad Assyrios transiit? B. Fulgentius epist. 2. c. 14. *Egreditur* (ait) *castitas oppugnatura lasciuiam*: Hic matronæ finis, Cupidinis sagittas, & arcum frangere; Sed qualis ad tantum facinus accingitur? Percipe ab Augusst. serm. 229. de tempore, qui in Appendice 67. *A qua corpus abluit, pendulas aureas diuitias suspendit, fluentes sinus purpureæ vestis gemmato collegit pectore, casto vultu priùs dimicatura, quàm ferro: Monilium tela semper pudori aduersa, hostem ferire didicerunt:* Vide elegantem ornamentorum descriptionem Iudith cap. 10. vers. 2. Sed, nunquid his debellanda modis Cytherea? Ergo illa oderit & dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & sandalia, & myri optimi vnguenta, & mitram, & vestimenta iucunditatis? Si matri Amorum indicendæ inimicitiæ, atque ita præstat, vbi cilicinus amictus, cutis maceratio, & pia carnis tormenta? His itur ad continentiam: non autem in comessationibus, & ebrietatibus cum Holoferne: non ih cyclade, quæ benè olet à stacte, casia, balsamo, & pretiosis quibúsque mixturis: Verùm tantæ mulieris excellenti gloriæ non satis vicisse luxuriam, nisi & nobilissimo triumphi genere superauerit: est autem omnium cumulatissima victoria, quæ aduersarium suis trucidat

Augusst. Fulgent. Augusst. Iudith 10.

cidat armis; ergo luxuriam Iuditha prosternat; sed iis, quæ opem veneri allatura iudicabantur; non ieiuniis, sed cibo: non silentio, sed confabulatione: non horrido & contempto amictu, sed stola byssina à primis vnguentis fragranti: Venustè Augustinus, aut quisquis alius nominati sermonis Auctor: *Monilium tela semper pudori aduersa, hostem ferire didicerunt:* Ergo auxiliata sunt pudori; luxuriæ contradicentia fuêre ea ipsa, quibus vsus castitatem oppugnare, libidinem pro aris & focis tueri; Igitur, qualis processit Iuditha Holoferni necem datura, talis procedit Mater Ecclesia Diabolum superatura in huius Sodalitij nominis IESVS templis per Bacchanaliorum dies; mensam apparat omne delectamentum suauitatis in se habentem, vt gulam, & delicias frangat: calicem propinat ebrietatem domitura; & inimico quondam auxiliantia, in eius perniciem conuertit: Denique & Iudithæ quàm felix stratagema, exitus declarauit, abscissum Holofernis caput, & inconsolabilis Assyriorum planctus: Atque hoc propè diuinum supplicationis quadraginta horarum inuentum auctorem habuisse Spiritum sanctum, vberes commonstrant in dies fructus.

133. Sub Iudæ in primis typo de Christo præclarissima vaticinatus Iacob Patriarcha, cùm iret sub vmbras: Illud refero ad Eucharistiam: *Lauabit* (inquit) *in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Genes. cap. 49. vers. 11. Ac sanè Genes. 49. vltima particula quæ de cruore est, innui mustum rubrum dicunt Tostatus quæst. 4. in allegatum caput, Oleaster in citata à nobis verba, & significat non leuiter Chaldæus Paraphrastes Tostatus, Oleast. Chald. inquiens: *Purpura optima erit vestimentum illius: operimentum eius erit sericum tinctum coccino:* Ergo, si liquor de rubicundo Baccho, vt quid in his amictum tinxerit? ad pulchritudinem, an ad sordes? Sanè ad ornatum; nam hoc indutus ferebatur cùm exclamauit Isaïas cap. 63. vers. 1. *Quis* Isaï 63. *est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ:* At, quo pacto vinum rubrum indumenta iucundiora fecerit, cùm deturpare potiùs soleat? Verùm hæc est Christi magna potestas, vt quæ commaculare videbantur, illa abstergant, & mundent, & nitidiora reddantur vestimenta ab illis, à quibus infici metus erat: De Christi Corpore, & Sanguine posse religiosè hæc accipi verba monuit Diodorus in catena Græca: Diod. *Vestimenta vino maculari solent,* (ait) *sed quemadmodum luto oculos sanauit, atque aperuit; & morte sua non morti vim addidit, sed mortem extinxit; ita vino vestimenta lauabit: Si quis verò sanguinem vuæ ad Seruatoris mysticum Sanguinem, & stolam ad dominicam Carnem referret: illius sensus tanquam pius non aspernandus esset;* Certè vestis Christi Ecclesia est, quæ beato Petro Alexandrinorum Episcopo, quasi ab Arrio hæresum Patriarcha conscissa per visum ostensa fuit: Hæc quondam fulgens, & splendida, tanquam nix, quando credentium cor vnum erat, paulatim negligentia Catholicorum sordidior reddita est; ergo pristinæ claritati restituturus Saluator, vino, eóque rubro, nempe, sacratissimo Sanguine suo, lauit: & timebant scioli, ne fœdaret magis; tantùm abfuit à commaculando, vt reddiderit ad miraculum pulchram, atque placituram; Sed inquis: Calix ille inebriauit mentem, de quo & conuiuij rector superbè gloriatur apud Dauidem Psalmo 22. *Et calix meus inebrians quàm præclarus est!* Quomodo igitur Ecclesiam puram, & sine labe reddidit per vinum, & ebrietatem? Reddidit quidem, neque aliud fortius remedium ebrietate eius: O sanctam, optandámque ebrietatem, de qua P. Augustinus in præfata Psalmi verba: *O poculum tuum* (ait) *obliuionem præstans priorum vanarum delectationum, quam præclarum est!* Ad hoc inebriauit IESVS meus, vt ipsam ebrietatem nescirem: vt in posterum videremur, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati: Ad hoc mittit viros Societatis suæ, qui de alto clamitant per dies Bacchanaliorum, *Et vocent ad arcem, & mœnia ciuitatis: Si quis est paruulus, veniat ad me, & insipientibus: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Prou. 9. 4. August. Proueib. 9.

134. Ac mihi quidem in his contigisse tale aliquid videatur, quale in arborum insitione accidere soleat; Non erit indigna comparatio, quando & ea Paulus vtatur Epistolæ ad Romanos, cap. 11. Sacramento autem Corporis Christi accommodat egregiè Areopagita Dionysius de ecclesiastica Hierarchia, cap. 3. *Per hanc* (inquit) *beneficam clementiam ad participationem sui, suorúmque bonorum inuitat genus humanum: si igitur ipsius sacratissimæ inseramur vitæ, ipsam, quantùm fas est imitando veraciter consortes Dei, diuinorúmque participes efficimur:* Sic Dionysius eò loci, quo de Communione, & Synaxi tractat, vbi vt Christo inseramur, hortatur: Est autem potissimùm considerandum, ramum generosum ignobili trunco immitti, atque rum ex radice contempta inclytam procreari sobolem; Quare Maro Georgicorum 2. *Insitio arborum vt fiat.* Rom. 11.

Inseritur verò ex fœtu nucis arbutus horrida,
Et platani steriles malos gessêre valentes,
Castaneæ fagos, ornúsque incanuit albo
Flore pyri, glandémque sues fregêre sub vlmis. Virgil.

Lege apud Plinium lib. 15. cap. 15. & lib 17. cap. 14. Plin. Quamobrem, quod Apostolus ad Romanos scribens, cap 11. vers. 17. magis significat, radicis naturam potiùs sapere insertam arborem inquiens: *Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt; tu autem, cùm oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es;* ad mysterium, plusquàm ad rem rusticam attendisse, Origenes scitè aduertit lib. 8. in eam epistolam: Orig. *Sed ne hoc quidem lateat nos in hoc loco, quòd, non eo ordine Apostolus oliuæ, & oleastri similitudinem posuit, quo apud agricolas habetur; illi enim magis oliuam oleastro inserere, & non oliuæ oleastrum solent; Paulus verò apostolica auctoritate ordine commutato, res magis causis, quàm causas rebus aptauit:* Et Glossæ Auctor breuiter; *Bona enim arbor in* Glossa. *non bonam inseri solet: hîc non bona in bonam:* Et contemplare sedulò naturæ stupenda opera: quis enim cogitauit, ab oleastro enascituram oliuam dulcem, atque suauem? platanum sterilem laturum malos valentes? Nónne quando & virtus, & vita à radice, oportebat ramum de trunci natura participare, & non conuerti in stolonis naturam totum stipitem? Nunc, quid per Societatis homines facere dignatus Seruator, considera; In anni sylua vniuersa, nulla peior arbor Bacchanaliorum diebus; Deum immortalem! quàm abominandos fructus producebat lignum detestabile! luxuriam, gulam, comporationem, aleam, iracundiam, omnia de Gentilissimo: Miseratus Redemptor tam immanem aduersariorum

uersationum stragem, inseruit istis diebus supplicationem quadraginta horarum: Et certè videbatur, cùm mensam, & pocula conduplicaret, dapibus nouas adiungeret escas, quoniam à tali insitione congeminanda fuisset Bacchanaliorum insania; verùm cessit industria feliciter; nam non illi dies Christum in se conuerterunt, sed illi in Christum conuersi sunt; & vbi dominabatur quondam furor, & omnis vana libido, nunc verecundia regnat, & Sacramentorum amor, Pœnitentiæ, atque diuini Pabuli omnes occupat, ita vt mihi de his diebus (tanta est mutatio dexteræ Excelsi) non iniustè liceat prædicare, quod de hebdomadæ pœnosæ temporibus Bernardus sermone in feriam 4. eius hebdomadis: *Vniuersi siquidem Christiani* (inquit) *sacra hac septimana, aut præ solito, aut præter solitum, pietatem colunt, modestiam exhibent, humilitatem sectantur, induũt grauitatem: Quis enim tam irreligiosus, qui non compungatur? quis tam insolens, vt non humilietur? quis tam iracundus, vt non indulgeat? quis tam delicios⁹, vt non abstineat? quis tam flagitios⁹, vt non contineat? quis tam malitios⁹, vt non pœniteat his diebus?* Præclarè Maro vbi suprà institionis miracula prosequutus:

Bernard.

——— *nec longum tempus, & ingens*
Exiit ad cælum ramis felicibus arbor:
Miratúrque nouas frondes, & non sua poma.

Sic ego crediderim euenisse Bacchanaliorum amentiæ: nunc enim stupescit de peregrino ramorum fructu, & miratur alias frondes, *& non sua poma*; quippe eius poma, fornicatio, & ingluuies, atque ebrietas, & omne genus luxus; nunc alia conspiciuntur poma, & quidem aurea illa, puto & de ipso vitæ ligno; quando nemo istis diebus, qui non proiectæ temeritatis, & facie tenus solùm Christianus, non temperantiam profiteatur, non animi sordes eluat, & de mensa sacra comedat.

135. 1. Cor. 11.

Aspice, vt Corinthios Gentium Doctor reprehendat prioribus ad eos literis, cap. 11. vers. 20. *Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non est dominicam Cœnam manducare; vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum; & alius quidem esurit, alius ebrius est.* Sed, quamobrem Paulus dixerit, non fuisse eam Domini, quam manducarent Cœnam? Nónne Christi porrigebatur illis Corpus? Proculdubio. Quid igitur Domini Cœna, nisi ipsius Corpus? Declarat Apostolus totâ eâ Epistola: Ecce, quid ex nostra Hybernia conspicuus Doctor Sedulius in eum Corinthiorum locum aduertat: *Apud Corinthios* (inquit) *quondam, vt alij asserunt, praua inualuit consuetudo, Ecclesias passim dehonestare conuiuiis, in quibus vescebatur ante dominicam Oblationem, quam cœnam noctibus adoriebantur; cúmque diuites ebrij ad Eucharistiam venirent, vexabantur fame inopes; mos verò iste, vt referunt, de gentili adhuc superstitione veniebat; vnde etiam in quibusdam locis per Ægypti, vel Syriæ loca, die Sabbati, nocte post cœnam dicitur ad Ecclesiam conuenire: Aut Ecclesiam Dei contemnitis? faciẽtes eam triclinium epularum?* Itaque certè apud Corinthios Bacchanalia vigebant, apud quos abdomen, & comportatio, & inuerecundis Ethnicorum mensis paria symposia; Pulchrè igitur, & diserè subintulit Apostolus, non esse dominicam Cœnam, non Christi sacratissimum Corpus, quòd heluones manducarent; quippe hoc virtutis, atque efficaciæ beatissimæ, quæ cum Diuinitate coniuncta est escæ, vt Bacchanalia continuò supprimat; ebrietatem, impudicitiam, ventris curam ableget; inducat autem sobrietatem, & temperantiam; Quoniam igitur Paulus animaduertebat, perstare apud Corinthios Bacchanalia, & carnis eos voluptatibus immergi, quamuis frequentare Ecclesias sciret, & ore recipere immaculatam Hostiam, dixit tamen non esse illam dominicam Cœnam; hoc est, efficere illos moribus suis, ne crederetur Christi Corpus; quoniam impossibile apparebat quodammodo, vt si veram illi Seruatoris Carnem manducarent, non obliuioni traderent Gentilium ritus, & erubescerent de profanis epulis populus acquisitionis, gens spiritalibus pasta deliciis, & de pane vitæ saturata; O Sacerdotes, si qui vos estis, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: *Qui comeditis agnum de grege,* (Amos c. 6.) *& vitulos de medio armenti; qui canitis ad vocẽ psalterij, bibẽtes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti!* Si non hæc deponatis, continentiam, & sobrietatem amplexi, putida erit de sacerdotio gloriatio vestra; quoniam ita conuenientibus vobis in vnum, non est dominicam Cœnam manducare.

Amos 6.

Sedul. *Mos antiquus sumendi cibos ante Eucharistiã.*

136.

Bis ventri addictus ille Hebræorum populus, & nullo quiescẽs pabulo pro alimentis conquestus, Exod. c. 16. & Numerorum c. 11. Obtinuit vtraque vice coturnices; sed magna cum strage secundæ petitioni indulsit Numen; *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis*; Cur non ad primam querimoniam inflicta quoq; supplicia? Cyrillus li. 3. in Ioan. c. 34. *Dices; Quare conquestos, & murmurantes non puniit, sicut postea, vt dicitur Numeror. c. 11. Hac, vt mihi videtur, causa est; nam, quoniam nuper ab Ægypto effugerint, panémque cœlestem, qui cor hominis corroborat, adhuc non receperint, facilius poterant in cupiditates carnis incidere, propterea & venia digni sunt: postea verò quàm Domino fruebantur, vt scribitur; tunc iure, quoniã corporalia spiritualibus præposuerant, acerba dederunt supplicia, & ad supplicia insignem calamitatis memoriam reliquerunt*; Itaque Cyrillus indicat, ante subministratũ illis manna, indulgẽtia dignos extitisse; post probatas de cœlo missas escas, etiamnum malè saturos, & ad sordida Ægyptiorum triclinia inhiantes, omni vexamento afficiẽdos fuisse: quæ horum tam iusta consequentia? Sic enim natura vsúque comparatum, vt qui delicatioribus vescuntur, ij gulæ plùs obediant; Quando igitur Creator Hebræis suppeditauerit panem omne delectamentum suauitatis in se habentem, non est mirandum ab esu talis alimenti gulosiores factos: minor igitur culpa fuit post expertum manna cibos expetiisse, quàm anteà; ac proinde tunc potiùs excandescere Numen oportebat. Verùm de Olympo ille cadens pastus, Eucharistiæ typum sustentabat, atque in illo huius Sacramenti velati effectus; Celebrent quidem Bacchanalia, quicunque illi extra Ecclesiam positi, & Indus, & Mahumetanus, ventris diligentiam summum bonum opinentur, & calices in lætitia hauriant vsque ad profundam ebrietatem: silebit Numen, expectabit cum patientia, si fortè vel serò tandem conuertantur. At si de sacratissima Mensa edentes impiorum belluinos mores imitari velint, neque simul ac de Christi Corpore nutriantur, Bacchanalia & ingluuiem deserant, stringet furoris gladium Dominus, nec sustinebit, vt

Exod. 16. Num. 11.

qui de eius Corpore manducant, inter bacchantes numerentur.

137. Sed vrgeamus superiùs statuta; nempe, vt stabiliuerit Sacramentum per ea quę inimico opem subministratura videbantur, & exitium ipsum in salutem conuerterit: Excepit Hebræorum clanculatios hospitio Hierichuntina stabularia Rahab; promisêre incolumitatem capta vrbe: Verùm inquiunt, *Innoxij erimus à iuramento hoc, quo adurasti nos, si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, & ligaueris eum in fenestra, per quam demisisti nos.* Iosue c. 2. vers. 17. Sed, quid purpureus restis designauerit? Pacem, videlicet, & bonam fortunam domui cauponariæ cum inhabitantibus eam? Ita planè: Suffragatur Ambrosius lib. 5. de fide, c 5. *Vidit hoc meretrix & quæ in excidio ciuitatis remedia desperaret salutis; quia fides vicerat, signa fidei, atque vexilla dominicæ Passionis attollens, coccum in fenestra ligauit, vt species cruoris mystici, quæ foret mundum redemptura, vernaret. Ita foris* IESV *nomen fuit præliantibus ad victoriam, intus species dominicæ Passionis periclitantibus ad salutem; vnde, quia intellexit Rahab cœleste mysterium, dicit Dominus in Psalmo: Memor ero Rahab, & Babylonis scientibus me.* Est verò Psalmus 86. vbi & Augustinus simili stylo arcanum coccineæ vittæ exponit: At mihi difficile, quòd fœderis pignus sanguineus restis; quippe cædis, & cruoris fundendi consuetê in castris esse rubentia signa, de quibus vide nostrum Roam singularium locorum 1. lib. cap. 1. Sanè & belli pacta etiam per sanguinem inita, Minutius Felix in Octauio. *Ipsum credo docuisse* (loquitur de Saturno,) *sanguinis fœdere coniurare Catilinam; & Bellonam seruum suum haustu humani cruoris imbuere;* Quin & Redemptor hominum incitaturus milites aduersùs Principes tenebrarum harum, vt decertarent cum idololatria fidenter, potauit de sanguine suo; *Hic est calix* (inquit) *nouum Testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Luc. cap. 22. vers. 20. Quomodo igitur purpurea redimicula in sponsionem salutis? Sed latebat in purpura mysterium dominici Cruoris: proinde oportebat conuerti naturas rerum, & quæ ad bellum ordinata fuerant, paci subseruire; ideò quæ stragem afferre videbantur domui Rahab, incolumitatem attulêre. Ecce & Bacchanaliorum quoque portenta! nam audientes Christum epulas instruere superbas, mensam ponere, tauros, & altilia exhibere, inuitare sodales, vt biberent, & inebriarentur, nónne putabatis, & Bacchanaliorum licentiam corroborare voluisse? nónne vobis timor incussus, ne non & ipse bella spiritui indiceret, aduersùs quem caro concupiscit? Sed non illi mens talia facere: verùm, cùm per alia vincere posset, elegit potiùs de carne per Carnem triumphare, de ebrietate per vinum & calicem. Ita gloriosissima eius ouatio ferientis hostem suismet spiculis, & transmutantis naturas in contrarios vsus, vt quæ ad pacem esse apparebant pugnæ fierent instrumenta: rursúmque certamini parata, oleæ & pacis vsibus obsecundarent.

Ioſue 2. Ambroſ. Pſal 86. Auguſt. Roa. *Rubentia signa, belli nota.* *Coniuratorũ pacta hausto humano sanguine* Min. Felix. Luc. 22.

138. Postremum hoc de inuerso rerum ordine cõfirmabimus venustè, comparatis duobus Christi de pane multiplicato prodigiis; nam oblatis septem panibus saturauit ex his, qui triduo eum sustinuerant, quatuor millia hominum; & postquàm vniuersi famem extinxerant, de his, quæ restabant fragmentis, repletæ septem sportæ, Matth. c. 15. vers. 37. Pauit & aliàs quinque millia virorum; atque absolutis epulis collegerunt discipuli, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerant his, qui manducauerant, Ioan. cap. 6. vers. 13. At, quare de analectis plura colliguntur, cùm fuit discumbentium auctior numerus, minórque diuisi panis? Anne diuites monere placitum, ne parca & auara manu distribuerent, quando plùs supereſt, vbi pluribus impenditur? Equidem, si causas naturales, earúmque attendamus vim, cùm discubuerunt quatuor mille homines, & panum extitit incrementum, potiores debuerunt esse reliquiæ: sin verò ad miracula intueamur, quemadmodum Seruator ita quinque panes multiplicauit, vt supereſſent duodecim cophini, potuit & septem quoque panes distendere, vt & totidem sportis omissa sufficerent. Excitauit Ambrosius controuersiam lib. 7. in Luc. ad c. 9. *Cur autem quinque millibus hominum plus redundat, quatuor millibus minùs? Quia quatuor millia ista triduo cum Christo fuerunt; & ideò ampliorem cœlestis pabuli alimoniam receperunt.* Arbitror autem hoc ipsius panis naturæ tribuendum, significo autem non materialem illum panem, sed eo adumbratam Hostiam salutarem Corporis Christi Domini. Accidit igitur huic pani contra spem, vt in pluribus abundaret, in paucioribus deficeret: talis illius vsus, cogitationem fallere solitus: Cui non iudicium, per saturitatem panis, per vini redundantiam, bacchantium ministeria incrementum capessura? & cùm de gula destruenda sermo innotuit, quis non per ieiunia extinguendam meditatus est? Elusit opiniones Christi mira ars; & Carne carnem domuit, vino concupiscentias suppressit: Quidni, quando & virgines germinans vinum eius sit?

Eleemosyna vtilitas. Matth. 15. Ioann 6. Ambroſ. Auguſt.

139. Ab ortu ei qui non viderat, restituturus Christus lucis iucundissimum vsum, *expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius.* Ioan. c. 9 vers. 6. Stupet ad nouam medelæ formam Ambrosius epist. 75. lib. 9. *Quid sibi vult,* (inquit) *quod is, qui vitam refundebat imperio, salutem præcepto dabat, dicens mortuo: Exi foras, & egressus est Lazarus de sepulcro, Dicens Paralytico; Surge, tolle grabatum tuum, & surrexit paralyticus, & cepit grabatum ipse portare, in quo solutus membris omnibus portabatur? Quid, inquam, sibi vult, quod expuit, & fecit lutum; & superunxit oculos cæci? Quæ ista ratio est? Magna, ni fallor; plus enim videt, quem* IESVS *tangit;* Certè, nónne perspicuè videntis acumen offendisset luti grauior moles? Nocituráne apponit vt saner? Sanè Augustinus tract. 44. in Ioann. cæci huius nocte repræsentari asserit tenebras, quibus offuscatum est genus humanum, ex quo mortalium primus deliquerat, quarum causa recessit à Domino, vitiorum sectatus blandimenta, & illecebras; luto autem diuina coagulatio saliua exprimi incarnatum Verbum: *Venit Dominus,* (ait) *quid fecit? Magnum mysterium commendauit; expuit in terram; de saliua sua lutum fecit, quia Verbum caro factum est, & inunxit oculos cæci: iunctus erat, & nondum videbat.* Igitur, quòd aduersante medicina redintegrauit visum, significabat Carne sua, quæ luto figurabatur purgandas vitiorum sordes, & eluendas hominum mentes. Verùm id, quo pacto? Equidem per contraria ipsi medicinæ; scilicet extirpare indignos

Baccha

Bacchanaliorum vsus mens erat; at non, vt existimabatur, ingluuiem abstinentia aggressus, sed Cerere, & falerno profligauit: O nouam medicandi scientiam, & dignam magno Numine, quando lutum oculis auxiliatur, Caro edomat voluptatem, refrænat gulam, comessationes, luxuriam.

140. Psal. 86. Nunc vltimùm ad te conuertat Mater mea, Societas inclyta! Tibi de Psalmo 86. liceat decantare; *Gloriosa dicta sunt de te*; Sed, quare gloriosa? Quoniam per te in ciuitate Dei, & Rahab, & Babylon, & alienigenæ, & inhabitantes Tyrum; *Meritò gloriosa dicta sunt de te* (inquit Augustinus,) *vbi non solùm est ille populus Iudæorum natus ex carne Abrahæ; sed ibi omnes gentes, quarum quædam nominata sunt, vt omnes intelligantur:* Igitur antequàm tu supplicationem quadraginta horarum institueres, populus fidelis moribus similis erat Ægyptiis, aut Babyloniis, aut habitatoribus Tyri; nam & eorum Deus venter, quemadmodum & horum: erat corpore in monte Sion, in ciuitate Dei; mente exulabat ab ea: nunc omnes isti in ciuitate Dei sunt quoad animam quoque; culpas enim coram Iudice conscientiarū in fletu, & compunctione eluunt, de Corpore Christi vescuntur, sobrietatem, & continentiam diligunt, Christi & esse & nominari Sectatores amant: per te hoc, tu ad ciuitatem Dei potenter traxisti, tu in virtute IESV tui; Dicam iterum cum Augustino; *Si ergo ibi Rahab, & Babylon, quia ibi & alienigenæ, ibi Tyrus, ibi populus Æthiopum, meritò gloriosissima dicta sunt de te.*

August.

SECTIO XIV.

De Scriptore excellens opinio singulariter ob morum integritatem doctrinæ mirificam conciliat auctoritatem.

141. VErum est rigidè loquendo in Canonicis scripturis parum referre quis immediatus Auctor fuerit propheticæ Vaticinationis, ideo quippè assentimur infallibilia esse quæ pronunciantur, quòd à Deo proficiscantur, cuius instrumentum solùm à quo nos accepimus; quare & per malorum hominum ora interdum vt Balaam, & Caïphæ prædixisse de futuris, ùsque eximiis materiis affirmabamus; Cæterùm in aliis narrationibus, quas fide credere non oporteat, sed liberum sit de illis opinari, absque dubio certa fama de nobiliori sanctitudine eorum qui docent, incredibilem affectum in legentium, audientiúmque cordibus generat; quo fit vt sibi facilè persuadeant eiusmodi hominibus speciali gubernationis prouidentia sanctum adstitisse spiritum, & mortalibus ingenij discursibus maiora instillasse dogmata; quamobrem velut olympo delapsa hortamenta venerantur, & animo commouentur, & virtutis studio inardescunt, & in ea quæ præcipit adquiescunt; qua de causa Magnus Basilius homil. 1. de opificio Mundano; *licet altitudinem cordis Historici non valeamus attingere propter imbecillitatem nostri intellectus, attamen prærogatiua loquentis inspecta, vltrò ad consentiendum his, quæ dicta sunt adducimur*; idémque homilia 1. in exordium Prouerbiorum; *auctoritas enim Doctoris acceptum sermonem facit, ac discentes attentiores reddit,*

Basilius. *Docentis auctoritas gratiam addit sermoni & auditores attentiores reddit.*

Templum introgressi duo homines vt orarent vnus Pharisæus alter Publicanus, tandem Pharisæi preces displicent, & descendit Publicanus iustificatus ab illò Luc. cap. 18. vers. 14. Quomodo facta est misero Pharisæo oratio eius in peccatum? Commune iudicium est superbiisse, dum præ se reliquum genus humanum contemnit, quamobrem ob immodicas, iniustásque laudes Numini inuisas fuisse supplicationes: At certè nónne Iobus frequenter rerum suarum encomiastes? nam & pedem se fuisse claudo, & oculum cæco deprædicat, nec in vitæ curriculo ab anima se aliquando reprehensum: Quamobrem absoluitur, & Pharisæus condemnatur? Isidorus Pelusiotta causam suggerit, ob quam Pharisæus reiectatus sit, quia nulla compulsus necessitate suis in laudibus versatus fuerit, secùs atque Iobo contigit: *Si mireris* (inquit libro 3. epist. 278.) *quamobrem Pharisæus ob verborum iactantiam apud Deum offenderit; Iob autem qui plura & sublimiora dixerit, gloriam assequutus sit; audi breuiter: Pharisæus ille quia nemine concitante, ac stimulante magnifica de se prædicabat, altiúsque quàm vniuersus terrarum orbis de se sentiebat, meritò in Dei offensionem incidit, siquidem superbiæ morbo laborabat: frigidum enim atque insulsum vt est, ita etiam videtur, laudes suas prædicare cùm nulla vrget necessitas*: Sed obsecro, quæ B. Iobo necessitas, qua excusatus intelligatur? Volebat Numen historiam vtriusque Iobi fortunæ perstare in venturæ posteritatis solatium, ad constantiæ imitationem: Quia igitur sciebat auditores plurimùm suspicere verba, & compungi mente, cum dicentis vita loquutioni simillima est: stimulauit patientissimum seruum, vt reliquis gestis suarum virtutum pariter memoriam intexeret: Iobo itaque regentium vtilitas sufficiens extitit causa deprædicandarum laudum.

142. Pelusiotta.

Baptizatur Christus, & deinceps euangelizat: quare non prædicare aggressus priúsquā lymphis tingeretur? equidem famosus non erat ante Baptismum, sed Baptismum sociantibus prodigiis celeberrimus redditus est; quid enim illustrius quàm vt cæli aperirentur, & Spiritus sanctus columbæ sub forma descenderet, & vox de supernis audiretur Genitoris testantis; *Hic est filius meus Dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. c. 3. vers. 17. licet enim semper ab exordio conceptionis Spiritu sancto plenissimus, at volebat vt sensibiliter constaret Amori æterno charissimum pignus, denique supra hominem esse, quem Deus gnatum proclamaret sonoro strepitu: sed quò tendebant ista omnia? nempe aduenerat hora, qua euangelizaret Iudæis, verbique sementem spargeret: quò igitur feliciori gustu exciperent, voluit admirandam quandam de ipsomet opinionem prius conciperent; hac enim imbutæ mentes non posse non salutaria esse, quæ talis tantúsque præscriberet, crederent, nefasque arbitrarentur reluctari iubentis imperio; hunc ergo ob finem non ante docêre voluit, quam baptizaretur, eo quod Baptismus insignem & mirabilem redditurus fuisset, qualem esse oportebat, vt cum gratia & affectu doctrina admitteretur: Cyrillus Ierosolymitanus Cathech. 5. Illuminatorum; *Ab eo tempore cœpit* IESVS *prædicare cùm descendit in*

143. *Christus prius baptizatur quàm euangelizet.*

Matth 3. v. 17.

Voluit Christus vt auditores prius de ipso o intonè conciperent.

Cyrillus Ierosolym.

illum Spiritus sanctus corporaliter in specie columbæ; non vt tum primum IESVS *viderit, videbat etiam antequam corporaliter veniret; sed vt Ioannes baptizans illum cerneret;* Benè, vt *Ioannes* non vt Christus *cerneret*; Ioannes quippe intuens Spiritum sanctum supervolitare, & agnoscens quantus præ ipsomet Seruator, multitudini declaraturus erat, vt & fecit, se comparatione Redemptoris ne dignum esse qui corrigiam calceamenti eius solueret; audiens verò populus huiusmodi ab ore eius, quo non surrexit maior inter natos mulierum, quàm sublimia de Christo conciperet? habens autem de eo præclaram existimationem, dictis illius officiosè cederet.

144. Sed ab eodem Cyrillo hauriamus, quamobrem Paulus gentium Magister in tertium vsque subuectus cælum? certè quorsum illic non manserit perpetuò, verum ad humanam fragilitatem rursum transmissus sit? *Descendit autem Paulus iterum* (ait Cathech. 14.) *non quod dignus non esset conuersatione tertij Cæli; sed vt gustatis cælestibus, & honoratus descendens Christum prædicaret:* Cõsidera dictionem, *vt Honoratus*; ergo honorabilem & præfulgidum esse conueniat qui Christum annunciaturus sit? Verùm si expediat, quamobrem non Consules, non Dynastas, non Philosophos, vel Oratores elegit, per quos orbis conuerteretur? Sin autem ex consilio & industria quadam piscatores assumpsit despectos, & infirma mundi vt fortia confunderet, quare Paulus *honoratus* futurus idcircò speciatim vt Christum prædicet? At nosse iuuat, aliud esse apud sæculum honoratum censeri; aliud penes virtutem & spiritum: fastidiuit IESVS pompam mundi, & noluit ex potentatibus euangelizantes nominare, ne forte suis tribuerent viribus, & non crucis efficaciæ orbis immutationem spretis Deorum cultibus; Paulus verò ascensu in Paradisum spiritaliter magnus & honorabilis euasit; conducebat autem plurimùm ita fieri ad Religionis Christianæ amplificationem; scientes namque ad quos prædicatio dirigebatur, tanti meriti, qui antequàm vita excesserit, Angelorum contubernio dignus habitus sit, & inaccessum Olympi penetrauerit limen, quo timore, qua reuerentia sermones eius exciperent? quomodo non obtemperare metuerent? itaque rectè penitùs, quòd *honoratus* intelligatur, qui nationum Doctor futurus; sed credo pariter & sic condecoratum, quòd Scriptor egregius extiturus epistolarum in quibus altissima Theosophiæ fundamenta, & omnes regulæ Christianarum actionum, quas vt studiosè complecterent, & fouerent illi, ad quos mittebantur, vtile admodum erat, suspiciendum esse, colendissimúmque ob sanctitudinis clariorem famam eius, qui scribebat; quare quod Hebræis infensior esset Pauli recordatio, ne ob eius nomen, quod inuidiosum erat Iudæis & detestabantur, monita contemnerentur, subticuit Epistolæ ingressu exordiri more consueto, *Paulus Apostolus* IESV CHRISTI, &c. Veritus, ne propter odium Scriptoris, malâsque de illo formatas cogitationes ad doctrinam quoque inimicitiæ transirent, nec commodum dictio faceret, quæ ob parentem inuisa fuisset; ita ex Clemente Alexandrino retulit Eusebius lib. 6. Histor. Eccles. cap. 11. *Atque hanc inscriptionem Paulum Apostolum non sine causa in epistolæ principio fuisse præmissum; Nam cum Paulus ad Hebræos epistolam scriberet, qui illi præiudicatam animis sententiam, & suspectam opinionem contra eum, eiusque doctrinam combiberant, nomen consultò admodum non inscripsisse; ne in ipso exordio animos illorum prorsus ab epistolæ lectione auerteret.*

Cyrillus Ierosolym. *Paulus anìè in cœlum raptus vt post à Christum honoratius prædicaret.*

Eusebius.

Producta est lux, sed quomodo? imperante Deo vt emergeret: *Fiat lux & facta est.* Genes. cap. 1. vers. 3. statimque approbatam à Numine Moyses aduertit; *& vidit Deus lucem, quod esset bona*; fabricatis elementis cum irrationali creatura postremò ad hominem deuenitur, & effigiatur à Deo totius opificij maior honos: quàm validum, quàm capax animal? deinceps solus in tanta molitione conditus ad supremi Imperatoris imaginem, atque similitudinem; huius tamen absoluto labore non subnectitur, contemplantem artificem vidisse quòd bonus esset; Quamobrem lux bona reputatur, non autem Homo, ob quem lux ipsa procreata, cui esset famulatura? aut si vterque bonus, quorsum non collaudatur pariter rationalis creatura? Num quod supervacaneum Hominis encomium vt qui suæ creationis magnitudine satis glorioſus absque externo præconio? at & lux quoque formosissima est; Sanè lucem cùm faceret Creator, licèt ipsius verbo prosilierit, visus tamen dictionis sono aliis imperasse vt producerent *fiat*, inquit, *lux?* Quid est *fiat*, nisi vt alius non autem ipse agat? Quamobrem dubitatio esse possit de Auctore lucis, loquutionis norma externa solùm considerata, an Deus scilicet, an inferior alius progenerauerit; non sic in homine; expresè namque Verbum introducitur cum Trinitatis aliis personis colloquens, & aiens: *Faciamus hominem*; itaque Deum ipsum suis effinxisse manibus Hominem dubio vacat; Quia igitur de Hominis tam insigni plasmatore constat, opus ipsum commendari superfluum est; si enim Auctorem eximium esse contingat, huius præstantia in id quod effectum est, tantum refundit decoris, vt genus hominum vix induci possit, quin optimum esse iudicet, quòd à maximo Artifice dimanarit; Encomij igitur subsidium lux, de cuius Parente controuersiæ aliqua suspicio, accipiat; non Homo, quem Deum molitorem fuisse fortitum constat; catena Græca Pentateuchi in cap. 1. Genes. ex Theodoreto; *in rebus, quas fecit eximperio Deus, vtitur hac velut approbatione & vidit quòd esset bonum; ideircò in Adam quem suis veluti manibus conformauit, nihil opus fuit his verbis.*

145. Gen. 1. v. 3.

Cur cætera valdè bona dicantur, hominis verò dignitas, & excellentia taceatur?

Theodoret.

Quàm potens in verbis & sermone ille, quem floridiori stilo depingit Dauid Psalm. 44. vers. 6. *Sagittæ tuæ acutæ populi sub te cadent, in corda inimicorum Regis:* describitur autem prædicationis insignis vigor, cùm diuinæ eloquentiæ stimulis, quibus nulla resisteret durities vel spissarum iniquitatum: *Sagittæ tuæ* (exponit Incognitus) *id est verba tua ô Christe, & sacræ Scripturæ quæ corda hominum penetrant, & velociter quo vult spiritus perueniunt, & longè dirigunturs; & sic incomprehensibilis potentia Christi hic ostenditur; vnde populi isti sagittis vulnerati sub te cadent, vt scilicet de inimicis fiant amici; sicut Saulus prius erectus contra Christum cælitus emissa sagitta percussus est, & cecidit per humilitatem dicens, Domine quid me vis facere?* Sed vndenam vt verbis ita cesserint homines gurgite vitiorum submersi, & idolatria dementes? inspiciamus quantus sit eloquentiæ huius Auctor! *Speciosus* (inquit) *præ filijs hominum!* quare formosior omnibus? nempe in

146. Ps. 44. v. 6.

Incognitus. *Quàm potès in verbis Christus.*

eius

eius ore nunquam inuentus est dolus; nominatus modo Michaël Aygnanus; *Speciosus forma, &c. Hoc ideò, quia immunis à peccato, quod de nullo alio dici potest, quin peccatum actuale vel originale contraxerit formaliter, vel causaliter; quamobrem & mox Vates de illo testatur: Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus oleo latitiæ præ consortibus tuis:* Qui igitur tam sanctus, tam à labe omni immunis: quid si his addamus Deo ipso cretum esse? nam eructauit cor paternum secundum diuinam generationem; quomodo non eius sermones ab Auditore quodcumque cupiant extorserint? Cùm enim qui auscultant de eminentia dicentis cogitant, & perpendunt maiorem humano Oratorem, concipiunt altissimè de sermone, & obsecundant facilè arduis etiam præceptis; probè itaque vt sagittarum, id est vulnerantis acriter, spiritúsque medullam traiicientis eloquentiæ potentiam demonstraret; præmisit de sagittario maximum encomium formæ, cui alia non comparabilis.

Verba Christi sagitta medullam Spiritus trajicientes.

147. Recensurus Matthæus Christi lineam per auorum plurimorum seriem Abrahamum Dauidi postposuit, inquiens: *Liber generationis* IESV CHRISTI *filij Dauid, filij Abraham*, cap. 1. vers. 1. Quando equidem ab his duobus signatim intitulare Genealogiam Seruatoris placuit, quare non senior Dauide Abraham primum & antiquiorem locum occupat? Theophylactus in Euangelium Matthæi; *Quare ipsum Dauid Abrahæ præposuit? quia apud Iudæos celebrior erat Dauid, regnóque clarior?* At quomodo celebrior, cùm in ore Hebræorum nihil frequentius, nec quo magis gloriarentur, quàm quòd semen Abraham essent? vbique etiam Pater noster Abraham; denique stirpis truncum & originem summè venerandam? Sed neque Salomonis imperio Dauidis clarior regnatus: Quare Rupertus idcircò, prælatum existimauit, quod Psalmos egregios scripserit; arquin & Salomon gnatos eius conscriptis quoque voluminibus famam in paucis admirandam adeptus: Quænam igitur Euangelistæ ratio? nempe vrgebatur à Spiritu sancto; Siquidem quòd dictabat æternum Numen præuidebat exorientis primitiuæ Ecclesiæ, lætitiam singularem in Psalmis Dauidicis canendis hymnodia Ecclesiastica instituta; Quo igitur metro dulcissimo cæleste inesse quidpiam, excelsum, inuestigabile putarent, Auctorem honorare insolita forma meditatus est; quia igitur Abraham Patriarchæ memoria nihil ingentius, huic quod supremum fastigium apud Iudæos, præposuit, auspicatus à Dauide Christi lineam inscriptionis fronte.

Matt. 1. v. 1.

Theophyl.

148. Misit ad prædicandum discipulos IESVS, & iussit *non possidere aurum, neque argentum, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque Virgam.* Matth. cap. 10. vers. 9. quem ob finem calceamenta negantur itinera aggressuris? Animaduerte pulchritudinem euangelizantium vestigiis plantaque sitam imprimis; ideò Prophetа exclamat; *Quàm pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annuncians bonum, prædicantis salutem:* Isaiæ cap 52. vers. 7. Quia igitur ibi formæ præstantioris decor, IESVS vult omnes intueri, & propterea calceamentis operiri vetat; Origenes lib. 8. in epist. ad Rom. ad c. 10. *Speciosi sunt ergo pedes euangelizantium bona; de istis puto etiam pedibus in Canticis Canticorum Sponsa dicit ad verbum Dei; laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? & de ipsis nihilominus dicitur, tibiæ tuæ sicut columnæ marmoreæ cum basibus argenteis: & fortassis, quia hæc pulchritudo est in pedibus Euangelistarum propterea non vult eos Dominus* IESVS *calceamentis operiri, & occultare speciem pulchram, sed præcepit neque calceamentum habere in via:* Sed esto venustas in pedibus eniteat, verùm ob hoc calceamenta necessaria, nisi enim protegantur ab operimento, puluere & cæno deturpabuntur vestigia, & formæ gratiam amittent; sin autem non de corporea specie sermo intelligatur, quæ ad nihilum valet prædicatoribus, sed de animæ ornamentis eximiis quibusdam; nónne omninò præstat thesaurum abscondi, ne fur insidietur? At quidem in aliis vt sic conueniat, sed non in eis, quorum munus docere populos, & orbem illuminare; nisi enim in his mira quædam pulchritudinis ratio affulgeat, quã mortales suspiciant, prædicatio vilescet apud auditores; restat enim vt cuius vita despicitur, illius & contemnantur exhortationes seu ore proferantur; seu chartis mandentur; calceamenta ergo alij portent, sed non qui euangelizant.

Matth. 10. v. 9.

Isaiæ. 52. v. 7.

Origen.

Cur IESVS *prohibuerit pedes euangelizantium calceamentis operiri?*

SECTIO XV.

Veritas lucem, & cognitionem hominum nunquam erubescit; malitia est quæ absconditur.

149. SCripsimus Theodorum Mopsuastiensem, & eum sequutos Nouatorum quosdam, tanquam Ecclesiæ Christi summa indignum modestia ex Bibliorum Canone Salomonis expunxisse Epithalamium, quòd lasciuienti pangeret carmine amorem impurum; Quanta huius cogitationis temeritas, quàm audax esset demonstrauimus; At demus ab amore carnali mutuata verba, quando Ecclesiam non lateret egregias ob causas Spiritum sanctum voluisse vt & tali sub charactere Hymenæus conscriberetur, quamobrem occultare tentaret verum esse sciens? absit; angulos Hæresis quærat, & latêre exoptet, cui nihil syncerum est, Mater orthodoxa, nec si propuderet humanæ alicuius infirmitatis & lapsus, tamen denegasset, magis cupiens vera haberi, quàm absque næuo computari; quamobrem eas adorat, & veneratur Scripturas, quæ Dauidis, Salomonis, Petri vulnera proponit; neque summo apud se in pretio esse Epithalamium erubescit, quod humani coniugij legitimas blanditias subministrat; à Christo didicit veritatem manifestis gaudere, fugere latebras, quas tortuosi serpentis malitiosa calliditas diligit; Quamobrem idem Seruator cùm venturum se in nouissimis diebus prædiceret, admonuit ne errore deciperentur mortales, aiens; *Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere*; Sed quare non putent in solitudinibus posse inueniri? quare non sub domorum culminibus? Quoniam scilicet & eremus & rectum anguli sunt terrarum solùm, & recessus ad integendum; Christus veritas est; huius autem natura publicum exoptasse, vniuersis apparere, non concludi latibulis: quare subdit continuò *sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem; ita erit & aduentus filij hominis.* Matth. cap. 24. v. 25. Quid tam parens atque fulgur,

Matth. 24. v. 25.

fulgur,quod ab vno in alterum orbis extremum pererrat ? vt quotquot vbique habitant, intueri valeant cunctis expositum ? eiusmodi igitur quicunque verus Christus, nam qui certus mortalium Redemptor, Deique intemeratus filius, idem verum est;veritas autem sub aperto esse dispulsis vmbris postulat; Theophanes in Græca Corderij Catena ad vers.23.c.17. Lucæ: *Propterea, inquit,cum dixerint, ecce hic,& ecce illic, non egredimini, neque sequamini; nam impossibile est eum,qui semel in terra visus est, iterum in angulis terræ conuersari;si itaque aliquis hìc, aut illic celebretur,ne egredimini, neque credatis quæ dicuntur de illo; alius enim quispiam erit ille & non verus Christus;non enim apparebit super terram ambulans sicut quidam Homo communis, sed vniuersaliter nostra irradiabit,ostendens cunctis iubar propriæ Deitatis,& existens lux vera,quæ illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum; in hunc igitur modum docet se expectandum esse.*

Theophanes.

150. Magi postquàm recèns editi infantis vultus adorauerunt, admoniti supernis iussionibus aliis in patriam redière semitis,quàm stella ostenderat. Non igitur vt priùs Ierosolymam introgressi de nouo Rege apertis testati vocibus,non Herodem, non lege eruditos conuenerunt; propè fugæ similis abitio; at inspiciamus hoc iter consulentem Angelum,quemadmodum clementer sustinuisse Imperfectus meditetur sub Chrysostomi nomine homil.2.in Matth *O fides Magorum,non contradixerunt Angelo admonenti,dicentes, venientes antè. multitudinem ciuitatum non metuimus, Regem terribilem non expauimus; sed stetimus, & fiducialiter qui natus fuerat Regem prædicauimus:& quasi seruos latenter nunc iubes fugere ?* At quare cælesti cum nuntio tanquam expostulant, quod clam discedere.& per ignotos anfractus iubeat? nónne sic præcipiendo eorum incolumitati prospicit ? nam si per antiquas vias pergant, Herodis & Iudæorum in manibus incidant, qui vita & gaza despolient;non igitur de Angelo conquerendum sed gratiæ illi, per quem necem euaserint habendæ; sciebant quidem Magi velatæ & absconditæ profectionis modum conuenire; sed animi generositatem ostendunt,& nouæ doctrinæ, quam ad Seruatoris crepundia hauserunt, non oblitos se demonstrant; quippè Christus cum veritas esset, secundum veritatem edocebat eos publicum non declinare, secreta non petere; Angelo igitur piè ingemiscunt, quod quasi Præceptoris dissimiles esse cogantur, si per deserta & inuia transeant in Persidem,aut Chaldæam redituri;hoc illa; *Fiducialiter Regem, qui natus fuerat prædicauimus: & tanquam seruos latenter nunc iubes fugere.*

Imperfect.

151. Negauerat Magistrum Perrus, & obstinatior hærebat delicto,nam superaddidit bis,tèrque inficiari Dominum: direxit tandem mitissima in eũ lumina IESVS,& sibi continuò restitutus est. Origenes,aut multò potior Cyrillus lib.16. in Leuit. *Vis vidêre si respiciat Dominus ad hominem,quanta sit salus? Petrus aliquando penè perierat, sed vbi respexit ad eum* IESVS *tantùm, vbi ad eum placidi vultus ora conuertit, statim reuersus in semetipsum, & prolapsum de præcipitio reuocans pedem, fleuit inquit amarissimè:itaque ita respectus à Deo,locum suum flendo recepit,quem negando perdiderat*; Sed quid illa dulcissima acierum conuersio operata est ? Vt plangeret tantùm,& lachrymis genas humectaret ? non puto in ista solum directos oculos,verùm & tacitè docuisse foras vt prodiret,vnde & statim atrio Pontificali detestato, *egressus foras fleuit amare:* amiserat veritatem Perrus,mendax quippè factus est ancillæ ad interrogationem, lugebat igitur vt quem perdiderat recuperaret; sed vbi veritatis locus nisi in publico, nisi in manifesto? foras in plateis,non in palatiorum secretis veritas perambulat, vbi eam omnes conspiciant, vbi nullius occursum vereatur : Quid enim illa metuat,quæ iniquitatis & malitiæ expers candida nitet anima? exeat ergo Simon, & aperta diligat, vt secundas cum veritate amicitias componat indissolubiles futuras.

Cyrill.Alex.

Veritatis locus in publico,non in palatiorum secretis.

152. Asinâ vectus quasi triumphalem in modum Ierosolymam Christus perrexit, & per mediam vrbem ingressus; Nónne quidem tanquam ouãs, cui pallia,cui frondes substernuntur in via,cui acclamatum Hosanna Matth.c.21. v.9. At quare in hanc pompã delecta asina, quæ sublimem ostenderet?cur equi bellatoris neglectæ phaleræ cum ostro & torquibus ? cur despectæ quadrigæ ? cur baiulorum humeri ? Triumphum huiusmodi ornant, asina ludibrio est & contemptui; Theophylactus idcircò fecisse Christum asserit, tantùm vt vera antiqua Prophetarum oracula demonstraret, qui in asina triumphaturum præsignificarunt; itaque veritatis compulit ad humiliora amor; *Sedit super asinam* (inquit) *non in vllum alium vsum, quàm vt impleretur Prophetia,& vt ostenderet quomodo oporteat viliter vehi,non enim equo, sed asello vili vectus est : implet igitur Prophetiam, & iuxtà historiam, & iuxtà anagogen :* At si tam magnus æstus veritatis, & zelat tantopere fidem eraculorum,quamobrem non villam,non pagum, aut vt summum de opidulis aliquod delegerit,quod intrauerit subequitans rudi in animalculo?cur Ierosolyma vrbibus præfertur cæteris ? Scilicet vt dicebamus veritatis adimplendæ tractabatur ratio; si in pagum aut villam,& obscuri nominis quemcumque locum diuertisset, angulum & latebras petisse veritas argueretur, tanquam pudefacta vultum ostendere & cognosci : Quoniam ergo indecens erat veritatem quoquo modo lucem & publicum erubescere : idcircò Metropolim, quo omnium Prouinciarum incolæ soliti confluere, ouationi velut opportuniorem destinauit locum.

Theophyl. *Maximus veritatis adimplendæ zelus in Christo.*

153. In hominem collecta quæ amplissimam hanc fabricam elementa componunt, & ideò minor ipsemet orbis nuncupatus: quem id in scopum Philo declarat libro de opificio Mundi inquiens: *est enim contemperatus ex ijsdem elementis aqua, aëre,igne,singulis portionem suam conferentibus ad supplementum materiæ sufficientissimè:propterea in omnibus dictis regionibus tanquam in domesticis, cognatisque versatur, locum loco mutans, & alia aliis conferens,vt propriè dicere liceat, Hominem esse omnia,terrenum,aquaticum, volucrem, cælestem,* &c. Sed quare conglomerantur in hominem mũdi omnes columnæ,vnáque adsunt, è quibus tam vastæ,tam dissitæ plagæ resultant ? augurer propterea,quòd actionum suarum testem habeat quasi orbem vniuersum,vt publicam contemplationem nihil eius latêre valeat:At hoc ipsum quamobrẽ? Vide qualem hominem Auctor ab initio plasmauerit? *Solummodo hoc inueni* (ait Ecclesiastes cap.7. v.30.) *quòd fecerit Deus hominem rectum,& ipse se infinitis miscuerit quæstionibus:* quid est hominem *rectum* esse ? iustitiæ & veritatis nimirùm amantem, sine plicatura,absque dolo, sceleris purum : Qui ergo cum veritate conditus benè quòd orbis totius versetur in conspectu, quia nullius censuram

Philo.

Cur homo compositus ex quatuor elementis?

Eccl.7.v.30

suram veritas metuit; & quia localibus spatiis ita contingere non possit, neque omni adesse climati; transferatur compendio in ipsum orbis, vt domesticum & continuò assidentem habens, in ore & luminibus cunctorum versetur! ô morulam illam beatam! ô felix interuallum, quoad Adam cum vxore in veritate steterunt, tunc nudi licet per omnes amœni viridarij spatiebantur metas absque confusione aliqua: At quare nudi, nisi quia veri atque sinceri? operimentum veritas non sustinet, alioquin tegi quid vetabat? nec Creatori amictus decssent Adamo & coniuge digni; sed nulla tam pretiosa ornamenta ac nuditas, quę veritatem indicabat: Quantò gloriosior tunc Protoplastus, quam posteà nuditatem verecundatus, & seu perizomate, seu pellibus insignitus? P. Damianus ep. 89. *Ante vocem serpētis, ait Scriptura, erat vterque nudus, Adam scilicet & vxor eius, & non erubescebant: At postquàm eis venenata consilia Draconis instillauit astutia, protinus scriptum est: cúmque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.*

Nulla tam pretiosa ornamenta quam Adami nuditas.

Damianus.

154. Non ludæorum perfidia, non Paganorum ruditas adquiescebat vt crederet Dei extitisse filiū, qui in ligno patiebatur, fabulosam igitur non veram Narrationem asserebat, quæ tali super re componebatur; differrat contra eos Cyrillus Ierosolymitanus Cathech. 13. videamus quo argumentorum quam digno pondere! *Passio itaque vera inquit; verè enim crucifixus est: si enim nunc negarem, argueret me lignum Crucis, quod per particulas ex hoc loco per vniuersum mundum sparsum est;* Sed quid si in varias orbis terrarū partes distractum lignum, num ideò veritas in passione? acutè sub intulit Cyrillus: Quippè veritatis natura est angulos & latebrosa declinare, vbique optasse cerni, omnibus cognitam esse, nullius pauêre obtutus, nisi igitur verus fuisset qui patiebatur, delitescere Crucē voluisset, & penitiori loco aliquo abscondisset, sic enim mendaces faciunt, qui tenebras diligunt; ergo Cruce quaquà versùm perferri indulgens, atque vt in eam omnium conuertantur lumina, non esse verus non possit; iterùm alia forma Cyrillus; *Si quis non credat virtuti Crucifixi, percunctetur dæmones; multi per orbem crucifixi sunt, sed nullum exhorrebant dæmones, quoniam illi quidem propter sua peccata mortui sunt, hic autem pro alienis; peccatum enim ipse non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius:* Sanè propterea dæmones conducere valeant, quod à sancti ligni particulis torquebantur: At dæmonum cruciatus cum obsessorum corporibus pellerentur potentiam indicabat, magna enim virtus erat quæ superbos spiritus affligebat, non autem veritatem adorandi stipitis, & passionis quæ tolerata est in eo; Animaduerte comparari lignum hoc cum iis, in quibus facinorosi crucifixi sunt; tanquàm dicat, cruces illæ dæmones torquêre non audent, neque possunt, hoc autem vexat; nempe si velut ex impossibili supponeremus malefactorum crucibus vim inesse ad dæmones affligendos, tamen verērentur facere: quamobrem? ideo quod cum peccata haberent, metuerent nè à malignis spiritibus publicarentur, fraus enim omnis atque dolus reuelari erubescit; sed Christus quia veritas, nihil metuit quicquid Tartarea fæx conetur, nam veritas nihilum formidat, omnia sua patêre exoptat; benè igitur ex tortura dæmonum sigillatim ob virtutem crucis dominicæ, veritas passionis Seruatoris probatur.

Cyrillus Ierosolym.

Particulæ Crucis Christi per varias orbis partes distractæ veritatem passionis ostendunt.

Panes propositionis super mensam poni iubentur, vt sint semper in conspectu Domini Exod. c. 25. v. 30. Quare patentes semper, & loco manifesto? cur non recluduntur penore, vel arca, & quandoque apparent, quandoque latitant? Perpende hos à septuaginta, quorum versioni Hebræus fauet Textus appellari ἄρτες ἐνωπίων; hoc est *panes facierum*; sic dicti nimirum ex quorundam traditione vt memorant Lyra, atque Abulēsis, quoniam vtriusque superficiei æqualis nitor; Non enim sicut apud nos altera pars candida, altera subfusca & torrida, sed paris albedinis inferiora cum superioribus; itaque nihil ibi maculosum, nihil difforme, sed absque nævo susque, déque; Quamobrem veritatis egregia symbola panes illimet; apud veritatem quippè totum candor occupat, nihil ibi fuliginosum, sed vniuersa in luce patescunt; Si igitur panes veritatem repræsentant, iaceant optimè semper in propatulo, nunquam angulis, nunquam penetralibus abscondantur: & ideò quanquàm alia in templo nunc prodant, nunc recludantur, at panes propositionis semper in conspectu Domini. 155.

Panes propositionis dicti Panes facierum.

SECTIO XVI.

Absurdi res plena est, scrupulosum esse in exiguis negligentem in magnis.

QVid stultius Hęretico? quàm hebes ficti zeli amentia? quam ridenda virtutis simulatio? scilicet Bibliorum corpore Salomonis expungatur Hymenæus, quod in castarum mentium præiudicium intruserit nescio quis: confundūtur mores, verecundiæ exitium præparatur nisi scripturarum deleatur ex Canone; interimi liceat his ipsis Bezæ, Castalioni & aliis nullius Mariti parcere thalamis, Deo consecratas stuprare Virgines, puerorum hinnire in amores! ô monstrum quod nisi tàm fœdæ non peperissent sectæ! vt demi Salomonis Canticum ob dictionis pruritum iuuaret (quod præter impiissimos homines nullus dixerit) An non multò magè necessarium fuerit prohiberi scortationem, incestum, & naturæ summam iniuriam cinædos adolescētum amplexus? Sed mos vetus Hæresis est in paruis scrupulosos esse, exigui; impediri difficultatibus, grandibus autem renuntiare, & quæ verè obseruanda essent nihili ducere: Marcion olim, cum Lucæ Euangeliū maximo coleret studio, absque inscriptione inuentū non ausus est titulo donare, quod religionem haberet Euangelistæ quidpiam addidisse: & tamen hic tam modestus in titulum, ab Euangelij corpore quod voluit abstulit, quod libuit adiecit: quin & idem cum suis integra repudiarunt Euangelia: nam reiecerunt penitùs Matthæum, Marcū, Ioannem solo admisso Luca: Hiccine ille tam timidus, tam cauti animi, qui piaculum arbitratus nouam Lucæ, paucorum verborum inscriptionē cudere, & nunc vorator est insignis trium Euangeliorum? ipsummet Lucā toties mutilarit, toties resarciuerit? rectè, nè priuata cuiuspiam auctoritas vel in titulum audeat: sed si nihil violandum sit, minus multo lacerandum corpus, quam frōtis publicatio: igitur vel ab omnium conuitio prorsus abstineat: vel religiosum haberi se non præsumat, cùm grauia despiciens, quæ momenti non sunt ridicula superstitione colit: Tertullian. lib. 4. contrà 156.

Hæretici in exiguis scrupulosos, in maximis verò impudentes & temerarij.

Tertull.

contrà Marcionem: *Marcion* (inquit) *Euangelio scilicet suo nullum adscribit Auctorem; quasi non licuerit illi titulum quoque affingere, cùm nefas non fuit corpus ipsum euertere*; venustè quidem Hæretico illudit tanquam insipienti: quæ enim crassior stultitia, putare liberum esse corpus Euangelij truncare, destruere, titulum præterire tanquam sacratum & inuiolandum? Nam quis ita lippiat, vt non cernat præstare titulo Euangeliorum substantiam?

157. Quanta in Adamo diuinæ maiestatis reuerentia? erubescit malè compositus diuinis occurrere luminibus! *Vocem tuam* (inquit) *audiui in Paradiso, & timui eò quòd nudus essem, & abscondi me.* Gen. c. 3. v. 10. Proh nefas ingens, Dei aspectibus offerri absque indumentis? quasi & eius oculi absconditam nuditatem non fuerint contemplati, cum vniuersa diiudicet & penetret? Verùm si istud criminosum est, quantò scelestius mandatum violasse creatoris, interdictis pastum esse fructibus? Quamobrem non tunc contra muliebres blanditias horror? cur non disputauit saltem cum femina? cur non aliquid restitit? iam verò & modò etiam furtiuus & occultus non demissis in terram vultibus, non magnis lachrymarum imbribus præniteret aiens; celor ô Domine, & lucem auersor eò quòd peccaui in cælum & contra te, hanc ob causam tenebris & ergastulo mancipaui me, indulge ô mitissime secundum magnam misericordiam tuam; Non ita, heû non ob culpam dolet, sed propter vestem! Sic pessundàs vniuersa luget super his, quæ fletum non expostulant, plágenda autem omittit, de quibus non tristatur; Rupertus lib. 3. in Genes. c. 14. *Notandum, quod culpam suum tacuit, & nudum se esse questus est; non enim dixit; timui eò quòd præceptum tuum præuaricatus sum, sed eò quod nudus*; Deinceps & peruersum eiusmodi timorem appellat, nam licet timore Domini nihil salubrius, sed timor ordinatus esse debeat, qui sciat formidare vbi metuere oporteat; diabolica tentatio est conscientiam facere de minutis, & immania non fugere: Et animaduerte vt adhuc Adam stultescit, nam de transgressione examinatus, *Mulier* (ait) *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi*; ecce ipse sui accusator & iudex est; Nam quæso decebat feminæ gratiam Deo prætulisse? Quæ ratio, quæ lex suadebat coniugi obtemperasse: hoc tamen non agere intolerandum visum Protoplasto, cui Numinis despexisse minas facile: Chrysost. hom. 17. in Genesim; *Videntur quidem defensionem quandam præ se ferre, sed prorsus venia carent; quæ enim venia dignus es, qui mea præcepta obliuiscaris, & qui mulieri dictum meis verbis præferendum putas? an non cernis excusationes non vos liberare, sed noxios relinquere*? Imò in Deum quasi transfert omne damnum, *Mulier* (inquit) *quam dedisti mihi*; velut sub indicans in laqueum & ruinam datâ, non ad subsidium; itaque malorum Auctorem Deum facere non veretur, & solùm metuit nudum coram illo cerni: Augustin. lib. 9. de Genes. ad litteram: *Aduertamus, quo modo superbia laborent homines hodie, non nisi in Creatorem conantes referre si quid mali egerint, cùm sibi velint tribui si quid egerint boni: mulier ait, quam dedisti mihi, vt esset mecum, hæc mihi dedit è ligno, & edi: quasi ad hoc data esset, vt non ipsa potiùs obediret viro, & ambo Deo*: ita ergo Adamus friuolis in rebus timens, & velut subpauens, aduersum magna præcepta nititur sine trepidatione.

Gen. 3 v. 10. *Scrupulus Adami exploditur.*

Rupertus.

Chrysost.

August.

En de quibus Pharisæos & Scribas reprehendit, & corrigit Christus; *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum*: Matth. c. 23. v. 30. At nónne optimè faciunt, cùm auorum detestantur tyrannidem & feritatem contrà sanctos Numinis Vates? Quamobrem igitur ob hoc sugillantur? Num quia ventosa & inanis sit pollicitatio eorum, & cum progenitoribus sæuiores multó ipsimet, iusti & mites reputari affectét: Sed quorsum ventosa promissio? Scilicet, omni arte studebant Christum Iesvm de medio tollere, & ligno affigere, spondent tamen vatibus se parcituros fuisse: Quisquámne ex omni Prophetarum serie Seruatori comparabilis seu indole, seu benignitate, seu eloquentia, seu forma, seu miraculorum aut numero, aut granditate? Hunc igitur qui benefecit vniuersis; qui tantæ indulgentiæ, vt linum fumigans non extinxerit, quem Pater vnxit præ participibus, tolerare non valuerunt: & Prophetas seueros reprehensores contaminatæ Reipublicæ sustinuissent; ergo aut spisse mentiuntur, aut ingens stultitiæ præcipitatio est, timuisse Prophetas offendere: nec veritos tamen in caput Prophetarum Christum Iesvm irruere: bene itaque corriguntur: Theophylactus in Matthæum: *Miseros dicit illos, non quòd sepulchra ædificant Prophetarum, hoc enim Deo gratum: sed quia ita simulabant, & patres suos condemnabant deteriores illis existentes, malitiáque illos excellentes mentiebantur manifestè: quia si fuissent in diebus patrum suorum, grauiora quàm illi commisissent, ipsum enim Prophetarum Dominum rabidi occidere cupiebant.*

158.

Matth 23. v. 30.

Theophyl.

Etiam agricolandi præcepta Numen tradit Deuteron. c. 22. v. 10. *Non arabis in boue simul & asino*: Ratio in promptu statim: Nam vires amborum impares bos fortis & constans in labore: asinus tenuis & imbecillis: lassabitur itaque breui asinus, deficiet; eo autem sublato cum solus bos in arationem non sufficiat, cessabit opus, gleba non proscindetur, nec arua sementem dabunt; explicauit Philo, quem sequuntur interpretes, lib. de creatione Principis: *Proinde sacra lex hic quoque rationem habet iustitiæ, adeò vt ne arationem quidem fieri permittit iumentis imparibus robore, vetans sub eodem iugo agi iuuencum & asinum: ne fortè dum contendit cum robustiore infirmior, lassus succumbat operi, & in labore deficiat*: Mystícè, in agricultura spiritali, summa imparitas est, velle in fortibus deficere, in fragilibus stare, despicere magna, colere exigua; Quæ spes salutis sub tam immani differentia? Quæ fascinatio? Quis error sensuũ nisi istamet, putare leuium quarundam cæremoniarum liberare posse & opitulari obseruantiam grandibus mandatis conculcatis? necessum igitur est arare cum similibus robore, & quidem minuta in precio habere, sed ampliùs infinitum quæ maiora sunt; ex vtriusque complexione fiet, vt nobis serentibus debita forma copiosa respondeat messis.

159. Deut. 22. v. 10.

Philo.

Leuiũ quarumdam cæremoniarum obseruantia saluare nos non potest si mandata spernamus.

Ardentioris iubaris fatigatus incendio Ionas dum æstuat, præparatur à Domino hedera, à qua protegeretur: *Et lætatus est Ionas super hedera lætitia magna*, c. 4. v. 6. Sed fuit gaudij breue interuallum nam corrosit inimica vermis, elanguit & exsiccata est momento hedera: proh quanta doloris acerbitate conuulneratus Prophetæ spiritus! Denique viuere diutius tædebat, quare & petiuit animæ

160.

Ioan. 4. v. 6.

animæ suæ vt moreretur! ô charam vati stirpem non gloriosam licèt, pro qua tantùm singultat, & ingemiscit! Conuertebatur Niniue, & lugebat in sacco & cinere: num tripudiabat Ionas? *Imo afflictus est afflictione magna & iratus est*, c. 4. v. 1. Qui sic tristabatur ob recuperatam vrbem, putas si destrui vidisset, commoueretur ad lachrymas? Sed ô Vates, quæ hæc est compassio? hederam extinctam tanto prosequi mœrore, & in Ciuitatis ruinam silice duriorem esse? Si nubilum mentis, si hebetudo sensuum, si imo deducta ex pectore suspiria cuiusquam debetur fato, nónne deflendus magis nobilissimæ vrbis casus, quàm fragilis hederæ marcor? Sed ita tamen est, & mirabile satis, deplorat consumptam hederam, qui Ciuitatis non commiseretur: Gregorius Nyssenus oratione in eos, qui alios acerbiùs iudicant, &c. *At ille, qui vbique cùm verbis, tùm factis iudicat, quanta homines beneuolentia complectatur, fecit, vt cucurbita nasceretur, quæ caput eius ab iniuria solis defenderet; sub vmbra autem ipsius eo dormiente exaruit; qui cùm experrectus ægre ferret, reprehenditur, quòd cum ipse virgultum exaruisse indignetur, nolit Deum propinquo tantæ ciuitatis interitu commoueri.*

Nyssenus.

161. Peccabat cum Madianitide ex filiis Israël vnus; zelo stimulatus Phinees, *Perfodit ambos simul, virum scilicet, & mulierem*, Numer. cap. 25. v. 8. Narrat posteà Moyses eum qui interfectus sit ducem fuisse cuius & nomen memorat, prostibulam autem principis nobilissimi Moabitarum gratam extitisse; quomodo etiam diceretur, recenset; sed quare tam fusa recordatio stirpis & nominum? Nam quidem Scripturæ mos est supprimere malorum famam, quam ob causam tacere consueuit quo appellarentur more, & idcirco ex vulgata sententia Interpretum Luc. 16. diuitis purpurati, licet splendidus esset, nomen obliuioni traditum; quamobrē igitur præter vsum hîc tam narratio distincta lineæ, & vocabulorum, quibus insigniebantur? Sanè vt subinnueret Textus non contra plebeium aliquod & vile multitudinis caput fortiter ausum Phineen, sed aduersùs nobilitatem, taxans subtiliter Magistratus remissos, qui dissimulatis maiorum vitiis, contrà vulgus tantùm excandescunt! ô quoties intueaeris vtriusque potestatis Rectores cursitare, discurrere cum lictorum ingenti caterua, & ecce tumultus omnis circa vnum de pauperibus, cùm interea potentes securè lasciuiant? Quòd si pro misero quisquam intercedat, inexorabiles fiunt, & si Deo placet, conscientiam obtendunt, qua se vrgeri proclamant, nec posse non seueritatem demonstrare si consultum velint Reipublicæ; mox autem qui in exiguis tam constantes, ad minas optimatum trepidant, & quantum velint licentiæ præbent; audiamus hos obiurgantem S. Petrum Damianum lib. 1. ep. 6. ad Nicolaum secundum;

Num. 25. v. 8.

Scripturæ mos, est tacere malorum famam.

Magistratus arguuntur qui dissimulatis maiorũ vitijs, in vulgus tantùm excandescunt.

Damianus.

Porro autem nos contra diuina mandata personarum acceptores, in minoribus quidem Sacerdotibus luxuriæ inquinamenta persequimur; in Episcopis autem quod nimis absurdum est, per silentij tolerantiam veneramur; sed ecce hic Phinees diuini spiritus zelo succensus, cùm totus penè Israëlitarum populus cum filiabus Moab fornicando corrueret; non in despectos quosque, vel infimos diuinæ legis propugnator insiluit, sed excellentiores, & clariores in populo, quos ad terrendum cæteros trucidaret, elegit.

Contra Personarum acceptores.

Recusabat Petrus lauari sibi à nobilissimo Magistro pedes; tandem vbi Præceptoris indignantior auctoritas interposita est, cessit; at venustè admodum vestigiorum ablutioni coniunxit; *Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus, & caput*, Io. cap. 13. vers. 9. Quamobrem omnis tergendus homo? nempè sordes illæ, quæ plantas inquinant, veniabiles atque leues noxas designant; manus, & caput imprimis grauiora crimina repræsentant; igitúrne Petro fuerit cura solùm, scrupulúsque delendarum venialium culparum, & in lethiferis requiescat vt tollantur nihil laborans? apage; *Non tantùm*, ait, *pedes, sed manus & caput*; neque hanc eius cogitationem fastidiuit IESVS, sed approbans illam respondit; *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus*; id est, primum omnium necessarium est mortalia submouere delicta; sed discipulis meis, videlicet, hominibus qui ad omnem perfectionem conantur tam vulgaria non sufficiant; oporteat, cùm loti & mundi fuerint, etiamnum & leuiusculum puluerem, næuos minutos demere, quos pedes ambulando colligunt; tantùm igitur abest vt Christus subinnuerit pedibus contersis posse in manibus & vertice sordes dissimulari, quin potius extra controuersiam supponat caput ab vniuersis fidelibus mundandum, at spiritales viros debere præterea & atomales labes subtollere; S. Petrus Damianus serm. in Cœna Domini, *in quibus vtique verbis B. Apostolus opera nostra, simul & cogitationes vt à Domino purificentur, atque mundentur, indigere significauit, siquidem manibus operamur, cogitationes autem ex mente, quæ caput est interioris hominis, proferuntur; Vera ergo atque perfecta purgatio est, cùm Deus omnipotens non solùm opera nostra munda & immaculata custodit, sed etiam prauas cogitationes à cordibus nostris sancti Spiritus infusione repellit.*

162.

Io. c. 13. v. 9.

Opera simul & cogitationes purificẽtur.

ANTELOQVIVM IX.

Epithalamij titulus, & inscriptio enucleati.

SPINATVRVS quispiam, debuisse hanc Tractationem reiici in sequens volumen, eò quòd inscriptio cum Textu soleat esse coniuncta: neque diuelli fidos comites æquum sit: Nos tamen facti rationes attendimus: Vnam, quoniam Salomonis non fuit partus fortasse nomen Operi impositum quemadmodum insinuamus Anteloquio 7. Sect. 3. num. 33. & hac Isagoga latiùs probaturi simus Sect. 6. separauimus igitur adscititium fœtum à reliqua Poësi, quanquam sacram, & canonicam Hymenæi partem: Alteram, quoniam in hoc primo lucubrationum studio nostrarum Salomonici cantus porpylæum & vestibulum adornamus: pertinent autem titulo comprehensa ad porticum, & atria, vti disputanda facilè ostensura sint: est verò omnis tituli breuis periodus: *Canticum Canticorum Salomonis*: Aggrediamur tria verba ingentium sacramentorum pro virili distendere, atque amplificare.

SECTIO I.

Quodnam Cantici etymon, quæ vis, & natura? Num in Scripturis carmina? an de illis Salomonis hoc metrum? Musicæ commoda & voluptas.

1. *Poësis, nũ & soluta oratio vocari possit? Aristot. Delrius.*

INGVLARIS fuit illa nostri Delrij cogitatio cap. 1. prolusionem ad tragœdias Senecæ; *Meliorum* (inquit) *iudicium sequutus contra vulgi sententiam arbitror, Poëseos vim, & vt vocant, essentiam, non in metro, sed in imitatione ponendam; & illum abinde Poëtæ nomen mereri, quicunque aliquid scriptione repræsentat, vel fingit, licèt soluta oratione, vt Lucianus, Heliodorus, Martianus Capella; nec aliter sensisse reor Aristotelem, qui Poët. cap. 7. Poëtam ab Historico, non carmine, vel prosa oratione; sed veritate, aut falsitate discerni fatetur*; Et in hanc mentem inclinat quoque alius ex nostris Politicorum egregius Scriptor Adamus Contzen lib. 4. §. 2. Atque ista quidem vt vera sint, sequatur etiam, de Canticorum non esse ratione, vt numeris constent; & vt, aut pedum, aut syllabarum mensuras obseruent; Illud autem obseruandum fuerit, vt cum modulatione pangatur quidpiam, seu gutturis tantùm adminiculo, seu iuuante de plurimis instrumentis aliquo; nam simul atque hoc, nihil prætereà ad Canticum desideraretur, quando de versu nulla sit cura: At in definienda Poësi mehercule à communi vsu nulla vrgente causa receditur; quid enim obstat vulgato conceptui per versus distinguenti Poësim ab oratoria arte? Et ita sanè minùs confusionis oboritur; ita feliciùs discriminantur sermonis variæ formæ: nam concedamus rem non fictam, versibus enarratam: obsecro, cùm & tempora obseruentur, & syllabarum quantitas, & pedum ratio habeatur, an non dicemus à Poëta compositum illud quale tandem fuerit? Quod si certè ea vox pondus aliquod habet, quæ monet loquendum esse cum multis; certè omnium nationum vsus perpetuus fuit, id genus narrationis, quodcunque esset, tempora, & syllabas obseruans cum omni rigore Poësim dicere; Puto, & Sedulium, & Iuuencum, & Aurelium Prudentium, & Venantium Fortunatum, & alios Christianos Vates, qui tamen fabulosum nihil comminiscuntur, nullus non distinxerit ab Oratoribus, & Historicis, & vt saperet, Poëtas vocauerit, & syllabum si variarum facultatum conficiat, eodem ordine collocet! Sed deseramus ista, quoniam minuta sunt, quanquam & de Poëtica strictè sumpta fortasse intelligi valeant non ineptè; tamen inter doctiores solùm: Videamus, quibus modis Patres aut describant, aut definiant Canticum.

Adam. Cõtzen.

2. *Cantici, & Psalmi differentia.*

Ergo solennis est apud eos Canticum inter & Psalmum differentia; quòd Canticum quidem id sit, quod ore, gutture melodo præstantes accinunt; Psalmus autem id habeatur, quod absque vocis ministerio digiti percrepant ex musici instrumenti harmonia; Si verò plectrum oris gratia iuuet, tunc neque Canticum, neque Psalmus solitariè, sed *Canticum Psalmi*, vt Tragicomœdia, quòd de Comœdiæ vsu, pariter atque Tragœdiæ natura participet; At exhibeamus Euthymium loquentem præfatione in Psalmos; *Psalmus propriè* (ait) *est illud carmen, quod simul cum Psalterij instrumento, suaui voce profertur: Oda, seu Canticum vox quædam est musica, cum harmonia solo ore prolata; quanquam etiam impropriè ipsum etiam Canticum sæpenumero Psalmus dicitur*; Verùm Hilarij in Psalmos prologus omnia ad amussim complexus; *Psalmus* (inquit) *est, cùm cessante voce, pulsus tantùm organi continentis auditur; Canticum est, cùm cantantium chorus libertate vtens,*

Quid Canticum Psalmi?

Euthym.

Hilar.

vtens, neque in consonum organi adstrictus obsequium, Hymno canoræ tantùm vocis exultat; Canticum autem Psalmi est, cùm organo præcinente subsequens & æmula organo vox chori canentis auditur, Psalterium modulis vocis imitata: Psalmus verò Cantici est, cùm choro antè canente humanæ cantationis hymno, ars organi consonantis aptatur, vocisque præcinentis modulis pari psalterium suauitate modulatur: Et his omninò similia apud Magnum Basilium ad initium enarrationis in Psal. 29. apud Chrysost. tom. 1. procœmio 2. in Psalmos: talia Hieronymus in Prothematis Psalmorum apud Glossam auctam: Cassiodorus Procœmio in Psalm. cap. 5. 6. & 7. Haymo Halberstatensis Episcopus in Psalm. 1. Hilarium imitatus in omnibus: Eusebius apud Lorinum in titulum Psalm. 44 Bruno Carthusiensium Pater, ad inscriptionē Psal. 4. & ad c. 5. Epistolæ ad Ephesios: S. Thomas præfatione in Psalmos, & ad initium Psalm. 4. Ludolphus Carthusianus Prologo in Psalmos: Iacobus de Valentia prolusionis in Psalmos tractatu 5. Isidorus Hispalensis lib. 1. de ecclesiasticis Officiis, cap. 4. Rabbanus Maurus de institutione Clericorum lib. 2. cap. 47 Rhemigius Episcopus Rhemensis in cap. 5. Epistolæ ad Ephesios, ad illud, *In Hymnis, & Canticis spiritualibus*: Vide in eundem locum ex nuperis Enucleatoribus; & iunge Michaëlem Aignanum celebriorem ab Incogniti vocabulo procœmio in Psalmos: Ludouicum de Tena Episc. Dertusens. lib. 2. Isagogæ sacræ Scripturæ, difficult. 6. sect. 2.

Basil. Chrysost. Hieron. — Cassiod. Haymo. Euseb. Bruno. — S Thom. Lud. Carth. — Valent. Isid. Hisp. Rabban. Rhemig. — Incognitus Tena.

3. *Psalmi an proprium, vt cum musica instrumento pangeretur?*

Ar, quanquam hæc tam peruagata opinio Patrum Schola, scrupulo tamen non caret: nam sanè Canticum Psalmo antiquius esse tradunt Isidorus, & Rabbanus locis suprà allegatis, & disertè Euthymius: *Est autē Canticum* (ait) *Psalmo antiquius; Moyses quippe Cantici Auctor fuit*; Verùm, quod ceciniſſe Exodi cap. 15. Pharaone submerso carmen Moyses legitur, idem vt intonaret Maria, tympanum in manu sumpsit, quod & virgines sociæ quoque egerunt; nec potuit metrum illud Canticum Psalmi nuncupari, quasi ex voce pariter, & instrumento, quoniam Psalmorum nondum vsus erat: & in Euangeliis quidem tibiæ cōiunguntur Canticis, Luc. 7. vers. 32. *Cantauimus vobis tibiis, & non saltastis*: Sed Plin. iunior epistolarum 2. libro, ep. 4. quasi mancum fuisse Canticum absque musico instrumento significare visus, aiens; *Psalmus tantùm, ac potiùs sola cymbala & tympana illis Cāticis desunt*; At & Epithalamij carmen, quod præter dubium Canticum est, quemadmodum hic Salomonis demonstrat Hymenæus, quodam iure plectrum, & instrumentum musicorum sibi vendicat; quare Psalmi 44. qui nuptialis est trita sententia veterum, & nouorum, inscriptio, secundùm Hebræa, eiuscemodi apud Hieronym. epist. 140. ad Principium, *Victori pro liliis filiorum Core*, nec displicet Lyrano; At sanè lilia fuisse Musicæ instrumenta quædam, arbitratur Caietanus, & alij, quorum copia apud Lorinum, videlicet, vt quo luderent instrumento Epithalamium pangentes, titulus statim indicaret: & ad lyram cantasse Pelei, & Thetidos nuptias (quod fuisse primum nuptiale carmen prisci fingunt) Claudianus innuit præfatione in connubia Honorij, & Mariæ eius versus:

Psalmi an proprium, vt cum musica instrumento pangeretur? Isid. Rabban. Euthym. Exod. 15. — Luc. 7. Plin. iun. — Epithalamiū an fidibus cantaretur? Psalm. 44. — Caiet. Lorin. Hieron. — Lilium, instrumentum musicum ex nuptialibus. Claudian.

Septima lux aderat cœlo, totiésque renatus
Viderat exactos Hesperus igne choros,
Tum Phœbus, quo saxa domat, quo pertrahit ornos,
Pectine tentauit nobiliore lyram.

Sherlogi Anteloq. in Cant.

Non igitur videatur esse contra naturam Cantici, quòd Musici, & voce, & instrumento simul vtantur; Sed quodcunque illud est, quod canitur, hoc Canticum est; fuerit autem Cantici, siue hæc, siue illa ratio, vtcunque nostrum Epithalamium semper Canticum: nam & aliquando illud sola voce cātauerat Mornarcha, dū prophetali adiutus lumine arcana penetrabat, & lætus spiritu de incomparāda Ecclesiæ Catholicæ gloria, pro Messiæ triumphis, acuebat suauissimi gutturis melodiam; nonnunquam & fidibus eadem luserat ad maiorē iucunditatem; Cecinerant & vtroque modo, propter varietatem, comprehensa Hymenæo, Musici, qui ad nuptias celebrandas conducti fuerant.

4. *Cāticum vitam contemplatiuā ostēdit, Psalmus actiuam.*

Experiamur & alia Cantici attributa, atque omnia perfectissimo Epithalamio accommodemus; Monent igitur Patres, Canticum ad theoricam vitam spectare, Psalmum ad practicam: scilicet, à Psalmo nihil dicitur, sed omnis voluptas & concentus in actione est; nam tacentibus labiis soli digiti operantur; & omnis sonus ab instrumento est, citharista interim compescente labia: silet os, quiescit guttur, & tantùm manus laborat, quæ plectri chordas mouet: in Cantico autem abest labor, & quiescente manu lingua admittitur: De hoc placito Hieronymus in Epistola ad Ephesios libro 3. in illud: *Loquentes vobismetipsis*, &c. ex cap. 5. *Psalmi autem propriè ad ethicum locum pertinent, vt per organum corporis, quid faciendum, & quid vitandum sit, nouerimus; qui verò de superioribus disputat, & concentum mundi, omniúmque creaturarum ordinem, atque concordiam subtilis disputator ediſſerit, iste spirituale Canticum canit: vel certè, vt propter simpliciores manifestiùs, quod volumus, eloquamur, Psalmus ad corpus, Canticum refertur ad mentem:* Sequitur neque verbis alienus noster Hybernus, venerabilis Sedulius, Cassiodorus ad titulum Psalmi 107. Eucherius quæstionibus in vetus, & nouum Testamentum, interrogatione 113. *Psalmus ergo* (ait) *ad actualem, id est, practicam; Canticum ad theoriam, id est contemplatiuam refertur.* Ludolphus Carthusianus ad finem Psal. 20. Quare Christopolitanus in illud Psalmi 106. *Paratum cor meum, Deus,* &c. *Et nota,* (ait) *quòd communiter Doctores ponunt differentiam inter cantare, & psallere; nam cantare pertinet ad vitam contemplatiuam; psallere ad actiuam*, Sanè hoc & mirificè quadrat in istud Salomonis Opus: nam docuimus Anteloquio 1. Sect. 8. num. 64. ex Patrum auctoritate, Prouerbia, Ecclesiasten, & Canticum Canticorum ita distribui, vt cùm duo priora spectent ad incipiētes, & proficientes Epithalamium coniungat animam Verbi amplexibus, & ad sacræ contemplationis beatas delicias rapiat: Quando igitur & Canticum ad vitam contemplatiuam attineat, & Hymenæi scopus quoque abditissima sit speculatio, meritò Epithalamium, Canticum fuerit appellatum.

Hieron. — Sedul. Cassiod. Eucher. — Lud. Carth. Valent. — *Cantici Cāticorum ex scopo vitæ contemplatiuæ.*

5. *Canticum, exultationis & letitiæ metrum.*

Augustinus Canticum ad exultationem refert: nam titulum Psalmi 4. expendens; *Vtrum autem omne Canticum,* (ait) *Psalmus sit, an potiùs omnis Psalmus Canticum, an sint quædam Cātica quæ non possint dici Psalmi; & quidam Psalmi, qui non possint dici Cantica, quæri potest: sed animaduertēda Scriptura sunt, ne fortè Canticum lætitiam indicet; Psalmi autem dicuntur, qui cantantur ad*

Augusti. Haymo. *psalterium*; Quod sub dubitatione Augustinus pronunciauit, apertè Haymo dixerat ad initium Psalm. 44. *Psalmus iste vocatur Canticum*, (inquit) *quia Propheta coniunctionem Christi, & Ecclesiæ futuram, eam in hoc Psalmo cum magna exultatione pronunciat*; Atque idem similia quoque ad

Rhem. Ant. Isid. Hisp. exordium Psalm. 4. vti & Rhemigius Antisiodorensis: Isidorus lib. 6. Orig. c. 19. *Canticum* (inquit) *est vox cantantis in lætitiam*; quę vocis expressio in nullum genus carminis conueniat, si non in Musam nuptialem, quando in connubiis, cùm celebrantur, nihil subtriste aut impatiens vti monstrauimus Isagoga 3. Sect. 3. Subsect. 4. Et vindicat sibi peculiare quidpiam hoc Salomonis Poëma: nam, quàm diuersa sit eius facies ab aliis voluminibus prisci Fœderis, discе ab Eusebio Pam-

Euseb. Pāph. philo; *Alij quidem sacræ Scripturæ libri*, (inquit eius in Cantica Proœmium) *eò quòd in illis futura nouissima significentur, verbis indignationis, & iræ, ac formidabilibus minis referti sunt: hic verò liber, quia nihil aliud, quàm Dei solum aduentum exprimit, iucunditatis tantùm, lætitiæ, ac gaudij sermones habet: præsente nanque sponso, lætos omnes adfore par est, nec quenquam lugentem, vt ipse Dominus*

Bernard. *dixit*; Quare & Bernardus, dum Gerardi fratris prosequeretur funus, Cantica velut detestatus, *Quid mihi?* (ait sermone 26.) *& Cantico huic, qui in amaritudine sum?* Quoniam itaque cuncta festiua sunt, rectè Canticum nuncupatum est; Sed & Halgrinius Cardinalis venustè Prologo in Cantica, *Igitur, cùm Canticum dicatur mentis exultatio, Canticum istud pro excellentia personarum ad se inuicem exultantium in eodem, Canticum Canticorum meritò nominatur.*

6. *Canticum strictè, versus ad lasciuiam compositi.* Calepin. Thesling. Lat. Senec.

Canticum propriè acceptum elegantem & lasciuum sermonem nuncupandum Ambrosius Calepinus locupletatus, & Thesauri linguæ Latinę æstimauit Auctor; Fauet Seneca ep. 114. *Quare quibusdam temporibus prouenerit corrupti generis oratio, & quomodo in quadam vitia inclinatio ingeniorum facta sit, vt aliquando inflata explicatio vigeret, aliquando infracta, & in morem Cantici ducta*; Quòd appellet *infractam* ad similitudinem Cantici, denotat orationem mollis, & feminei animi, cuius robur eneruarint muliebres illecebræ; Expressè Quintilianus Institutionum oratoriarum lib. 1. c. 8 *Sit autem Poëtarum in primis lectio virilis, & cum suauitate quadam grauis; non quidem Prosæ similis, quia carmen est, & se Poëtæ canere testantur: non tamen in Canticum dissoluta, nec plasmate, vt nunc à pleriſque fit, effeminata.*

Quintil.

Quare & ad theatra, vbi omnis lasciuia exercebatur inter Paganos, amandat Hieronymus Cantica allegato superiùs lib. 3. in cap. 5. epist. ad Ephesios; *Audiant hæc adolescentuli audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum: nec in Tragœdorum modum guttur, & fauces dulci medicamine colliniendas, vt in Ecclesia theatralis moduli audiantur Cantica*; Denique hæc sunt illa Cantica, aduersùs quæ vehementissimè stomachatur & inuehit Chrysostomus hom. 12. in cap. 4. Epistolæ ad Corinthios prioris; *Quid dixeris* (inquit) *de ipsis Canticis, quæ sunt plena omni impudicitia, & amores prauos, & concubitus illegitimos, ac nefarios, & domorū euersiones, & tragœdias inducunt innumerabiles? & frequens habent nomen amici, & amantis, & amicæ, & dilectæ; &, quod est omnium grauissimum, eis adsunt virgines omni exuto pudore, ad sponsæ honorem, vel potius ignominiam, inter impudicos adolescentes, in-*

Hieron.

Chrysost.

compositè lasciuientes, indecorè se gerentes cantilenis, verbisque turpibus, & satanica consonantia: Et paulò anteà dixerat: *Interim tamen Damoni illa verba sufficiunt, & improba illa Cantica*: Igitur, quando de concepto Cantici strictè sumpti sit, vt lasciua, quin & turpia complectatur; cùm Hymenæus iste castissimus sit, & summè nitidus: nequaquam erit propriè nominandum Canticum: sed lato more solùm.

7. *Canticū Salomonis an strictè Canticum?*

Arbitror equidem quando Canticum nuncupatur sermo elegans, & lasciuus: non significari *lasciuiæ* vocabulo, quod turpe, & indecorum est, & offendens graues aures; hæc enim vitia hominum sunt: qui Epithalamij legibus abutuntur: tem enim sacram in se, & à Deo institutam commendat, & celebrat Hymenæus, quæ, vti oscula & amplexus admittit coniugalia, & honesta tantùm: ita & in eiusmodi debet versari nuptiale carmen: Itaque metrum amoris effectus exprimens, præsertim inter nubentes, hoc propriè, & verè Canticum: nam in eo molle blandumum, & infractum aliquid: sed quale sufferat virtus, nimirum continentiæ maritalis: & secundùm huiusmodi etymon Salomonis Epithalamium plenè Canticum est; quia & amoris versus: quod nominis ab Augustino adeptum est Canticum sermone 256. de tempore, in illud Dauidicum: *Cantate Domino Canticum nouum: Quod ibi dixit Canticum nouum, hoc Dominus dixit mandatum nouum: quid enim habet Canticum nouum, nisi amorem nouum? Cantare amantis est; vox huius cantoris feruor est sancti amoris.* Traductam autem Canti- *Cantare ad amantes spectat.*

Ephes. 5. August. ci normam ad amplexus castos, neque Scripturæ, neque Sancti dedignantur: quare & Paulus memorato sæpiùs capite 5. ad Ephesios hortatur ad Cantica & Hymnos: & August. etiam tum, cùm maximè auersaretur immundum omne, atque spurcum, delectatum se Canticis affirmat, Confessionum lib 9. c. 6. *Quantùm fleui in Hymnis & Canticis tuis suaue sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ: & benè mihi erat cum eis*; Porrò, si idem est Canticum, quod amoris Ode, certè de huius voluminis nominibus celebre est, quod ab amore datum est, nempe, vt ex quadam excellētia amoris Carmen vocetur; quem in modum appellant Dionysius Areopagita de ecclesiastica Hierarchia, c. 3. Origenes non semel prologo quatuor homiliarum, vbi ad longum de amoris natura, & proprietatibus disputat: Augustinus lib. de Pastoribus, cap. 15. Nyssenus homil. 1. in Cantica: Beda lib. 2. in Cantica, statim in exordio Bernardus sermone 59. in Cantica: Gregorius Romanus, Anselmus, Rupertus, S. Thomas, Richardus Victorinus, omnes in præfatis suis ad Opus Canticorum: nemóque non idem aliis verbis, cùm dicant vniuersi, non aliud quàm nubentium affectus, & amores describi in libro.

Canticum Canticorum amoris oda.

Dio. Areop. Orig. August. Nyssen. Beda. Bernard. Greg. Pap. Anselm. Rupert. Aquinas. Rich. Vict.

8. *Canticum rigidè, idem quod carmē.*

Sunt, qui Canticum ad Poësim referunt: nam, etsi non recusent dici Canticum posse quidquid pronunciatur ex Musicæ regula, imò quodcunque ex melodo gutture in aures penetrat: tamen latam esse huiusmodi significationem opinantur: strictam eam esse, atque genuinam, quæ ad metrum coarctat: itaque ea esse solùm propriè Cantica, in quibus elucet, aut temporum, aut syllabarum, aut pedum ratio, aut rhythmicum aliquid: *Sanè Poëtæ se canere testantur*, vt loquitur

Instita-

Quintil. Amalar. Institutionum lib. 1. c. 8. Quintilianus; & quemadmodum aduertit Amalarius Fortunatus lib. 1. de ecclesiasticis Officiis, c. 22. id, à quo Ecclesia Cantici nomen mutuata est in Sacerdotum pensa, carmen fuit; nimirum, & noui Fœderis, & veteris multiplex Canticum; & Psalmi Dauidici, nunc Cantica, nunc Carmina multoties intitulantur: idque vocatur à Pagnino non rarò Canticum secundùm Hebræam translationem, quod vulgata Editio Carmen nuncupauerat: Sit verò hæc vocabuli propria declaratio, est & Carmen longè nobilissimum Salomonis Epithalamium. Agnoscit Hieronymus præfatione in Iobum allegans consentientes Philonem, Iosephum, Origenem, Eusebium; Item Areopagita de ecclesiastica Hierarchia, cap. 3. *diuinorum amorum dulcia carmina vocans*; Nazianzenus in metris suis, inquiens:

Canticum Canticorum propriè carmen. Pagnin.

Philo. Ioseph. Orig. Euseb. Hieron. Areopag. Nazianz.

Quinque metris constant, Iob, Dauid, tres Salomonis,
Concio, & insignes Cantus, Prouerbia sacra.

Basil. Damascen. Bernard. Basilius in c. 5. Isaiæ, ad illud, *Cantabo dilecto meo*, &c. Damascenus lib. 4. de fide, c. 18. Origenes homil. 1. ex duabus; Bernardus sermone 1. in Cantica, & passim antiqui, recentésque Interpretes, textum aut drama, aut comœdiam, aut versum dicunt: Auctorem, Poëtam, sæpiùs appellant; Sed qui asserant, istum Hymenæum, partem esse de carminibus, quæ composuerit Salomon, & quorum recordatio Regum tertio, capite quarto, exhibuimus multos, eósque graues testes Præludio septimo, Sectione tertia, numero trigesimo secundo.

3. Reg. 4.

9. *Num aliquid carmine in Bibliis scriptum?*

Dixeris, nulla esse in Scripturis vniuersim carmina, ac proinde neque hoc Opus metricum esse; Porrò argumentum esse, Scripturam à versibus abhorruisse, quòd eam non reddiderint Interpretes aliquo carminum genere; cur enim, si vtile carmen in primitiuo idiomate, non etiam in versionibus? Equidem scio existimare in Hebræis versatissimos quosdam viros celebres, latere nunc qualis fuerit Hebræorum antiqua Prosodia; de his Genebrardus prologo in Canticum Canticorum, ad calcem; Andreas Masius ad illud cap. 10. Iosuë: *Tunc loquebatur Dominus Iosuë*, &c. Nostri, Gaspar Sanctius prolegom. 8. in Iob: Magallanius in Canticum Moysis, & de benedictionibus Patriarcharum Prolusione isagogica 7. numero 107. Bellarminus institutionis linguę sanctæ, cap. 5. At, qui negauerit Hebræam dialectum esse versibus inidoneam, aut penitùs de Bibliis sustulerit omnem formam metri, non legi hactenus, exceptis Hæreticis, de quibus meminit Sixtus libro octauo Bibliothecæ sanctæ, hæresi 2. *De veteri instrumento in genere*: Affirmant autem disertè ex Patribus recensiti numero præcedenti, & sufficeret vnius Hieronymi effatum, quo doctior nemo in Hebræis, neque tum cùm Iudæorum Scholæ optimè florerent: Clemens Rom. lib. 1. apostolicarum Constitutionum, c. 6. Iunilius Africanus Episcopus, libro secundo de partibus legis, cap. 19. si eius, & non Bedæ Opus illud: Cassiodorus ad titulum Psalmi 53. Isidorus lib. 1. de ecclesiasticis Officiis, cap. 4. Walfridus Strabo de rebus ecclesiasticis. cap. 25. Amalarius Fortunatus de ecclesiasticis Officiis, cap. 22. Testatus explanatione in epistolam beati Hieronymi ad Paulinum, cap. 7. quæst. 15. Ex recentioribus densum agmen, præter iam citatos asseuerantes, aut ignorati modum veterum Hebræorum in componendis versibus, aut fuisse aliam carminis naturam, quàm sit apud nos: Eugubinus præfatione in Iob, & in Psalmos: Alphonsus de Mendoça quæst. 3. expositiua ex professo: Rutilius Benzonius lib. 1. in Canticum: *Magnificat* c. 1. Ludouicus à sancto Francisco lib. 9. globi. & Canonum linguæ sanctæ, cap. 1. Gueuara cap. 1. Habacuc, n. 18. Iacobus de Valentia præfatione in Cantica: Gisserius præfationis suæ, cap. 4. num. 9. Almonaciryus in titulum Canticorum: Pererius disp. 1. in cap. 15. Exodi, n. 3. Martinez hypotyposeon lib. 3. cap. 3. Lorinus tom. 1. in Psalmos, præfationis cap. 7. Pineda procœmio in Iobum, cap. 3. Adamus Contzen Politicorum libro 4. §. 2. Franciscus Fernandez de Cordoua in Didascalia multiplici sua, cap. 19. Posseuinus in Bibliothecæ lib. 2. cap. 76. Magallanez lib. 2. in Canticum Moysis, sect. 1. annotat. 1. Claudius Rangolius, & noster Mendoça ad versum 1. c. 2. libri primi Regum: Bonfrerius ad initium, cap. 15. Exodi: Cornelius à Lapide ad Canticum Moysis breuius Exodi cap. 15. & Procœmio in idem Canticum Baltasar Paëz, denique Marinus ad versum 21. c. 4. Geneseos, quæstione de vi Musicæ, articulo octauo, vbi commonstrat aduersùs Scaligerum, versus nostris similes pati Hebræorum idioma, quæ fuit sententia Hieronymi præfatione in Iob.

Alph. de Mendoça. Lud à S. Fr. Benzon. Gueuara. Valent. Gisler. Almonac. Pereira. Lorin. Pineda. Adam. Cõt. Fernand. Posseuin. Magall. Rangol. Franc. de Mendoça. Cornel. Bonfr. Balt. Paëz. Marin. Hieron.

10.

Quòd verò omiserit Interpres carmina reddere, quod metro scriptum reperit in originario Textu, dignum suo ingenio causam protulit Augustinus ad Memorium Episcopum scribens epistola 131. *Quibus numeris constent versus Dauidici* (inquit) *non scripsi: quia nescio: neque enim ex Hebræa lingua, quam ignoro, potuit etiam numeros Interpres exprimere, ne metri necessitate, ab interpretandi veritate amplius quàm ratio sententiarum sinebat, digredi cogeretur: certis tamen constare numeris, credo illis, qui eam linguam probè callent.* Et tamen, cùm hanc tantam curam in vertendo posuerit Translator, est adhuc qui obgarriat: Sed quispiam obiiciat fortasse, ex communi Patrum atque recentiorum iudicio adstrui, Acta Iob ab ipsomet primùm Arabicè conscripta deinde à Moyse Hebræorum donata idiomate; at retentos ab eo versus, quibus liber constat, vt docet Hieronymus præfatione in eũ. Respondeo, de vulgatæ Editionis Interprete duas ferri opiniones, de quibus Serarius in prolegomenis bibliacis, c. 19. quæstione 8. alteram, quæ absque prophetico lumine vertisse Biblia affirmat, & iuxta hanc dicemus humana quanta fieri potuit diligentia, elaborasse illum, vt syncera prodiret translatio; & cùm hoc iuuari arbitraretur soluta oratione potiùs quàm metro; idcircò abstinuisse à versibus: Alteram, quæ prophetica suffultum luce contendit, & secundùm hanc affirmabimus ad eodem, à qua regebatur, à qua directus est Moyses, vtrunque monitum: alius vt carmine verteret, alius vt prosa: sicut ob similem causam diximus Præludio septimo, Sectione prima, aliter Hebræa nonnunquam repræsentare quidpiam; aliter septuaginta Seniores; aliter Apostolos, & Euangelistas: Verùm ista satis fuerint in gratiam eius significationis, qua adstruitur Canticum propriè idem esse, quod carmen: omnis tamen disputatio in nomine solùm est: nam, neque ipsum carminis vocabulum perpetuò excludere orationem solutam, sed accipi nonnunquam pro sermone à numeris

Vulgatus Interpres, quãobrem carmine non reddiderit quasdam Scripturæ partes?

Serar.

Carminis vocabulum ad Prosam relatum. Zerda.

numeris libero, nititur probare Luysius noster ad illud Eclogæ 5. Maronianæ:

Tale tuum carmen nobis, diuine Poëta, &c.

Atque in Aduersariis sacris cap. 106. numero septimo.

II. *Carminum, & cantus encomia.*

Sed quàm probè Salomon, quod & cantu, & carmine insignierit Epithalamium? quid enim his iucundius? quid aut vtilius, aut præstantius? Et omitto portentosa illa, quòd Orpheum syluæ insequutæ sint, flumina cursum sisterent, feræ indomitæ iras deposuerint: Consule Alphonsum de Mendoça quæstione 3. expositiua: Marinum Mersennum ad versum 21. c. 4. Geneseos: nostrum Zerdam ad exordium Eclogæ octauæ Virgilianæ: Cœlium libro 7. lectionum antiquarum, c. 4. Polydorum libro 1. de rerum inuentoribus, c. 8. Petrum Gregorium lib 17. de Republica, c. 5. Franciscum Floridum Sabinum lectionum subcesiuarum lib. 3. c. 7. ego de prætermissis ab eis paucula: adest Philo libro de victimis offerendis: *Cantus* (inquit) *verbaque, sanitatem, & salutem afferunt: cantus quidem excantando passiones animi, vt quicquid in nobis, in concentum quendam redigendo, reprimendóque immodicos affectus, certis modulis componat:* Dabo longiorem Chrysostomi orationem de expositione in Psalmum 42. prope initium, quoniam & de Canticis est, atque eximiè declarat, quamobrem & Bibliorum sacratissimis effatis interseri voluerit Numen: nam Anabaptistæ, & alij de Sectariorum cloaca homines apprimè casti, dedecere existimarunt verbum Dei: sic verò Ioannes: *Quanam verò de causa cum Cantico maximè hæc dicatur prophetia, audi: Cùm Deus vidisset, multos homines esse socordiores, nec ad legenda spiritualia labenter accedere, nec, qui in eo capitur, laborem tolerare; volens gratiorem laborem efficere, eiúsque sensum præscindere, admiscuit prophetiam melodiæ, vt omnes, versus Cantici numero delectati, cum magna animi alacritate, ac promptitudine, sacros ei Hymnos emittant: nihil enim animam æquè erigit, & alatam quodammodo efficit, & à terra liberat corporis, & amore sapientiæ afficit, & vt res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, perficit, vt versus modulatus, & diuinum Canticum numero compositum: Nostra certè natura vsque adeo delectatur Canticis, & carminibus, & tantam cum eis habet necessitudinem, & conuenientiam, vt vel infantes ab vberibus pendentes, si fleant, & afflictentur, ea ratione sopiantur: nutrices quidem certè, quæ eos gestant in vlnis, sæpè abeuntes, & redeuntes, & quædam puerilia eis carmina decantantes, supercilia eorum ita sopiunt: quo circà sæpè quoque viatores meridie agentes iugalia animalia, hoc faciunt canentes, itineris molestiam illis Canticis consolantes: nec solùm viatores, sed etiam agricolæ vuas in torculari calcantes, vindemiantes, & vites colentes, & quodcunque aliud opus facientes, sæpè cantant: Nautæ quoque remos impellentes, hoc faciunt: Iam verò mulieres quoque terentes, & confusa stamina radio discernentes, sæpè quidem, & per se singulæ; sæpè enim omnes concorditer, vnam quandam melodiam concinunt: hoc autem faciunt & mulieres, & viatores, & agricolæ, & nautæ, qui ex opere faciendo suscipitur laborem cantu consolari volentes, vtpote, quòd anima, si carmina & Cantica audierit, molestia, & difficilia sit facilius toleratura: quoniam ergo hoc genus delectationis est nostræ animæ valdè cognatum & familiare; ne Dæmones lasciua, & meretricia Cantica introducentes, omnia euerterent; Psalmos Deus opposuit, vt ex eo re simul caperetur voluptas, & vtilitas:* Chrysostomi dulcissimæ eloquentiæ alterum os aureum cognata protulit: is Petrus Rauennas sermone decimo, qui est de Psalmo 28. *Omnes* (inquit) *qui arduas operum subleuant, & solantur angustias, probant ad solatium laboris datam nobis naturaliter cantilenam: hinc nautæ cantu superant maxima discrimina: hinc viantes colles arduos facit transcendere vox sonora: hinc præliantes ipsos præcedens cantus subire concitat amara bellorum: ac ne multis, omne, quod duri est operis, quod laboris, dulcis vincit, & efficit cantilena.* Sed, quid optandum magis iis, quæ deprædicat Hieronymus epist. 17. ad Marcellum? *In Christi villula tota rusticitas, & extra Psalmos silentium est: quocunque te verteris, arator stiuam tenens Alleluia decantat: sudans messor Psalmis se auocat; & curua attondens vitem falce vinitor, aliquid Dauidicum canit: Hæc sunt in Prouincia carmina: hæ, vt vulgò dicitur, amatoriæ cantiones, hic pastorum sibilus, hæc arma culturæ.*

Chrysost. Chrysost. Alphons. de Mend. Mersen. Cerda. Cœlius. Polydor. Petr. Greg. Sabin. Phil. Iud. Hieron.

Annectam de profana eruditione, & præibit Naso, ne & cantus, & carmen desit, à quibus ipsa celebrentur. Lib. 4. Tristium, elegia 1. sic intonat: 12.

Hoc est cur cantet vinctus quoque compede fossor,
Indocili numero cùm graue mollit onus,
Cantat & innitens limosæ pronus arenæ,
Aduerso tardam qui vehit amne ratem,
Fessus vt incubuit baculo, saxóque resedit
Pastor, arundineo carmine mulcet oues,
Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis
Fallitur ancillæ, decipitúrque labor. Ouid.

Nasonis Musicæ succedat grauis Senecæ stylus epistola 108. *Nam* (vt dicebat Cleanthes) *quemadmodum spiritus noster clariorem sonum reddit, cùm illum tuba per longi canalis angustias tractum, patentiore nouissimè exitu effudit: sic sensus nostros clariores carminis arcta necessitas efficit: eadem negligentiùs audiuntur, minúsque percutiunt, quandiu soluta oratione dicuntur: vbi accessêre numeri, & egregium sensum adstrixêre certi pedes; eadem illa sententia, velut lacerto excussa, torquetur.* Senec.

Sectio II.

Epithalamium an ob antiquitatem Canticum Canticorum vocatum? Scientiæ, à quibus deriuatæ ad gentes? Poëtæ ethnici plurima quemadmodum & Philosophi ex sacris Auctoribus suffurati; An Moyses litteratorum Dux? Quas scholas Hierosolymis condiderit Salomon, & num ipse publicè docuerit? Virgilij de Musæo versus Æn. 6. an de Moyse interpretandi?

EXploratum est apud omnes Hymenæi Interpretes Canticum dici Canticorum ob singularem metri eminentiam atque eò quòd reliqua etiam Bibliorum Cantica non leui superet interuallo: Sed, à quibus fontibus 13.

hic

hic petendus excessus, vniuersa controuersia est, Ac primùm quidem meditari valeamus, ita nuncupatum ob vetustatem, quoniam, videlicet, inuentor Poëseos Salomon extitit, quem cæteri posteà quicunque metrica claruerunt laude, sequuti sunt; At hoc impossibile esse, asseueraverit quicunque; liquet enim & Moysen Cantica modulatum, imò hunc antiquissimum Præcentorem Chrysostomus facit in Psalmum 95. aiens; *Primum omniúmque vetustissimum Canticum ad mare rubrum decantatum est, quo tempore admirandus ille Moyses virtute diuina transiit mare rubrum, ac pelagus vertit in terram, & Canticum resonans dicebat; Cantemus Domino: gloriosè enim glorificatus est,* &c. Atque eadem est opinio Euthymij præfatione in Psalmos; Quòd si certè verum est, Iobi gesta ab ipso primùm conscripta Arabicè, posteà à Moyse Hebræorum donata sono, quod ferè optimi omnes Auctores sequuntur, quos memorant, quibúsque assentiuntur Bellarminus de Scriptoribus ecclesiasticis, Posseuinus in Apparatu sacro: Pineda præfationis in Iob cap. 3. Gaspar Sanctius in eundem prolog. 2. Salianus tom. 1. anno mundi 2319. num. 3. Certè hunc Moyse antiquiorem Vatem faciamus, necessarium est: nisi commíniscamur, Iobum soluta oratione scripsisse, Moysem ligata: At quæ huiusce effati probatio? Equidem Suidas Iobum Poëtam opinatur: *Habes* (inquit) *huius Philosophi librũ multò & Homerica, & Platonica luscinia cantillantẽ argutius*; Quare, & præluxisse Iobum, atque Moysem vniuersis Poëtis, cunctisque seniores habendos velit noster Pineda præludiorum cap. 4. num. 3. Sed optimè à Sanctio nostro animaduersum, Iobum ipsum instruere, eo antiquiores fuisse Vates: significant verba illa cap. 36. vers. 24. *Memento, quod ignores opus eius, de quo cecinerunt viri*: Putat enim antiquissimum esse iuuentum carminis, vt qui ducẽ habeat cum mundo penè ipso natum, certè huius assequutum infantiam Iubalem, de quo Gen. 4. vers. 21. *Et nomen fratris eius Iubal ipse fuit pater canentium cithara, & organo*; Qua de re latè in eum locum Marinus Mersennus: Gerson tertia parte, tract. 1. de Canticis: Tanta igitur carminum quando sit ætas atque senectus, non potuit metricorum Coryphæus esse Salomon; ac proinde ob hanc causam eius Poëma minimè dictum Canticum Canticorum.

Moyses primus Cantici modulator. Chrysost. Euthym. *Iobus Poëta, eius acta ab ipso primùm conscripta.* Bellarm. Pineda. Posseuin. Sanct. Salian. Suidas. *Iubal metrorum inuentor.* Iob 38. Gen. 4. Mar. Mers. Gerson.

14. Asserant, distinguendum esse inter Canticum vagè sumptum pro quouis genere versuum: & inter significationem nominis arctam, pro versu amores loquente, atque adeò nubentium describente affectus, qui est Hymenæus: Priori norma accepto metro, nequaquam Salomon Heliconis fuerat Antistes, sed Iubal: quin neque aut secundas tenuerit partes, aut tertias, quando & Moyses, & Dauid præcesserint iuxta secundam declarationem, Salomonem Epithalamij repertorem dicendum, à quo Theocritus, & alij Poëtæ hauserint: quare dici quidem secundùm hanc intelligentiam probè Canticum Canticorum: quòd, scilicet, primum carmen sit, quo connubiorum gaudia celebrantur: Habet sententia ista adstipulatorem Orig. homil. 1. ex duabus Hieronymianis: *Hæ quippe in hoc libro, fabula pariter* (inquit) *& Epithalamio sunt personæ, ex quo & Gentiles sibi Epithalamium vendicarunt, & istius generis carmen assumptum est*: Adamantij cogitationem amplexati, Philippus Abbas proœmio 2. in Cantica: *Quod, nimiram, scribendi genus ante illũ non nouit antiquitas; sed ab illo (vt videtur) longè infra sumpsit posteritas; dum post sequentes Græcorum Scholæ, quid, de quibus mysticè scriberet, quia non satis capere potuerunt, ipsum saltem scribendi modum ad suas vanitates & ineptias transtulerunt.* Cyprianus Cistercienſis prefatione in Cantica, Delrius Isagogæ cap. 4. Gaspar Sanctius prolog. 5. Sed neque ista stare satis possunt; nam certè apud Dauidem Psalm. 44. *Eructauit cor meum*, &c. nuptialis est ex trito Patrum, & Interpretum arbitrio, qui passim Epithalamium vocant: Docebit Pineda de rebus Salomonis lib. 6. c. 17. Lorinus in titulum Psalmi: quin & nos Anteloq. 1. Sect. 9. num. 78. multos graues testes produximus, qui affirmarent, eandem esse materiam, idem argumentum, & eius Psalmi, & huius Cantici Canticorum: Quòd si quidem eadem vtrobique materia, & carmen vtrumque simile fuerit; Dauid igitur antiquior Epithalamij scriptor, quàm filius eius Salomon: quin & ostendimus Anteloquio 3. Sect. 3. Subsect. 2. ex Genesi, & Iudicum Actis, septiduo cum epulis & alacritate à priscis Hebræis celebratas nuptias, in quibus neque metrum, neque cantus defuerint; erat autem Hymenæus quodcunque in nubentium gratiam caneretur.

Phil. Abb. Cypr. Cist. Delr. Sanct. Pineda. Lorin.

Sed tamen, cùm eiusmodi hæc sint, Origenes non solùm Epithalamij formam mutuatos esse Gentium Poëtas à Salomone æstimat, sed etiam philosophicas disciplinas & reconditas quasque scientias; nam prologo quatuor homiliarum, postquàm de Physica, de Ethica, de speculatiua cognitione disseruit, subnectit: *Hæc ergo, vt mihi videtur, sapientes quique Græcorum sumpta à Salomone, vtpote, qui ætate, & tempore longè ante ipsos prior ea per Dei Spiritum didicisset, tanquã propria inuenta protulerunt, & institutionum suarum voluminibus comprehensa, posteris tradenda reliquêre: Sed hæc, vt diximus, Salomon ante omnes inuenit, & docuit per sapientiam, quam accepit a Deo, sicut scriptum est: Et dedit Deus prudentiam Salomoni, & sapientiam multam valdè, & multiplicata est in eo sapientia super omnes filios antiquos hominũ, & super omnes sapientes Ægypti:* Quòd si certè roborare poterimus, Salomonem eum esse, à quo dimanarint scientiarum notitiæ ad reliquas gentes, expeditum fuerit intulisse, & eius lucubrationes fuisse omnium vetustissimas, à quibus nimirum, cæteri desumpsêre mortales: Atque antequàm hanc aggrediamur prouinciam, necessum fuerit omninò statuisse, ab Hebræis deriuata fuisse artium & disciplinarum lumina ad profanas nationes: ex quibus & Chaldæi, & Phœnices, & Ægyptij, tota Græcia suffurata sit tantam & in versibus, & in eloquutione, & in Dialecticis, cæteríque Facultatibus, in quibus eruditio cernitur, supellectilem: Sunt autem huius pronunciati abundantissimi vindices, Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 1. Origenes lib. 4. contra Celsum: Cyrillus lib. 1. contra Iulianum: Iosephus aduersùs Appionem: Eusebius de præparatione euangelica lib. 9. cap. 3. Nyssenus in vita Moysis: Tertullianus Apologetici cap. 19. & 47. Theodoretus lib. 2. de principiis Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana, c. 28. & lib. 18. de Ciuitate, cap. 37. Ambrosius libro de bono mortis. c. 5. & serm. 18. in Psalm. 118. Nicephorus lib. 4. c. 4. quorum verba ad longum referunt hoc de argumento tractantes, Pereirus

15. Orig. *A Salomone Philosophi Gẽtium suffurati plurima.* *Ab Hebræis deriuata scientia ad reliquas nationes.* Clem. Alex. Ioseph. Cyril. Alex. Euseb. Nyssen. Tertull. Theodor. August. Ambros. Niceph. Pereira.

Salomõ Epithalamiorũ primus structor, à quo ethnici hauserunt. Orig.

Serar. Posseuin. disput. 7. & 8. in c. 2. Exodi: Serarius prolegomenis bibliacis, cap. 16. quæst. 2. Posseuinus Bibliothecæ lib. 2. c. 4. & lib. 12. tractat. 2. cap. 2.

Mendoça. Salian. Tuffus. Mendoça tom. 1. in 1. Regum, sect. procœmiali 2. num. 12. Salianus tom. 2. anno mundi 1470. n. 5. Tuffus Prologo Ecclesiastici, ad illud: *peruenì in Ægyptum*, &c.

Pontan. Chrysol. Sand. Iacobus Pontanus Philocaliæ lib. 1. cap. 1. Ludouicus Chrysolius Mystagogi lib. 2. cap. 14. sect. 1. Maximilianus Sandæus in suo Grammatico profano, commentatione secunda: & præter hos nostros Rutilius Benzonius lib. 1. in *Magnificat*, cap. 3. Leo Castrensis ad illud cap. 40. Isaiæ: *Quoniam completa est malitia*, &c.

Benzon. Leo Castr. Gorop. Bec. Fernandez. Ioannes Goropius Becanus Gallicorum lib. 4. & Hispanicorum libro 5. Franciscus Fernandez de Cordoua in Didascalia multiplici, c. 19.

16. *Ex Moysis voluminibus transtulerũt multa gentiũ sapientes: an ille scientiarum Antesignanus? Euseb.*

Sed, quid ex his in fauorem Salomonis? Imò contra eum omnia: nam vt ad Hebræos referenda sit gloria literaturæ, & inuentio disciplinarum, penes Moysem erit honor, non apud Salomonem, Sanè Eusebius lib. 9. de præparatione euangelica, c. 4. *Nunc Eupolemon de Moyse audiamus* (inquit,) *ait enim, sapientissimum hominem Moysem fuisse, & litteras Iudæis primùm tradidisse, & à Iudæis Phœnices accepisse; Græcos verò à Phœnicibus. Artabanus autem Merin Cenephri Regis Ægyptiorum filiam ait, puerum, quoniam ipsa non pareret Iudæum adoptasse, quem Iudei Moysem, inquit, Græci Musæum appellant, cuius doctrina multa Orpheus didicit:* Et lib. 10. c. 3. ad longum probat, Moysem cæteris antiquiorem, à quo scientias deprompserint: *Ita notabilia gesta* (ait) *mirabiliáque Græcorum, siue vera, siue falsa, post Moysem fuisse comperiuntur,* Et deinde; *Quare omnibus Diis, ac Heroïbus Græcorum multò vetustior Moyses inuenitur, & oportet seniori à quo iuniores hauserunt, multò magis credere: non enim Homero solummodò Moyses superior verùm etiã omnibus qui aliquid apud Græcos scripsêre*; Et de Demonstratione euangelica lib 5. in præfatione; *Neque igitur illa Prophetis Hebræorum comparare fas est, quoniam primus initiator ac Theologus extitit Moyses*; Loquutus autem fuerat per comparationem de Gentium Sapientibus: Clemens Stromateus libro 1. Stromamatum eadem ex Eupolemo recenset quæ Eusebium attuliſſe ostendimus: Iustinus Apologia 2. pro Christianis: *Enimuerò & à nostris Doctoribus Platonem accepisse intelligatis, quod dixit, Deum materia informi versa mundum creasse. Verba ipsa, prout concepta sunt, primi, vt diximus, Prophetæ, & omnibus Græcis Scriptoribus vetustioris Mosæ, audite.* Cyrillus lib. 1. contra Iulianum, prope initium, cùm demonstret Moysem omnibus externis Philosophis, & Poëtis antiquiorem, subdit: *Multa ex illius libris furatos esse, & suis inseruisse*; Theodoretus lib. 2. de principiis: *Cur non, quæso, his omnibus relictis, ad Moysem, Oceanum Theologiæ, transimus, à quo, vt poëticè dicam, fluuij omnes, & maria omnia deriuantur? Illinc enim & Anaxagoras, & Pythagoras, Platóque post eos, parua quædam veritatis lumina, quædámque initia desumpserunt: Socrates quoque, qui Archelao, Anaxagoræque conuixit, ab eis didicit, quæcunque de Deo aliis ipse tradidit:* Theophilus Patriarcha Antiochenus libro 3. prope finem: *Apparet quoque* (inquit) *non solùm Moysem, sed & reliquos Prophetas vetustiores esse omnibus profanis Scriptoribus*; Tassianus Assyrius tom. 4. Bibliothecæ 3. editionis, oratione contra Græcos, iuxta calcem: *Sic iam apparet ex prædictis, quòd Moyses priscis Heroïbus antiquior sit, & ex bellorum temporibus, quòd Gentilium etiam Dæmonum ætatem præcesserit: & æquum est, vt ætati maiori fides habeatur potiùs quàm Græcis, qui illius dogmata non rectè intellecta è fonte hauserunt: multi nanque Græcorum Sophistæ curiositate quadam inducti, quæcunque à Moyse, & similibus ei sapientibus viris didicerunt, deprauare, & secùs efferre conantur: partim, vt ipsi proprium aliquid promere videantur: partim, vt ea, quæ non intelligunt ficta quadam sermonis compositione velantes, veritatem suis commentis vitient:* Denique concipiamus & ab aliis Prophetis nonnulla accepisse Gentes: sed & ipsi Prophetæ à Moyse receperunt: Quare Magnus Antonius epistol. 5. ad Fratres Arsenoïtas: *Adhuc insuper* (ait) *& omnis Prophetarum chorus ædificauerunt supra fundamentum Moysis*: Moyses igitur, quando fundamentum; & primus, & antiquissimus est, cui debentur vniuersa, ac proinde scientiarum Patriarcham agnouisse opoteat.

Clem. Alex. Iustin. Cyrill. Theod. Theoph. Antioch. Tassian Assyr. Ant. Mag.

17. Eiusce rei non obscura indicia, quòd quæ legantur apud ethnicam Musam proportionem habentia cum sacris mysteriis, ea potissimum ex Moysis Historia decerpta fuerint: Videre poterit lector non pauca quæ Guillelmus Hammerus explanationi in Genesim admiscuit, suppeditátque Naso bonam partem 1. Metamorphoseon. Sed legendus erit in primis Fulgentius Mythologus; nunc contenti erimus vno, aut altero Ouidiano carmine, qui de Baccho tertio Fastorum:

Hammer. *Noë plura gesta ad Bacchũ translata à Poëtis.* Ouid.

Ante tuos ortus aræ sine honore fuerunt,
Liber, & in gelidis herba reperta focis,
Te memorant Gange, totóque Oriente subacto
Primitias magno supposuisse Ioui,
Cinnama tu primus, captiuáque thura dedisti;
Déque triumphato viscera tosta boue.

Putat igitur Goropius Becanus lib. 4. Gallicorum his versibus alludi ad sacrificium à Noë oblatum post cataclysmum Genes. c. 8. vers. 20. *Ædificauit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocaustum super altare, odoratúsque est Dominus odorem suauitatis:* Sanè & Natalis Comes Mythologiæ libro 5. c. 13. eodem metro probare nixus, Bacchum primum fuisse, qui altaria struxerit: neque nouum est diluuiorum victori comparatum esse ob vineæ plantationem, vt monet Lactantius diuinarum Institutionum libro. 2. c. 14. Equidem & ad Ianum ttansferri eadem valeant: nam hoc adumbratur Noë ex iudicio eruditorum aduertit Rosinus lib. 2. Antiquit. Romanarum, c. 3. atque istud significari, cùm biceps pingitur; vt qui & præterita, & ventura aspicere meruit; scilicet, fuit duorum sæculorum colonus, & eius quod inundantiam anteceſſit, & subsequuti: Vidit Bolduc, & annotauit lib. 2. de Ecclesia ante legem, c. 7. Vini etiam repertor, & qui aras primus fabricauit vti Quintus Fabius pictor memorat lib. 1. de aureo sæculo: *Et ob id* (inquit) *& in omni sacrificio perpetua præfatio præmittitur, fárque illi, ac vinum primo prælibatur:* Sed pergit Becanus lib. 6. Hispanicorum plures ex Nasone versus depromere: sic autem rursum cantat in primo de Arte:

Nat. Com. Lactant. Rosin. Bolduc. Quin. Fab. Gorop. Bec. Ouid.

Dicitur Ægyptus caruisse iuuantibus arua
Imbribus, atque annos sicca fuisse nouem,
Cùm Thrasius Busiren adit, monstrátque piari
Hospitis effuso sanguine posse Iouem.

Illi

Illi Busiris : Fies Iouis hostia primus,
Inquit, & Ægypto tu dabis hospes aquam.

Allusio ad Iosephi apud Ægyptum gesta, ex fabula Busiris.

Ac quanquam non omnia quadrent in Iosephi Historiam ; neque enim fuêre nouem sterilitatis anni : at docuimus n. 16. ex Patribus, in more extitisse Ethnicis, vt commentis quibusdam respergerent Bibliorum narrationes : Sanè quemadmodum ea, quæ de siccitate pars est metri ad famem valeat referri, quæ per septennium vexauit : sic reliqua interpretari possint de Pharaonis tyrannide, & sæuitia in populum Hebræorum, qui velut hospes in Ægypto ad tempus solùm permansurus, abiturus tandem in promissam tellurem fluentem lacte & melle, & fuit adinstar Herculis Moyses, à quo Busiris Pharao nempe deiectus fuit, deturbante Numine propter seruum suum, in profundum, equum, & ascensorem : Atque his alia plura æqualia sunt,

Ethnici Bibliorũ narrationes cõmẽtis aspergebant.

Gorop. de quibus idem Goropius libris originum Antuerpianarum, quos Chronia intitulauit, quarto præsertim volumine : inde & Elysia prata semper amœna apud Poëtas, & Deucalionis imbres, de quibus noster Roa lib. 5. singularium, c. 6. 7. 8.

Roa. Meherculè de cataclysmo pulchrum illud in

Plutarch. Plutarcho, Opere de solertia animalium, ad medium : *Sanè, qui fabulas narrant, y columbam aiunt ex arca emissam, Deucalioni certum indicium detulisse tempestatis, cùm rursus ingrederetur ; serenitatis, cùm aulassset* ; Quæ nemo non continuò inspiciat, quantam habeant cognationem cum iis, quæ Geneseos liber repræsentat : Atque, quòd aut nectar, & ambrosiam finxerint Hesiodus, & alij, & nescio quam herbam Moly, qua Deorum

Fictiones de Paradiso, de colũba Noë, de ligno vitæ.

Perer. iuuentus immarcessibilis conseruaretur, Pererius arbitratur ad lignum vitæ respexisse lib. 3. in Genesim quæstione 5. n. 79. qui, & an in Deorum numerum relatus sit Noë ob præstita mortalibus beneficia, ex Beroso Anniano transcribit libro 14. in Genesim, n. 206. quod actitat etiam Bolduc loco eodem paulò anteà recensito.

Moly herba qualis ?

Beros.

Bolduc.

Vides igitur, quanta ex Mosaïco penu suffurati sint Gentilium Sapientes ; nimirum, quòd huius doctrinam & summam eruditionem præ omnium hominum ingenio, & scientia colerent : & ne inter ipsos Hebræos quisquam haberetur, qui illorum iudicio ad tam consummatam peritiam ascendisset : Quare vereor sanè, ne & hic sit, quem Latinus Vates Æneidos 6. tantùm celebret, & vniuerso Doctorum cœtui apud iucundam patriam anteferat, inquiens :

18.

Moyses significatus Æn. sexto libro.

Musæum ante omnes : medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris extantẽ suspicit altis.

Zerda. Pontan. Quem ad locum demirantur nostri Zerda, atque Pontanus, quamobrem Homerum suppressit Maro ; nam huic concessum, vt in maiore pretio eius haberentur carmina, quàm aut Musæi, aut Lini, aut Orphei, aut cuiusquam alterius Græcorum Poëtarum : Assertor est Pausanias libro 9. pag. 305. nam de Orpheo testatus : *At enim Orpheus carminis concinnitate omnes qui ante ipsum fuerant, longo superauit interuallo :* Præcedentibus ex arte quadam comparauit, quòd Homero inferiorem arbitraretur, vt mox significauit de hymnis Orphei tractaturus : *sunt illi* (inquit) *carminis quidem elegantia, & ornatu primi secundùm Homeri hymnos : at hoc illis sanè diuinitùs obtigit, vt in maiore quàm illi honore ac pretio haberentur :* Quare & ab aliquibus suspectus de liuore, notatusque, vt qui ob inuidentiam egerit,

Pausan.

Orpheus melior Poëta iis, qui ipsum præcesserunt.

Homerus Poëtarum Orpheus : Maronis erga eũ liuor.

Virgilius : quanquam Iulius Scaliger ob Musæi præstantiam factum indicare videatur Poët. lib. 5. c. 2. eò quòd opinetur, inter Græcorum Vates palmam præripuisse : Verùm, quæ supponit Scaliger, cum iis stare nequeunt depromptis nuperè ex Pausaniæ monumentis, quibus Orpheo prima deferuntur : Atque, vt tacuisset Pausanias, ipse de Orpheo veterum fabulationes argumentum suppeditassent : nam, quòd in eius versibus excelsum quidpiam atque stupendum demirati fuissent supra Poëtarum totum chorum, propterea non de Lino, aut Musæo, sed de ipso commenti sunt cantu ornos & saxa trahere, feras domare, fluminibus moram imponere : iam neque propterea Latinus Vates Musæo detulit, quia etsi non carmine præstantior, sed antiquitate tamen : nam senior illo Orpheus, quem Magistrum habuit, vt memorat Eusebius libro 10. de præparatione Euangelij, cap. 3. Tassianus Assyrius oratione contra Græcos, aut etiam & præceptorem simul & parentem : quod innuit Cassiodorus libro 2. epistola 40. & aliqui apud Salianum tom. 2. anno mundi 2786. n. 1. Quòd si & inuidit Maro, & Homerum obscurare tentauit : at ineruditus liuor extitisset, cùm, vt aliquem præponeret, Orpheum debuerit magis anteferre ob causas allegatas : Quamobrem id fortasse verissimum fuerit, cùm acciperet Moysem Poëtarum vestutissimum fuisse, quem & summoperè eueherent ipsi Pagani Scriptores, vti aduertit Cyrillus libro 1. contra Iulianum, prope initium ; in hunc, ex cuius fontibus cæteri ora proluerant, principatum transtulit ; Atque sanè ostendimus ex Eusebio ad exordium numeri 16. Moysem à Græcis Musæum nuncupatum fuisse.

Orpheus Homeri Magister.

Euseb. Tassian. Assyr. Cassiod. Salian. Cyrill. *Moyses à Græcis Musæus nuncupatus.* Euseb.

Scalig.

Tot igitur confluentibus non spernendis argumentis, quis in dubium vertat, Moysem potiùs, quàm Salomonem scientiarum Antistitem vocandum ? Verùm liberales simus, & Moysem excludamus : adhuc suppetunt multa, quæ impediant, vt Salomon Coryphæus existimetur : nam, si anteriora respiciamus tempora, ea, scilicet, quæ Moysis ortum præcesserunt, inueniemus plures eximios antecessores, quales Iosephus, Abraham, Noë, Seth, Enoch ; & fundamentum ipsum Adamum de quibus Iacobus Bolduc toto Opere de Ecclesia ante legem : nostri, Tufus ad prologum Ecclesiastici : Magallanius tomo 2. in Iosuë ad caput 15. annot. 1. sectionis 2. & cum elegantia is, à quo alij hauserunt, Pineda libro 3. de rebus Salomonis, cap. 17. Atque ex his postremi duo, non solùm in priscis illis viguisse profundam quandam eruditionem ; sed etiam translatam ad subsequutos nepotes parem scientiarum gloriam ostendunt. Itaque descensum facientes, & posteriorum temporum facta collatione cum vetustissimis illis, vagantur per Moysen iuniora sæcula ; Et monet Pineda quidem, Moysem instituisse Concilium Sanedrin septuaginta duorum seniorum, quibus tradidit arcana Theologiæ, & Philosophiæ : floruisse & cum doctrinæ magno nomine sub Iosua Othonielem, propterea & expugnasse, & donarum Cariath. Sepher, id est, ciuitate litterarum, Iosuë c. 15. vers. 16. denique & Dauidem meditantur non ita belli strepitu totum distentum, vt non & aliquando Præceptoris sapientissimi vice functus sit, cùm Regum 2. c. 23. vers. 8. hauriamus : *Hæc nomina fortium Dauid. Sedens in cathedra sapientissi*

19.

Viri, qui doctrinarũ fama ante Salomonẽ apud Iudæos excelluerunt.

Bolduc. Tufus. Magallan. Pineda.

Concilium Sanedrin doctorum virorum.

Othoniel, & Dauid Magistri in Academiis.

Iosuë 15.

3. Reg. 23.

pientissimus Princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno; Tot igitur tamque diuini Magistri, cùm Salomone priores fuerint, quid est quòd ipsum scientiarum caput facere conemur, quasi sub ignorantia ante ipsum latuerit orbis tantis clarus luminibus?

20. Fateor ego quidem ex Moysis voluminibus expiscatos Philosophos, & Poëtas Gentium quæcunque Iudæorum arcana apud eos redolere videantur: Sed, quòd ista hauserint, Salomoni acceptum referendum: Fuerunt quidem semper in populo illo viri omni doctrina instructissimi: Sed, cùm vsque ad tempora Salomonis pacem exiguam nacta esset eorum Respublica, & aut in Ægypto, aut in desertis, aut sub tumultibus (Philisthæis eos afflictantibus) semper extitissent: non fuit opportunitas Scholas condendi; aut, si quas ædificarunt, illæ, neque fama egregiæ, neque auditoribus: Salomon autem requie non minùs, quàm gaza, & sapientia gloriosus, cùm vrbem conderet artis miraculum, quem lateat & Academiam fabricasse? alioquin imperfecta nimiùm eius extitissent ingenij opera: quid enim sine Lyceo Metropolis, aut quod pulchrum eius? Imò plura fuisse gymnasia innuit, & septem quidem, (vt non vanè dixerint, qui accommodarint septem columnas, de quibus Prouerb. cap. 9. vers. 1. quasi gymnasia septem Academiæ fulcra,) Optatus Mileuitanus lib. 3. ad Parmenianum, prope initium: *Denique non ait in Sion*, (inquit;) *sed in vna eius valle sunt celebrata: non in illo monte Sion, quem in Syria Palæstina à muris Hierusalem paruus disterminat riuus; in cuius vertice est non magna planities, in qua septem Synagogæ, vbi populus conueniens legem per Moysem datam discere potuisset; vbi nulla lis audita est, nec ab aliquo celebratum iudicium, nec aliqua est illic ab vllo Iudice lata sententia; quia locus erat doctrinæ, non controuersiæ; post doctrinam, si quid agendum erat, intra muros Hierusalem agebatur, inde scriptum est in Isaia propheta: Ex Sion prodiet lex, & verbum Domini de Hierusalem:* Quibus verbis luculentè distinguit à loco forensi, & iudiciorum litterariam palæstram, & quidem extra muros, quoniam Musæ secessum diligunt: prodest & ingeniis liberior aura, & syluæ, & camporum gratior aspectus: Quare, quod de Abraham memorat Genes. cap. 21. vers. 33. *Abraham verò plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei aterni*; Quanquam & Nicolaüs, & Abulensis perpetratum existiment in hospitum peregrè venientium gratiam, vt haberent quibus magis oblectarentur; sed Targum in catena Lippomani ob Academiam quoque.

Salomoni acceptа referenda, quæ Gentiles ex sacra religionis arcanis hauserant.

Schola eum fama inter Iudæos à Salomone primum condita.

Prou. 9. Opt. Mil.

Academia Hierosolymitana extra muros.

Genes. 21. *Schola in valle Mambre.* Abulens. Lyra. Targum. Lippom.

In hoc igitur loco Salomon non tantùm studiosorum fautor & Mecœnas amplissimus; sed

21. ipse quoque antecessor præclarissimus, & docens, cuius incomparabilis scientiæ fama per orbem diuulgata. Veniebant, vt Regum tertius liber testatur, cap. 4. vers. 34. de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab vniuersis Regibus terræ, qui audiebant sapientiam eius; quæ cùm animaduerteret Optatus Mileuitanus, non inuenustè accommodauit Scholis Hierosolymitanis sermonem Isaïæ c. 2. vers. 3. *Et fluent ad eum omnes Gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius; quia de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Hierusalem:* Nec moror, an accommodatitius sit huius loci sensus relati ad Salomonem; quanquam enim principaliter secundùm Historiam ad Euangelium referatur, sed possit quoque historicè Salomonem respectare, futuro pro præterito posito, vt nonnunquam contingit ex Hebræorum vsu; sanè comprehensis similia acciderunt docente Salomone: nam ad eum fluebant omnes gentes, & ibant populi multi, cùm, vt vidimus ex Regum libris, ventitabatur de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis: Et quid inde sequutum? Equidem, vt *prodiret lex de Sion, & Verbum Domini de Hierusalem*; cùm, scilicet, Monarcha exponente legis Mosaïcæ sensus, perciperetur ab exteris, & in nationibus cognosceretur Deus Israël, patéretque gentium sapientibus arcana Hebræorum: quare & post Salomonem floruerunt omnia doctrinarum portenta Pythagoras, Homerus, Socrates, Hesiodus, Plato, Aristoteles, septem Græcorum prudentes, & quicquid eximius demirata est vetustas, atque ante eum extinctum nati & Homerus, & Hesiodus: Sanè & de Canticis mutuatum Platonem symposij normâ Origenes Prologo 4. homiliarum insinuat, Ambrosius autem de anima, quæ in hoc Epithalamio describitur, libro de bono mortis, c. 5. *Ideòque hæc anima habens gratiam suorum vberum ingreditur in hortos, & inueniens illic sponsum sedentem, & disputantem cum amicis, ait: Qui sedes in hortis, vocem tuam insinua mihi: Hinc hortum illum Plato sibi composuit, quem Iouis hortum alibi, alibi hortum mentis appellauit: Iouem enim, & Deum, & mentem totius mundi dixit: in hunc introisse animam, quam Venerem nuncupat, vt sese abundantia, & diuitiis horti repleret, in quo repletus potu iaceret, purum qui nectar effunderet: Hoc igitur ex libro Canticorum composuit, eò quòd anima Deo adhærens, in hortum mentis ingressa sit, in quo esset abundantia diuersarum virtutum, floréque sermonum:* Ab eóque suffuratum Theocritum Epithalamica præsertim, adnotarunt Franciscus Moncæus lib. 2. lucubrationum in Cantica, lucubrat. 1. noster Sanctius prolegom. 5. in Cantica: Ergo Salomon is fuit, qui primus Academiæ perfectam ideam composuit; qui tradita scientiarum initia, aut ab Abrahamo, aut à Moyse, aut à Dauide auxit mirificè, supra modum distendit & amplificauit; primus, quem de aureo throno explanantem Deuteronomia, cæremonias, ritus, parœmias, Cantica tradentem, non solùm domestici auditores attento corde auscultauêre, sed exteri quoque ab vltimis terræ finibus accersiti; qui ad lares reuersi antiquos, docuêre contribules de iisdem, & gymnasij modum imitati sunt: Atque ista, quæ de Salomone à nobis asseuerata sunt, quoad enarratorum substantiam, & animam, placuêre anteà Pinedæ, & Magallano locis superiùs num. 19. commonstratis placuitque nostro Chrysolio Mystagogi aliàs citato lib. 2. c. 14. sect. 1.

Regula: Futurũ pro præterito.

A Salomone Plato, Theocritus & alij normâ sumpserunt operum suorũ.

Orig. Ambr.

Salomon quo pacto Doctorũ antiquissimus, & gymnasiorũ primus fundator?

Moncæus. Sanch.

Pined. Magall. Chrysol.

Iam, si cum his coniungamus Scripturarum vsum esse, profanæ quoque litteraturæ, initia rerum non tam illis accommodasse qui vtcunque cœperint, quàm iis qui adornauerint insigni & egregio incremento; erit, vt saluare valeamus id, in quod tendit omnis nostra hæc disputatio; nimirum, Salomonem doctrinarum Principem habendum, & à quo cæteri hauserint; ac proinde

22.

Regula: Auctor non tam dicitur is, qui cœpit, quàm qui amplificauit.

Epithala

Epithalamium ritè nuncupatum Canticum Canticorum ; ideò , quoniam primum carmen sit , & exemplar , à quo deriuata sunt magna vniuersa , & æstimanda in cæterorum Poëtarum monumentis , quin & sanctioribus Philosophorum adytis , quando & Plato , quem illi diuinissimum appellare non sunt veriti , hinc deprompserit Theologiæ suæ medullam ; huiusmodi illa Genes. capite 4. vers. 26. de Enos ; *iste cœpit inuocare nomen Domini* ; non quòd primus omninò sanctioris cultus Auctor , cum pij extiterint & sacrificiis , aliisque modis Adamus & Abel Deum venerati sint , sed quoniam amplificarit eximiè ; quam etiam in formam interpretantur nonnulli ex eodem libro capite 9. vers. 20. *Cœpitque Noë vir agricola exercêre terram & plantare vineam* , quod arbitrantur & ante diluuium vineas orbi datas ; ita & Reg. 2. Ierusalem multoties vocatur *Ciuitas Dauid* , cuius non ille primus conditor , sed restaurator singularis ; & Machab. capite 1. vers. 1. Alexander Philippi Macedo dicitur *primus* regnasse in Græcia , cum antè illum Genitor eius regnarit vt obseruarunt Sanchez & Iosephus Stephanus ; talis & profani sermonis vsus : nunc sufficiat ; illud Virgilianum ,

Tunc Rex Euander Romanæ conditor arcis.

Quid autem tam vulgare , quàm Romam à Romulo erectam esse , à quo & nomen acceperit ? Sed quidem Euander , qui ante Romulum vixit , fundamenta oppidi iecit : quia verò Romulus posteà amplificauit , ac perpoliuit , singularémque gloriam accreuit priori fabricæ rudi , & imperfectæ , ideò hic absolutè Auctor nominari meruit : Sed , quid peregrina venamur exempla , cùm ante oculos iaceant , & Homerus , & Virgilius , & Aristoteles , & Cicero , & alij similes ? Nam ante hos omnes mundus & Poëtas vidit , & Dialecticos , & Oratores : & tamen illi vocantur ore pleno talium scientiarum organa celebratissima , à quibus reliquos discere præstet , ad quorum imaginem efformandus sit quisquis excellere desideret : Quamobrem vetustioribus palmam præripuerint ? nisi quoniam quæ ab illis angustè inchoata sunt , hi ad iustam pulchritudinem attulêre ? Quare , cùm Salomon fuerit , qui Scholas , & gymnasia aptè dispoſuerit , qui scientias cum ordine , & methodo tradiderit , qui discentes habuit omnium nationum incolas , à quo proseminata sunt quicquid in publicum extraxêre Philosophi , & Poëtæ orbis celeberrimi ; is præ vniuersis doctrinarum Anteſignanus nominandus , & hoc eius Canticum ; Opus omnium absolutissimum ; Eo igitur modo , quo Salomon primus , & antiquior in disciplinis inueniendis , & eius Epithalamium primum , antiquissimúmque carmen : nam , quantùm ipse reliquos scientiarum inuentores superat , tantum eius Canticum vincit cætera omnia Cantica.

SECTIO III.

An Canticum Canticorum ob vaticinij excellentiam ? eius scriptionis præstantia quantos ob titulos ? & num alijs Bibliorum voluminibus præferenda ? Num inter veteris Instrumenti Prophetas maximus Salomon ; Habitus fidei an in actum Prophetiæ influat.

FAtentur quidem omnes ex conduplicatione vocabuli , altero in recto posito , altero in gignendi casu , secundùm Hebræorum vsum , eximium quidpiam præsignificari : Hieronymus ad cap. 27. Ezechielis , in illud : *Byssus varia de Ægypto* , &c. *Quomodo* (inquit) *dicitur Canticum Canticorum , & sæculum sæculorum , & opera operum ; vt Canticum maius aliys Canticis ; sic & sæculum prolixius aliys sæculis , opúsque cæteris operibus vtilius* ; Suppeditabunt exemplorum copiam Martinez hypotypoſeon libro 5. cap. 7. Ribera in cap. 1. Oseæ , num. 28. & Hymenæi Explanatores communiter in Prolusionibus ; Sic interpretatus olim Matthæus Cantacuzenus , Græcorum Rex ad vers. 1. cap. 1. Canticorum , inquiens : *Canticum Canticorum eximius est ac præstans Deo dictus Hymnus , qui cæteros exsuperat* : Philippus Abbas in titulum Canticorum : *Sicut enim , & Sancta Sanctorum , & Sabbatha Sabbathorum , super sancta & Sabbatha eminentius efferuntur , & sæcula sæculorum dignitate , & gloria sæculis præferuntur ; ita cùm sit in veterum Scripturis multa commendatio Canticorum ; amplius quid , & longè sacratius spondent , & continent Cantica Canticorum :* Abulensis q. 29. in cap. 4. Numerorum : *Et dicuntur Sancta Sanctorum ad notandum sanctitatis excellentiam sicut dicimus Cantica Canticorum : vel flos florum :* Verùm , cùm apud omnes constans sit , eminentiam aliquam eo dicendi more significatam : sed aliter tamen hi , atque illi explanant : quibusdam enim visum , comparationem fieri cum iis carminibus solùm , ipse quæ Salomon composuerit : alij amplificant , & dilatant ad omnia quæcunque in prisco Fœdere leguntur Cantica : neque his contenti terminis , vt qui angusti videantur , nonnulli ad totum corpus antiqui Instrumenti extendunt : & hi certè & vetustate , & doctrina , & auctoritatis , atque sanctitudinis notis , reliquis præstant : Neque sanè priores illi horum iudicium refutant : obiter solùm loquuntur indiscussæ controuersiæ anima : Et quoniam ea nobis sententia ad commendationem Hymenæi (pro qua decertare æquum est) perquàm necessaria , quæ biblicis omnibus antefert libris veteris Scripturæ , producamus de grauissimis Patribus , & optimorum Interpretum fideiussores aliquos.

23. *Regula : Geminatio vocabuli singulare aliquid denotans.* Hieron. Martin. Ribera. Cantacuz. Phil. Abb. Tostat.

Ducatu fruatur Origenes Prologo quatuor homiliarum : *Videntur enim* (asserit) *cætera Cantica parvula adhuc sponsæ , & quæ nondum vestibula maturæ ætatis ingressa sit ; hoc verò Canticum adultæ , etiam valdè robustæ , & quæ capax sit iam virilis potentiæ , perfectique mysterij decantari videtur , secundùm quod dicitur de ipsa , quia vna sit perfecta columba ;*

24. *Canticum Canticorum præstantius omnibus libris veteris Instrumenti.* Orig.

columba : quæ si perfecta ergo & perfecti viri sponsa perfectæ susceperit verba doctrinæ : Quibus planè verbis Origenes innuit, tantùm vincere hoc Canticum reliqua quantùm superant quæ à viris addiscuntur omnibus absolutæ numeris disciplinæ, Grammaticæ crepundia, quæ pueri repetunt : Sed altissima sunt, quæ Eusebius Pamphili submiſtrat procemio in Cantica, quæ & leguntur in Athanasiana Synopsi : *Alij verò futura prædicunt, vt Moyses, cùm dicit : Prophetam suscitabit vobis Dominus, & Isaias : Ecce Virgo in vtero habebit, & alius futura alia prædicit pro Spiritus gratia ; & hæc ipsa dicentibus promissus adhuc ille expectabatur Dominus : at vbi venit, desierunt Prophetæ : Et hæc quidem omnia, ac cætera Cantica fuêre, quæ de futuro cecinerunt Saluatorem, at Canticum istud Canticorum non Prophetarum more decantatum est, neque prænunciat quidquam : sed quem alij venturum prænunciabant, hunc iam veluti præsentem, & carne iam indutum digito præmonstrat :* Et infrà *: Rursus, quemadmodum demonstrante Ioanne Agnum, lex & Prophetæ vsque ad Ioannem fuêre : ita quæ in hoc Cantico Canticorum adnotantur, finis sunt omnium quæ in vniuersa Scriptura significantur :* Ac certè quando Præcursori Baptistæ comparauerit : vt quemadmodum illi concessum non solùm de Christo prædicere, sed eum intueri, & coram habere, ac proinde vocatus sit Matthæi cap. 11. plusquàm Propheta, vt interpretantur Augustinus, Hieronymus, Hilarius, & alij apud Suarez tom. 2. in tertiam partem, disputatione 24. sect. 5. ita cùm & Salomon velut præsentem habuerit Seruatorem ex mente Eusebij, ipse quoque instar Ioannis plusquàm Propheta nominari valeat : Neque nostra hæc cogitatio, sed Canticorum recentis egregii Interpretis Cosmæ Damiani Hortulani, qui Isagogæ in Cantica initio post relatum Eusebij testimonium : *Quibus ego rectè mihi videor posse addere* (inquit,) *quia, sicut Ioannes dictus est à Christo plusquàm Propheta, & ab eodem tanquam Prophetarum summus est commendatus ; propterea quòd, cùm reliqui omnes Prophetæ venturum prædixissent, ille præsentem demonstrauit : sic & hoc plusquam Canticum sit, hoc est, præstantissimum omnium Canticorum ; quòd, quem reliqua etiam Cantica venturum cecinerunt, hoc iam venisse canat, præsentem mundo celebret, atque ideò dictum sit Canticum Canticorum :* Si tamen, seu Eusebij, siue Athanasij dictum ex Scholarum rigore premere cupiamus, cùm Salomon Christum intellectualiter præsentem haberet ; neque vt Ioannes, quia nondum carnem assumpserat ; puto quidem indicare propheticæ cognitionis præstantiam ; vt, nimirum, futura non sit contemplatus obscurè ad morem aliorum vaticinantium Salomon ; sed notitia clara, & euidenti, quando prophetiæ naturæ eiusmodi non repugnet splendor, vt docet P. Suarez de fide, disput. 8. sect. 5. num. 5.

Eusebius.

Salomon ad modũ Ioannis Baptistæ plusquàm Prophetæ. Matth. 11. August. Hieron. Suarez. Cosm. Dam.

Salomonis de Christo prophetia euidens.

Suarez.

Pergit Eusebius : *Et alij quidem Scripturæ libri de Saluatore verba faciunt : verùm interdum alia quædam aliis denunciant : liber autem hic vnum coniugium verbi canit, & corporis :* Significat per corpus humanitatem, vt & Ioannes loquitur exordio Euangelij : *Et Verbum caro factum est*, quod & præter materiam vniuit animam insuper sibimet : Neque modica hæc laudatio, vt cùm alia vaticinia de Hebræorum Republica tractent, de bellis, de matrimoniis, de suppliciis ; Salomon totus euangelicus, nihil pertractet, nisi de homine cum Deitate, & catholicæ Ecclesiæ spiritali decore : Itaque certè obiectum illius longè nobilius, quoniam omninò orthodoxa attingit temporalia ; illa & in Synagogam feruntur : sicut nobilior habitus mentis est, qui in Deum solum, & adæquatè velut in formalem terminum dirigitur, quam qui in Deũ simul & creaturam, vtroq; constituente obiectum formale partiale : Illud quoque ab eodem egregiè pronunciatum : *Quia ea, quæ in hoc Cantico significantur, eadem ipsa, tum in Prophetis, tũ in cæteris Scripturis, sparsim & intrinsecè, probata deprehenduntur :* Est igitur Canticum Canticorum Breuiarium, & collectio eorum omnium, quæ in cæteris Scripturarum partibus disperguntur, ac proinde excellentissima Bibliorum portio : vt, quemadmodum Numinis perfectionem commendat singulariter, quoniam in plurimis creaturarum diuisa, adunata habeat : sic in multis sacrorum voluminum disseminata, colligat Epithalamium Salomonis : Itaque aliæ Instrumenti partes ex obiecto ipsæ se vincunt, quòd hæc de Christi ortu narret, illa de passione, ista de triumpho, & anastasi ; quemadmodum in Theologia, alia de incarnato Deo, alia de creante, alia de eo quoad se & intrinsecas perfectiones disputatio : verùm Canticorum liber omnium diuitias & gloriam vnus possidet : quo quid esse valeat sublimius ? At intuere etiamnum grandiora : nam, vt concedamus, in Psalmis Dauidicis, aut Isaïa comprehendi omnes Ecclesiæ Catholicæ euentus ; sed non in his filium continuè deductum : apparent citò hiatus, & intermiscentur de Hebræorum Republica multa : verùm in hoc admirando Carmine nihil eiusmodi ; totum sibi vendicat iunior Ecclesia ; & neque perturbatur ordo, sed omnia sibi aptè & respondent, & succedunt : ostendimus Anteloquio 3. ad longum, Sectione 2. & tertia Subsectione Sectionis 4. Afferamus huius encomij alios præter Eusebium testes : Aponius lib. 1. in Cantica : *Quæ in aliis Prophetis Spiritus sanctus dispersè de hac coniunctione* (Christi, nempe, & Ecclesiæ) *loquutus est ; nunc in hoc Cantico ore sapientissimi Salomonis, euidenter compositisse docetur.* Dionysius Carthusianus Procemio in Cantica, vocari Canticum Canticorum affirmat, *propter eminentiam suæ compendiositatis* : nimirum, quòd talis Epitoma sit, tam excellens, qualem nos depinximus. Iacobus de Valentia præfatione in Cantica : *Et ideò iste libellus redditur difficilior ad intelligendum, eo quòd omnia, quæ scripta sunt in vtroque Testamento de Christo, & Ecclesia, & omnia, quæ Dauid cantauit in centum & quinquaginta Psalmis, voluit Salomon complecti in hoc libello sub metaphora :* Cosmas Damianus Hortulanus : *Materiam prætereà subindicauimus esse mutuum amorem Sponsi, & Sponsæ, nempe Christi, & Ecclesiæ, legitimámque coniunctionem, & vniuersa denique mysteria, quæ apertiùs in Euangelio, Actis Apostolorum, Epistolis apostolicis, & Ioannis Apocalypsi de hoc Sacramento reuelata sunt, in veteri Testamento adumbrata, quem codicem vtriusque Testamenti Epitomen esse existimamus.*

Obiectum Cantici Cãticorũ nobilius obiectis aliorũ librorum veteris Fœderis.

Canticum Canticorum Breuiarium, & collectio eorum omnium, quæ in toto veteri dispersa Instrumento.

Cantici Cãticorũ filum continuatũ, & de sola Catholica Ecclesia ; secus atque in aliis priscæ legis vaticinationibus.

Apon.

Carthus.

Valentia.

Cosm Dam

Canticum Canticorum vtriusque Fœderis epitoma.

Verùm, inexpensam præterire non est æquum illam Eusebij gnomen : *Ita, quæ in hoc Cantico Canticorum adnotantur, finis sunt omnium, quæ in vniuersa diuina Scriptura significantur :* Quibus cognata apud Theodoretum in versum 1. Canticorum : *Hac de causa* (ait) *Canticum Canticorum hic liber inscribitur ; quoniam reliqua Cantica propter hoc*

25. *Regula : Caro, & corpus pro humanitate tota.*

26. *Canticum Canticorum subiectum attributionis veteris Scripturæ.* Theodor.

hoc Canticum facta sunt, & ad hoc illa perducunt; Equidem in vnaquaque scientia cùm multa reperiantur obiecta, quæ illa formaliter, & propter se (vt dicunt) respiciat; tum vnum consueuit esse obiectum præstantius: est autem eiusmodi, quod *attributionis* vocant; tanquam scopus & finis, in quem cætera collimant, eò quòd, sint, aut partes ipsum componentes, aut causæ, aut effectus, & proprietates, qualem putant esse in dialecticis multi demonstrationem, & in theologicis est Deus; ita igitur pars Scripturarum, quæ est velut subiectum attributionis, (significo autem vetus Instrumentum,) liber Canticorum est; quoniam, vt dicebat Theodoretus, *Reliqua Cantica propter hoc facta sunt, & ad hoc illa perducunt*, & vt dicebat Eusebius; *Finis sunt omnium, quæ in vniuersa Scriptura significantur*; Huiusmodi autem sunt conditiones, ex quibus attributionis obiectum formari consueuit: Quod si cui nimium id videatur, audiat rursum loquentem Aponium lib 1. in Cantica, & stupescat: *Quod Canticum* (inquit) *ita intelligitur omnibus præcellere Canticis, sicut Dominus noster assumptus homo Apostolis, Patriarchis, vel Prophetis, aut quæcunque illæ sunt cælestium potestates; vt sicut Rex Regum, & Dominus dominantium est Christus; ita & Canticum Canticorum super omnia Cantica, quæ à Prophetis cantata sunt, tituletur*: Ad quæ eadem alludere visus Bernardus sermone 1. in Cantica, dicens: *Igitur pro sui excellentia reor nuptiale hoc carmen huiusmodi titulo præsignitum, vt meritò Cantica Canticorum singulariter appelletur; sicut is quoquè, cui canitur, singulariter est dictus Rex Regum, & Dominus dominantium*: Sed, cùm hæc nimia esse videantur, vt tantùm reliqua vincant Cantica, quàtùm superat Christus Apostolos, Patriarchas, vel Prophetas; tamen & vltrà progressus quodammodo Nyssenus: quidni enim vltrà, cùm & Isaiâ, & Dauidem, quibus Euangelium ob oculos tantùm, excedere affirmat, quantùm penè profana Cantica; Eius verba, quæ piè tamen construenda, ex homil. 1. sunt; *Quomodo enim in Sancto Sãctorum docemur quandam abundantiam per hanc vocem saperlatiuam; ita etiam per Canticum Canticorum, mysteria mysteriorum nos docere profitetur sublimis oratio; nam, cùm multa sit diuinitùs inspirata doctrina Canticorum, per quæ à magno Dauid, & Isaïa, & Moyse, & multis aliis, docemur magnas de Deo intelligentias; hoc discimus ab hac inscriptione, quòd quantùm à Canticis externa sapientia distant Cantica Canticorum, tantùm superat Canticum Sanctorum mysterium, quod est in Cantica Canticorum.*

Apon.

Bernard.

Nyssen. *Canticum Canticorum, quantil vincat alias prophetias.*

27. Nec verò contemnenda vllo modo sunt, quæ aut Nazianzenus Gregorius sensit de nostro Hymenæo, aut Philo, Carpathiorum Antistes, & Prologus, vel Diui Gregorij Papæ, vel Richardi Victorini; ex quibus Nazianzenus oratione quadragesima in sanctum Baptisma, ad initium: *Vt enim quædam Sancta Sanctorum vocantur, & Cantica Canticorũ, quòd scilicet, latiùs pateant, ac plura complectantur, præcipuámque dignitatem habeant*; Animaduertis; quàm floridè dixit Theologus, quanquam mole, & versuum numeris breuis, atque exigua cantilena Salomonis; tamen latiùs patere, ac plura complecti: nempe, quod ea legis gratiæ arcana comprehendat, alios quæ latuerint vaticinantes; Subiiciamus Philonem Carpathium ad exordium Canticorum: *Nam, vt olim Sancta Sanctorum, maiora quædam cæteris & sacratiora mysteria, occultum quendam honorem præ se ferebant; hæc enim summo Sacerdoti semel in anno ingredi licebat sic & Canticum Canticorũ spiritalem, & profundissimum ex omnibus sacramẽtis, abditissimúmque sensum totius sacræ paginæ cõtinere videtur: & vt Sabbatha Sabbathorum, maiorẽ quidẽ futuræ felicitatis lætitiam, quàm ex præsentibus bonis esse potest, mysticè declarant; ita & hæc Cantica Canticorum ad maiorem quandam, atque penitiorem spiritalem intelligentiam præ cæteris sacris Scripturis omnibus interpretãtes accessuros admonet*; Neque sanè hac maiorem laudem Canticorum studiosissimus exoptare valeat; quid enim desiderandum præterea, si profundissimus, abditissimúsque totius Scripturæ sensus, is, qui lateat in Salomonis nuptiali metro? Et quoniam Philonis iudicio similis est opinatio Prologi, aut Gregorij Romani, aut Richardi Victorini, vt qui dicant Epithalamio isto abscondi, quod magè secretum est, quod præ reliquis abstrusum, & sacratius, Ponamus ipsorum sententiam; *Sicut enim in veteri Testamento alia sunt sancta, alia Sãcta Sanctorum, alia Sabbatha Sabbathorum: ita in Scriptura alia sunt Cantica, alia Cantica Canticorum: Sancta erant, quæ in templo exterius agebantur: Sabbatha erant, quæ in singulis hebdomadis celebrabantur; sed Sancta Sanctorum secretiori quadam veneratione suscipiebantur; & Sabbatha Sabbatorum non nisi in summis Festiuitatibus colebantur: ita Cantica Canticorum secretum & quoddam solenne interius est, quod secretum in occultis intelligentiis penetratur*; Adiungamus duos ex recentioribus, Cyprianum Cistercienſem, qui præfatione in Cantica ait, *Plenum illud & graue carmen Canticum Canticorum appellari; quoniam & rerum magnitudine, sublimitate, tum etiam figura dicẽdi & selectione verborum cæteris esset carminibus præferendum*: Hieronymum Almonacyrium Procœmio in Cant, *Dicitur*, inquit, *Canticum Cãticorum; quia cætera Cantica præcedit, siue spectes materiæ celsitudinem, siue styli figuram, siue verborum elegantiam.*

Greg. Pap.

Cypr. Cist.

Almonac.

Nazianz.

Phil. Carp.

28. Atque sanè comparatis iis, attentéque perspectis, quæ hactenus à nobis producta fuêre, facile erit diiudicare principem locum inter veteris Instrumenti codices, hunc obtinere librum: Omitto quidem plerosque dixisse plura, maioráque continere arcana, quàm aliud contineat volumen; desino, quæ probauerint subiectum attributionis esse, ac proinde caput, verticémque cæterorum; taceo, quòd excedere reliqua, idque longo interuallo, manifestè affirment; ponamus eadem complecti Hymenæum, quæ alia claudant; sed tamen diuersitas ingens est, quoniam dispersa in aliis, & inter multas vaticinationes diuisa, hæc vna prophetia collecta habeat: Sed sint omnia ea apud vnũ aliquem ex Vatibus: at non continua serie, & ordine diducta; verùm hiatibus admissis ob crebros saltus, & digressiones: Quid, si & hucusque memorata cuncta paria extitissent? Vincit tamen styli amplitudine, verborum concinnitate, & delectu: Quòd si certè inter vaticinia prisci Fœderis præcipuum sibi vendicant locum Cantica Canticorum; erit vt teneamur quoque asseuerare, inter Prophetas ducem, & Coryphæum nominandum Salomonem: nam talis quisque inter vaticinantes est, qualis eius prophetia: sicut talis quisque inter Philosophos, aut Theologos, qualis eius peritia in Physicis, & diuinis; Cùm igitur fuerint præstantiora vaticinia Salomonis

ob causas, quas exhibuimus; fit, vt ipse cæteris excellentior Propheta existimandus sit: quæ eximiè hunc librum, eiúsque Scriptorem euehunt; *Salomon verè Propheta.* nimirum, quód Vatum, qui ante Christum floruerunt, maximus extiterit: Nominaui Salomonem Prophetam, quoniam ita multi ex Patribus vocant apud Sotomaior. Sotomaior. in præfatis, prope initium §. *De Auctore quoque*, &c. Scio quidem ex multorum partitione eius Opera constitui inter hagiographa, non inter vaticinalia, de quo genere sectionis agit latè Sixtus exordio libri primi Bibliothecæ sanctæ: verùm Prophetæ appellatio non sumitur à nobis pro eo, qui à Deo missus est legatus ad carpenda populi vitia, quales Isaïas, Ieremias, Oseas, Ionas, & cæteri; sed pro illo, quocum Deus loquitur de futurorum temporum arcanis, quæ naturæ cognitionem vincunt, aut clarè, aut per symbola: quæ est germana vaticinationis acceptio. *Canticum Canticorum inter hagiographa locatum.* Sixt. Sen.

29. Puto tamen malè laturus sit Iacobus de Valentia anteponi filium genitori, Salomonem Dauidi, viro secùndum cor Dei, cui incerta & occulta reuelauit sapientiæ, qui & super senes intellexit, id est, plùs etiam quàm Moyses, aut quisque Prophetarum antecedentium, vt exponit Gregorius homil. 17. in Ezechielem, & Beda libro de Tabernaculo, & vasis eius, capite quinto; Percipiamus ab eo, Prologo in Cantica: *Licèt etiam istud Canticum Salomonis (* ait *) excedat omnia Cantica Moysis, & aliorum Prophetarum in sublimitate, & profunditate prophetiæ: tamen non excedit Cantica Dauid, cùm probatum sit in Prologo Psalmorum Dauid fuisse eximium omnium Prophetarum in profunditate prophetiæ, de Christo & Ecclesia: & ideò ille genitiuus pluralis (* nempe, *Canticum Canticorum) non denotat altitudinis Prophetiæ excellentiam in Salomone: sed dicit excellentiam in comprehensione multitudinis sententiæ sub breuitate sermonis: eò quòd Salomon comprehendit in istis paruis decem Canticis (* distribuit enim Christopolitanus librum in decem Cantica *) superficialiter omnia Cantica Dauid patris sui, & omnia Cantica Moysis, & aliorum; & sic dicitur Canticum Canticorum: id est, continens omnia alia Cantica: quia, licèt Dauid in centum & quinquaginta Psalmis comprehenderit totam legem, & Prophetas, & totum nouum Testamentum; tamen Salomon in breuiori sermone fuit abbreuiator sententiæ principalis ipsorum Psalmorum Dauid: & sic hoc Opus dicitur Canticum quasi abbreuiatorium Psalmorum & Canticorum Dauid:* Hæc Valentiæ pondera, quæ ita rursum declaro: Minus est esse abbreuiatorem: at Salomon tantùm Compendista, & Abbreuiator fuit: ergo eius vaticinationis obscurior est honos: Patet maior propositio: nam, qui abbreuiat non est principalis Scriptor, ac proinde nec præcipua fruiturus laude: deinde abbreuians quo epitomam valeat conficere, plurima omittit ex eis, quæ primarius Scriptor congesserat: postremò, quis asserat Florum: qui Romanorum historiam breuissimè complexus est, & Liuium syncopauit, ipso Liuio potiorem esse, qui gesta ad longum recenset, & suis condecorat ornamentis? ergo de abbreuiantium classe cùm fuerit Salomon, præferendus erit, aut Moyses, aut Dauid, quorum prædictiones ille in summarium redegit. *Salomon an maior Propheta Moyse, & Dauid?* Valentia. Greg. Beda.

30. Nobis cum Valentia consentire non licet: Primùm, negamus Salomonem abbreuiatorem fuisse Dauidicorum Canticorum; nam sanè epi- *Salomon, num abbreuiator Dauidis?*

tomista non est vocandus aliquis, eò quòd de iisdem tractat, de quibus alius: alioquin & hoc nomine præter vnum cæteri appellandi, qui Scripturas pertractant, qui Canones qui Medicinam, & quamlibet Facultatem: est autem summariolum illud, quod & præcipui scribentis, cùm mentem retineat, ordinem quoque librorum, & modum in narrando imitetur, omnisque differentia sit penes longitudinem, aut breuitatem: At Salomon in nullis penè genitorem imitatur, excepto quòd versentur circa eadem obiecta fortasse: stylus diuersus est, metaphoræ, figuræ, dispositio: quid, quòd & ampliùs pateat Canticum Salomonis, & quædam à Dauide, reliquísque prætermissa ingerat, vt perspeximus ex Nazianzeno, & aliis? Certè si quam Odam inter Dauidicas æmulatus est eius gnatus, Hymnus fuit 44. *Eructauit cor meum*, &c. atqui, vt hunc transcripserit, amplificauit potiùs, quàm contraxerit, vt docent testes, quos allegaui Anteloq. 1. Sect. 9. nullo igitur pacto summariolum aliquod aliorum vaticinationú à Salomone confectú est: Secundò, negamus, (gratis quidem concedentes à Salomone collecta, quæ alij priùs dixerint, & tradiderint,) inde legitimum conflari argumentum, præstantiora esse quæ Dauid, aut cæteri Prophetæ enunciauerint: quid enim est illa, qua nunc potimur tam exculta Theologia, aut quid illius Principes egerunt post longas vigilias, & sudores plurimos? Cape à Martino Martini hypotyposeon libro sexto in ipso limine: *Et quid aliud fecisse putas Alexandrum Halensem, S. Thomam Aquinatem, & Bonauenturam, & huiusce ordinis viros, (quorum institutum fuit, quæ sancti Patres sparsim tradiderint, in locos communes conicere,) nisi Augustini, & Aristotelis, & Dionisij Areopagitæ vomitum pulcherrimum, quodam in vase concludere?* Si ergo ante B. Thomam in Ecclesia Theologi extitêre multi, atque clarissimi, & ipse non de suo fabricauit cerebro; sed quæ apud venerandos sacrarum litterarum Antistites reperit, præsertim Augustinum, in sua deriuauit prata, quamobrem Theologorum sydus & Coryphæus nominari meruit? Equidem propterea, quòd apud alios dispersa & segregata & aut inuolucris obscura, aut longitudine tædiosa, adunarit, perpoliuerit, digesserit mirificè: Igitur eundem in modum, si apud vetustiores separata, dissita, conuulsa Salomon ordini & methodo gratiori restituit, Prophetarum eam ob causam Antesignanus appellari valeat. *uiator Dauidis?* Martin. *Theologi Scholastici Patrum sententias collegerunt, & abbreuiarũt.*

31. Sed præbeamus, inquiunt, deuictum à Salomonico calamo Dauidis sacrum ingenium, supereſt Moyses, qui plus est quàm Dauid, aut Salomon, aut alius quispiam, donec surrexerit Baptista Ioannes, quo nemo maior inter natos mulierum: Suffragatur euidens Deuteronomij sententia c. vltim. vers. 10. *Et non surrexit vltrà Propheta in Israël, sicut Moyses, quem nouit Dominus facie ad faciem, in omnibus signis, atque portentis, quæ misit per eum, vt faceret in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus seruis eius*, &c. Quæ verba, vt exponit Burgensis additionibus ad præfationem Lyræ in Psalmos, de Moyse subsequutis temporibus exponenda sunt, vsque ad Euangelium, nimirum: quare & cùm posterior fuerit Salomon, eò maiorem Vatem fuisse Moysem indicant: cuius opinationis sunt Angelicus Doctor 2.2. quæst. 174. art. 4. Abulensis in cap. 12. Numerorum, quæst. 28. Dionysius Carthusianus præfa- Deut. 34. S. Thom. Abul. Carth.

Glossa. Burgens. præfatione in Psalmos : Glossa ordinaria in caput postremum Deuteronomij : Paulus Burgensis vbi paulò anteà citatus : Demus quidem Deuteronomij verba relata ferri ad sequentia tempora, quod tamen vt dicatur non esse necessarium, animaduertit noster Lorinus in citatum caput : ac singulariter vidit Tostatus, vtcunque construatur Deuteronomium, non probari Moysem superiorem esse choro Prophetarum : *Tamen non ex hoc textu patet,* (inquit) *quia hic dicitur: Sicut Moyses. & est sensus: Quia Moyses habuit quandam excellentiam in faciendo opera mirabilia, & cognoscendo Deum facie ad faciem; quæ non fuit tamen communicata alicui aliorum Prophetarum in eodem gradu: sed non tollitur, quòd non alteri Propheta plura, & maiora mysteria reuelata fuerint:* Quo pacto interpretantur quoque Oleaster, & noster à Lapide. Verùm & qui affirmatè pronuncient non omnibus excellentiorem vaticinantem extitisse Moysem, sed eò celsiorem Dauid, sunt quidem Lyranus prooemio in Psalmos, & eius propugnator Thoringus : Iacobus de Valentia præfatione in Psalmos, tract. 2. art. 4. Lorinus prologo in eosdem, cap. 3. allegans Ambrosium, Chrysostomum, Gregorium Romanum, Adrianum Papam I. & alios.

Lorin. Abul. Oleast. Cornel. Thoring. Valentia. Lorin.

32. Quòd igitur illi adstruunt de Dauide, nos affirmamus de Salomone; fuisse, nempe, præstantiorem Moyse Vatem : Conclusionis fulcrum : nam omnis vaticiniorum nobilitas & perfectio desumitur, vel ab obiecto, vel à modo tendendi cognitionis propheticę, vel ab habitu, & lumine producente illam : sed in his omnibus potiora contigêre Salomoni. Primum de termino & obiecto : quis nesciat, digniora ea esse, quæ in Ecclesia catholica fulserunt, quàm quibus adornata est Synagoga? At Salomois vaticinium integrè respexit potiorem Ecclesiam, cùm Mbyses profusus sit in delineanda antiqua : insuper & complectitur Epithalamium memoranda quæque & illustria gesta Christiani cœtus, vt confirmaui Anteloquio 3. Sect. 4. Subsect. 3. Videamus, vt quisquam probet, eadem contemplatum fuisse Moysem? Secundum, de modo tendentiæ: nam, vt concedamus, in Moysis Scriptura eadem reperiri : verùm proculdubio disiuncta sunt, & inglutinata apud nostrum Hymenæographum vniuersa catenata sunt, & hiatus, & digressoria respuunt : Moyses sub allegorico sensu intuebatur, aut in rubo, aut in Patriarcharum factis, aut in mari Erythreo, & solitudine : Salomon sub literali, & historico, imò præcipuus in Canticis ille est, qui Christum & Ecclesiam, & Ecclesiæ casus multiplices respicit, vt traditum Anteloquio 1. Sect. 4. vt omittam interim abstrusos loquendi modos, tropos, emblemata, & vbique floridam Salomonis dictionem : Denique Canticum Canticorum quoniam cætera Scripturæ Cantica excedit, etiam Moysaïca, vt passim affirmant Explanatores : taceo : quod & euidenter multa futurorum intuitus sit vi scientiæ infusæ : Dices & Moysem sublatum ad videndum clarè & intuitiuè beatam Dei essentiam : verùm istud sub lite est, neque pauci neque aliquo modo obscuri, qui inficiantur : concedo tamen, & ipsum, & Dauidem nonnunquam ventura mysteria euidenti face iutuitos esse : hos enim maximè intelligo post Salomonem, atque pariter Isaïam, quibus istiusmodi prærogatiua concessa, adstipulante Suario disp. 8. de fide, sect. 5. num. 6. Sed aliter &

Qui Vates cognitione futurorum euidenti præditi?

Suarez.

Sherlogi Anteloq. in Cant.

excelsiùs Salomon, quàm illi : loquor de principij cognitionem vatidicam elicientis honore, quod fuit tertium ex promissis membrum : illis quidem si quando aperiebantur mentis oculi, vt loquutionem diuinam euidenter penetrarent, id fiebat beneficio auxilij extrinseci supplentis vicem qualitatis : (odiuimus scilicet, vt quæ produci impossibilis sit ab aliquibus adinuentam qualitatem fluidam, & pertranseuntem :) Salomon autem habebat principium connaturale & intrinsecum, nimirum habitum & lumen per se infusum scientiæ supernaturalis, & per se infusæ : nam, cùm à principio regnatus acceperit à Numine Salomon donum intelligentiæ : hoc quoque tanto locupletatus est munere, quo religionis nostræ arcana imperuia videbat clarè, quemadmodum credidêre Pineda libro 3. de rebus Salomonis, cap. 16. num. 6. Salianus tom. 1. anno mundi 3022. num. 99. neque stupescendum, cùm & Adamo sapientiorem fuisse arbitratus sit Abulensis quæst. 7. in cap. 3. lib. 3. Regum : Hoc igitur lumen cùm in eiusmodi actus influere possit, vti monstrat Suarius tom. 2. in 3. part. disp. 29. sect. 3. ab eo elicitos fuisse æquum est, asseramus: Porrò actus ipsos, quamuis essent clari & euidentes, cùm tamen ferebantur ad dissita, & successura, veram atque rigorosam prophetiæ denominationem meruisse ostendit eodem tomo, disp. 21 sect. 1.

Salomon futura habitu luminis per se infusi penetrabat. Pineda. Salian. Abul. Suarius.

33. Asseueris & Suarium de fide, disput. 8. sect. 6. num. 4. concedere actum prophetiæ, qui obscurus est, & imitatur proximè fidei actum, elici ab habitu fidei : quòd si & alius vaticinationis actus etiam ab habitu per se infuso elicitur, sequitur vt omnis prophetici actus principium constans detur, & permanens : Hoc autem affirmare inconueniens est, primùm, quoniam Auctorum, qui ex Patribus hauserunt, vulgatum effatum est, prophetiam non tribui per modum alicuius fixi & durantis; sed præteruolare citò donum : Secundò, quoniam si admodum habitus principium actus prophetalis : igitur, sicut liberum est elicere actum fidei, quoties velit, tenenti fidei habitum; sic & expeditum fuerit actum vaticinandi producere : erunt ego fideles omnes fidei possidentes habitum, stricte Propheræ & noscentes futura : quin & illud sequetur, vt, quemadmodum fidei habitus ex gratiæ iustificantis proprietatibus est, & infunditur vnà cum eadem gratia in baptismo; sic & lumen vatidicum erit gratiæ sanctificantis quoque proprietas, atque passio, ac proinde eiusmodi lumen non erit numerandum inter gratias gratis datas, quæ non infunduntur vnà cum gratia iustificante. Respondeo, donum prophetiæ per modum actus primi, & habitus, de quo nunc est sermo, spectari posse dupliciter; nempe, aut quasi potentiam proximam, aut velut remotam; intellectus cum solo habitu fidei, aut lumine scientiæ per se infusæ tantùm est potentia remota & distans, quoniam deest comprincipium, scilicet species impressa; & in primis abest conditio omninò necessaria, & sine qua non, nempe Dei loquutio : his duobus positis fit intellectus proximè capax, & diuinam penetrat loquelam, quæ discussa format continuò vaticinationem : Patres igitur, cùm asserunt prophetiam esse gratiam gratis datam, neque in hominis esse libito vt quando velit de futuris, quæ à Dei reuelatione pendent, enunciet loquuntur de prophetia, nõ remotè accepta,

Prophetia quo pacto donum stabile vocari possit?

sed proximè; sic enim omninò verum est, humani arbitrij non esse vaticinationem, cùm necessaria conditio sit Dei loquutio; Deus autem loquatur, quibus placitum est ei, & quando voluptas est. Vide Suarium ab his non multùm dissentientem de fide, disp. 8. sect. 6. n. 9. P. Hurtado tom. 1. in 2. 2. disp. 28. sect. 3.

Suarez. Hurtado.

34. *An potentia remota ad prophetandũ in omnibus fidelibus.*

At difficile apparet, fidei habitu instructum intellectum esse remotè potentem; nam, si eiusmodi remota potentia est in omnibus fidei habitu præditis, quamobrem non redditur illa potentia aliquando proximè operatiua? nam ad hoc Deus subministrat potentiam remotam, vt in aliquibus saltem circunstantiis compleat; aliàs si nunquam redigitur ad actum secundum, (quod tamen nequeat fieri, nisi complendo eam in ratione potentiæ proximæ) superuacanea omninò fuerit, & prorsus otiosa eiusmodi potestas remota; Respondeo ad hoc, vt habitus non censeatur superfluus, & frustrà infusus; sufficit posse aliquos ab eo elici actus, licèt quidam etiam sint actus pro tempore & statu, qui repugnent produci? quare, cùm habitus ille fidei possit elicere actus fidei, qui sunt præcipuæ eius operationes, quamuis per totum vitæ curriculum nunquam propheter, non erit existimandus superuacaneus, & absque vtili concessus hominibus; Exemplum simile adhibeamus alterius virtutis theologicæ, nempe, spei: manet habitus in Beatis, quemadmodum defendunt P. Suarez disp. 1. de spe, sect. 8. n. 5, P. Hurtado tom. 2. in 2. 2. disp. 108. sect. 4. & tamen, vt iidem concedunt, & omnes agnoscere oportet, principalis sperandi actus, qui est desiderium beatitudinis, in patria exerceri non valet, cùm desiderium ad absentia, & quibus caremus, tendat; fruuntur autem tunc Beati clara & intuitiua Dei visione; Verùm dicunt, quamuis hic actus produci nequeat, alios tamen elici à fortunatis ciuibus; nempe, amorem strictum beatitudinis directum ad eam secundùm se, quatenus & ab absentia, & à possessione abstrahit, & gaudium de eiusdem beatitudinis existentia; neque enim ad nihilum deseruit habitus, cùm hæc duo actuum genera elicere potens sit: quod illi de spe, nos de fide, imò & illi ferè nobiscum: licèt quidem actus, qui sunt vaticinia & prædictiones, non eliciantur ab habitu; tamen non vanum infundi eiusmodi habitum, cùm alios nobilissimos actus frequenter eliciat, scilicet illos, quibus credimus, & symbola religionis veneramur, quoniam Deus reuelauit.

Spei habitus datur in Beatis.

Suarez. Hurtado.

35. *Parallelum Salomonis, & Ioannis Euangelistæ.*

Ergo ex Patrum initio Sectionis dispositis effatis tandem deducimus, inter veteris Instrumenti Prophetas Salomonem principatum obtinere. Et certè vnus hic inter prisci Fœderis Heroës legitur, monente Domino, Reg. 2. cap. 12. vers. 24. à Nathan, Iedid-Iah, id est, *Amabilis Domino*, siue *dilectus Dei* vocatus; quemadmodum ergo contigit in nouo Testamento, vt discipulus ille, qui nuncupabatur *dilectus* Christi, altiùs volaret, quàm cæteri Euangelistæ, vt perhibent Augustinus, Chrysostomus, Rupertus, Lyra prologo in Ioannem, Hilarius 2. de Trinitate, inde & Euangelistarum maximum appellat Tostatus Commentario in Epistolam Hieronymi ante Genesim, cap. 7. quæst. 17. sic & veteri Scripturæ accidit, vt Iedid-Iah, id est, *charissimus Domino*, vinceret, cæteros Prophetas, & Canonicos Scriptores: Ac sanè ob hoc reor ab Epiphanio hæresi 67. nuncupatum, Prophetarum beatissimum, nempe, vt qui in vaticinando cunctorum felicitatem superauerit; neque enim meritis & sanctitate cum aliis comparandus, præsertim, qui exitus pessimos, & multâ infamiâ graues habuerit: Sanè cùm S. Thomas palmam Moysi defert, quæstione à nobis allegata, num. 31. noluit posthaberi, aut Dauidem, aut Salomonem, considerata propria & genuina vaticinationis conditione, vt Textum perpendenti facilè patuerit; sed, quoniam neque Deum viderint, vti Moyses in hac vita, neque stupenda opera perpetrauerint, vti ille miraculis fulgentissimus; hæc verò extra prophetiæ naturam sunt, vt probè expendit Lyranus Præfatione in Psalmos,

Augustin. Chrysost. Rupert. Lyran. Hilar. Tostat. Epiphan.

SECTIO IV.

Canticorum quanta difficultas? Num etiam idoneè Canticum Canticorum propter inaccessam mysteriorum profunditatem.

36. SAne nihil tam frequens Patribus, & omni penè huius Epithalamij Interpreti, quàm vt Sãcto Sanctorum, & intimo templi loco cõparent, cùm declarant, quamobrem Canticum Canticorum nominatum fuerit: An ista dicta velint, vt quanta sit carminis obscuritas, quàm densa caligo inter perpetuæ metaphoræ hieroglyphica intelligamus? Certè locus ille sacratior, neque fenestram, neque candelabrum habebat, vt expendit Abulensis quæst. 4. in c. 1. Leuitici, & quæst. 36. in cap. 13. libri 2. Paralip. quantáque fuerit cura Numini, ne quid perspicuè videres, qui vel semel in anno ingrediebatur Sacerdos, declarat venustè Salianus tom. 3. anno mundi 3024. num. 24. Igitur quemadmodum locus ille nebulosus & inlucidus: ita & hoc, quod illi assimilatur, Canticum Canticorum absconditum & vmbrosum: Huius comparationis aliquos Auctores citauimus initio præteriti articuli: Sed nónne scoticon & tenebrosum esse vitium potius metri quàm commendatio? Sanè cùm oboritur nox, & insuperabilis ferè labor in inuestigando ob mysteriorum naturam, quòd talia sint, quæ capitum vincant, laus summa existit: Talis ipsa Diuinitas, quæ posuit tenebras latibulum suum; talia & sacratiora quæque arcana apud Ægyptiorum magistros, quibus solenne reconditas materias hieroglyphicorum inuolucris tegere. Atque equidem cùm plurimas calluerint scientias, essentque Mathematicæ disciplinæ illis temporibus egregio in honore & pretio; tamen Reginam artium eam fuisse, quæ de hieroglyphicis tractabat, & aduertit benè, veterúmque stabiliuit auctoritate Salianus tom. 2. anno mundi 2470. n. 6. Ioannes Pierius Valerianus nonnihil epistola ad Cosmum Medicæum; Claudius Minos ad emblemata Alciatana: Sed theologicè, & ad nostrum scopum vtiliter domestici, Salmeron tom. 7. in Euangelia, tractatu 1, & secundo; Pererius disp. 8. in c. 2. Exodi: Pineda libro 3. de rebus Salomonis, c. 15. & 16. Salazarius Isagoge in Prouerbia eiusdem: Apud hos licebit studioso per otium inspicere, quanta fuerit æstimatio, & dignitas eius scientiæ, quæ in velamentis, & hieroglyphicis; nobis instar plurimorum vnius Areopagitæ Dionysij effatum

Sanctũ Sanctorum fenestris carens. Abul.

Salian.

Hieroglyphicorum prima scientia apud Ægyptios.

Salian. Pier. Minos.

Salmeron.

Pineda.

Salazar.

Areopag.

effatum epist. 9. ad Titum: *Operæpretium est* (inquit) *aduertere, duplicem esse Theologorum traditionem, arcanam alteram, ac mysticam: alteram verò manifestam, atque notiorem; & alteram quidem significatiuam, ac perficientem: alteram verò sapientiæ studiosam, ac demonstratiuam*: Ex his notum est, eam, quæ abstrusior est præstantiorem esse Theosophiam: quemadmodum modò & apud nos, non ea de diuinis altior est notitia, quam ne multùm ingenioſi etiam facilè percipiunt; sed quam vel annoſi magiſtri, & multo præditi acumine, optimiſque inſtructi adminiculis, ne exhauriunt quidem: Ita igitur cùm in aliis Scripturæ partibus quædam tradatur Theologia aperta, & ad captum; hoc Canticorum volumine, quod abditiſſimum eſt, celatur; & Regis planè Sacramentum integitur: ob hæc itaque tam abſtruſa ſenſa Epithalamium vocatum Canticum Canticorum.

37. *Cantici Canticorũ ſumma difficultas.* Areopag.

Verùm, quàm difficilem prouinciam aggreſſi ſumus, Deum immortalem! Gemunt profectò Gigantes ſub aquis, & nemo non exhorret, & contremiſcit totis artubus! Prodeat ante omnes nuper memoratus Dionyſius, Pauli diſcipulus qui ipſa ea ad Titum epiſt. 9. cùm eius, de qua loquebatur ſecretioris Thelogiæ exempla edere vellet, Canticorum volumen quàm citò in medium produxit: *Abſurditatem profectò* (ait) *maximam imperitis, ac rudibus animis imprimunt arcanæ illius ſapientiæ Patres, cùm per obſcura quædam ænigmata diuinam illam, plenámque myſteriis, ac profanis inacceſſam veritatem enunciant: Quid memorem Canticorum carnales, atque amatorios quamplurimos affectus, & quæque alia ſacra, & viſibilia ſigna occultis obducta, & in multitudine excreſcentia, quæ diuina fictio ſacris audaciùs inſeruit, atque effinxit? quorum profectò ſi quis intueri poſſit intimum, ſecretúmque decorem, myſtica eſſe omnia, & diuina mirabitur, atque ingenti Theologiæ lumine plena: neque enim putandum eſt viſibilia ſigna ſui cauſa fuiſſe conficta: verùm arcanæ illius, plurimiſque inuiſibilis ſcientiæ, idcircò velata, ne profanis fierent peruia, quæ ſacratiſſima ſunt, ſoliſque veris ac legitimis Diuinitatis amatoribus aperta paterent*: Quæ cùm animaduerteret Origenes, putauit conſummatos viros eſſe debere, qui ad legendum Epithalamium accederent, nedum ad enucleandum illud: ſic autem diſſertat initio Prologi quatuor homiliarum: *Sed primò ſcire nos oportet, quoniam ſicut puerilis ætas non mouetur ad amorem poſſibilium; ita nec ad capiendum quidem verba hæc paruula & infantilis interioris hominis ætas admittitur, illorum ſcilicet qui lacte in Chriſto aluntur, non cibo forti, & qui nunc primùm rationabile, & ſine dolo lac concupiſcunt: in verbis enim Cantici Canticorum ille cibus eſt, de quo dicit Apoſtolus: Perfectorum autem eſt ſolidus cibus*: Vtrique aſſonat oratio Auguſtini libro de Paſtoribus, c. 15. *Etenim Cantica Canticorum ænigmata ſunt, paucis intelligentibus nota ſunt, paucis pulſantibus aperiuntur*: Nyſſenus homil. 1. in Cantica: *Liber hic per arcana philoſophatur, coniecturam faciens cuiuſdam imaginis eorum, quæ iucunda ſunt ad conſtituenda dogmata: imago autem eſt quidam apparatus nuptialis*: Theodoretus epiſtola ad Ioannem Epiſcopum, quæ præfationis vice eſt, *vaſto ſe pelago commiſiſſe, & ea, quæ vires ſuperant, aggreſſum affirmat*: Caſſiodorus prologo in Cantica: *Eſt autem in hoc obſcurior ille libellus: quia nullæ ibi commemorantur perſonæ, & quaſi comico ſtylo compoſitus eſt*: Philo Carpathiorum Antiſtites exordio explanationis: *Quod erſi difficillimum opus eſſe intelligo, noſtríſque viribus longè impar; quis enim tam profunda myſteria ſatis feliciter audeat?* Aponius prologo ad Armenium Presbyterum: *Sed me acerrima iuſſione vltra vires ſub grauiſſimi ponderis cogis mole ſuccumbere, vt tibi Opuſcula in Cantica Canticorum ſapientiſſimi Salomonis, Chriſto dictante, exponendo ſcribam: bonum quidem opus, ſed plenum præſumptione iniungis*. Matthæus Cantacuzenus præfatione in Cantica: *Quæ enim ſub inuolucro, nimirum, amantium contexit Cantionum, & obſcuris omninò protulit verbis, is, cui, Deo teſte, omnibus contigit hominibus fore ſapientiorem: quonam pacto os ſuum quiſpiam ad ea explicanda poterit aperire?*

Orig. Auguſt. Nyſſen. Theodor. Caſſiod. Phil. Carp. Apon. Cantacuz.

38. Bernard.

Neque minor formido Bernardi incomparabilis Interpretis: nam ſermone 1. in Cantica, poſt aſſimilatum panibus codicem, ſubiungit: *Sed quis franget? Adeſt paterfamiliàs: cognoſcite Dominum in fractione panis: quis enim aliter idoneus? Non equidem ego mihi iſtud temerè arrogauerim*: Atque idemmet ſermone 16. *Quanquam & præter ſpem quoque meam diu nos diſcuſſio detinuit ſacramentorum: Putaui, fateor, vnum ad hoc ſermonem ſufficere; ſyluámque iſtam vmbroſam, latebroſámque allegoriarum pertranſire nos citò, & ad planitiem moralium ſenſuum itinere diei quaſi vnius peruenire; ſed ſecùs contigit: biduum quippe iam in eo expendimus, & adhuc reſtat via*: Philippus Abbas bonæ Spei Bernardo coæuus prologo in Cantica: *Opus graue, & arduum, & meis impar viribus poſtulatis: & nimirum Poëta inuenitur Auditores ſuos monuiſſe diligenter, vt qui ſcribunt, non ſint præcipites quæuis grandia temerè præſumendo; ſed magis circonſpecti, materiam ſuis æquam viribus aſſumendo: in ignem itaque velut prudens & conſcius manum mitto, vel per alta maris diſcrimina cymbæ fragili me committo, in eo ſolum fidens, qui bonus & miſericors, de ipſo loquentibus, pro ipſo laborantibus dicit: Adſum*: Rupertus Tutienſis proœmio in Cantica & ipſe quoque tantus Atlas metuit: *Non ignoro*, (inquit,) *quantum, vel quale ſuſceperim negotium, ſcilicet hiſtoriæ ſiue rei geſtæ aliquod ponere fundamentum, & ſuper illud magnum, quod ſub iſtis vocibus continetur, ſuper ædificare myſterium: labor magnus, & difficilis: ſed exinde ſpei ſolatium eſt, quia ſermo dici talis eſt, qui ſecundùm ſimilitudinem viri ſuprà memorati, qui luctabatur cum Iacob, poſſe vinci, ſi colluctator, id eſt, inquiſitor eius legitimè luctari nouerit*: Nicolaüs de Lyra initio expoſitionis in Cantica, ad illud: *Oſculetur me*, &c. *Totus iſte liber procedit parabolicè; nec tamen apparet lucidè, quibus perſonis determinatè Parabolæ ſecundùm ſenſum litteralem ſint applicandæ: & hoc cum prædictis difficultatem ingerit in libro*. Thomas Ciſtercienſis præfatione in Cantica: *Vehementer obſtupeſco, & vltrà quàm dici poteſt, admirari non deſino, quod tam ſublimis tam paruum, tam deſertus tam imperitum, tam ſpiritalis tam irreligioſum, ad exprimendam de Canticis Canticorum ſpiritalem dulcedinem, non tam blandimentis inuitauerit, quàm flagello facto de faniculis charitatis coëgerit: Itaque anguſtiæ mihi ſunt vndique: coarctor enim, & è duobus quid eligam, ignoro, ſi enim hoc egero, timeo confuſionem inſufficientiæ, ſi autem non egero, non effugiam foueam inobedientiæ*, &c. Denique Ioannes Picus Carthuſianus prologo in hoc Epithalamium,

Bernard. Philip. Abb. Rupert. Lyra. Picus. Thom. Ciſt.

mium, loquens de Scriptore; *Altus est*, (inquit,) *& quis apprehendet eum?*

39. Valentia.

Veniamus ad proximiorem nobis ætatem: quanquam Iacobus de Valentia, Christopolitanus Hierarcha centum annis maior est, qui epistola ad Alphonsum de Aragonia ante Hymenæi Commentationem asserit, talia esse, *quæ intellectu difficillima, & verè inextricabilia sunt, & habentur*; Atque omnia ferè capita, è quibus salebræ, & implexitas, idem prolusione comprehensus, ait: *Veruntamen valdè mihi difficile videtur, Opus tam arduum aggredi velle tentare: tum propter formam tractandi huius libri, quia procedit modo metaphorico, & multiplici, scilicet, epithalamico, & bucolico, & georgico; tum propter defectum humani auxilij: nam omnes sacri Doctores antiqui relicto sensu prophetico, & literali, pro maiori parte exposuerunt istum librum tantum quoad sensum moralem, & anagogicum: tum propter difficultatem materiæ, quia de rebus altissimis, & ineffabilibus mysterijs, scilicet incarnationis, & redemptionis: tum propter latitudinem materiæ: quia de toto discursu Ecclesiæ ab Adam vsque ad Iudicium*, &c.

Quamobrem difficillimus explicatu liber Canticorum?

Genebr. Cosm. Dam.

Genebrardus introductione in Cantica: *perpetuam allegoriam vocat*: Cosmas Damianus Isagoge in Cantica, ipsum, quod Genebrardus, addit non interruptam allegoriam, eandem *obscuram esse, vt continuum ænigma videri posset: Augent præterea obscuritatem hanc* (inquit) *& difficultatem frequentes catachreses, hyperbolæ, aliæque id genus figuræ: tum abruptum dramatis initium, & quæ passim occurrit, personæ, numerique, ac temporis subita mutatio: ad hæc vasti, & sine vlla parascene, aut transitione inter dramatis partes, hiatus, altissimæque voragines: intermissi quoque sermonis post aliarum personarum, & colloquiorum interpositionem, resumptio:* Atque ob has omninò causas libri indomabiles penè tenebras, & fugientes sensus etiam post multum olei, & operæ exaggerat Prosper Rossetus præfatione in Cantica, lectione prima; Petrus Nannius Alcmarianus epistola, quæ simul prolusio est, *velasse dicit Salomonem, sub typo amoris Christi in Ecclesiam, charitatem; vti Philosophi præcepta, nunc sub ænigmatibus, nunc sub obscurissimis symbolis tradiderunt:* Ludouicus de Sotomaior censet de libro hoc scribens ad lectorem, *quòd non minùs obscurus, arduus, & difficilis existat ad intelligendum, quàm breuis, atque concisus sit paucitate verborum: quippe, cùm totus sit mysticus, allegoricus, & parabolicus, vel potiùs perpetua quædam allegoria, seu Parabola:* Continuum quoque tropum appellat Delrius Isagogæ, cap. 4. Gislerius præfationis cap. 7. num. 16. *tam, dulcissimum, quàm difficillimum librum nuncupat:* Hieronymus Osorius iunior proœmio in Canticorum paraphrasim: *De futuris enim rebus* (ait) *tractatio est difficultatibus obstructa, & obscuritatibus plurimis inuoluta*; Placidus Nigidius vestibulo dedicantis epistolæ; *Ludouicum de Torres Cardinalem amplissimum, & Montis regalis Archiepiscopum, eundémque in omni genere disciplinarum versatissimum, dicere solitum, vt qui ab eo audierit, affirmat, Canticorum drama expositionem adhuc desiderare, cùm tamen Expositores ad ducentos habeat.* Horum, qui carmen ipsum enodarunt, iudiciis consensêre Salianus tom. 2. anno mundi 2470. numero 13. inter hieroglyphica, & ænigmata referens; Alcazarius notatione 18. in Apocalypsim, reliquis veteris Instrumenti libris difficiliorem codicem affirmans; Basilius Legionensis quæstione 2. expositiua, dicens, *continere abditissimum totius sacræ paginæ sensum, & inexhaustis scatere difficultatibus*; Elapsa penè è calamo duo egregia nomina, Venerandus Pater Ludouicus de la Puente, qui tomo 1. in Cantica, præfatione, Bernardum homil. 16. in Salomonis Hymenæum sequutus, *vocat vmbrosam, latebrosámque metaphorarum, & similitudinum syluam*; P. Gaspar Sanctius & ipse quoque maior ob pietatem, tantus cùm in doctrinis esset, præfatione ad Lectorem, *densam syluam, implexámque valdè asseuerat.*

Roset. Nannius.

Delrius. Gisler.

Osor. iun.

Plac. Nig.

Salian.

Alcazar.

Basil. Leg.

Lud. Pont.

Gasp. Sanct.

40.

Atque hi sunt non pauci de omnium sæculorum illustribus Viris, qui hanc Spartam robustissimis etiam formidandam & terribilem censuerunt; Experiamur, an panicus fuerit hic metus, & ignaui velitis; an iis nixus momentis, quòd propterea & tam egregios affici timore duces, probrosum non fuerit; Ac vidimus sanè frequenter nominatum volumen, ænigma, abditam, & occultam dictionem; verùm, an istud solùm ad terrorem sufficiens, percipiamus ab Athanasio in Synopsi, *Ænigmata verò, & obscuri sermones, ita quidem cautè sunt positi, vt mœrore afficiant, si quis in illos incidat; propterea quod nihil manifesti habent, & ne suspicionem quidem aliquam sensus præbent: vbi verò diligenter inquisiti fuerunt, sensum, quem habent, indicant*; Atque sanè ob hanc potissimùm rationem Catholici Doctores aduersùs sectatores concertantes, qui facilem esse Scripturarum intelligentiam, vanè effutierunt, probant difficillimam esse Bibliorum enodationem, & quæ scientiarum Oracula fatigare valeat; Videndus Salmeron. tom. 1. in Euangelia prolegom. 2. Bellarminus tom. 1. libro 3. de Verbi Dei interpretat. cap. 1. Martinez hypoyposeon lib. 1. cap. 1. Tena præfatiuncula Isagogæ in sacram Scripturam; Iulius Rogerius Abbas Lamularum Opusculo 1. à cap. 1. & passim biblici Prolegomenistæ, atque Hæresis Strangulatores; nullibi autem tanti vepres, tam continua, & indiuulsa spineta, atque apud Salomonem: neque aliter contingere possibile erat, quando assumpta perenni metaphora, tot tam magna, & stupescentia tam breui occluderet Poëmate.

Canticorum liber ob ænigmata ferè insuperabilis.

Athanas.

Scripturam ænigmata difficilem faciunt.

Salmeron. Bellarm. Martinez. Tena.

Roger.

41.

Alia causa tenebrarum, quod idem sit huius carminis argumentum atque Apocalypsis, modúsque velandarum rerum similis: Iam verò, quis ignoret, quàm spissis contegantur tenebris, quæ reuelatione Ioannis comprehenduntur? Instar multarum Hieronymi trita sententia epistola ad Paulinum: *Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta quot verba; Parum dixi, & pro merito voluminis laus omnis inferior est: in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ*; Plura cupientem scire Alcazar satiabit notatione 5. proœmiali in Apocalypsim; cuius ea, quam diximus de pari in duobus voluminibus materia, cogitatio est notatione 18. & 23. prologali, ac proinde ex diligenti Apocalypsis studio, ipsi contigisse, vt facilè Epithalamium Salomonis perrumperet, iudicauit & ante Alcázarium Cosmas Damianus Isagoga in Cantica Canticorum; quòd verò & cognatus sit stylus, indicant illæ tam peregrinæ similitudines, quibus sponsæ, aut dilectæ eximia pulchritudo adumbratur; *Qua ratione* (ait Bellarminus lib. 1. de verbo Dei, cap. 5.) *factum esse credimus, vt cùm Sponsæ forma commendatur, & quasi coloribus suis depingi*

Apocalypsis nodi summi.

Hieron.

Canticorum par difficultas atq; Apocalypseos.

Alcazar.

Bellarm.

depingitur, ea dicantur, quæ feminam dedecorare potius, quàm ornare possint? Quæ namque esset species eius mulieris, cuius caput esse vastum, vt Carmelus? nasus, vt turris? oculi, vt piscinæ? dentes, vt greges ouium detonsarum? ipsa verò tota nigra, vt tabernacula Cedar? Neque dispar oratio Sixti Senensis lib. 8. Bibliothecæ, Hæresi 8. *Quid enim potest dici, aut fingi ineptius, quàm quod hîc de Sponsa refertur? videlicet, quòd habeat amplum caput instar montis Carmeli? oculos persimiles piscinis magnis, quæ sunt in Esebon? nasum præ se ferentem magnitudine sua turrim, quæ respicit contra Damascum? dentes sicut greges ouium? collum, sicut arcem Sion, ex qua clypei mille dependent? manus tanquam sphæras aureas? crura, sicut columnas marmoreas supra bases aureas erectas? quòd sit pulchra sicut locus Tirza; decora, vt Hierusalem; terribilis, vt castrorum acies ordinata? Quæ omnia, si vel de filia Pharaonis, vel Salamita intelligantur; adeo sunt rudia, inconditа, & agrestia, vt longè politiora, & elegantiora sint illa, quæ rudis ille Cyclops apud Poetas in Galatheam suam ineptissimè canere fingatur;* Vide, qui & Bellarmino, & Sixto subscribant, alios non paucos enumeratos Anteloquio 1. Sectione 1. & quàm acerbè loquuntur: & tamen hæc, quæ tam clari Viri minimè in humanam aliquam creaturam conuenire dixerint, oportet à nobis monstrari ad miraculum aptari à Salomone; neque meliori symbolo exprimi potuisse raram Sponsæ Canticorum venustatem; Consideras, quantus sit labor interpretis Canticorum! certè eius, qualem nos profitemur, qui relata vniuersa similitudines esse existimet, quibus elegantiores nunquam, aut Homerus, aut Maro cecinerunt, cùm aut Tyndaridem, aut Lauiniam, aut de formosioribus aliam pingerent; Profectò æquè inaccessum istud, atque explanare, quid vel equus rufus, aut draco, aut alia emblemata repræsentent in Apocalypsi; Equidem apud Ioannem in plerisque ænigmata ipsa tam deformia sunt, vt statim ad spiritalem sensum mittant sponte sua legentem; nempe, cùm occurrit vicisse leonem de tribu Iuda, continuò venit in mentem Christus; In Cantico Salomonis duplicis metaphoræ onus incumbit; nam principio aptanda sunt omnia terrenis nuptiis, deinceps & diuinis; & vtrunque secundùm Historiam, quæ intolerabilis prouincia est; Ad hæc, quamuis nebulosus sit Apocalypseos Textus vt plurimùm; sed vultus interdum emittit Sol iustitiæ, de quo ibi sermo, illæque afferunt coruscationes non modicum lumen ad denoctanda opaca, vti probè aduertit noster Pererius disputatione 10. proœmiali in Apocalypsim, numero 54. ibi nonnihil exemplorum apud eum; at verò in Cantico Canticorum, nihil vnquam declaratur sensus præsertim mystici, qui in Seruatorem, & Ecclesiam dirigitur; quin etsi quando se reuelant personæ, de quibus secundùm hominem sensus; plus inde caliginis; oboritur enim statim dissidium, si Rex & Regina, vti quædam indicant, quo pacto statim pastores, columbarum nutritij, vinitores? Quare medius fidius nulla Scripturæ esse videtur portio, quæ ad huius metri labyrinthum inextricabilem, & flexuosos Meandros, accedat.

Canticorum ingentes spinæ à similitudinibus.

Sixt. Sen.

Canticum Canticorum etiam Apocalypsi obscurius.

Pererius.

Quòd si statuendum, vti iustum est omninò existimasse, cohærentia esse & ligata quæcunque Salomonis complectitur Hymenæus, & probauimus nos Anteloquio 2. Sectione 10. num. 79.

42.

tum quales apparent Syrtes? Sanè totum voluminis horrorem, illúmque immensum in hoc vno situm offendiculo aduertit luculentè Alcazar notatione 18 proœmiali in Apocalypsim: & mouit Patrem optimum, vt in ea connectenda reuelatione totam vitæ periodum consumeret; O benè transactos annos! conati nos in Salomone concatenando vtcunque, & à longè sequi vestigia tanti Herois; Quid enim putatis? Actum nos agere? Nondum satis agglutinatus etiam post Interpretum legiones, cùm & maior pars & è Gigantibus fuerit, nondum compactus ad amussim nuptialis Salomon; Promam de Explanatoribus duos, trésve testes; Gisserius ad initium capitis 3. Canticorum in expositione literæ; *Inter ea, quæ in hoc libro difficultatem Expositoribus ingerunt, illud præcipuum esse nemo est qui dubitet, quomodo singula queant connecti; ita vt antecedentia congruant consequentibus, & consequentia antecedentibus: atque tanta est in hac re difficultas, vt ex ingenti Doctorum numero, qui librum istum interpretandum susceperè, pars maior prætermissa connexione, vel singulas sententias per se exponat, vel ea tantùm connectat, quorum manifesta apparet connexio; existimantes atque etiam pro certo asserentes, ea, quæ hîc dicuntur, cùm ex amoris vi prolata sint, vel nullam, vel ferè nullam habere connexionem; veruntamen id mihi nullo pacto probandum videtur: nam, cùm hoc Canticum sit à Spiritu sancto dictatum,* &c. Ita Michaël, & vltra eum noster Sanctius aliquid prolegom. 7. in Cantica, num. 3. *Laborare hîc video* (inquit) *plerósque Interpretum in inuestigando, tenendóque ordine, ac filo huius Epithalamij, quod cùm passim rumpi existiment, neque facilè adstringi posse, abiiciunt cum spe ipsam quoque curam connectendi cum superioribus consequentia; Et sanè difficile negotium; neque, quod ego viderim, satis à quoquam expeditum; neque ego id mihi assumo, vt fieri à me posse sperem, quod alij, vt ipsi fatentur, ingenuè consequuti non sunt; aliquid tamen conandum in re ardua, in quo aliquid inueniſſe, si modò id contingat magnum est:* Alcazarius tom. 2. locorum in Apocalypsim spectantium, lib. 3. prolusione in Cantica; *Si huius admirabilis libri qui Canticum Canticorum appellatur, euoluimus Interpretes, qui in eo ad finem producant sermonis filum, seriémque dictorum continuent, perquàm pauci illi sunt, & hi quidem id conati nec satisfaciunt omnibus, nec sibimetipsis interdum;* Sic illi, & sanè de aliquali solùm ligamento; Quid, si vidissent ab Interprete seueras exigi leges, & molestissimam prouinciam)? nimirum, vt nubentium proderet auorum lineam, patriam, nomina, exercitationes, ætatem, studia, & quid quæque geniali die ante absoluta gaudia connubialia patratum? Deinde superædificaret infinitam magnorum euentuum copiam, & comprehenderet quicquid vnquam mirificum Ecclesiæ Catholicæ accidit? O tu, qui de stercore erigis pauperem, & inspirasti puerulo tuo ausum ingentem, emitte lucem tuam, & veritatem tuam, vt mecum sit, & laboret, atque aperiat arcanum ad gloriam nominis tui!

Salomonis Cantici filum nondum satis connexum.

Alcazar egregius in primis Apocalypseos enodator.

Gisser.

Sanct.

Neque illud vile argumentum, quòd tot nactus sit, eósque præstantissimos maxima ex parte Explanatores liber; nam nisi fuisset abundantissima mysteriorum seges, & bullirent sacramenta, nequaquam ad messem conuolassent tanta Scriptorum examina, præsertim cùm hi fuerint doctrinarum lumina in Dei Ecclesia, & neque 43.

suo, aut ingenio, aut prudentia dignum æstimarent eandem molam versare, & quæ priores dixissent, denuò solùm repetere; Sanè Gisterius præfat. in Cantica, cap. 7. num. 16. liberè, & cordatè asserit, *Nullum omninò sacris in Literis librum reperiri, quem plures enodare, & commentari studiosè laborarint, quàm libellum istum*; Vidimus num. 39. quid Ludouicus Torrensis Cardinalis sanctæ Ecclesiæ, & Archiepiscopus Montis regalis dixerit, nempe, post ducentos, quos hic liber fortitus sit ex bona fortuna Oedipodas, adhuc Interpretem requirere; illud mirandum, quod penè elapsis ducentis annis cùm scriberet Dionysius Richel tot essent huius voluminis Commentaria, quibus legendis vitæ curriculum non esset sufficiens; *Praterea* (ait ille Prologo suo) *quoniam super hæc Cantica Canticorum, tot ac tanta sapientissimis viris conscripta sunt, vt vix alicui vacet legere vniuersa, non intendo in expositione tam sententiosi voluminis nimium immorari*, &c. At iuuenis Cathusianus, si comparetur cum Philippo bonæ Spei Abbate quingentorum annorum locuplete Auctore, is primo in Cantica proœmio; *Denique tam moderni, quam antiqui, tot inueniuntur Tractatores, vt nesciam si quid vltra potuerint addere tardiores, & cùm plurima super hoc Canticum illorum sunt Commenta, serius quisque videatur, non tam noua cudere, quàm furari præinuenta*; Sed quisnam de proceribus non in hoc stadio cucurrit? Origenes, Methodius, Victorinus Pictauiensis, Ambrosius, Gregorius Romanus, Theodoretus, Gregorius Nyssenus, Ildephonsus Toletanus, Hugo Victorinus, Bernardus, Rupertus, S. Thomas, Bonauentura, Ægidius Romanus, & innumeri, de quibus syllabum texuit Possevinus Bibliothecæ selectæ tomo 1. lib. 2. cap. 79.

Canticorum liber magnũ Expositorum numerum nactus. Gisler Carthus. Phil. Abb.

Auctores qui in Canticum Salomonis scripserunt, ex doctissimis Ecclesia Magistris.

44. *Canticorum lectio interdicta Hebræis vsque ad annum trigesimum.*

Iuuat & consideresse, prohibuisse Synagogæ Rectores adolescentiori ætati Canticorum lectionem; neque enim id fas ante expletos quinque & viginti annos, aut, vt alij tradunt, nisi consummato trigesimo anno; diximus de his Anteloquio 7. Sectione 6. num. 55. modò addimus Nazianzenum Oratione 1. quæ Apologetica est, atque ibi eius Illustratorem Eliam Cretensem, qui Gregorium vniuersaliter loquutum de Canticis exponit; Theodoretum epistola ad Ioannem Episcopum; Tostatum Commentario in epistolam Hieronymi ad Paulinum, cap. 7. quæst. 11. ac quanquam hoc interdicto continentiæ quidam velint esse consultum, probauimus magis loco relato quod nunc quoque potiùs arridet, ob difficultatem voluminis factum; Sanè Maldonatus noster in cap. 3. Matth. prope initium, ex Hebræorum traditione narrat in populo illo nemini licuisse Doctoris fungi munere, nisi qui explesset triginta annos, certè Leuitæ ea ætate assumuntur ad templi officia, vt constat ex Numerorum c. 4. & Paralipom. 1. cap. 3. vers. 13. quoniam quidem ante hæc tempora, neque corpore, neque mente satis idonei ad tantum ministerium, vt docet benè Lyra ad caput allegatum ex Numerorum codice, eundémque in locum Abulensis quæst. 2. & ad citatum ex Paralipomenis caput quæst. 9. Oleaster autem ad cap. 7. Numerorum 1. expositione notauit differtè in iis, qui castris destinantur, viginti annorum spatium postulatum Numerot. cap. 1. vers. 3. cur non desiderata prouectior ætas; quàm ad Leuitica exercitamenta? *Exigit autem* (respondet ille) *Dominus ministros triginta annorum ad opus tabernaculi, & viginti ad pugnandum contra hostes; quoniam maior discretio, & sapientia exigitur ad ministerium Dei, quàm ad pugnam aduersus hostes, & fortè maius robur corporis*; Igitur tricesimus annus apud Hebræos, qui difficillimis etiam negotiis aptus; tum, qui scientiis vacabant, lauream adipisci consueuerant, & Doctores renuntiari; tum & dabatur facultas peruolutandi Salomonis Epithalamium, quoniam propter multa arcana eiusmodi lectores vindicabat; stat nobiscum Salmeron tom. 1. prolegom. 2. iuxta exordium; nam, cùm Hebræorum statutum retulisset de non perscrutandis Canticis ante triginta annos: *Quod certè* (inquit) *non ob aliud ab illis cautum fuit, nisi quod tum omnes, tum illos præcipuè libros innumeris difficultatibus, & perobscuris mysterijs refertos cernerent.* & alios fautores exhibuimus Anteloquio 7. Sectione 6. num. 55.

Nazianz.

Elias Cret.

Theodor. Tostat.

Nemo neque Doctor, neque Leuita apud Iudæos ante annos triginta. Maldon. Tostat. Lyra.

Oleast. Num. 4.

1. Paral. 23. Salmer.

45. *Tres singulares causæ arduitatis Canticorum.*

Super his omnibus id incommodissimè accidit, vt sancti Patres, qui soliti gelu semper frangere, & viam in obscurissimis semitis præmonstrare; moderante eorum calamos ipso, qui ad scribendum incitabat diuiniore Spiritu ob occultas Numini causas, Historiæ sensum, aut, vt alij velint nuncupare grammaticalem penè obliuioni tradiderunt, & omne atramentum consumpserint in excogitandis allegoriis, quæ cùm destitutæ fuissent literæ basi, impossibile fuit historicam meditantibus explanationem, aut suppetias ad literæ enodationem postulare, aut ipsos eorum mysticos discursus plenè sectari? Qua de re diximus ad longum ex Doctorum testimoniis Anteloquio 1. Sectione 5. num. 34. Quo eodem præludio aliud à nobis quoque & animaduersum, & stabilitum Sectione 8. num. 64. nimirum esse non paucos, qui existimarint traditam à Salomone quidem ethicam seu moralem disciplinam in Prouerbiis, in Ecclesiaste Physiologiam, at in Cantico Canticorum eam, quæ & subtilitate, & nodis reliquas vincit scientias, Metaphysicam; adeo huic Epithalamio germanum semper quicquid est spinosum includere; quorum altera confirmatio est eodem à nobis loco tradita ex Patrum auctoritate: nam, cùm scopum fuisse Salomoni arbitrarentur, vt militem spiritalem validè instrueret, suum cuique statui volumen formauit: videlicet incipientibus Prouerbia accommodauit: proficientibus Ecclesiasten: at his, qui ad sacram mentis vnionem per contemplationes aspirant, Canticum Canticorum dolauit, vbi mysticæ Theologiæ abditissima quæque Sacramenta, & mente excedit dilecta, & animi patitur alienationem, & tota transit in sponsum.

46. *Quanta eruditio necessaria Canticorum explanatori?*

Verùm in aliis Scripturarum voluminibus inquies, sunt quæ requirant in enodante humanæ, diuinæque literaturæ plurimam notitiam, antiquitatis cognitionem, rituum, locorum, hominum perspicaciam, & indaginem: Equidem & hæc vniuersa quoque perquàm necessaria sunt, modò Canticorum dignus Interpres quis futurus sit, annotauit noster Sanctius prolegom. 12. in Cantica, eiúsque eruditissimus commentarius fidem præbet: Quare Petrus Nannius Alcmarianus cùm de hoc elucidando metro cogitasset, quæ essent Commentatoris idonei partes significauit præfatione sua: *Mihi in animo erat,* (loquitur,) *litteram fideliter interpretari, & verbis litteræ allegoriam temperare, difficiliora vocabula exponere, allusiones Historiarum, rerúmque naturalium annotare,*

Sanct.

Nann. Beda.

annotare, antiquitatis obseruationes adscribere; Beda Venerabilis ad finem libri 1. in Cantica, sibi necessarium fuisse testatur, de herbarum, & aromatum natura sedulò inquirere ad hunc intelligendum codicem: imò verò, quæ non scientia, aut necessaria, aut vtilis ad istud pertractandum Opus? Prouincias, vrbes, oppida habes, quæ Geographiam flagitent; quæ Historiam naturalem multa de ceruis, de capreis, de ouibus, de terra inclusis thesauris, auro, argento, gemmis; de odoriferis, nardo, cinnamis, balsamo, myrrha, cum vniuersis vnguentis Libani; de re hortensi, & rustica crebrò, nam itur ad vineam, ad columbas, ad areolas, & pomœria; sunt quæ & Politicam, & Ethicam quandoque requirant; Iam quanta messis Criticis, cùm abundè disputandum ab eis de nuptiarum ritu, de conuiuiorum vsu, de re vestiaria, de vnguentis, de osculis, de capillis, de ædificiis, de militia? Atque hic tantus apparatus considerato solùm verborum cortice. Quòd si feramur ad carminis animam, & illa humanis intecta velamentis sacratissima mysteria à Christo patiente vsque ad ipsum magni Iudicij diem; quantus hîc campus aperitur, quàm spatiosus, & latè patens? Quem si quisquam colere tentet, oportet in omni Theologia non mediocriter versatum eum esse: nam erit, quando cum Hæretico manus conserere iubeatur, quando morales casus expendere, cùm de theoricæ vitæ anagogia disputare, cùm de omni nouo, veteréque Fœdere multa promere, cùm ad scholas pergere, & ex earum norma de Sacramentis, de Verbi incarnatione, de Theologicis habitibus, de vitiis, & virtutibus, de Deo trino, & vno disserere; neque profanæ Historiæ parcendum; ecclesiasticam autem non prolixè discutere omninò impossibile.

47. Sed, quis tantis exsoluendis par etiam inter eximios? Nos, qui talibus comparati vix locustæ fuerimus, quid ausi simus? Planè cùm hæc recordaretur, dormitauit anima præ tædio, & volebat organa suspendere in salicibus, morituræ in ignauia sua; quomodo enim Canticum Canticorum modularetur nouissimus virorum, & despectus, & cui neque mica, aut pietatis, aut solidæ eruditionis? Desperabam nisi tu monuisses, Virgo Beata bono esse animo, & docuisses in infirmitate perfici virtutem! si enim Dominus magnus voluerit, etiam rudem, & saucium, spiritu intelligentiæ replebit, & ipse diriget consilium eius, & disciplinam; volet autem si vox orationis tuæ resonet in auribus eius: O roga, piissima, & fac mecum hanc misericordiam! Ad te leuaui oculos meos a principio Operis huius; ad te, vnde venit auxilium, quoties tribularer, & circunfulsit mihi claritas tua ambulanti in tenebris, & vmbris ignorantiæ! ecce in altitudinem maris Scripturarum ascendi, in cor eius; quid dicam? Confitebor tibi, Regina, delictum meum; præsumpsi vltra vires, coniurauerunt in me fluctus abyssi; en mergor, da dexteram, & fer auxilium, potentissima Oceani Rectrix! ecce monet deuotissimus Bernardus vt ad te vnicè confugiamus inter procellas immanes tumentium aquarum; *Si insurgant venti,* (inquit homil. 2. super *Missus est*. ad finem,) *si incurras scopulos, respice stellam, voca* MARIAM: *in periculis, in angustijs, in rebus dubijs,* MARIAM *cogita,* MARIAM *inuoca; non recedat ab ore, non recedat à corde; ipsam sequens, non deuias; ipsam rogans, non desperes; ipsam cogitans, non erras; ipsa tenente, non corruis; ipsa protegente, non metuis; ipsa duce, non fatigaris; ipsa propitia, peruenis.* His stimulati, eia erigamur!

Bernard.

SECTIO V.

Quæ melior inscriptio libri, Cantica Canticorum? an potiùs Canticum Canticorum? Ezechielis, Lucæ, Pauli verba cum oppositis fœderata.

COmmunissima, atque satis vulgata loquutio, nuncupasse Epithalamium istud plurali dictione, *Canticorum Cantica*; Concionatorum vsus ille frequentissimus; Sed parum hoc, si non & Latinorum omnium ferè Patrum; Perlegat difficilis ad credendum in primo vestibulo Commentariorum Gregorij Papæ, Cassiodori, Aponij, Bedæ, Bernardi, Philippi Abbatis, Ruperti, Anselmi, Richardi à sancto Victore, Glossæ ordinariæ, S. Thomæ, Lyræ, Carthusiani, Halgrinij Cardinalis, Thomæ Cistercensis, Ioannis Pici; reperiet vera esse, quæ asseueramus, atque iidem sæpiusculè decursu explanationis: in quo quidem loquendi more cautiores fuêre Græci, apud quos rarò plurali numero legitur titulus, imò & Auctor ille (quem non penitùs Origenis indignum spiritu aliàs contestati sumus) quatuor Homiliarum, ad calcem præfationis reprehendit non pronunciantes singulariter, *Canticum Canticorum*; nihilominùs & Dionysius Areopagita de ecclesiastica Hierarchia, capite 3. pluraliter, *Carmina* vocat diuinorum amorum: & Nyssenus homil. 1. *Cantica Canticorum*, appellat; &, quod mirere, inter Latinos vigilantissimi duo Hieronymus, atque Augustinus non respuere *Cantica* dicere, ex quibus prior, dum præfatur in Ecclesiasten: *Ad extremum* (ait) *iam consummatum virum, & calcato sæculo præparatum in Canticis Canticorum Sponsæ iungit amplexibus*; Posterior autem tom. 9. libro de Pastoribus, c. 15. *In Canticis Canticorum* (inquit) *loquitur sponsa ad sponsum, Ecclesia ad Christum: nouimus Cantica Canticorum sancta, Cantica amatoria, Cantica sancti amoris*, &c. Itaque negari non potest, quin illa, qualis tandem sit phrasis, grauissimis Patronis suffulta sit: vt nemo fastidiosè, atque insciente imperitiæ arguat, cùm vel è loco publico verbi sacri buccinatores audit iis, & crebrò quidem vtentes nominibus aut in doctorum lucubrationibus eadem occurrunt: Sed feramus nostram de controuersia opinionem atque censuram.

48. *Qui pluraliter Cantica Canticorum appellant?*

Greg. Cassiod. Apon. Beda. Bernard. Philip. Rupert. Anselm. Richard. Glossa. S Thom. Lyra. Carthus. Halgrin. Thom. Cist. Picus. Orig. Areopag. Nyssen. Hieron. August.

Dico primùm: veram, atque legitimam inscriptionem esse, quæ singulari verbo pronunciat, *Canticum Canticorum*; Patet: nam ea syncera titulatio est, quam aut omnes habent translationes, aut saltem correctissimæ: atqui huius generis versiones cunctæ *Canticum* in singulari amplexatæ sunt: adeat Lector Hebræum, Vulgatam, Vatabli, Sanctis editiones, & comperiet. Ac sanè, vt discreparent illæ omnes, sola auctoritas Latinorum Bibliorum post Tridentinam animaduersionem, & castigationem iussu Sixti, atque Clementis Pontificum, sufficeret: nam ad hanc attenden-

49. *Vera Canticorum inscriptio in singulari.*

dum

dum ante vniuersas translationes, & eius sequenda regula vt monuimus Anteloquio 7. Sectione 1 num. 1. Confirmo istud; nam sanè, cùm tot fuerint Odæ à Dauide compositæ, quæ excreuerint in grandem numerum, nempe in centum, & quinquaginta Psalmos; potuerunt facilè in aliquos libros diuidi, quemadmodum diuisa est, & Regum, & Machabæorum Historia; fuisset enim non spernendus codex quinquagenam Psalmorum claudens; Quid, quòd, vt quidam arbitrati sunt, fuêre eorum hymnorum diuersi fabricatores? Nónne præstaret diuersos Auctorum tractatus separare, & sua cuique tribuere, neque multos sub promiscuo titulo confudisse? Sed concedamus tritæ sententiæ, à Dauidis Musa prodiisse omnes; nullus tamen hactenus arbitror docuit, in vnum, eundémque scopum cunctos tendere & vinculo quodam inter se nexos; sed magis dissolutos, & varium esse argumentum: cuius differentiæ gratia, operæpretium videbatur in varios diuidere Tomos; & tot quidem causæ multiplicandi libros in Psalmis, atque vt plurali numero intitularetur Opus, *Libri Psalmorum*; Nihilominùs vera eius, atque germana inscriptio, quæ singulariter effert, *librum Psalmorum*; Atque ita sanè appellant ferè sancti omnes Patres; quódque maximum affert pondus; Oratio Principis Apostolorum Actorum cap. 1. vers. 20. *Scriptum est enim* (ait) *in libro Psalmorum*; *Fiat commoratio eorum deserta*, &c. Vide ex professo de lite concertantes Martinez hypotyposeon lib. 3. cap. 3. Lorinum ad vers. 20. cap. 1. Actorum; Tenam lib. 2. Isagogæ sacræ Scripturæ, difficultate 6. sectione 1. & 2. Ergo, cùm in Cantico Salomonis omnia ab vno, simplicíque Auctore exorta sint, neque de hoc dubium: aut iudiciorum varietas: insuper argumentum vnum & indissolubile, cuius partes inter se cohæreant; potiori iure singulari numero titulabitur *Canticum Canticorum*: atque hæc erit genuina & natiua inscriptio.

Liber Psalmorum, an libri pluraliter, dicendi?

Actor. 1.

Martinez. Lorin. Tena.

50. Confirmo altero exemplo; Nam, si ob aliqualem rationem nuncupandum esset pluraliter *Cantica Canticorum*; ideò in primis, quoniam diuersa claudit partialia Cantica, quæ vnum posteà completum faciunt Canticum; neque enim aliud, excepto hoc, nominis valeat esse fundamentum: atqui istud non est sufficiens, vt plurali phrasi nominetur *Cantica Canticorum*: Probo minorem propositionem. Equidem in Eucharistiæ Sacramento hominum exquisitè eruditorum arbitratio est, duo esse partialia Sacramenta; alterum, quod cibus; alterum, quod potus constituat; quæ heterogenea esse, & specie incompleta differre asserunt: atque hinc fieri, vt maior gratia conferatur sub vtraque specie communicanti; quæ est veterum, eorúmque grauium Theologorum cogitatio apud Suarez tom. 3. in tertiam partem, disputatione 63. sectione 6. § *Ex dictis in priori*, & tamen vsus ecclesiasticus in loquendo plurale verbum deuitat, non Sacramenta appellans, sed in singulari *Sacramentum* quemadmodum probat eodem volumine Suarius disputatione 1. sectione 3. Vnde Catechismus Pij IV. pagina 207. *Licèt autem duo sint elementa* (inquit) *panis scilicet, & vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum conficitur; non tamen plura Sacramenta; sed vnum tantùm esse, Ecclesiæ auctoritate docti confitemur: aliter enim septenarius Sacramentorum numerus, quemadmodum semper traditum, atque à Conciliis Lateranensi, Florentino, & Tridentino decretum est, constare non poterit*; Igitur in simílem modum, etsi plura sint partialia Cantica in Salomonis Hymenæo; tamen absolutè non erit nominandum *Cantica Canticorum* plurali voce; sed *Canticum* in singulari, atque si vtendum fuerit plurali verbo, cum addito id fieri debeat vocando *incompleta Cantica*, ne si nomen simpliciter proferatur, oboriatur æquiuocatio, & plura iusta Cantica modulatum fuisse Salomonem existimetur; Sunt & alia passim multa, eáque triuialia exempla, suasura hoc ipsum: nam oratio Marci Tullij pro Milone plures orationes partiales comprehendit; & tamen sub vno singulari vocabulo exprimitur; neque aliquis intellexit plusquàm vnam Ciceronis orationem pro Tito Annio extare; Itidem & in diuitis cuiusuis habitatione, aulæ sunt, & cubilia, quæ tenuiorum ædes non tantùm honore & pretio vincant, sed etiam ipso spatio: vna tamen domus vocatur, in qua diues commoratur.

In Eucharistia duo Sacramenta partialia.

Suarez.

Catechism. Rom.

51. Dico tamen iterum: si attendamus ad sensa magis, quàm vocabula, & quæ loquens intendat significare, consideremus, probè dici plurali loquutione *Cantica* esse *Canticorum*. Constat istud: nam ita dicentes volunt solùm intelligi, plura esse particularia Cantica; hoc autem nullus inficiari valeat: vocatur enim, & ab antiquis, & à nuperis vulgata phrasi comœdia, fabula, drama, actio, metrum hoc: monstrauimus 1. disput. sect. 5. n. 30. & 41. constat autem comœdia variis & particularibus membris, quæ scenæ & actuum nominibus exprimuntur; & in actus quidem multiplices iuniores ferè diuidunt Epithalamium, aliquando & in Cantica: sic Iacobus de Valentia, Gregorius Ederus, & nonnulli præterea: qua de re & nostrum tulimus iudicium Anteloquio 3. Sect. 3. Subsect. 2. Cùm igitur plura habeat Cantica particularia Hymenæus, & ab illis vocari poterit numero plurali *Cantica Canticorum*, nisi fortè quis dicturus honoris causa plurale loco singularis efferri, vt apud Hebræos, cap. 11. Apostolus, *obturauerunt ora leonum*, cùm de solo Daniele id legamus? *secti sunt*, cùm Isaias tantùm eiusmodi passus; *circuierunt in melotis*, cùm Elias ita incesserit, quanquam nec certa regula est ex Scripturarum vsu ob honorem plurale pro singulari locatum esse: probant multa exempla apud Martinez hypotyposeon lib. 6. cap. 2. annotat. in Origenis verba, §. *Verba libri Iudicum*, &c. Et rursum eodem lib. 6. cap. 3. § *Postquam de numeris*, &c. Quicquid id est, fauet pronuntiato nostro Hugo Cardinalis prologo in Cantica: *Quod autem liber iste* (inquit) *quandoque singulariter Canticum Canticorum, quandoque pluraliter Cantica Canticorum nominatur, inde est, quia & vnum est, & multa? vnum propter vnitatem cantus: quia quicquid hic canitur, amor est: multa propter diuersitates personarum canentium, quæ sunt quatuor, vt dictum est*: Iacobus de Valentia in prologo suo: *Nam nostra translatio* (ait) *sonat multa Cantica contineri in hoc libro, & littera Hebraica sonat, esse vnum tantùm Canticum: sed in hoc nulla difficultas: quia totus iste liber potest dici vnum Canticum vniuersale, & multa particularia, prout patebit in diuisione, & prosequutione libri*: Vbi monet etiam Christopolitanus id quod verum est, in multis antiquorum Bibliorum lectum pluraliter *Cantica Canticorum*: Adsentit

In Salomonis metro varia Cătica particularia.

Regula: Plurale pro singulari honoris gratia positum.

Mart.

Hug. Card.

Inscriptio Canticorum pluraliter in Bibliis vetustis.

Valentia.

Titel

Titelman. Titelmannus ante expositionem versiculi 1. capitis primi Canticorum ; *Titulus* (dicit) *huius libri in vulgatis Latinorum codicibus plurali numero legitur Cantica Canticorum ; in Hebraïs autem libris singulariter dicitur, Sirhasirim ; Item & in Græcis, ᾆσμα ᾀσμάτων, id est, Canticum Canticorum ; atque ita etiam in nonnullis habetur vetustioribus, & emendatoribus Latinis libris ; Quod ad rem attinet, parum refert, vtro numero dicatur, cùm liber iste vnum sit Canticum, & multa : vnum quidem totum, & integrum, ex multis constans partialibus Canticis.* Ita illi nobiscum omnimodè.

52. Nilus an vnus, an plures fluuij. Exod. 7.

Nunc verò promamus de Scripturis non pauca, neque futilia exempla, quæ thesim stabiliant. Primum Exodi cap. 7. vers. 19. iubetur Moyses manum extendere *super aquas Ægypti, & super fluuios eorum* ; Dauid quoque non vnum amnem in sanguinem conuersum indicat plurali vsus Psalm. 77. *Conuertit* (inquit) *in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum ne biberent* ; Et tamen Exodi assignato loco posteà de vno tantùm fluuio memoria semper, versu 20. *Et eleuans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone*, versu 21. sæpiùs : *Et pisces, qui erant in flumine mortui sunt ; computruitque fluuius, & non poterant Ægyptij bibere aquam fluminis* ; Philo etiam lib. 1. de vita Moysis singulari vsus ; *Moysis fratre* (inquit) *percutiente virga fluuium, continuò in sanguinem vertitur* ; Iosephus etiam libro 2. antiquitatum ; *Primò* (ait) *amnis sanguinis fluentis prolabens, ad potus inopiam eos redegit, cùm præter aquam fluminis nullum fontem habeant :* Quas in speciem oppositas, & contradicentes sententias componimus indifficulter, duo si statuamus : Vnum, de Nilo Ægypti amne hic esse sermonem, de quo nullus Interpretum dubitauit ; Alterum, hunc amplissimum fluuium septem ostia habuisse, ex quibus totidem emittebat flumina ; inde Maro Georgicorum libro 4.

Psalm. 77.

Nilus septem ostia habens Virgil.

Nam quæ Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur super rura phaselis,
Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena,
Et diuersa ruens septem discurrit in ora,
Vsque coloratis amnis deuexus ab Indis.

Tradunt Plinius libro 5. cap. 9. Mela lib. 1. de situ orbis, capite itidem 9. Non silebo tamen Strabonis verba ex lib. 17. qui & breuiùs loquutus libro 1. *Duo itaque sunt* (ait) *Nili ostia ; alterum Pelusiacum : alterum Canopicum, & Hieracleoticum : inter quæ alia quinque ostia sunt mentione digna : alia verò tenuiora permulta.*

Plin. Mela. Strabo.

53. Ezechielis verba explanata c. 29.

His confirmatis, dicimus quidem, aut Dauidem, aut Moysem, cùm plura memorant flumina, loquutos de septem Niliacis ostiis, à quibus multi deriuantur amnes : cùm autem vnum extitisse fluuium solùm indicare videantur, non de partialibus fluminibus quasi diuersis. & seorsim acceptis sermonem instituere ; sed de iisdem, vt habent compositi rationem, & vnum conflant amnem, quoniam vnius ipsa membra sunt solùm : atque in hunc modum & explanatur Ezechiel, cap. 29. vers. 3. *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis : Meus est fluuius, & ego feci memetipsum :* Vides, vt vno, eodémque versu, & flumina in plurali, & fluuium in singulari appellat? At eodem modo concilianda hæc dictio, quo altera de Exodo exprompta ; scilicet, & quòd fuerint plures particulares, & omnes ex vno magno prodierint flumine, ciúsque partes, atque membra sint : ergo, cùm in Salomonis Epithalamio multa inueniantur Cantica, quæ aut numerice, aut specificè differant incompletè, atque partialiter ; poterit metrum propriè, & absque violentia, quandoque nuncupari singulari numero *Canticum Canticorum :* quandoque plurali *Cantica Canticorum :* vti ob similem causam Nilus in Scripturis nonnunquam singulari voce dicitur *fluuius :* nonnunquam & plurali *flumina.*

54. Sabbati, & Sabbatorum, qua significatio in Scriptura? Luc. 18. Marc. 16. Ribera. Maldon. Lorin. Sanct.

Alterum exemplum est, quod à voce *Sabbatum,* vel *Sabbata* desumi valeat ; significat enim vtraque dictio promiscuè, idque non rarò, totam hebdomadam : vt Luc. cap. 18. *Ieiuno bis in Sabbato*, id est, per septiduum : & Marci cap. 16. *Et valdè mane vna Sabbatorum veniunt ad monumentum,* id est, prima hebdomadis die. Hoc diffuse monstrat Pater Ribera libro 5. de templo, cap. 1. Maldonatus ad versum 1. cap. 28. Matthæi, & ad versum 21. cap. 1. Marci, Lorinus ad versum 14. cap. 13. Actorum ; & in idem caput Gaspar Sanctius num. 14. Sicut igitur hebdomas nunc plurali nomine dicitur Sabbata, nunc singulari verbo nuncupatur Sabbatum, & sensus vtrobique idem est, atque inuariatus : sic poterit Epithalamium Salomonis duobus modis exprimi ; nimirum, vt & Canticum in singulari, & Cantica in plurali vocetur : Tertium denique exemplum submministrant Pauli verba, cap. 9 ad Hebræos comparata alteri sententiæ ex libro 1. Machabæorum cap. 1. vers. 23. *Et intrauit ad sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & vasa eius,* &c. Apostolus autem loco assignato, vers. 2. *Tabernaculum enim factum est* (inquit) *primum, in quo erant candelabra & mensa, & propositio panum,* &c. Perspicis, vt Machabæus vnam fuisse lucernam innuat, cùm Paulus multas fuisse lampadas significet? Atque aliquis diceret, nullum esse mysterium quoad significata, sed tantùm vt aliàs in Scripturis contigit, vnum numerum pro altero substitui, quo pacto simili oblata occasione respondet Tostatus quæstione 37 in cap. 13. 2. Paralipom. aut ad nescio quæ alia candelabra, excepto Mosaïco, alludi, vt putat Iosephus Stephanus Episcopus Oriolanus, ad cap. 1. lib. 1. Machabæorum ; At meminisse necessarium est, candelabrum Mosaïcum sic compactum, vt ex hastili eius procederent sex calami cum scyphis, seu lychnuchis suis, constat de Exodi c. 25. vers. 32. Erant igitur septem lampades vna basi, & trunco innixæ ; Hinc igitur est, quòd Paulus multitudinis numero candelabra appellat, videlicet, ob particulares lucernas : quia verò omnes istæ coniungebantur velut totius alicuius partes solùm, propterea Machabæorum liber singulari verbo *candelabrum* dixit ; Hanc deosculantur explanationem Ribera in c. 9. Epistolæ ad Hebræos, & ibidem Tena difficultate 2. Pari igitur more, consideratione particularium Canticorum metrum Salomonis plurali voce appellabitur *Cantica Canticorum :* respectu autem eorundem, quatenus tantùm sunt membra, ex quibus totum aliquod resultat, prout sub toto comprehensa, exprimentur singulari dictione *Cantici Canticorum* ; quando igitur tot suppeditent exempla Scripturæ, quibus idem nomen nunc cum singulari articulatione, nunc cum plurali accipiatur inuariato sensu ; non est, quòd quisquam superciliosè contemnat, quos audiant nuncu

Hebr. 9. 1. Mach. 1. *Candelabrũ in templo, an vnum, an multa?* Abul. Ioseph Step. Exod 25. Ribera. Tena.

nuncupantes numero multitudinis *Cantica Canticorum.*

55. *Canticum Canticorum quàm aptè in sex partes distribuimus?*

Sed quot fuerint Cantica particularia, quisquam scire desideret? At horum vna aliqua eáque fixa & communis regula tribui nequeat; cùm enim Auctor Epithalamii scriptis declaratum non reliquit, coniecturis duci Interpretes necessarium fuit, atque ita pro cuiusque ingenio, atque intelligentia, aut plura, aut pauciora euasêre membra Hymenæi: Nos Anteloquio 3. Sectione 1. diuisimus in sex partes, in quibus duas Epilogus, atque proœmium, altera portio complectebatur, ante nuptiale conuiuium; tribus reliquis membris delineatæ epulæ, quæ celebratæ post incepram connubiorum pompam; Hanc autem sectionem nos amauimus, propterea quòd analogiam habere arbitraremur cum hexamero, & primo mundi opificio; analogiam sanè quoad partitionem dierum, non quoad fabrefacta; Atque iam sæpè ostendi, designatum hunc codicem singulariter ad reparationis humanæ mysterium cum suis omnibus coloribus perfectissimè delineandum; Quemadmodum igitur Deus in creando orbe sex dies consumpsit ob arcanas proculdubio, & latentes causas, cùm possit breuissimo interuallo vniuersa condere; septimam autem lucem dicauit feriationi, in qua tanquam lassata Diuinitas requiesceret, & triumphatori opifici applauderent elementa, humana & angelica creatura eucharisticum modularetur hymnum; sic idem per Salomonis eruditam linguam omnem admirandæ redemptionis œconomiam graphicè depicturus, voluit vt in totidem metra diuideretur redemptionis opus, in quot distributa est creatio dies: & velut septimo diei, quod excellentius erat, reseruauit, nempe ipsam Diuinitatis pacem, & gaudiosam iucunditatem; sic & in septimum reposuit Canticum Salomon, quod præ cæteris luculentum, alacre, pomposum fuerat, scilicet, sponsæ traductionem in domum sponsi, Ecclesiæ vtique post generalia Comitia in valle Iosaphat, ex militia, & puluere, ad ouationem & voluptatem sine termino paratam; quod tamen postremum carmen, an mente solùm, an ore quoque, & calamo modulatus fuerit Salomon, dubium esse indicauimus alibi, certè ad posteros non veniisse; Ac taceo sanè, quòd si benè numerentur, non inueniantur Cantica prisci Fœderis plura esse, quàm septem, vti monet Origenes Prologo quatuor Homiliarum; Wolbero Abbas sancti Pantaleonis intra coloniam Ordinis Benedictini, prologo in Cantica; Quamobrem vnus hic Hymenæus id assequutus sit, vt tot solus ipse Cantica haberet, quot omnis Scriptura antiqua: Cæterùm omittere non debeo septenarium numerum, quo insignitus est, ex illis fuisse numeris, quos vetustas potissima religione coluit; quo de argumento legendus noster Pererius lib. 1. in Genesim ad vers. 3. cap. 2. Geneseos, pag. 176.

Analogia Canticorum, mundi cum opificio.

Cãtica prisci Fœderis septem.

Origen. Vvolbero.

Septenarius numerus sacer apud antiquos.

Pererius.

56. *Millenariorũ opinio, & eius error.*

Dices, huiusmodi partitionem, & computum, qua quicquid orbi aliquando, aut euenerit, aut in posterum continget, in certas temporum classes distribuitur, exosam esse doctis: nam, quid grauius si Patronos consideremus opinione millenariorum mundi durationem in sex ætates secantium, quarum quælibet mille annorum spatium clauderet quibus exactis, orbis finiendus esset; Sanè eam cogitationem non illibenter hauserunt ex Patribus antiquis multi, ob quam tamen nullam consequuti sunt laudem apud nepotes; quin potiùs eruditi quique contempsêre sententiam vtpote nullis adiutam præsidiis, quæ aut ratio, aut Scriptura suppeditaret; Docebit Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 3. §. *Denique fuit semper*, &c. Suarius tom. 2. in tertiam partem, disputatione 53. Sectione 4. conclus. 3. Thomas de Maluenda libro 1. de Antichristo, cap. 30. Igitur etiam suspecta erit nostra distributio, cùm sub Canticis, aut sex, aut septem, comprehendamus omnes Ecclesiæ euentus, etiam ipsum Iudicij vniuersalis tempus. Respondeo, propterea laceratam eam millenariorum opinionem, quoniam absque fundamento doceret, exacto certo & determinato annorum spatio, mundo exitium imminere, cùm magis illud interuallum lateat, & incertum sit, quippe in Diuinitatis arbitrio, quæ adhuc defixa, & constanti periodo nihil reuelauit; quin & eorum, qui sic iudicabant, aliquos deceptos fuisse, experientia probauit; nam iuxta eam, quam sequebantur Chronologiam expleti fuêre anni sex mille, vti allegati Auctores benè annotarunt; At ex diuisione Salomonici nuptialis carminis in sex, aut septem minores hymnos, quamuis hi claudant in confuso tempus omne, quo stabit orbis; nihil tamen definitum sequitur, aut quod in stabilem cognitionem venire faciat, quando orbi ruina immineat; non enim certam præfigunt metam: sed temporum illorum gesta, de quibus notitia est, ex Bibliorum, Ecclesiæ, Patrum effatis, secundùm se delineant, abstrahendo à statuto, & certo termino, quo illa euenient. Bel. arm. Suarez. Maluenda.

57. At saltem, inquies, deforme erit Epithalamium, si in eiusmodi Cantica diuidatur: nam aliud erit Canticum enanum, & pusillæ staturæ; aliud vastæ molis, & propè giganteæ: nempe, qualia vnumquodque de Canticis claudat, tale ipsum euaserit: at hæc improportionata sunt: nam initiale Canticum breue spatium complectitur, videlicet ab anastasi Saluatoris tantùm vsque ih Spiritus sancti descensum: huic alter succedit hymnus trecentorum annorum materiam continens: alia oda octingentos per annos vagatur: aliqua etiam à nostro æuo in diem Iudicij protenditur, quod quàm longum sit futurum tempus, quis nouit? Sic ergo, cùm inæqualia sint subiecta Canticorum, & ipsa quoque deformia esse necessum est: quæ enim maior in composito deformitas, quàm partium inæqualitas ipsis adinuicem inter se comparatis? inde enim monstruosa produnt: Respondeo, quidem in corpore, aut humano, aut belluino absurdum futurum, vt manus cùm essent ad cubitum longæ, pedes quatuor, aut sex cubitos longi essent: at verò in aliis compositis, iis in primis, ex quibus non resultat ens aliquod per se, & physicum: sed magis totum artificiale & per accidens, non solùm posse vnam partem esse multò maiorem: sed hoc ad pulchritudinem velut lege quadam exigi: at videmus in naui, & domibus quædam specie esse laxa, atque ampliſſima, alia coangustata, & diducta: sic in scientiis, siue quæ de natura, seu quæ de Creatore tractant, alia disputatio concisa est, & circunscripta, alia protenditur & euagatur: Certè in Genesi Moyses triplo plus annorum, temporúmque absumit, quàm in reliquis Pentateuchi quatuor libris: nihil igitur distortum in Salomonis Epithalamio, propterea quòd in varia Cantica diuidatur, quorum aliud alio longiora

Entis per se, & per accidens differentia.

spatia

spatia complectatur; quid quòd Salomonis diuinum ingenium ita omnia commensurat, & ordinat, vt paria videantur omnia Cantica: nouit enim longus esse in breuibus cum gratia & iucunditate, in longis, & protensis materiis breuis esse, absque confusione tamen, & sine vllis tenebris propter compendium.

SECTIO VI.

Num Salomonici Epithalamij titulus canonica pollere auctoritate censendus sit? Biblicarum inscriptionum quinam Auctores censendi? & quæ illarum vtilitas? Estheris septem vltima capita num authentica? chronologicorum numerorum partitio in sacro instrumento an de fide? ex Regum. 3. celebris versatus locus.

58. NOn satis clarum, atque expeditũ esse videatur, inscriptionem sacri Hymenæi canonica dignam esse reuerentia, & quòd Spiritus sanctus effuderit verbum; Primò, Salomonis ingenium eam non peperit: si verò alius, excepto Cantici Auctore, titulum fabricauit, vnde manifestũ, Prophetam illum fuisse, qui ita operatus sit? Sin autem Vates non fuit, & cuius linguam, calamúmque acuerit Spiritus cælestis Scripturarum Doctor, sermo Dei non fuerit, ac proinde nec canonica oratio; At videamus (quod cæterorum cardo est) num Salomon fuerit, qui volumen suum intitulauerit? Non fuisse autem, plurima innuunt; pater enim illius Dauid, cùm multas composuerit odas; tamen inter omnes conuenire, vel ab Esdra, vel ab alio quopiam appositos esse Psalmis titulos, affirmat Rutilius Benzonius libro 1. in *Magnificat*, cap. 29. Igitur ad eundem morem, nec filius Salomon inscriptionem suorum voluminum confecerit; Insuper docuimus Anteloquio 3. Sect. 3. Subsect. 3. & versiculorum, & capitum partitionem in Scripturis introductam longo post eas conditas tempore: ergo, quemadmodum absque his extitêre ab initio; sic & titulis carêre, qui posteà adiecti fuerint; Protereà de Salomonis voluminibus peculiaris ratio est: nam, si inscriptionum Auctor ipse, eodem modo intitulasset omnes à se scriptos libros; Loquor de parte inscriptionis, quæ codicis editorem innuit; quemadmodum, etsi alia sit Epistola ad Romanos, alia ad Hebræos, alia ad Corinthios; tamen idem Paulus in fronte & vestibulo omnium; At non ita apud Salomonem: exordio enim Parabolarum vocat se *filium Dauid, Regem Israël*; initio Ecclesiastæ appellat se *filium Dauid, Regem Ierusalem*; Canticorum ingressu, neque Dauide satum, neque aut Israëlis, aut Hierosolymæ se Monarcham nominat, sed tantùm Salomonem; Igitur, cùm tam varia trium librorum feratur intitulatio, cogitare valeamus; ab alio, quàm Salomone, assutas fuisse inscriptiones illas; Denique, cùm magnificum Cantici Canticorum vocabulum eam indicet Scripturam, quæ & difficultate, & gloria, vetustatis: & imprimis materiæ & carminis præstantia vincat omnes prisci Fœderis codices; non est credibile,

Salomon nũ inscriptionis Canticorum Auctor?

Benzon.

Sherlogi Anteloq. in Cant.

voluisse Salomonem tam arrogans, & superbum nomen suo affigere Epithalamio; esset enim hoc præter modestiã tanti Principis sapientiæ debitã. Igitur illud posuêre Synagogæ Salomonem subsequuti Magistri, eò quòd metri illius introspecta natura, arbitrarentur, nihil ei comparandum in veterum Prophetarum serie reperiri.

59. At, quid mirum si quisquam Canticorum titulum ad Scripturam canonicam pertinere inficietur? nam & vir doctus Sixtus Senensis, etiam post Tridentinam de authenticis Scripturis declarationem non veretur ex albo sacrorum codicum septem postrema Estheris capita delere, & inter apocrypha referre: ita quidem libro octauo, hæresi vndecima, lib. 1. sect. 2. & attento animo sectione 3. Quippe, inquit, Tridentini Patres sessione 4. cùm dicunt, recipiendos omnes libros integros cum suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata editione habentur, intelligendi sunt, *de veris, ac germanis partibus, quæ ad librorum integritatem spectant: non autem de laceris quibusdam appendicibus, & pannosis additamentis, à quouis incognito Auctore temerè appositis, & vtcunque insutis, qualia sunt huiusmodi vltima capitula:* Quòd si equidem tot versus ex libro Estheris Scripturæ partem non conflant; sed inter analecta & fragmentaria numeranda sint: quod fuerit piaculum idem asseruisse de Canticorum titulo, & consequenter etiam hunc de canone Bibliorum extrudere? Accedit, quòd Melchior Canus in difficillimum nodum incidens de elapsis annis ab egressu Hebræorum ex Ægypto ad Salomonici templi vsque iacta fundamenta, cùm pauca fuisse tempora existimaret, quæ regnorum liber tertius recenset c. 6. vers. 1. nempe quadringentos & octoginta annos, & qui ad hoc reducere interuallum tentant, eos Scripturæ violentiam manifestam afferre cogitaret, asseruit tandem lib. 11. de locis, c. 5. §. *Primum autem*, existimare se, *neque aut fidei, aut religionis quæstionem esse, num quadrigentorum octoginta iste annorum numerus, qui in codicibus peruulgatis reperitur, Librariorum vitio scriptus sit; an potiùs idem ab Auctore sacro in suo exemplari positus: Ostendimus,* (inquit) *multas causas esse, cur huic de quo agimus quadringentorum octoginta annorum numerus, corruptè esse inductus videatur: non igitur, si quispiam dicat, ab egressione filiorum Israël de Ægypto ad templum inceptum, quingentos annos, & eò amplius interfluxisse, protinus refellendus est, quasi ea res ad fidem religionémve pertineat*: Igitur, si ad fidem non spectat, an in Bibliorum Chronologia hic magis, quàm ille numerus amplexandus, cùm tamen à certa annorum distributione pendere videatur Scripturarum, & ordo, & concentus; neque etiam ad fidei quæstionem spectauerit, an Canticorum liber hoc, aut illo modo intitulandus sit: Alia etiam præsidia idem subministrat Canus lib. 2. de locis, c. 11. §. *Quòd si obiicias.* Vbi affirmat, de interpretatione Hebræorum nominum, quam non rarò apponit Latinus Bibliorum Translator, non esse perhorrescendum, si aliquis tueatur Scripturæ particulas non esse: igitur nec erit pertimescendum, tria vocabula, quæ Epithalamij inscriptionem conficiunt, dixisse quidem ad verbum Dei non spectare, neque à Flamine diuino inspirata fuisse: sed à perito aliquo adiuncta ex humani ingenij solo labore, atque industria.

Estheris vltima septem capita, an canonica? Sixt. Sen.

Canus. *Numeri annorum in Scripturis, an de fide?* 3. Reg. 6.

Canus. *Interpretationes Hebraorũ nominũ in Bibliis, an Scripturæ partes?*

60. Resoluo de his primò: titulos, siue Psalmorum, seu huius Cantici, seu alterius Scripturarum membri, quamuis à particularibus, & immediatis Scriptoribus, putà Dauide, Salomone, & eius generis, compositi non fuissent, potuisse Canonica infallibilitate donari: Clarum hoc est: nam Deus, qui princeps Auctor Scripturarum est, potuit alium excitare Prophetam, qui prætermissos titulos à primo voluminis artifice suppleret; atque per huius os cùm loqueretur Deus in earum inscriptionum conditione, sicut loquutus est per os, qui à sæculo extiterunt Prophetarum eius, esset istud quoque Dei sermo, & inconcussi roboris, atque auctoritatis canonicæ: Confirmo; nam septuaginta Seniores in translatione sua primitiua illa, & à næuis libera multa adiecerunt, non pauca variarunt ab his, quæ in Hebræa cernebantur origine: Consule Leonem de Castro disputatione de translationibus sacræ Scripturæ, cap. 16. Tenam lib. 1. Isagogæ sacræ Scripturæ, difficultate 5. sectione 5. & tamen hoc, quod ab illis annexum est, sacrum atque authenticum fuit, nempe, ex Spiritus sancti impulsu, vt docet egregiè Augustinus libro 18. de Ciuitate Dei, ad finem capitis 43. *Igitur, vt oportet, nihil aliud intueamur in Scripturis illis, nisi quid per homines dixerit Dei Spiritus; quicquid est in Hebræis codicibus, & non est apud Interpretes Septuaginta, noluit hoc per istos, sed per illos Prophetas Dei Spiritus dicere: quicquid verò est apud Septuaginta, in Hebræis autem codicibus non est, per istos maluit, quàm per illos idem Spiritus dicere, sic ostendens vtrosque fuisse Prophetas: isto enim modo alia per Isaiam, alia per Hieremiam, alia per alium, atque alium Prophetam, vel aliter eadem per hunc, atque illum dixit, vt voluit; quicquid porrò apud vtrosque inuenitur, per vtrosque dicere voluit vnus, atque idem Spiritus; sed ita, vt illi præcederent prophetando; isti sequerentur prophetice illos interpretando: quia, sicut in illis vera, & concordantia dicentibus vnus pacis Spiritus fuit; sic & in istis non secum conferentibus, & tamen tanquam vno ore cuncta interpretantibus, idem Spiritus vnus apparuit:* Sic Augustinus commonstrans, etsi Septuaginta ad Hebræo comprehensa Textu nonnulla adiecerint; illa tamen Canonica fuisse, & Dei loquelam: igitur, quamuis iidem, aut alius iunior Interpres titulos operum à primis Auctoribus derelictos apponerent; eiusmodi tituli Canonicam, & inuiolabilem auctoritatem haberent: Confirmo iterum: nam probauimus Anteloquio 3. Sectione 3. num. 84. ipsos Bibliorum primæuos conditores non omnia retulisse, sed ex Dauide, exempli causa, didicisse nos quidpiam, aut de Ægypti plagis, aut de iis, quæ in eremo contigerunt, quorum Moyses in Exodo non meminit; & tamen eiusdem fidei sunt, quæ Psalmista addidit cum iis, quæ Moyses recensuit: igitur etiam tituli à quibusdam omissi, ab aliis appositi, Canonici, & authentici extitissent.

Septuaginta ex Spiritus sancti auctoritate nonnulla in translatione sua addiderunt. Leo Castr. Tena. August.

61. Resoluo secundò, nobis verisimile apparêre sacrorum voluminum inscriptiones ab Auctoribus libris affixas: putamus enim generaliter verum esse, quòd de Psalmis scribens proœmio in in hos edisserit Hieronymus: *Nam per titulum* (inquit) *intelligitur vniuscuiusque Psalmi intellectus: Quid est titulus, nisi clauis vt ita dixerim? in domum non ingreditur nisi per clauim: ita & vniuscuiusque Psalmi intellectus per clauem, hoc est, per titulum intelligitur, in cuius persona cantatur:* Atque Augustinus exordio enarrationis Psal. 58. *Sicut solet Scriptura* (inquit) *Psalmorum mysteria in titulis ponere, & frontem Psalmi sublimitate sacramenti decorare, vt sciamus, qui intraturi sumus, cùm, tanquam super postem, quid intus agatur, legerimus, vel cuius domus sit, vel quisnam sit illius prædij possessor: ita & in hoc Psalmo scriptus est titulus de titulo,* &c. Habemus ex horum Patrum effatis, in titulo, quasi in epitoma claudi Psalmi, aut alterius sacri tractatus medullam: quare oportebat certè inscriptionis structorem priùs exactè comprehendisse scopum, aut Cantici, aut Odæ: deinde vocabulum idoneum imponere naturæ hymni; At quis ad hoc ita sufficiens, atque Operis artifex? Quis enim eum in modum lustrauit pertentauitque Prophetiam, atque vaticinij ipsius parens? Hos igitur nomina, & titulos imposuisse conueniens est affirmare: nam, cur obsecro non inscripserint editos à se libros diuini Auctores? Quæ lex, quod præceptum? quis vsus prohibuit? Vnde haustum cum fundamento non ita ab eis peractum: Esto quidem temporum malitia, & iniuriis contigerit amissos penitùs fuisse titulos, & ab Esdra, aut septuaginta viris resuscitatos: verùm nunquam ab Auctoribus meditatos, quonam modo persuaserint? Equidem Theodoretus præfatione in Psalmos, & initio explanationis in Psalmum 1. cum spiritu & vehementia defendit, à Dauide cõcinnatos titulos, & septuaginta senes eos vertisse, quos in Hebræo repererint, neque illis debitum, excepta interpretatione, aliud.

Tituli sacrorum librorũ, ad quid deseruiant? Hieron. August.

Theodor.

Resoluo tertiò: siue ipsi primi Bibliorum molitores inscriptiones adinuenerint, seu aliorum conatus, & laboris fuerit, quocunque acciderit more, censendum diuina & canonica auctoritate præcellere, & Spiritum sanctum fuisse, eos qui dictauerit: Fauet nuperrimè allegatus Theodoretus prologo in Psalmos inquiens: *Rem quidem nimiæ temeritatis, & confidentiæ plenam arbitror, falsas illas existimare* (loquitur de inscriptionibus) *& nostras rationes vi Spiritus sancti sapientiores iudicare:* Fauet Leontius Byzantinus lib. 3. contra Nestorianos, & Eutychianos, vbi resumens Theodori Mopsuastensis errores, inter eos scribit, quoniam delendos existimauerit Canticorum, Hymnorum, atque Psalmorum titulos: Duxit in hanc cogitationem Patrum consensio in dissoluendis titulorum sacramentis: non enim vnus, alterve, sed omnes hanc exercuêre prouinciam sedulò; & nemo sanè, qui Salomonis Epithalamium explanauit, non idem diligenter inscriptionem excussit, & multis grauidam arcanis ostendit: quid autem conati sunt tam exacta inuestigatione? Equidem intus latentem Spiritus sancti diuiniorem sensum, tanquam nucleum, eruere fractis inuolucris: Intellexerunt igitur, à Spiritu sancto dictatum fuisse, alioquin Viri tam prudentes, quorsum in his ventilandis eandem curam ponerent, quàm in ipso Dei certissimo aperiendo verbo? Duxit cogitationem præcipuè nupera Bibliorum correptio; ait enim Præfatio ad Lectorem: *Porrò in hac editione nihil non canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum apponere, visum est: atque ea causa fuit, cur liber tertius, & quartus Esdræ inscripti, quos inter canonicos libros sacra Tridentina Synodus non annumerauit: ipsa etiam*

62. *Tituli Bibliorũ codicũ sacra auctoritatis.*

Theodor.

Leont.

Auctores sacrorũ voluminũ, titulos confecerunt.

etiam Manasse Regis oratio, quæ neque Hebraicè, neque Græcè quidem extat, neque in manuscriptis antiquioribus inuenitur, neque pars est vllius canonici libri, extra canonicæ Scripturæ seriem posita sint. Cùm igitur etiam castigatissima Biblia explosis vniuersis, de quibus dubium esse possit, an verbum Dei censerentur, (*nihil enim non canonicum, nihil extraneum apponere visum est,*) adhuc retinuerint sacrorum codicum inscriptiones, & titulos, fit, vt hi non possent non esse canonici, & authenticæ Scripturæ membra: At dicet quispiam, epistolam illam non esse Romani Pontificis nomine editam, proinde firmum non præstare argumentum: esto quidem verum hoc sit; tamen earum litterarum testimonium grauissimum est, cùm proculdubio illæ apostolicæ Sedis iussu prodierint, & in ea contenta ad Papam relata fuerint, antequàm typis subiicerentur, monent autem conuocatos ex amplissimo Cardinalium ordine, adiunctis viris doctissimis, & ab his *veterem, ac vulgatam sacræ Scripturæ Editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam:* At quis solertiæ in corrigendo scopus? Equidem vt prodiret omninò authentica, & nihil quoad eius fieri possit, non canonicum habens: ad hæc ab illis collata & manuscripta, & exemplaria propriè infinita, & euoluti Patres, & Theologorum classici, tandémque his omnibus expensis statuerunt & purissimo Textui voluminum inscriptiones associate, scilicet, quòd intelligerent, omnem vetustatem existimasse, eos canonicos esse, atque hoc commune esse Ecclesiæ iudicium: Quare absque temeritate dici nequeat, Bibliorum titulos haud esse canonicos, de quo aliquid Delrius ad initium Commentariorum in Threnos Ieremiæ.

Quæ auctoritas Præfationis ad Sixti & Clemētis Biblia?

Delrius.

63. Existimo etiam & Tridentinum sess. 4. suppeditare efficax argumentum: *Si quis autem libros, ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueuerunt, &c.* Atqui tituli & inscriptiones de integritate sunt librorum, quippe claues, vt inquiebat Hieronymus suprà num. 61. & frontes voluminum, vt ibidem sermocinabatur Augustinus: absque fronte autem, & clauibus, quid non mancum? Igitur, cùm ad integritatem spectent sacrorum codicum, & authentica esse, quæ integram reddunt Scripturam Tridentinum dicat; fit, vt tituli canonici, atque authentici sint, sed & partes etiam sunt Scripturæ: quid enim vetat esse? an quia breues sunt, & subitò absoluuntur? Verùm hoc non demit, quominus aliquid canonicum esse valeat: nam assumamus de primo capite Isaiæ solùm tria verba, quibus non plura in titulo Canticorum; Equidem nullus inficias ierit, ea canonica esse, etsi sacræ Scripturæ laciniam; ac sanè coniector Tridentinum non sine causa dixisse, *Cum omnibus suis partibus*; Voluisse, nempe indicare, inter ipsas partes varietatem elucere: alias esse partes grandiores, & maiusculas, quales capita voluminum, quæ semper ferè plurimis constant versibus; alias partes minores, & contractas, quales tituli & inscriptiones, qui vno constant versu frequenter: vtrunque igitur partium genus comprehendit Tridentinum, quando, *cum omnibus partibus*, recipiendos libros monuit: profectò à partis nomenclatura nequaquam ob exiguam molem (sic dicamus) excludendi tituli, modò arcanis grauidi sint, & sacramenta habeant multa, vt habere ostendimus num. 61.

Trident.

Sherlogi Anteloq. in Cam.

quemadmodum oculi in homine, licèt quantitate pusilli, pars nobilissima sunt ob excellentiam operationum: Quòd si velint cauillare, & asserere partem eam existimandam tantùm, sine qua sensus tractatus, aut voluminis cōstare nequeat, & quoniam absque titulis integra manerent sensa diuinorum librorum, ideò eos non esse partes; infirmo scipione nituntur; nam parentheses Scripturarum tales sunt, quibus demptis maneret integra significatio: est enim parenthesis natura, vt neque sensum principalem, vel auferat vel ponat: at parentheses in Bibliis, Dei loquutio sunt, & ad Scripturam attinent: Deinde & in Genesi, & in Euangeliis, & in multis aliis voluminibus canonicis alia ab aliis capitibus non dependent: ergo etiamsi absque inscriptionibus constaret sensus, quod tamen difficillimum esse monstrauimus citato sæpè numero 61. non inde sequeretur, non esse partes Scripturæ: quòd si quidem partes sunt, necessum est ad authenticam Scripturam pertinere ex Tridentini regula.

64. Nunc ad opposita exordio disputationis. Habeant quidem, ab initio non extitisse eam Bibliorum partitionem, quæ modò apparet per capitulorum diuisiones: at non inde deducitur, & abfuisse titulos, nam modò etiam videmus amare quosdam in suis Annalibus continuam vnius anni narrationem absque intermistis capitibus; alios capita, sectiones, aut articulos interserere, prout cuique voluptas est; Equidem id imprimis in Scripturis animaduertendum, vt punctationes eiusmodi sint, quæ sanum sensum generent, interrogationis nota, conuenienti loco & tempore adhibeatur; item commata, parentheses, & eius formæ alia: ex horum enim inaccuratione, & negligentia magni & pernicioſi errores pullulare valeant; Atque istud ab Hieronymo allusum, epist. 117. ad Paulam; *Quod in Demosthene* (ait) *ex Tullio solet fieri, vt per cola scribantur, & commata, qui vtique prosa, non versibus scripserunt; nos quoque interpretationem nouam, nouo scribendi genere definximus*: Atque hoc sanè, quod in vera, ordinataque Scriptura tantoperè desideratur, haudquaquam omissum fuit ab aliquo diuino Auctore. Cæterùm diuisio per capitula, articulos, quæstiones adinuenta est, non vt scribenda incorrupta euaderent: nam ad hoc sufficiebant punctationes; quam vt ne legentes nimia versuum non interruptorum longitudine fatigarentur, atque vt memoria aliquantùm iuuaretur, prout citato num. 58. loco patefecimus, & innuit Hieronymus epistola ad Damasum; *Quos iam pridem mihi dederas* (inquit) *Lactantij libros, ideò non libenter lego; quia & plurimæ Epistolæ in eis vsque ad mille versuum spatia tenduntur*: Igitur, cùm ex prætermissis capitibus nullum sequeretur mendum in textu, & aliunde illorum temporum vsus, sectiones partitionésque ignoraret, quibus iunior ætas assueuit; sæculo suo Vates se accommodarunt: verùm nullius æui, nisi admodum crassi & hebetis mos erat, librorum titulos subticere, cùm illi mirum in modum conducunt ad sensus volumine contenti inuestigationem; sunt enim & lucerna, & clauis dicendorum: Quare æquum non est cogitasse sacros Auctores obliuioni tradidisse inscriptiones Bibliorum: & videmus quidem Patres cum Theologis, vt monebam anteà, eadem diligentia titulos enodare, quo ipsum Scripturarum corpus: cùm tamen parum considerent capitum, aut numerum, aut

Capitum, & sectionū vsus quare introductus. Hieron.

Punctationes diuersæ ad Scripturæ veritatem omninò necessariæ.

Hieron.

distributionem : vt facilè appareat, longè aliam fuisse de titulis, quàm de capitibus existimationem.

65. Quod verò afferebatur speciale comparatione librorum Salomonis, meo iudicio confirmat omninò, quæ à nobis tradita fuêre : nam, quòd non simpliciter tres eius præcipuè codices, Parœmiæ, Concionator, & Hymenæus Salomonis vocabulum præferunt cum voluminis nomenclatura ; sed alia adiunguntur, quorum fortasse non simile aliquod exemplum, vt quòd nonnunquam Rex Israël, nonnunquam Hierusalem vocetur, aliquando Dauidis soboles, aliquando Salomon tantùm, arcanum indicare videatur, & multo cum Sacramento excogitatos fuisse eius generis titulos ; nec sanè ab alio, quàm à scriptionis parente, qui particulari impulsu motus fuerit à Spiritu sancto, vt modò regium nomen extraheret in apertum, modò potiùs celaret : neque enim in his leue aliquod abscondi mysterium, aut quod perfunctoria diligentia erui possit, arbitratus est Origenes prologo quatuor Homiliarum, aiens: *Et quanuis difficile mihi videatur, aut perscrutari, aut pertingere posse horum differentias, aut vtcunque inuestigatas palam proferre, & chartulis credere : tamen in quantum capere, vel sensus noster, vel auditus legentium potest, paucis aperire tentabimus :* Iam quòd Salomon velut modestiæ limites prætergredi visus, dum Epithalamium magnificis titulis afficit, *Canticum* vocans *Canticorum*, non hoc superbia est, aut tumentis animi fastus ; sed iusta quædam, & penè necessaria laus ; ea quidem, ob quam stimulatus, vt ingressu Prouerbiorum, & Ecclesiastæ se Regem Israëlis, & Solymorum diceret, se filium Dauidis nominaret : Audi nunc ista considerantem Basilium hom. 12. in principium Prouerbiorum : *Apposuit autem & Auctoris nomen* (inquit) *vt personæ splendore, & amplitudine auditorem facilius traheret auctoritas enim Doctoris acceptum sermonem facit, ac discentes attentiores reddit* : Verùm dilucidiùs Olympiodorus initio catenæ in Prouerbia : *Posteaquam* (ait) *Salomon Scripturæ huius qualitatem, & scopum, Auctorisque nomen, & ortum exposuit : nunc eximiam eius Auctoris præeminentiam, & dignitatẽ proponit : facit hoc autem, non vt arrogans, aut superbus quispiam ostentator ; verùm qui Operi huic fidem, & auctoritatem comparet : nam, vt alia omittantur, confert hoc non parum ad submouendam omnem de germano huius scripti parente dubitationem. Denique ad demonstrandum & persuadendum doctrinam, quæ hìc traditur, grauem, veram & solidam esse, plurimi valet Auctorem illius regia auctoritate, & dignitate excelluisse* : Atque his sanè defenderetur cum abundantia Salomon, quanuis ex genio suo, aut opus, aut scribentem encomiis euexisset ; sed tamen in primis considerandum Spiritum, vti fuit cæterorum Doctor ; ita & titulum inspirasse, ille Vatis animum tetigit, vt Hymenæum specioso Cantici Canticorum vocabulo afficeret : quamobrem verò spiritus diuinissimus ille sic nuncupare voluerit, docuimus prolixè in antecedentibus per tres Sectiones.

Orig.

Basil.

Auctoris nomen plurimi interest, vt scripta præferant.

Olympiod.

66. Transeamus ad illa septem posteriora Estheris capita, quæ, si Deo placet, inter apocrypha referenda sint : Sed palàm Sixtum refutet Bellarminus, vide lib. 1. de Verbo Dei, cap. 7. §. *Accedit postremò*, & quidem omne eius fulcrum, quoniam septem illa capita non tam sunt germanæ Bibliorum partes, quàm additamenta quædam, & assuta : at si tantùm detur licentiæ spectato Estheris volumine, nónne promptum fuerit expungere in aliis codicibus non pauca, & asserere fragmenta esse, non partes, maximè in his de quibus aliquando dubitatio extitit, an de genuinis essent Scripturis ? quid aliud Tridentinum mouit, vt ordinem sacrorum librorum distinctè proponeret, quàm vt petulantia ingenia coërceret ? quæ nisi in meridiana claritate offendere vellent, errore abduci, & caligare aliter non poterant : certè impegisse in multo lumine Sixtum nostro visum Gretsero tom. 1. defensionis Bellarmini, Appendice 1. ad librum 1. Illustrissimi Cardinalis, §. *De his tamen*, &c. §. altero, *Nam quòd Sixtus*. Bonfrerius prę loquiis in Scripturam cap. 4. sect. 3. nullo modo videri tutum in fide post Tridentinum affirmat : Consulendi Serarius prolegom. 4. in Estherem, & in idem volumen Sanctius prolegomeno quoque quarto, à quo notatus, quod liberè nimium pronunciauerit.

Sixtus Senẽsis perstrictus quòd septem vltima capita Estheris reiecerit.

Bellarm.

Gretser.

Bonfrer.

Serarius.

Sanct.

67. Grauis admodum est difficultas ex Regum c. 6. libri tertij de elapsis annis ab egressione Israëlitica ex Ægypto vsque ad cœptũ construi templũ Salomonicum : Verùm, cùm Iudicum 3. vers. 11. asseritur : *Quieuitque terra quadraginta annis, & mortuus est Othoniel filius Cenez.* non sic enumerandi sunt anni, de quibus eo loco memoria, vt præter aliquod interuallum, quo fortasse malè agentes expectauit Dominus ad pœnitentiã, antequàm excitaret Chusan Rasathain Regem vt vindictam de perfidis sumeret, illósque vexaret ; prætérque octo annos, quibus nominato tyranno seruierunt, tempúsque conficiendæ pugnæ, adhuc supersint quadraginta anni, quos in pace sub Othoniele consumpserit populus : At constructio est à Iosuë ad Othonielem fluxisse tantùm quadraginta annos, quorum eò quòd maior portio cum tranquillitate acta sit, à maiori parte datum nomen toti spatio ex consuetudine Scripturæ, cui mos, vt aduertit Eucherius, siue Beda, aut alius eius Operis artifex, lib. 1. in Genesin : nomine totius maximam partem plerunque significare : sic denso, nobilique testium agmine instructus Salianus, vt putamus, docere visus tom. 2. anno mundi 2601. n. 1. & 2. Aliter quoque adhibita regula, cuius meminit Cantapretensis hypotyposeon libro sexto, c. 4. §. *Hebræi vtuntur*, &c. nimirum, ex vsu sancti idiomatis Cardinales numeros poni pro ordinalibus, vt Genesis c. 1. *Factúmque est vespere, & mane dies vnus*, id est, primus. Leuitici c. 25. vers. 10. *Sanctificabísque annum quinquagesimum.* ex Hebræo : *Annum quinquaginta :* Et in nouo etiam Instrumento nonnunquam, Matthæi c. 13. vers. 23. *Qui verò in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò trigesimum.* Græca habent, ὁ μὲν ἑκατὸν, ὁ δὲ ἑξήκοντα, ὁ δὲ τριάκοντα. apud nos ; id est, *hoc quidem centum, hoc autem sexaginta, hoc verò triginta* : Ad hanc normam cùm dicitur terra quieuisse quadraginta annis erit, assueraſſe, terræ concessam pacem quadragesimo anno, quo, scilicet ad æternitatem abiit Othoniel ; non quòd anteà tranquillitate caruisset ; sed quia tunc plena malacia potita fuerit, quam subsequuti citò tumultus : cui fauere cogitationi Riberam apertè videas libro 1. de templo, c. 1. n. 11. neque subobscurè Turselinum epitoma Historiarum, c. 4. quæst. 6. & vtrunque probè existimasse à Saliano admissum tomo 3. anno mundi

Locus ex 3. Reg. c. 6. de num annorũ vsque ad cœptum fabricari templũ, conciliatus.

Iudic. 3.

Regula : A maiori parte datum nomẽ in annorum cõparatione.

Salian.

Regula : Cardinales numeri poni solent pro ordinalibus.

Cantap.

Gen. 1.

Leu. 25.

Matth. 13.

Ribera.

Turselin.

Salian.

mundi 3023. num. 8. istóque adhibito Adriadnæo filo non erit difficile labyrintho emergere, vt non sit necesse audacter pronunciare, vitiatos esse Bibliorum Textus; neque prætereundum illud, quod Maldonatus aduertit ad c. 10. Lucæ prope initium, ex Augustino libro 2. quæstionum in Exodum, quæstione 47. in sacra pagina cardinalem, quem appellant, numerum exprimi, etiamsi aliquid desit, aut supersit: vt filij Israël quadringintos annos in Ægypto versati referuntur. cùm longiori aliquantùm spatio demorati sint, Exodo probante c. 12. vers. 5. & ob hoc Septuaginta Seniores dici vulgariter Bibliorum Interpretes, cùm duo ampliùs extiterint: Exemplorum vberiorem copiam suppeditauit Cantapetrensis loco nuper monstrato; ex quo canone discere oporteat, etiamsi supra quadringentos & octoginta annos aliqui conficerentur, benè à scriptore positam eam summam annorum, vt qui attenderit ad numeros cardinales.

Regula: Numerus cardinalis exprimitur etiàsi aliquid desit, aut supersit. Maldon. August.

Exod. 12.

Cantap.

Quanquam, licèt his viis expediri non possit Regum Textus, satius fuisset tamen humanæ imperitiæ agnoscere vulnus, quàm Bibliorum sententiis vitium adscribere; quod amplexatus est noster Sanctius ad cap. 6. libri tertij Regum, num. 2. At verò Canus is est, qui confidenter assentit, numerum eum annorum, qui quadringentos, & octaginta annos perficit, *non modò omnibus exemplaribus, sed vniuersis Auctoribus, Latinis, Græcis, Hebræis conspirantibus confirmari:* Quæ sanè vt vera sunt ipsum plurimum redarguunt ausum dicere, non esse quæstionem ex pertinentibus ad fidem, an syncerus fuisset numerus ille, & qui Auctorem haberet Spiritum sanctum, nécne; fuítque eo maius peccatum quòd post Tridentini de sacris libris, eorúmque partibus omnibus declarationem, ita statuisse non sit veritus: nam, quid armorum relinquatur nobis ad sacrarum litterarum præsidium, si mendum numerationis possit esse, quam tanquam germanam omnia exemplaria innuant, vniuersi Auctores Latini, Græci, Hebræi agnoscant? Accedit ad præfata omnia, quòd etiam Biblia per Sixtum, & Clementem castigata eandem lectionem numeri annorum quadringentorum, & octoginta retinuerint, de quibus vidimus superiùs numero 62. pronunciari, *nihil non Canonicum, nihil adscititium, aut extraneum habere.* Canonicum itaque aliquid est numeratio illa, ac proinde ad fidem spectans, quali verò censura perstringendum arbitretur Basilius Legionensis, qui per Clementem correcta Biblia vitio aliquo scatere, audeat affirmare, videat Lector apud ipsum, 1. parte variarum, quæst. 4. expositiua, c. 12. adeat quoque Tenam libro 1. Isagogæ sacræ Scripturæ, difficultate 6. sect. 4. §. *Cautè tamen legendus*, &c. Sed & idem Basilius Legionensis memorato opere disput. de Agno typico pag. 4. col. 1. in relatum annorum scrupulum incidens post examinatam cani opinionem, adiecit, Regum textum correptum esse à nemine asseri posse absque temeritatis nota; & ob simile effatum Eugubinus Cano vehementer displicuit lib. 2. de locis, cap. 18. §. *ad illud verò*, &c.

Melchior Canus taxatus, quòd numeros chronologicos Scripturæ ad fidem spectare non arbitretur.

Basil. Leg.

Tena.

68. Supereſt ex eodem Cano, quod asseruerit non esse perhorrescendum, si quisquam existimasset, & docuisset interpretationes Hebraïcorum nominum, quæ in sacra occurrunt pagina, non esse particulas Scripturæ: At putamus & hoc satis falsum esse: militant enim harum comparatione omnia penè, quæ de titulis Bibliorum in antecedentibus disputauimus num. 62. habent & peculiare fulcimentum eiusmodi interpretationes: nam suffragante Hieronymo lib. 2. in Epistolam ad Galatas, in illud cap. 4. *Quoniam autem estis filij Dei*, &c. *Et hanc consuetudinem* (inquit) *in pluribus locis Scriptura conseruat, vt Hebraïcum verbum cum interpretatione sua ponat: Bartimeus, Filius Timei; Aser, diuitiæ; Tabitha, Dorcas; & in Genesi Mesech, vernaculus, & cætera his similia:* Vbi considerasse operæpretium est dicere ab ipsa Scriptura hoc fieri, id est, à primo, præcipuóque eius Auctore, non autem ab Interprete aliquo: quod verò à Scriptura fit ad Scripturam sanè attinet, & est Scripturæ portio: neque solus vsus coniungi interpretationem cum dictione originis; sed insuper non rarò ponitur interpretatio nuda absque vocabulo proprio idiomatis, quandoque & nomen proprium vice interpretamenti, & verbi appellatiui, communísque significationis: Suppeditabunt vberem exemplorum segetem Ribera in c. 2. Sophoniæ, num. 18. Cantapetrensis lib. 2. hypotyposeon, c. 1. §. *Postremò annotabis*, &c. Pineda in primis ad versum 14. c. 42. Iobi: Cornelius regulis ad initium Isaïæ, canone 31. Sanctius in c. 6. Canticorum, num. 8. & in Psalmum 67. num. 39. quis verò credat eiusmodi, & tam diuersa absque secreto Numine fieri? cùm & Hieronymus de leuibus quibusdam lib. 2. in Epistolam ad Ephesios, in illud capitis tertij: *Et alijs generationibus*, &c. *Sed quia ita habent in Græco, & singuli sermones, syllabæ, apices, puncta, & in diuinis Scripturis plena sunt sensibus*; *propterea magis volumus in compositione, structuráque verborum, quàm intelligentia periclitari*: Et de nominibus, de quibus nunc tractatio est, idemmet quæstionibus Hebraïcis in Paralipomenon: *Sciendum sanè* (ait) *quia crebræ appellationes personarum, & immutationes nominum, & repetitiones ad magnum mysterium pertinent:* Cur verò fiant eiusmodi nominum explicationes, declarat libro quarto in Hieremiam: *Ex verbis autem & interpretatione nominum, sæpè res ostenduntur; vt Abraham, Saræ, & Petri, & filiorum Zebedæi vocabula commutata, significant rerum mutationem; & in hoc eodem Propheta, Phashur dicitur pauor, siue translatio, & colonus, siue peregrinus:* Causas etiam adhibet nonnullas Ribera, vbi suprà: Denique & ipse Canus eodem loco tales interpretationes Scripturam esse Hieronymi testimonio conuictus fatetur, & addit peritè ex suo ingenio: *Nam particula, quæ ad seruandam, vel congruitatem, vel intelligentiam sacrarum litterarum interpretatione additur, non censetur à sacris litteris aliena:* Quid igitur in eo increpamus, si nobiscum sentit, & Scripturam esse asseuerat? nimirum, quòd & oppositum etiam sustineri dixerit: scilicet non esse Scripturam: quod existimasse absurdum arbitramur, & penitùs respuendum.

Hieron. *Regula: Mos Scripturæ Hebraïcum verbũ cũ interpretatione ponere.*

Regula: Nomen propriũ absque significatione, & è diuerso posium sæpè.

Ribera. Cantap. Pineda. Cornel. Sanct.

Interpretationes nominũ Scripturæ partes sunt, & quamobrè ponantur. Hieron. Ribera. Canus.

Sherlogi Anteloq. in Cant.

SECTIO VII.

Cur in hac Epithalamij inscriptione Salomon nudè positus, cùm alibi & filius Dauid, & Rex nucupetur? Verbis initialibus Prouerbiorum & Ecclesiastis lux data; Tributa num antè lapsum exegerit Salomon? An inter tribum Iudæ & alias tribus ciuilia quædam fuêre odia?

69. Orig. EXcitauit quæstionem non inconcinnam vetustissimus Interpres Origenes Prologo quatuor Homiliarum, ad finem: *Adhuc autem possumus & hæc inquirere, priusquàm ad ipsum corpus libelli veniamus, cur Salomon, qui videtur obtemperare in his tribus libellis voluntati Spiritus sancti, in Prouerbiis quidem dicatur Salomon, filius Dauid, qui regnauit in Israël: in secundò verò libello non Salomon scribitur, sed Verba, inquit, Ecclesiastæ, filij Dauid, Regis Israël in Hierusalem, & filium quidem se esse Dauid, similiter vt in primo, & Regem Israel scribit; sed ibi Prouerbia, hic verba ponit; & se ipsum, quem ibi Salomonem, hic Ecclesiasten nominat: & cùm ibi gentem solam, in qua regnauerat, posuisset: hic gentem posuit & locum regni Hierusalem designat: In Cantico Canticorum verò, neque gentis nomen, neque locum, in quo regnet, neque omninò quòd Rex sit, neque quòd Dauid Patrem habeat, scribit; sed tantummodo Canticum* (ait) *Canticorum, quod est ipsi Salomoni.* Erit igitur disquisitio circa tituli partem, quæ nomen Auctoris comprehendit, quamobrem aliter in his, aliter in illis disceptationibus legatur? consuevêre enim Scriptores non suum mutare vocabulum, sed codicis, quoniam diuersa materia ita exigebat: quòd si præclara quidem epitheta adiungenda erant, vindicabat sibi magis tantum honorem Canticorum liber, vt qui alios præstantia longè superet. Scio quidem nostrum indicare Pinedam Commentario in Ecclesiasten ad versum 1. cap. 1. num. 1. non esse titulos dicendos exordialia Prouerbiorum, & Koëleth verba, sed existimanda partem Operis: at quemadmodum ipse ibidem suggerit, opposita sententia vulgata est: & nobis lis est, siue inscriptio prima verba nuncupentur, seu alio modo: quamobrem Auctor in quorundam vestibulo Operum Regem se affirmat, atque Dauidis filium: in aliorum ianua subticet maiestatem, & tantùm appellatur Salomon?

Honorifici tituli an librorum initijs ponendi?

Verba initialia Prouerbiorum & Ecclesiastæ, an tituli, an pars contextus? Pineda.

70. Primum igitur dici valeat id, quod ex Magno Basilio adiuncto Olympiodoro deprompsimus elapso articulo, numero 65. nempe, ad conciliandum splendorem, atque pretium apud mortales Operi, vti & nunc fieri videmus à multis; nam librorum valuis affigunt pomposa nomina ad voluminis grauitatem & pondus: sunt enim quidam ad personæ dignitatem magis attendentes, quàm ad ingenium; opus est etiam & vulgi considerationem aliquam habere: Sed, cur non istud etiam in Canticis perpetratum? nimirum, quia Epithalamij tanta fuerit gloria, quæ exernis adminiculis non egeret, ac proinde superuacaneum ibi regiæ potestatis meminisse, cùm hoc ipso, quòd Hymenæum talem composuisset, quisquis extitisset, non possit non eximiè inclytus censeri: Non displicet hæc enodatio, neque historico sensu indigna apparet; quemadmodum, neque alia, quam tradit Hieronymus ad versum 1.c.1.Ecclesiastis, & habet Alcuini Commentarius: *Sicut enim Prouerbia* (inquit) *quasi rudis institutio ad duodecim tribus, & ad totum pertinens Israël, & quomodo contemptus mundi, non nisi metropolitis conuenit, hoc est habitatoribus Hierusalem: ita Canticum Canticorum ad eos propriè facit mentionem, qui tantùm superna desiderant:* Igitur, quoniam in Parabolis ea tradebatur doctrina, quæ pertineret tam ad vrbanos, & oppidis habitantes, quàm ruri dispersos; ideò totius Prouinciæ incolas eius complectitur inscriptio; quia autem Concionator de aula, & voluptatibus dissertat multa ex parte, oportebat sermonem dirigere ad proximos aulæ, & Regum deliciis, quales erant Metropolis ciues: sed quòd Epithalamij ob perpetuum, spissúmque hieroglophycum tanta obscuritas esset, quam, excepto eius conditore, alius non penetraret integrè, etiam de Regum numero, qui vetustis temporibus ob sapientiæ laudem ad Reipublicæ gubernaculum vocabantur; ideò ante Hymenæi ingressum neque Monarchatus, nec subditorum memoria aliqua; & ob similem causam cùm in Concionibus, & Parœmiis se filium Dauid nominasset, id est, non tantùm natiuitate sobolem, sed etiam doctrina; (nam filius in arcano idiomate nonnunquam pro discente sumitur, quo pacto intelligunt aliqui, cùm dicuntur in Regum voluminibus filij Prophetarum, hoc est, discipuli, & ex schola prophetica) innuit Prouerbiorum, & Ecclesiastæ tam simplicem esse stylum, vt si ea opera cum lucubrationibus Dauidicis comparentur, discipuli partus videatur Salomonis labor, cùm Magistri gloria dignæ essent Dauidis Odæ: Verùm, cùm ad Epithalamium peruentum est, iam fastiditur discipuli nomen, cùm quæ apud Dauidem abstructissima sunt, eius Codicis vincant nebulæ: igitur in Cantico Canticorum non discipulus alicuius Salomon, sed cunctorum Præceptor.

Cantici Canticorũ nobilitas ab inscriptione illius. Hieron. Alcuin.

Regula: Filius pro discipulo ex vsu Scripturæ.

71. Ostendit aliam viam (nec enim impigrè sequitur) Pineda ad verba illa capitis primi Ecclesiastis, *Regis Hierusalem*, &c. num. 59. Vtpote Salomon Prouerbia in iuuentute composuit cùm pleno imperio frueretur, & dominatum exerceret in vniuersas tribus, neque esset distinctio Iudæ adhuc per discussionem, & Israël; proinde omnes ordines complexus inscriptioni affixit se Regem esse Israël: at verò Ecclesiasten composuit, postquàm accepit nuncium de imperio diuidendo, Reg.3.cap.11.vers.13. fuit nanque pœnitentia illius, quæ subsequuta est prolatam à Deo sententiam de Monarchiæ imminutione: Igitur regni discerptionem quasi iam præsentem ob prædictionis certitudinem habens, Ecclesiastem ad eos, qui cum posteris eius permansuri erant, nempe Metropolis habitatores, direxit: Sic ille non inuenustè: sed quibus nec ex parte obtemperare in superioribus præiacta fundamenta vetant; docuimus enim haudquaquam ab adolescente Salomone elaboratas fuisse parabolas, verùm post exactos quadraginta, & eò ampliùs annos aliquos: monstrauimus pariter, neque lamentum Salomonis existimandum Ecclesiastem: sed

Ex libris Salomonis quãdo quisque compositus? Pineda.

3.Reg 11.

sed tamen ita meditari valeamus : equidem notum est Salomonem vectigalia imposuisse populis, quæ modum excederent, propterea eo defuncto ad Roboamum successorem eius Israëlitæ, *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis*, Reg. 3. cap. 12. vers. 4. Cùm igitur nimiam tributorum molem ferre non valerent, fortasse etiamnum viuente Salomone, tam oppidani, quàm agricolationibus dediti, turbas ciere, & coniurationem intentare cœperant; quorum vt sedaret mentes Rex, exhortationes, & monita dedit seorsim; Alia ad dispersos per omnem Iudæam variis in locis, qui nomine Israëlis intelliguntur, vocauitque Parabolas, quoniam eiusmodi sermonum vsus fuisset apud promiscuam turbam; nam, vti adnotat Hieron. lib. 3. in Matthæum, ad illud c. 18. *Ideò assimilatum est regnum*, &c. *Familiare est Syris, & maximè Palæstinis ad omnem sermonem suum Parabolas iungere: vt quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem, exempláque teneatur*; Alia ad politiorem multitudinem, quæ ante ora Imperatoris quotidie principe in vrbe versabatur: vocat autem se vtrobique Dauidis filium, vt saltem optimi parentis fidissimæ memoriæ concederent, ne ab eo translatos fasces contemnerent; ne tantum iniuriæ, libertatis, qua fruebantur, vindici facerent, vt ab eius familia regiam maiestatem abducerent.

An per seditionis occasionem compositi paræmiæ, & Ecclesiastes. 3. Reg. 12.

Regula: Palestinorum vsus ad omnem sermonẽ Parabolas addere. Hieron.

72. *Tributa nũ ante lapsum exegerit Salomon?*

At in hoc discursu illud arduum est: quoniam à nobis præmonstratum hos editos à Salomone codices quo tempore sanctus & moderatus Princeps erat: imò quis non hoc sentiat? neque enim inter libidines mansit cum eo prophetia, & quæ tam enthea promeret facundiæ spiritalis vis potens atque cœlestis: vectigalium autem vltra mensuram excessus tum quidem, postquàm Deo, & religioni terga vertit, quæ est iudicatio Abulensis quæst. 3. in cap. 12. lib. 3. Regum, & Sanctij in idem caput, num. 3. Pinedæ libro octauo de rebus Salomonis, cap. vlt. Saliani tom. 3. anno mundi 3052. num. 1. non igitur ad sopiendos tumultus ob tributorum nimia pondera Salomon, aut Prouerbia, aut Ecclesiastem composuit: verùm Glossæ vulgaris Auctor, & Nicolaüs in alia sunt opinione, vt hæc onera illa fuerint, de quibus Reg. 3. cap. 4. vers. 7. *Habebat autem Salomon duodecim Præfectos super omnem Israël, qui præbebant annonam Regi, & domui eius; per singulos enim menses in anno, singuli necessaria ministrabant*; Apponam Lyrensis verba ad vers. 4. cap. 12. libri tertij Regum, quoniam clariora: *Pater tuus durissimum*, &c. *Hoc videtur esse contra illud, quod suprà dictum est: de filiis autem Israël non constituit Salomon seruire quenquam 9. capite. Ad quod dicendum, quòd verum est in operibus vtilibus: tamen ministrabant expensas Salomoni singulis mensibus per duodecim Præfectos super populum positos, & hoc reputabat populus iugum graue; quia expensæ Salomonis erant valdè magnæ.* Puto autem, vt hæc vera sit Nicolaï sententia: non tamen accidisse, vt initio regnatus Salomonici rebellionis imaginem aliquam meditàti subditi fuerint: nam tunc cùm thesauros omnes in ædificanda Deo Basilica profunderet excellens Monarcha, iustum erat, populos regiæ mensæ necessaria subministrare; verùm, cùm perfectis operibus diuinæ suæque domus, postquàm ex Ophirina, Tharsicáque regionibus classes infinitam auri, argentíque vim attulissent; cùm adhuc auari ministri, insscio Monarcha, non desinerent populo graues esse, & de pristinis oneribus nihil relaxarent; commota est plebs, & in furorem versa; Salomon re explorata, vt quam excitauerat scintillam discordiarum ministrorum insatiata cupiditas, extingueret antequàm incendium parturiret, habuit ad conuocatos grauissimas exhortationes; hæc autem sic distributa, cùm inciderent in vnum, alterúmve annum post absoluta omnia ædificia ad vigesimumsextum, aut septimum dominatus Salomonici; contigerunt itidem, & quando ille probus, religiosúsque Monarcha; & quando in superioribus à nobis asseueratum est, ab eo concinnata eius quæ habemus volumina.

Abulens. Pined. Salian.

Glossa. Nicolaüs. 3. Reg. 4.

73. *An inter decem tribus & Iudam inueterata odia ante diuisionem?* Agathius. Hortulan.

Dicamus & ex Hebræorum traditione nonnihil; eius meminêre Agathius Guiddacerius ad exordium in Cantica explanationis: Cosmas Damianus Hortulanus initio Isagogæ in eadem Cantica: Dicunt hi, nomine Israëlis intelligendas decem tribus; nomine Hierusalem alias duas, Iudam, & Benjamin; & hoc non malè postquàm discissio facta est: Aiunt itaque, inter decem tribus, & duas significatas, inueteratas iratum causas, & odia extitisse antiqua, siue ob gloriæ inuidentiam, seu ob receptas iniurias, siue ob alios fines; Salomonem igitur de fide Benjamin, & Iudæ erga se securum, conatum quibus posset blanditiis, & adulationibus conciliare gratiam, & beneuolam mentem cæterarum tribuum: quare sub initio regni habuisse eos, qui in Prouerbiorum codice leguntur sermones, atque vt benè mereretur de tribus decem, nuncupasse se tantùm Regem Israël eo temporis; progrediente autem regnorum ordine, cùm vndique vallatus esset, & neque ab externis, neque à domesticis hostile quidpiam metueret, tum larua abiecta ostendisse, cui factioni potiùs adhæreret, & habita concione in metropolitana vrbe, omisso Israële, nuncupatione Regis Hierusalem se potissimùm gloriari insinuasse: in Epithalamio autem, quoniam *Salomonis, & Pacifici* vocabulum non terrenum aliquem Monarcham indicabat; sed eum, in cuius semore scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium; propterea omisisse ibi quicquid humanam redoleret pompam, nudo Samolonis adscripto nomine; equidem considerata Iudæorum natura prona ad liuorem, & æmulationem, cùm alicui potiora deferebantur (nam & Iosepho etiam germani ob hoc inuidebant, Genesis cap. 37. Genes. 37. scilicet, eò quòd à patre plùs cunctis filiis amaretur,) crediderim potuisse reliquas tribus odium aduersùs Iudam concipere (excipio Benjamiticam saltem posterioribus temporibus cum qua arctum vinculum, adeò vt vna eademque tribus nonnunquam censeretur cùm Iuda) nam multis præferebatur tribus Iudæ cæteris tribubus, de quibus videri possit Tostatus quæst. 28. in cap. 18. libri primi Regum, & quæst. 19. in caput 21. libri primi Paralipomenon, atque in 2. libri cap. vndecimum, quæst. 1. Verùm, displicet multùm in hac opinione, quòd propter ciuilia tribuum odia defectionem ab Imperatoris obedientia insinuat; quorsum enim Monarcha luat pro domestica atque priuata subditorum inter se ira? Si ipse vexasset, si tyrannus, si inexorabilis, hoc quidem: at non solet priuatus liuor imperio ruinam, atque exitium parere: Omitto & nostras non pati cogitationes, quòd aut in adolescentia composuerit Salomon Prouerbia, aut Pacifici

Iudæ tribus cæteris prælata: eius cum Benjamitica vinculum. Tostat.

nomen mysticè solùm interpretandum sit in Cantico Canticorum.

74. *Ciuiles familiarum discordiæ Reipublicæ exitiosæ. Sabell.*

Sed quidem, in Republica contingere aliquando, vt nobilissimæ familiæ odiis distrahantur acerbissimis cum incredibili prouinciarum dispendio, qualis fuit illa nobilissima factio vtrinque Guelphorum, & Gibellinorum, de qua libet mutuare pauca aliqua verba ex Sabellico, tom. 2. Ænead. 9. libro sexto: *Erat per id tempus* (inquit) *Federicus Imperator Pisis, qui, cùm non satis exploratum haberet, qui homines suis fauerent partibus, omnes Italiæ ciuitates velut in duas diuisit factiones, vt qui Pontificij fauerent, Guelphi nuncuparentur; qui Imperatoris partibus, Gibellini, nomina ad Italiæ exitium reperta: quanquam & alias geminæ illæ partes attigerint; apud Pistorienses in Hetruria primùm res orta est; Enimuerò cùm Cancellarij Pynzaticos ex ea vrbe deiecissent, factum est, vt duo germani sanguinis fratres, quorum hic Guelphi nomen ferret; ille verò Gibel, in diuersas factiones suum fauorem inclinarent, noménque vterque suum dederit his, vnde stetit partibus, Pynzati Gibellini dicti, diuersæ factionis Guelphi: inuasit id malum velut ex proximo Florentinorum ciuitatem, vnde sunt confestim nobiles electi, quia Gibellinarum essent partium, contrà Guelphi à Senensibus, & Aretinis extorres facti; sepsit inde latius pestis, breuique vniuersam corripuit Italiam: hinc bella non tantùm inter ciues orta; sed inter propinquos & fratres.* Ita Pius II. Si igitur inter Israëliticas tribus huiusmodi monstrum aliquod exortum, cùm Monarchia Salomonis ab alta pace commendationem summam accepisset, putauit gloriosissimum sibi futurum, si & inueterata odia extingueret, & amicitias inter tribus faceret. Cùm igitur occasione dedicationis templi magnifici à se constructi confluxissent ex omni Iudæa gentes infinitæ, cùm videret compunctos ob noui templi religionem populos, occasionem ratus optimam deponendi antiquas iras, habuit ad decem tribus sermones Prouerbiorum libro contentos: ad Iudam, quæ Ecclesiastes hortatoria includit; Ac sanè in hunc modum adaptata Hebræorum sententia verisimilitudinis aliquem colorem habere quispiam opinabitur.

Guelphorũ, & Gibellinorum factio.

75. *Salomon ob Iudæorũ gratiã prælegebat in Scholis.*

Dicamus, & quod nostrum concepit ingenium. Puto igitur, cùm Salomon post absolutas ædificiorum fabricas, Scholas Hierosolymis aperuerit, in quibus antecessoris ipse purpura fulgens munere non dedignatus fungi; quemadmodum indicauimus huius Isagogæ Sectione 1. n. 20. tum auditoribus prælectos ab eo, quos habemus illius libros, Prouerbia, Concionatorem, & Hymenæum; Conuolabant autem in Lyceum & de Ethnicis plurimi: nam veniebant à finibus terrarum ad audiendam sapientiam eius; ne autem Hebræi existimarent in gratiam Paganorum docendi munus ab eo assumptum, & ob hoc, aut mœrore, aut inuidia læderentur, nuncupat se Regem Israël in Parabolis, Hierosolymæ in Ecclesiaste, velut innuens, ob horum commodum & vtile Academiam instituisse, hos apud se in pretio & honore esse discipulos solùm; iis satis beatum futurum etiamsi exterorum nemo gymnasij limina tereret; quare, vti Seruator quondam Matth. cap. 15. vers. 24. Syrophœnissæ respondit, *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël*; id est, ad Hebræos tantùm, quasi ex instituto & principaliter destinatus, vti declarat Abulensis

Matth. 15.

Abul.

variis modis quæst. 70. in nominatum Euangelistæ caput: ita & nunc Salomon, verba se facere, & prælegere in Scholis ob amorem in Israëlitas, & Metropolitanos, hos sibi charos auditores, ex occasione solùm, & Gentilibus propinare doctrinarum latices; enodare, quæ proponant ænigmata; soluere quæstiones; Sed animaduertendum est, sub nuncupatione Israëlis omnes tribus comprehendi, omnémque statum Iudaïci populi; quoniam, sicut per omnem vitam Salomonis nullum extitit schisma, & diuisio inter tribus; ita opus non fuit, vt nomen Israëlis ad partem illarum solùm restringeretur; Igitur Prouerbiorum liber vniuerso dicatus est regno, & comprehendit æquè intra Sionis muros viuentes, atque positos extra, & diffusos per omnem Palæstinam; non sic autem liber Ecclesiastis; nam fuit consecratus tantùm habitatoribus Hierusalem: at hinc oboritur statim cupido sciendi, quamobrem Salomon non contentus Metropolitas cum reliqua subditorum multitudine confudisse, dum Parabolas inchoaret, voluit posteà distinctè & separatim nuncupare aliquid Solymitanis, sic vt duplici honore affecerit; altero, cùm in parœmiarum limine sub regni generali vocabulo comprehendit: altero, cùm in Ecclesiaste à reliquis secreuit?

Sub Israëlis vocabulo omnes tribus comprehensæ.

76. *Salomonis erga Hierosolymitanos singularis amor. Primogenitis duplex portio dabatur.* Deut. 21.

At sanè, quòd Salomon duplicia in Hierosolymitanos contulerit, fecit primùm eò quòd esset ciuitas quasi primogenita, & caput inter omnes alias vrbes, & adaptauit legem primogenitorum, quibus debebatur vltra fratres secunda portio, vti constat ex Deut. cap. 21. vers. 17. *Sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his, quæ habuerit; cuncta duplicia; iste est enim principium liberorum eius*; Et propterea Iacob de Rubene, Genes. cap. 49. vers. 3. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea; prior in donis, maior in imperio.* Qua de materia sæpè Tostatus, nimirum, ad Geneseos cap. 13. quæst. 9. in Leuitici cap. 21. quæst. 19. & præcipuè in cap. 11. lib. 3. Regum, quæst. 34. fiebat & hoc ipsum aliquando ob dulcioris affectus incentiuum: ita Ioseph in conuiuio maiori parte chariorem ex fratribus Benjaminum donauit Genesis cap. 43. vers. 34. erat verò incomparabiliter Salomoni iucundior, chariórque Hierosolymorum ciuitas, quàm alia aliqua totius imperij; propterea quasi nihil præter eam possederit, dum gloriæ suæ & maiestatis causas enumerat, Ecclesiastæ cap. 1. vers. 13. *Ego* (ait) *Ecclesiastes fui Rex in Hierusalem*; nónne & in Palæstina, & à mari vsque ad mare etiam dominabatur? Sed vna Hierusalem diligenti instat reliquorum omnium; Fuit & alia singularis ratio: nam Hierosolymam pertinuisse ore pleno, & absolutè, vt dici consueuit, ad tribum Iuda, docuimus Anteloquio 5. Sect. 7. num. 138. Porrò huic tribui concessum ob eius præstantiam, vt in numeratione Hebraïcarum tribuum, seorsim ipsa propter honorem poneretur, & non confunderetur cum multis; percipe à Tostato ad cap. 21. lib. 1. Paralipomenon quæst. 19. *Dicendum est, quòd tribus Iuda pars erat populi Israël: cœpit tamen per se computari tanquam alius Israël, & hoc fuit propter duo: primò, propter multitudinem; secundò, propter dignitatem*; Quæ pergit deinde probare Abulensis; Iure igitur Salomon distinxit Hierusalem, id est, Iudæ sortem, & possessionem à reliquis tribubus, & dicauit ei separatim librum.

Gen. 49.

Tostat.

Gen. 43.

Eccles. 1.

Tribus Iudæ seorsim numerabatur ob excellentiam eius.

Abul.

Quòd

77. Quòd autem in Cantico Canticorum, neque Israëlis, neque Solymorum meminit; ideò est, vel quia Epithalamij integra materia est Ecclesia Catholica, vt docuimus Præludio 3. Sectione 3. Subsectione 1. ac proinde cùm Synagogæ acta non pertractet, superuacaneum erat aut Israëlem, aut Solymos nominasse: vel quoniam Ecclesiastis, & Prouerbiorum scopus fuit docere populum: at in Canticis singulariter instruebatur Salomon, ipse, & quasi in tabula depictam contemplabatur omnem vitam suam, & quid in posterum fugere debuisset, ostendebatur: monstrauimus nos istud in superioribus Anteloquio 1. Sectione 8. numero 63. Quales igitur personæ, quarum in gratiam scribuntur libri; tales siue præfatiuncula, seu titulus reuelare solet: cùm ergo ad omnem populum Prouerbia dirigantur, omnes indicat sub Israëlis vocabulo: quia autem Ecclesiastes spectat ad Metropolitas, hos eius initium aperit: quia verò in Hymenæo instruebatur peculiariter Monarcha, prætermissa Israëlis & Hierosolymorum recordatione, Salomon nudus, incomitatus profertur; Sed cur non saltem in Cantico *filium Dauid* se appellauit vti in aliis duobus codicibus? Nimirum, sacri Scriptores, vt firmat Ribera præludio 4. in Prophetas minores, vel patrum, à quibus geniti sunt vocabula referunt, aut subticent; & vtrunque ob splendorem & gloriam: nempe, si producunt, vt facit Isaïas vaticinationis limine; commendati ob hoc librum volunt, & cuius artifex etiam à maioribus famam habeat, quorum non degener ipse filius; si occultant, velut Daniel agit, & hoc quoque magnum encomium est, quoniam tam notus sit Propheta, qui maiorum recensione non egeat ad famæ præconia; Salomon itaque primis duobus ingenij partubus patris, nimirum, Dauidis affixit verbum, ad conciliandam scriptis auctoritatem, & pondus, vt vidimus in anterioribus ex Basilio, & Olympiodoro: sed cùm per vulgationem horum librorum iam suis cognitus esset, & volitaret in omnium ore de eo grandior æstimatio, omisit in tertia lucubratione Canticorum tanquam non necessarium aliquo pacto: neque displicet annotatum aliàs, cùm in Parabolis, & Concionibus filium Dauidis se vocat, innuere conatum se legere parentis vestigia in eorum compositione tractatuum, assequutum solùm imperfectam imitationem, vt si discipulus comparetur Magistro: in Cantico autem Canticorum longè supergressum Dauidis penicillum, proinde ibi à sermonibus abstinere, quæ genitore inferiorem significare valeant, cùm nihil genitor dulcissimo plectro modulatus sit, quod ad laudem tanti carminis accederet; de quo huius Prolusionis Sectione 3. nos disputauimus ex deliberato.

Ribera. *Prophetæ, cur exordio vaticinationū, Maiorū aut nomina referant, aut fiiant.*

78. Aliæ afferuntur explicationes; nimirum, quoniam Canticorum liber perfectorum statum repræsentat; quare ibi nihil de regio terrore, aut maiestate, nihil de imperij virga quæ ad coërcendum portatur; quoniam sponte, & absque coactione ad leuissimum Prælati nutum, qui verè spiritales sunt, obsecundant: quod innuere visus Hieronymus ad versum 1. cap. 1. Ecclesiastæ; *Ad perfectos verò, vbi non timore eruditur discipulus, sed amore filius, proprium nomen sufficit, & æqualis Magister est, & nescit se esse Regem*; Ita planè euenit in loco sancto; boni subditi cum Pastore conuersantur non velut cum domino, & metuendo; sed quasi cum amico familiari, atque intimo; Quibusdam placet, nobilissimos amoris actus in hoc describi carmine, & eum, qui dilectionis summus gradus est; quoniam verò si amor purissimus est, & ad syncerum pertingens, amicorum omnia communia sunt, & fastiditur quidquid aut maiestatem, aut seueritatem redolet, propterea suppressis titulis, quæ aut maiorem nobilitatem, aut officij rationem innuant, tantùm Salomon pronunciatur; scilicet, priuata omninò persona, & nihil supra dilectum gerens; istud fortasse Origenes ad finem Prologi quatuor Homiliarum; *At adhuc, quod in Cantico Canticorum, vbi iam perfectio ostenditur, neque filius Dauid, neque Rex scribitur, potest etiam hoc dici: quia, cum factus fuerit seruus, sicut dominus, & discipulus, sicut Magister, videtur iam neque seruus esse seruus, factus videlicet sicut dominus, neque discipulus esse discipulus, quippe qui sicut Magister factus est; sed fuisse quidem aliquando discipulus; nunc verò esse sicut Magister, & fuisse quidem seruus aliquando, nunc verò esse sicut dominus*; Ex quibus Origenis verbis, & illud colligi potest, quod nuperrimè dicebamus in calce præcedentis numeri, scilicet qui in aliis duobus operibus se profitebatur Dauidis filium, id est, discipulum, in hoc Cantico euasisse parem Magistro, aut etiamnum eo superiorem, ac proinde omisisse vocabula ad Ecclesiastæ, & Prouerbiorum initium præfixa; sed traditas duas cogitationes; nempe, quòd amor & suauitas omnia regant, & virga atque terror dispellantur, quódque præceptor supra discentes non efferatur, quidam ad Euangelium referunt, in quo iubentur discipuli Seruatoris absque virga iter capescere, & datur monitum, vt cui ministratur, sit quasi is, qui ministrat; rectè autem ista per hoc exprimi Canticum, eò quòd euangelica tempora in eo repræsententur, & Christum plenè respiciat relicta Synagogæ memoria aliis voluminibus: sunt, quibus arridet in Cantico Canticorum religiosæ vitæ ideam proponi; certè Hieronymus dicto iam in Ecclesiasten loco; *Ad extremum* (ait) *iam consummatum virum, & calcato sæculo præparatum in Cantico Canticorum sponsi iungit amplexibus*; Propter hoc igitur arbitrantur ad ingressum eius Poëmatis, neque regnorum, neque populi, neque sancti genitoris Dauidis fieri mentionem; quoniam eum decet qui sæculo valedixit, omni pompæ, omnibúsque voluptatibus renunciasse, & neque aut cognatorum, aut parentum meminisse, vt qui iam soli Deo seruiat, & ob eius amorem vniuersa lætus deseruerit: itaque quidquid carnem & sanguinem sapiat, quantocyùs exuere debeat; vnde Origenes nominato iam proœmio; *Competenter ergo in hoc libello, qui de amore sponsi & sponsæ erat scribendus, etiam pro hoc neque filius Dauid, neque Rex, neque aliud horum, quod ad corporeum pertinere possit intellectum, scribitur; vt meritò de eo perfecta iam sponsa dicat; quia, etsi aliquando cognouimus Christum secundùm carnem, sed nunc iam non nouimus: ne quis putet, eam corporeum aliquid amare, aut in carne positum, & macula aliqua amori eius credatur induci: propterea Canticum Canticorum Salomonis tantummodo est, & neque filio Dauid, neque Regi Israël, neque aliqua in his prorsus miscetur carnalis neminis intelligentia.*

Viri perfecti spiritales ob terrorem non mouentur.

Hieron.

Orig.

Amor maiestatis inæqualitatem excludit.

Hieron. Orig. *Religiosus omnē carnis, & sanguinis memoriam exuere debet.*

Verùm huius generis explanationes nos magni non fecimus, quoniam mysticæ sunt, & tropologicæ 79.

pologicæ inuentionis: inuestigabamus enim, quæ secundùm historiam indicaret inscriptionum varietas in Salomonis voluminibus; Quare & cum ethicis his considerationibus arbitramur connectendum, quod ab aliquibus tentatum; quamobrem hoc loco in principio Adagiorum, & Ecclesiasticæ Regem se nominat Salomon; Matthæus autem cap. 1. in Seruatoris genealogia regiam ei dare auctoritatem respuerit? Nimirum ipse cùm Parabolas conderet, & Concionalia, sanctus erat, temperans, religiosus Princeps; quare & Monarchæ titulo dignissimus: is enim demum verus Rex, atque Monarcha, non qui auro, & purpura resplendet, & fertur per medios populos sublimis in curribus, & equis, cuiúsque nutui Prouinciæ obediunt; sed, qui sciat iram frænare, luxuriam coërcere, passiones omnes moderare: eiusdem normæ, & quod aduertunt, Regem se dicere initio concionis, Pastores monens, vt & ipsi non infrequenter, verba habeant ad creditum gregem, neque vniuersos sermones committant vicariis, alienísque labiis, quæ sæpè palpant, & perfunctoriè agunt; nimirum, ad quos non attinet cura; imprimuntur altiùs, quæ ab animarum vigili dicuntur, cuius sunt oues; Verùm, ethologiarum satis fuerint ista: neque enim hæc genuina sedes, quando litteram sedulò inuestigare tota mens est.

Rex solus, qui virtutem colit.

Episcopi ipsi per se, debent verba habere ad gregem suum.

SECTIO VIII.

An liber Canticorum respondeat nominibus Ididæ, *atque* Pacifici, *quibus Salomon vocatus est? Num Auctor libri sapientiæ?*

80. VIdeo celebrasse multùm antiquos interpretes, quòd Salomon trinomius fuerit, & iuxta vocabulorum numerum libros quoque ediderit tres; Audiamus Hieronymum vetustissimum huius pronunciati Fabrum, ad versum primum Ecclesiastæ; *Tribus nominibus vocatum fuisse Salomonem Scriptura manifestissimè docent: Pacificum, id est, Salomonem: Idida, hoc est, dilectum Domini: & quod nunc dicitur, Koëleth, id est, Ecclesiasten, quem nos nuncupare possumus Concionatorem:* Sequuti sunt, quin aliud adderent, Salonius Viennensis Episcopus ad initium mysticæ expositionis in Ecclesiasten; Alcuinus in eundem librum, qui integras clausulas transcripsit; Theodulphus Aurelianensis Pontifex, cuius distichon;

Protinus Ididæ residet tres ordine libri,
Cui nomen Salomon, cuique Koëleth inest.

Strabus Glossæ ordinariæ Auctor præfatione in Cantica; Hugo de sancto Victore homil. 1. in Ecclesiasten; Honorius Augustodunensis in Prouerbia; Abulensis volumine in Genesim, commentario in epistolam Hieronymi ad Paulinum, cap. 7. quæstione 16. Iacobus de Valentia præfatione in Cantica; Atque id sanè tantùm referunt nomina, quibus intitulatus fuerit Salomon, adiungúntque, vt fuit appellatio triplex, ita fuisse triplicem ingenij fœtum; sed quibus quæque conueniant, nimirum, cui libro adaptetur hoc, aut illud nomen, omiserunt declarare.

Salomonis tria famosiora nomina. Hieron. Salon. Alcuin. Theodul. Strab. Hug Vict. Honor. August. Abul. Valentia.

At hunc laborem alii suppleuerunt: verùm non fuit eadem cunctorum sententia; nam Prologus expositionis in Cantica Anselmi, siue Cantuariensis, seu Laudunensis; *Dicitur* (ait) *Salomon secundùm hos tres libros, quos fecit, tria habuisse vocabula; secundùm Parabolas vocatur Idida, id est, dilectus; Ecclesiastes nomen est libri, & Auctoris, & interpretatur Concionator; secundùm hunc librum* (nempe, Canticorum, quem declarabat) *dicitur Salomon, id est, Pacificus.* Diuo autem Thomæ ad scripta Commentatio proœmio in Cantica; *Salomon* (ait) *secundùm quod Glossa tangit, fuit trinomius, & secundùm numerum nominum tres edidit libros; dictus enim fuit Salomon, id est, Pacificus secundùm quòd edidit librum Prouerbiorum: Idida, id est, dilectus, secundùm quod edidit librum Canticorum: Ecclesiastes, id est, Concionator, secundùm quod edidit librum Ecclesiasten;* Itaque in Ecclesiastis vocabulo consentientes, differunt in reliquis Anselmus, & Sanctus Thomas: nam, quod vnus accommodat Prouerbiorum Codici, hoc alter Canticorum libro, Angelico Doctori adhærent Hugo Cardinalis, & Carthusianus Richelius, vterque Prolusione in Parabolas Salomonis: Sed antequàm ad horum examen veniamus, adnotandum, omnes loqui de Salomonis, quæ nunc extant monumentis; nam alia concepisse multa, quæ exciderint, caput 4. libri 3. Regum manifestè innuit; docebitque & quas ob causas posteris denegatum ea videre Abulensis Commentario in prologum Scripturæ ex Hieronymi ad Paulinum epistola, cap. 7. quæst. 13. ad finem, & ad cap. 4. lib. 3. Reg. quæst. 8.

81. Anselm. S. Thom. Hug. Card. Carthus. Abul. 3. Reg. 4.

82. Iam prima emergit difficultas, an constans id sit quod asseueratur à nominatis Doctoribus; nimirum, Salomonem tribus solùm præditum vocabulis? At verò & octo appellatum modis no ster commonstrat Pineda libro 1. de rebus Salomonis, cap. 10. iterúmque ad versum 1. cap. 1. Ecclesiastæ § 5. numero 27. si autem octo fuerunt nomina, quamobrem dicitur secundùm tria speciatim tres composuisse libros? Et dicet fortasse aliquis, eas de quibus facta est memoratio voces solas, propria nomina fuisse; reliquas appellatiua tantùm; ac iuxta digniora nomina editos à Rege tractatus; Id quidem de vocibus Ididæ, & Salomonis concedit Salianus tom. 3. anno mundi 300. num. 6. cætera, quæ tribuuntur Salomoni nomina, appellatiua esse, nec tam conuenientia personis, quàm significationes rerum personis conuenientium; quin & nomen Ididæ, quod à Nathan Propheta impositum fuerat, Reg. 2. c. 12. non fuisse proprium, insinuare visus Abulensis, quæstione 27. in dictum nunc ex Regibus locum; *Sciendum autem,* (asserit,) *quòd Nathan non venit propriè ad ponendum nomen Salomoni; sed ad reuelandum aliquid futurum de eo, scilicet, quòd Deus diligeret eum, & ad hoc imposuit ei nomen: quia tamen istud non fuit impositum directè, vt nomen suum esset: non vocatus fuit postea Ididah, id est, amabilis Domino: sed Salomon;* At fuerint nomina illa seu propria siue vulgata & appellatiua, id fixum est maximè nota fuisse, & inter omnia Salomonis vocabula, celebratissima, vel quidem ob imponentium variam differentiam: nam mater *Salomonis* nomen imposuit, Nathan Propheta *Ididæ*, Salomon ipse *Ecclesiastis*, vti animaduertit scitè Iacobus de Valentia præfatione in Cantica: quod igitur Patres significare voluerunt

An tria sola nomina Salomoni? Pineda. Salian. *Quæ, Salomonis nomina propria, quæ appellatiua?* 2. Reg 12. Abul. *Salomoni, quinam indiderunt nomina?* Valent.

runt id est; Salomonem nimirum secundùm potissima nomina sua, tres egregios composuisse codices; & sicut inter appellationes illa excelluerunt, sic inter ingenij partus isti.

83. Secunda dubitatio est, quamobrem affirment, tria volumina composuisse? nónne etiam & codicem fabricauit, cui titulus Sapientia? Ego sanè reor, & prædictos & omnes ad vnum antiquos, qui in Salomonem scripserunt, in ea fuisse opinione, vt arbitrarentur de his, quæ extant sapientialibus, vt vocant, tria solum peperisse Salomonis mentem, nempe Prouerbia, Ecclesiastem, & Canticum Canticorum; nihil enim tam frequens apud eos, quàm asseuerare, Salomonem tribus Operibus complexum Ethicam scilicet, in Prouerbiis; Physicam in Ecclesiaste; Theoriam in Canticis; itidem in Parabolis efformari incipientes; in Concionatore proficientes: in Hymenæo perfectorum depingi mores; denique in parœmiis Salomonem nominari, in exhortationibus Koëleth, in nuptiali Musa Ididam: at verò quid in Prouerbiis, aut Ecclesiastica, quod non resplendeat quoque in Sapientia? Nónne ibi pulcherrimæ gnomæ, quibus omne genus hominum vitam & studia componere valeat? Nónne quæ ad proficientium, inchoantiúmque deseruiant institutionem? Nónne, quæ aut in *Ididam*, aut *Pacificum* quadrent? Cur igitur eo de volumine profundissima obliuio, vt neque de nominibus Salomonis, ei aliquod adscripserint; neque Ethicam, aut naturalem scientiam complecti asserant, neque iuuare, aut nouitios spiritus, aut conualescentes? His autem cùm associentur multi, qui expressè denegant Salomoni, quos enumerat Pineda præfatione in Ecclesiastem, cap. 2. num. 20. cuius placiti ex vetustioribus fuerint Hugo Cardinalis, Abulensis in Prologum galeatum, quæstione 15. de nuperis Driedo lib. 1. de Catalogo Scripturarum, capite 3. parte 2. Canus lib. 2. de locis, cap. 11. in solutione quinti argumenti: Pamelius annotationibus ad librum Cypriani de mortalitate, numero 43. Michaël de Medina lib. 6. de recta in Deum fide, cap. 12. Iansenius Proœmio in Prouerbia; Couarruuias lib. 4. variarum, cap. 14. vulgatam appellans sententiam; Curiel controuersia 8. in librum Sapientiæ conclusione 1. Pineda ipsemet allegato loco, & anteà in præfatione ad Salomonem præuium; Lorinus proœmio in Sapientiam, cap. 2. Bonfrerius præloquiis in Scripturam, cap. 7. sectione 3. mirum est, quod arripuerit œstrum Consaluum Zeruantes, quæst. 1. Isagogæ in Sapientiam, assertione 4. vt quasi acris vindex, & zelator antiquæ doctrinæ, seriò protestaretur, se non audere absque formidine temeritatis errori proximæ in oppositam sententiam inclinare: nollem quisquam opinaretur de iis hominibus esse: qui cùm tumultuaria diligentia coaceruauerint hinc inde raptata aliquot Patrum dicta, & confusa eruditione paginas in præiudicium rudis Lectoris oppleuerint: quiescere non possunt, nisi censoriam sibi potestatem assumpserint; sed rident, atque contemnunt docti imperita eorum vocabula; An non animaduertere oportebat, hoc esse, quod tam præstantes viri inficiantur, nimirum Ecclesiæ Magistros asserere à Salomone esse compositum codicem? Verùm, inquies, crebrò citant cum nomine Salomonis? Sed, quinam hi? Nunquid maior pars? Esto ita sit: altera tamen pars, quamuis minor fortasse meliori suffulcitur robore; quiv t careat, sequitur solùm probabiliorem eam esse sententiam, pro qua & firmior ratio, & grandior numerus stat: At ne his quidem gaudere licet: nam tot ferè de Patribus etiam Iesum Sirach, eiúsque Ecclesiastici versus sub titulo allegant Salomonis: & tamen idemmet Auctor, §. *Appendices autem est*, &c. dicit ita exponendos Patres, vt innuerint Siracidem imitari vbique ferè Salomonis stylum, quin & ex illo transcripsisse aliqua: Quorsum non de Sapientiæ Auctore eadem asseruisse liceat:

84. Verùm, fuerit ita vt Salomon tribus solùm nominibus insignitus iuxta vocabulorum multitudinem tria quoque volumina publicauerit, adhuc nominum ad codices adaptatio impropria videatur: siue enim ei adhæreamus sententiæ, quæ *Salomonis* vocem Prouerbiis adscribit: siue, quæ *Ididæ*, hoc est adamati à Numine, vtrunque illegitimè accommodatum, certè secundùm ab iisdem Doctoribus præiacta fundamenta; nam hoc solenne ipsis est, vt in Parabolis dicant effingi paruulum, & qui recèns à malorum voragine extractus sit, qui purgatiuæ vitæ tristibus lamentis incumbat, & totus sit in horrore, atque metu diuinorum iudiciorum; sed huiusmodi nondum pacem acquisierunt, quæ non inuenitur nisi post longam cum malignitate concertationem, post edomitas egregia cum victoria passiones, neque amant nisi formidolosè, qui in via sancti timoris adhuc versantur, & si quando mens ad altiora consurgit, atque sopiuntur motus rebelles, exigua est mora illa: Disce ab Augustino de se nuperè conuerso lib. 7. Confessionum, cap. 17. affirmante: *Et mirabar* (ait) *quòd iam te amabam, & insistebam frui Deo meo; sed rapiebar à decore tuo, móxque diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in ista cum gemitu, & pondus hoc consuetudo carnalis*: Et infrà: *Aciem figere non valui, & repercussa infirmitate redditus solitis, non mecum ferebam nisi amantem memoriam, & quasi olfacta desiderantem, quæ comedere nondum possem*? Operæpretium quoque est & referre, quæ Bernard. scripserit sermone 10. in Cant. *Est vnguentum contritionis, & est vnguentum deuotionis, & est vnguentum pietatis; primum pungitiuum, dolorem faciens: secundum temperatiuum, dolorem leniens: tertium sanatiuum, etiam morbum expellens; Nunc de singulis latiùs disseramus. Est ergo vnguentum, quod sibi conficit anima multis irretita criminibus, sicùm incipit cogitare vias suas, colligat, conferat, conterátque in mortariolo multas, ac varias species peccatorum suorum, & intra æstuantis pectoris ollam simul omnia coquat igne quodam pœnitentiæ & doloris: ecce hoc est vnum vnguentum, quo anima peccatrix suæ conuersionis primordia condire debet, plagísque suis recentibus adhibere*; Deinde prosequitur ostendere, non esse nouitiæ mentis gustare quàm suauis sit Dominus, nisi ad modicum atque rarenter, *Quoniam non potest* (ait) *videre lucem, donec tenebras intuetur; nempe, in amaritudine est, occupátque memoriam tristis recordatio peccatorum; nec libet lætum quippiam simul admittere*? Huiusmodi igitur cùm sint exercitamenta animæ illius, quæ à Parœmiaste instruitur, in qua neque pax, neque amoris iucundissimæ deliciæ, fit sanè, vt eiusmodi codici neque *Salomonis*, hoc est, *Pacifici*; neque *Ididæ*, id est, singulariter dilecti

Sapientia liber num Salomonis pars?

Hugo. Abul. Driedo.

Canus. Pamel.

Medina. Iansenius. Couarr.

Curiel. Pineda.

Lorin. Bonfrer.

Cõsalui Zeruantes censura de libri Sapiẽtiæ Auctore, reprehensa.

Ecclesiasticus Siracidis Opus.

Pacifici vocabulum non quadrat in volumẽ Prouerbiorum, neque Ididæ.

Augustin.

Pax anima non acquiritur, nisi post longam mortificationem.

Bernard.

inſcriptio cum proprietate aliqua adaptari valeat.

87. *Salomonis, & dilecti vocabula conueniunt libro Canticorum.* Bernard.

E diuerſo autem vtrunque epitheton Canticorum tractatui mirificè quadrat; nam de Salomonis voce Bernard. ſerm. 1. in Cantica; *Titulus talis eſt: Incipiunt Cantica Canticorum Salomonis; Obſerua in primis Pacifici nomen, quod eſt Salomon, conuenire principio libri, qui incipit à ſigno pacis, id eſt, ab oſculo; ſimúlque aduerte, huiuſcemodi principijs ſolas ad hanc intelligendam Scripturam mentes inuitari pacificas; quæ ſeſe iam à vitiorum vindicare perturbationibus, & curarum tumultibus præualent*; Atque de hoc argumento, nimirum, eſſe debere animum, in quo caro & ſanguis dominatum non habent quoad ex humana fragilitate accidere poſſit, nos multa in præteritis Anteloquio 7. Sectione 5. Porrò, quod ad *Idida* nomen, quod amorem ſpirat, attinet, ſatis illà confirmant, quibus oſtendimus huius Proluſionis Sectione 1. num. 7. vocari ſpeciali nomine Epithalamium iſtud à Patribus *Canticum Amoris*; quoniam eius ſcopus ſit de charitate differere; Iam & ratio manifeſta eſt: nam, vt Doctores eccleſiaſtici perhibent, Canticorum volumen ad contemplatiuam vitam ſpectat; *Ad extremum* (inquit Hieronymus ad initium Eccleſiaſtis) *iam conſummatum virum, & calcato ſæculo præparatum, in Cantico Canticorum ſponſi iungit amplexibus*; Et Caſſianus collatione 3. cap. 6. *Canticum Canticorum, in quo mens viſibilia cuncta tranſcendens, verbo iam Dei cœleſtium rerum contemplatione coniungitur*; At verò contemplatio ſecum duo affert; nempe, pacem ex ſubiugatis paſſionibus, & continuam, feruidámque animi ad Numen anhelantis dilectionem; nam cùm certè vehementia paſſionum ſpeculationi impedimento ſit, vt perhibet S. Thom. 2. 2. quæſtione 180. art. 2. oportet has ſopiri, & in modum redigi; Vnde Bernard. ſermone 52. in Cantica: *Moriatur anima mea morte etiam, ſi dici poteſt, Angelorum, vt præſentium memoria excedens, rerum ſe inferiorum, corporearúmque non modò cupiditatibus; ſed & ſimilitudinibus exuat, itque ei pura cum illis conuerſatio, cum quibus eſt puritatis ſimilitudo; talis, vt opinor, exceſſus aut tantùm, aut maximè contemplatio dicitur*; In tantum verò contemplantium proprium eſt amare, vt ecſtaſim pariat: atque, vt loquitur Dionyſius libro de diuinis nominibus, c. 4. *Amatores ſui iuris eſſe non ſinat: ſed in ea, quæ amant, penitùs transfert: idcircò & Paulus ille Magnus, cùm diuino amore flagraret, exceſſiuæ illius virtutis particeps factus: Viuo, inquit, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus, tanquam verus amator mentis exceſſum patiens*: Legendus Richardus de ſancto Victore tractatu de quatuor gradibus violentæ charitatis: reperiet ſic à ſtabris altiſſimæ contemplationis accendi fornacem animæ, *Vt quicquid agat, quicquid ſibi fiat, deſiderium ardentis animæ non ſatiet: ſitit, & bibit: bibendo tamen ſitim ſuam non extinguit, ſed quò amplius bibit, eò amplius & ſitit: hic eſt ille gradus, qui defectum adducit, qui de remedio iam deſperare facit: & ſic deſperatus æger, qui quaſi præmortuis membris iacet, vltimum iam ſpiritum tradit: & quid circa ſe agatur, vel quid ſibi fiat, nec attendit, nec aduertit: in hoc gradu verum eſt illud fortis, vt mors dilectio*, &c. Vides igitur, à Cantico Canticorum ob materiam in qua verſatur pertractandam, expleri perfectè nomina Ididæ, atque Salomonis.

Canticorum finis vita contemplatiua. Hieron.

Caſſian.

Contemplationi neceſſaria pax animi, & dilectio. S. Thom. Bernard.

Contemplatio vt ecſtaſim pariat, & amantem transferat in amatum. Areop.

Rich. Vict.

Quare affirmamus quidem, inſpectis quibuſcunque ſynceris conſtructionibus nominum Salomonis, hoc eſt, *Pacifici*, vt interpretatur Hieron. epiſt. ad Marcellam & ſanè Pacificum vocandum clarè expreſſum 1. Paral. cap. 28. verſ. 9. atque Ididæ, ſeu ex norma Hebræorum ידידיה *Iedidjah*, ſcilicet, amabilis Deo, ſeu dilecti, vt omnes explanant; conuenire eiuſcemodi dictiones plenè, abundanter, legitimè Canticorum Hymenæo: Prouerbiorum ſimilitudinibus diminutè ſolùm, atque anguſtè; Nam quidem ei conuenit nomen, aut ſplendidè, aut imperfectè, cui vocis ſignificatio, aut coarctè, aut cum amplitudine quadrat: At, quod iſtæ voces denotant ad librum Parabolarum cum violentia detorquentur: ſponte ſua & natiua inclinatione in Canticum Canticorum incidunt, quemadmodum duobus proximè elapſis numeris oſtenſum eſt: igitur eiuſmodi nomina ſimpliciter & abſolutè volumini Canticorum adaptanda, Prouerbiis cum addito ſolùm: huiuſmodi additum eſſe poſſit comparatione nominis, *Ididah*, id eſt, amabilis Domino, ſi intelligamus Numinis dilectionem ferri in animam ratione gratiæ iuſtificantis, vt ſubindicat Toſtat. ad c. 11. lib. 2. Reg. q. 26. nam, quamuis Prouerbiorum liber de vitæ purgatiuæ ſtudioſis ſolùm tractet; at hi iam ſarcinam peccatorum abiecerunt, & ſancti ſunt, quamuis in ſanctitate adhuc puſilli, & teneri: ſed quidem *amabilis* dictionem donorum affluentiam, & dulcem quandam, atque recreantem familiaritatem ſubolere eidem viſum Abulenſi, & optimis quibuſque Intrepretibus magis placuit: talis verò amicorum prouectorum conſueuit eſſe, non inchoantium; Suſtinere etiam fortaſſe illud poſſit, de quo monet noſter Salazar. ad verſ. 1. cap. 1. Prouerb. num. 53. *amabilem* vocari, quòd in Parabolis, capite præſertim 4. matris indulgentior erga eum affectus præmonſtretur: Sed notaſſe oporteat *Idida* explicari *amabilem* Domino, quod fuit à Nathan impoſitum vocabulum recèns edito Reg. 2. cap. 12. verſ. 25. quin & cauſa, ob quam ita fuerit appellatus, ſubditur continuò: *Eò quòd diligeret eum Dominus*: Non igitur ad rem pertinet, quòd à matre ſuauiùs adamatus, quoniam *Idida* non is eſt, qui à genitrice diligitur: ſed quem Dominus amat: Atque hoc quidem in fauorem vocis *Ididæ*: Cæterùm, qui alterum nomen *Salomonis*, hoc eſt, *Pacifici*, Prouerbiorum adagiis adaptare cupiat: fatebitur quidem ab iis de quibus liber tractat, nempe noua militia ſpiritali, non eſſe adeptam eam pacem, quæ in paſſionum edomatione conſiſtit, qua animus velut ad antiquam Paradiſi felicitatem reuocatus in malacia quadam beata eſt: nihilominùs illud eſt initium pacis, ſiue quia prima gratia tum infuſa: ſeu quoniam tum primùm ſtabilem benè, inculpatéque viuendi telam orditur: Poſſit autem prima illa pax ſimpliciter, & abſolutè pax vocari: quemadmodum in Matthæi genealogia, cùm multi recenſeantur, qui purpuram & coronam induerint, ſolus tamen Dauid Rex nuncupatur, quia primus Rex fuit, cui perpetuitatis in imperio facta eſt fixa pollicitatio, & euentibus maior: ita quidem vtcunque Salomonis, & Ididæ vocabula conuenerint Prouerbiorum libro: at germana adaptatio ea eſt, quæ Canticorum volumini maritat.

88. *Salomon pacificum, Idida amabilem ſonant.* Hieron. 1. Paral. 28.

Idida, hoc eſt, amabilis nomen, quid propriè ſignificet?

Abul.

Prou. 1. Salazar.

1. Reg. 12.

Dauid cur ſolus Rex nuncupatus in genealogia Seruatoris.

SECT. IX.

SECTIO IX.

Hebræa, & Græca translatio tituli Canticorum explanata, & eius cum vulgato Interprete conciliatio. Stilus Canticorum an Dramaticus? De quo Salomone tanquam sponso agatur?

89. *Salomon in dandi casu, cur Canticorum inscriptione positus?* Sotom.

SAlomonis nomen, quod in Epithalamij inscriptione Latinus Interpres genitiuo expressit, qui Hebræis, & Græcis fontibus tenaciùs adhærent in datiuum vertêre: expendunt satis Ludouicus de Sotomaior primis verbis Præfatorum: Gislerius ad titulum Canticorum, numero. 9. eáque est & Vatabli, & Sanctis translatio, quódque ampliorem reuerentiam parit, ita septuaginta legunt Seniores etiam correcti, ᾆσμα, ᾀσμάτων, ὁ ἐστὶ τῷ Σολομῶν, id est, *Canticum Canticorum, quod est Salomoni*; eundem Gisler. esse vtrobique sensum benè aduertit Gislerius quòd Hebræis in more sit datiuum pro genitiuo apponere; id quod optimè aduertit Genebr. Genebrardus ad initium Psalmi tertij; *Nempe*, inquit, *datiui casus lamed quidem apud Hebræos cum nominibus propriis, & in possessionibus indicat genitiuum casum*; Vbi notat Septuaginta semper Dauidis nomen in titulis Psalmorum gignendi casu locare; certè & iidem masculino articulo pro feminino nonnunquam vtuntur, vt probat Ribera in Oseæ cap. 10. num. 14. & Imperatiuum loco futuri substituunt temporis, vt demonstrat ibidem numero 36. Quidni & vnum pro altero casum transuertant? Atque in præsentem quod vnicè facit scopum, vtuntur, vice primæ aut secundæ personæ non rarò tertia; Idem subministrat exempla Sophoniæ cap. 2. num. 47. Neque inuenustum est de Psalmo 131. versu 1. *Memento, Domine, Dauid, & omnis mansuetudinis eius*; de se loquutus Vates quasi tertia fuisset persona: In eundem igitur modum Hebræi, & Septuaginta *Canticum Salomoni* tanquam alteri à sapientissimo Monarcha distinctæ personæ, & ab eo tertiæ, cùm ipse tamen sit: nisi placeat honoris gratia perpetratum, & variatum titulum aliter quàm Auctor in egregiam tamen eius commendationem; sic enim & ferebat vsus idiomatis apud Iudæos, vt honoris & cultus gratia datiuo vterentur pro genitiuis; declarat allegatus Ribera in cap. 6. Amos num. 5. quibus sanè constat eundem esse omnium translationum scopum.

Genebr. Ribera. *Regula: Articulus masculinus pro feminino.* *Regula: Tertia persona pro secunda, aut prima.* Psalm. 131. *Regulæ: Datiuus pro genitiuo, honoris causa.* Ribera.

90. *Versiones, quæ æstimãdæ & proficuæ.* Tena. Agathius. *Salomon, nomen appellatiuum in Cantico Cãticorum.*

Præbeamus tamen non solùm in verbis differentiam, sed etiam in significatis; quia tamen post delatum potissimum locum vulgato quoties huic non contrariantur aliæ versiones, aut rationi, vel fidei, ipsæ quoque æstimandæ sunt, de quo Tena libro 1. Isagogæ sacræ Scripturæ, difficultate 6. sectione 3. estque eruditorum omnium placitum; singulariter verò sacra Septuaginta Seniorum translatio in pretio habenda; Age, experiamur aliquos conuenientes sensus eruere ex datiuo illo, Ac sanè Agathius Guidacerius ad exordium Commentariorum in hunc codicem ex Hebræorum doctrina profert, Salomonis vocabulum neque in titulo, neque in corpore voluminis indicare Hierosolymorum Regem, filium Dauidis; quare appellatiuum, non proprium nomen, videlicet ex communibus multis, quæ habuerit Messias; dictus nanque est ab Isaia cap. 9. vers. 6. *Princeps pacis*; hoc & ipsum quoque Canticum Canticorum *Salomoni* inscriptum, id est, *Pacifico*, videlicet Messiæ, qui *Princeps pacis* dicendus erat; At certè hanc Rabbinorum traditionem, qui Messiam sub vocabulo Salomonis intelligebant, non illibenter sequutos fuisse optimos etiam Catholicos, affirmat Genebrardus ad principium explanationis in Cantica, & nimbus testium à nobis productus Anteloquio 1. Sect. 1. atque 10. quoniam Messiæ inscribebatur excellens metrum; ideircò Salomonis in datiuo nomen; Verùm non sic ista concipienda, vt sensus sit, dicatam tantùm Messiæ fuisse musam nuptialem, velut si Augusto, aut Tiberio Imperatoribus diceretur Æneis Maroniana (nam sic præter nuncupationem, cætera codicis in aliud dirigi poterant;) at sensum esse de Messiæ gestis vniuersam tractationem; itaque idem est, *Canticum Salomoni*; ac Canticum de Salomone, hoc est, de eo agens: quemadmodum cùm Psalmodus accinit Oda 44. *Dico ego opera mei Regi*; Hebræi, recensente Genebrardo, exponunt, id est, *Dico opera de Rege*; & illud Psalmi tertij, in vers. 2. *Multi dicunt animæ meæ, Non est salus illi in Deo eius*, Iansenius in annotationibus Hebraïssimum esse pronunciat, cùm scribi oporteret: *Dicunt de anima mea*: Equidem & nos libenter amplexamur expositionem, quæ adstruit, de Messiæ immortali laude, & gestis integrè compositum Epithalamium, modò eius opinionis non sit finis alium ablegasse sensum de humano connubio sponsorum honestissimorum: deosculanda vtraque interpretatio, & litteralis atque iuxta Historiam æstimanda, vt docuimus 1. Isagoga, Sect. 5. sed inter duas, nobilissima, & plurimùm excedens illa, quæ de Messia est expositio.

Isaiæ 9. Genebr. *Regulæ: Datiuus pro ablatiuo cũ propositione.* Genebr. Psal. 44. Psal. 3. Iansen.

91. *Poëta & Auctor nihil loquitur in Cantico Cãticorum.* Seruius. *Tria apud Poëtas dicendi genera.*

Si autem à Messia transire libeat ad alium sponsum, qui humanus atque terrestris est: tum quidem Poëtæ animus fuerit significasse, consumptum omne carmen in nubentis encomio, Auctorem Metrorum nihil in tota fabula sibi vindicare: & obseruandum quidem est, in Prouerbiis, & Ecclesiaste Salomonem aliorum nomine sæpè loqui: sanè in Parœmiis multùm, itidémque frequenter: sed ita alios introducit sermocinantes, vt ipse pariter in scenam multoties prodeat, & suas referat cogitationes: in Cantico autem Canticorum ne verbum aliquod Artifex Poëmatis, sed totum loquuntur, aut sponsus, aut sponsa, vel istius amicæ, illius sodales: Rectè igitur in titulo *Salomonem*, non vtique scriptorem, sed maritum nouæ nuptæ in datiuo posuit, quasi innuens, quicquid esset in Hymenæo, hoc rapere sponsum, & parentem Epithalamij nihil profari: non quòd sponsus solus omnia loquatur, sed illi tribuit velut nobiliori sacri lusus materiæ: Seruius ad tertiam Virgilianam Eclogam tria dicendi obseruauit apud Vates genera, δραματικὸν, ἐξηγητικὸν, μίκτον, in quibus exegeticum omnia ad Poëtam transfert, vt sit vnus ipse qui loquatur: dramaticum omnem confabulationem relinquit personis, quæ aut veræ, aut effictæ: mixtum, aliquando Poëtam, aliquando alias personas differentes exhibet:

Monſtrauimus autem 1. Diſceptatione, Sectione 5. numero 30. Patres vocare Epithalamium Salomonis vſitato nomine drama: quando igitur ex dramatis norma ſit, totum concedere perſonis, quæ in theatrum exeunt; id in hoc verſu, qui dramaticus eſt, religiosè obſeruari decebat: quod vt ſignificet inſcriptio fuiſſe peractum, Salomonem in datiuo vſurpauit; innuens, alterum à Poëta eſſe, qui vniuerſa dicat, atque proloquatur.

92. *Cantici Canticorum ſtylus, an exegeticus an dramaticus?*

Hæc autem conſtare non poſſe dixeris; ideò, quòd is, qui Carminis huius artifex eſt, idem ſit & ſponſus: nam ſponſus proculdubio Salomon eſt, quem autem nouimus alium Salomonem, excepto Dauidis filio? Cùm igitur de Salomone omnis penè ſit ſermo, & ille metrum compoſuerit, neceſſe eſt adſtruamus Poëtam crebrò loqui, atque propterea exegeticum potiùs, quàm dramaticum eſſe verſus modum; Reſpondeo à nobis ſatis probatum Anteloquio 1. Sect. 10. imò toto ferè deinceps volumine Salomonem quidem eſſe ſponſum nuptiarum; ſed alius hic Salomon longè diuerſus à Dauidis ſobole ob cauſas ſuis exhibitas locis; Certè Nyſſenus hom. 1. in Cantica; *Num me putas* (ait) *dicere Salomonem, qui natus eſt ex Berſabee, qui in monte obtulit mille bones, qui Sidoniæ mulieris conſilio vſus eſt ad peccatum*? Atque Hebræorum Magiſtri quibus vſus omnia ſecundùm litteræ ſuperficiem intellexiſſe, & transferre ad Salomonis, Dauidis, & aliorum Regum acta in Chriſti inuidiam, vt de eo pronunciaſſe nihil Vates appareat; tamen in hoc connubiali metro Pacifici, ſeu Salomonis vocabulum, non ad eum, qui in Hieroſolymis regnauerit; ſed ad Meſſiam retulêre; Verum quidem eſt ex noſtro iudicio, qui propter ſpiritalem de Chriſto intelligentiam, aliam aſſeueramus, qua humanum matrimonium depingitur; intromitti fortaſſe aliquando ſermonem (quanquam non omninò neceſſarium ſit iſtud) de Salomone Dauide prognato, qui & diuitiarum & ſapientiæ gloria, omnibus excelluit, vti cap. 2. cùm & lectica, & pompæ deſtinatum ferculum exprimuntur; & cap. 6. quando enumerantur Principis vxores ſexaginta Reginæ, & octoginta concubinæ, & iuuencularum abſque lege & numero multitudo; capite etiam octauo, verſ. 13. cùm vineæ comparantur vtriuſque Salomonis; ſed, quia hæc fiunt obiter ſolùm ex compendio; non quia gerat perſonam interloquutorum; verùm ſimilitudinis gratia tantùm; quo pacto & adducitur in medium Carmelus, & Galaad, & Libanus, & Hieroſolyma, & caſtrorum acies ordinata; ideò dramatis naturam non perturbant quæ de Salomone metri Architecto narrantur; præſertim cùm ſic introductus Salomon verbum nullum loquatur, quod potiſſimùm requirebatur: & vt loqueretur ſanè, tamen ſermones funderet, non quoniam Poëta; ſed, quia Rex, & Monarcha: dramati autem tantùm officit, vt quiſquam propterea verba ingerat, quia Poëta, & Auctor ſit ipſius dramatis.

Nyſſen.

De Rege Salomone aliqua in Canticorum volumine.

93. Contendes, apud Eccleſiæ Patres non alium reperiri Salomonem, qui Chriſti extiterit figura, quem ipſi paſſim celebrent, & in ore ferant ad omnem penè dictionem, quàm Dauide ſatum; quòd ſi quidem & extitiſſet, præſertim qualem nos effigiamus in hoc Epithalamio, regia auguſtum potentia, iuuentæ pulchritudine rara, opibus florentem, robore ſtrenuum, pacis clarum artibus, eloquio ſuauem, animi conſpicuum ornamentis, denique qualem nominat Hymenæographus, totum deſiderabilem, electum ex millibus; cur ni hunc tot admirandum dotibus inter præcipuas Chriſti imagines retulerint? quæ immemoriæ cauſa apud homines planè lynceos, in Scripturis verſatiſſimos, vt qui dies, noctéſque in Dei meditanda lege conſumpſerint? Ab hoc nodo facilè liberabunt nos multi huius codicis clariſſimi Interpretes, quorum iudicia tranſcripſimus Prolegomeno 1. Sect. 5. nam abſque tergiuerſatione aliqua adſtruunt veteres Canticorum Explanatores, litteralem & hiſtoricum omiſiſſe ſenſum: ſiue quòd æſtimarent non eſſe hiſtoricè explicandum; ſeu quòd eum reiecerint laborem, quaſi ſpiritui inſipidum, & ad myſticam intelligentiam conuolarint, quo animos reficerent: ſeu ex Numinis ſecreta quadam prouidentia, quæ, vti poſterioribus iſtis ſæculis reſeruauit tractus terrarum immenſos, qua latè patet America, & apud Eoum Solem regna ampliſſima cognoſcenda à nobis, quæ auorum induſtriam latuerant, cùm tamen fidei diſtendendæ ſtudioſiſſimi eſſent; ita reſeruaſſe, quæ in Scripturis arcana detegerent, grauia etiam illa, & multiplici ſylua impedita; quòd ſi quidem antiquos latuit hiſtoricus Epithalamij ſenſus, & ignorarunt, qualis fuiſſet ſponſus ſecundùm literam, quod illi genus? quæ officia? qualis nomenclatura? non eſt, quòd ſtuporem generet talia neſcientibus, vt ſponſum in Chriſti melioribus typis non numerauerint; Hanc ego temperaui opinionem allegato nuper Anteloquio: non enim patienter audire potui literalem intelligentiam omninò neglectam à Patribus; ſed cùm duplicem ſenſum cogitarem vtrunque hiſtoricum: dixi tamen alterum merè hiſtoricum eſſe, quia humana ſolùm tractat, nimirum agit de nubentium forma, ætate, blanditiis, ſodalibus, omni nuptiali apparatu, neque ad celſiora aſcendit: alterum verò litteralem quoque ſed de myſticis participantem; quia ea, de quibus agit, cuncta ſpiritalia, & diuiniora ſunt: ſcilicet, repræſentat Chriſtum, & ſponſum eius Eccleſiam Catholicam cum omnibus memorandis euentibus à Seruatoris morte vſque ad Comitia generalia, in quibus filij Adæ reddituri ſunt rationem, prout benè, aut malè geſſerunt in corpore, dum ſuper terram viuerent: Ex his aſſerebam, poſtremum hunc Patres aſſequutos; ſed, cùm prior ille ſit, qui ad typos efformandos idoneus eſt, (fundatur enim ſupra merè hiſtoricum optimè typus) cùm in eo non fuiſſent verſati Deo ita diſponente; propterea ſecundùm hiſtoriam vnum ſolùm cognouerunt Salomonem, eum, de quibus Regnorum codices: atque in hunc effuſi omnes, vt qui frequentiſſimè occurreret, in quo multa obiiciebantur conſideranda, quæ in Meſſiam ferrent; de eo tantùm loquuti ſunt, eum celebrauêre ſecundo quoque verbo.

Cur Patres de ſponſo Canticorum humano non meminerint?

Quam primùm verò tempus adfuit, vt à Spiritu Scripturarum conditore recentiora ingenia excitarentur, quæ inueſtigarent ſenſum eum, qui merè hiſtoricus eſt; tam citò ab eis inchoatum ſeparare vnum ab altero Salomonem, & diſtinguere à Poëta & Artifice huius carminis ſponſum, de quo agit Hymenæus; Horum catalogum exhibuimus Anteloquio 1. Sectione 7. n. 52. Neque ex veteribus omnes penitùs latuit, quemadmodum eodem loco demonſtrauimus:

94. *Salomonis nomen exordio Prouerbiorum quare poſitum?*

Puto

Prouerb. 1.

Puto & aliqualem huiusce materiæ probationem desumi posse ab inscriptione Prouerbiorum; *Parabolæ* (inquit) *Salomonis, filij Dauid*, v. 1. cap. 1. Vt quid necesse erat, filium Dauidis se nominare? Anne vt significet, & genitorem quoque vaticinationis dono claruisse? sic enim fert Hebraïca traditio, cùm pater, aut auus recensentur exordio Prophetiæ, aut in librorum titulis, indicari & ipsos à Deo illuminatos futura prænunciasse; sed reiectant quasi commentum, eò quòd nulla sint pronunciati fulcra, Ribera Præludio 4. in Prophetas minores, num. 1. Pineda ad vers. 1. cap. 1. Ecclesiastæ, num. 40. Cornelius ad vers. 1. cap. 1. Isaïæ, Gabriel Aluarez tom. 1. in Isaïam, in Vita eius, num. 2. Arbitror meliora esse, quæ insinuat Ribera vbi iam iam, num. 7. adiungere parentum nomina vaticinantes, velut cognomenti loco; sanè vt distinguantur ab aliis, quibuscum appellatio communis; Ita Machabæorum lib. 1. cap. 1. vers. 1. appellatur Alexander Philippi; siue, vt ex Græco transferunt aliqui, Alexander Philippi filius, vt distingueretur ab aliis ducibus, qui & Alexandri vocabulo insigniti fuerant; Sic igitur Salomon vestibulo Parabolarum Dauidis prolem se nuncupat, vt esset, quo discriminaretur ab aliis Dynastis, qui & *Pacifici* dicti, & in primis ab huius Epithalamij sponso, cuius cùm esset celeberrima ob multas causas fama; oportebat, ne eius atque supremi Monarchæ nomina, cùm vterque Salomon diceretur, confunderentur.

Regula: cùm pater, vel auus refertur initio Prophetiæ signum ipsos fuisse Prophetas, an vera? Ribera. Pineda. Cornel. Aluarez.

Regula: Loco cognomenti Patrum nomina ponũtur. 1. Mach. 1.

95. *Salomoni dicatum à Spiritu sancto Canticum Canticorum.*

Etsi tamen Salomon qui scripsit volumen, is non sit, de quo tractat Epithalamium, cuiusque thoros celebrat; tamen huic dicatum fuisse librum concipere valeamus, ac proinde eius positum in dante casu nomen; Canticum igitur Canticorum Salomoni, subaudi, consecratum; Verùm à quonam? Ab ipsóne Salomone? At, quis sibi etiam in scripturientibus ille est tam audax, qui lucubrationes dicet? Anne omnium Rector Deus, qui hac velut missa paræneſi salutat principalis Scriptor instrumentum suum, calamum suum, secundum atque minorem Scriptorem? Proh! quanta dignatio? De hoc egimus iam semel, atque iterum; Cum retrouerti incepisset Salomon, & Dei, qui ad fastigium opum, voluptatis, gloriæ sublimauit, obliuiſci; mouisse eum Numen ad hoc pangendum Epithalamium, in quo tanquam in limpidissimo speculo intueri possit, quid recepisset beneficiorum; ad quantam fuisset pompam euectus; quid optare, quid sperare, quid timere deberet: Ob hoc itaque Salomoni dicatus Hymenæus, ne cùm eum repentina occupasset calamitas, & desperatus malorum aceruus, saltem obtendere posset se non fuisse admonitum; At cùm omnes penè mortales ab hoc Cantico eruditi possent, scilicet ne quando benefacientis Dei memoriam deponant, quamobrem Salomoni speciatim dicatus est liber? Sanè dici in primis valeat, idem esse, quod Salomoni nuncupetur volumen, ac si ad vniuersos dirigatur; quemadmodum Apocalypsis cap. 1. quanuis missa à Ioanne epistola solas Asianas Ecclesias exprimat, cùm dicat vers. 4. *Ioannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia; gratia vobis, & pax*, &c. tamen sub illa Ecclesiarum velut specie, aut parte contineri mundi cunctas Ecclesias affirmant ex veteribus multi apud Viegas Commentario 1. in cap. 1. Apocalypsis, sect. 5. Ribera autem num. 16. atque Pererius disput. 6. in cap. 1. num. 23. existimant, quanuis ex occasione scriptæ quouis modo epistolæ, doceri possent omnes Christianæ Ecclesiæ; tamen ex mittentis scopo, animóque singulariter directam ad Asiæ Ecclesias; eò quòd aut fundasset, aut curam illarum gessisset Euangelista; pari modo, quanuis à Cantico Canticorum omnes instrui valeant, & secundùm hunc titulum ad vniuersos spectet; tamen peculiariter dicatum Salomoni, vel quoniam Auctor eius extiterit, vel quia supra reliquos mortales donis locupletatus, aut quòd in eum potiùs quadrarent sub hoc ænigmate latentes ethologiæ.

Regula: Nomen specificũ pro generico. Apoc. 1.

Viegas. Ribera. Pererius.

Illud denique adnotandum, quanuis rectè illi faciant, qui septuaginta Interpretes sequuti, Salomonis nomen inflectunt, & ex Latinorum vsu datiuum efferentes, *Salomoni*, legunt, & significatio perpetuò datiuum sapiat, iuxta quam transtulêre Biblium Complutense, & Regium; tamen eadem Biblia cum Vaticano codice, nomen absque inflexione ostendere: neque enim scribunt, τῷ Σολομῶνι, vel Σολομῶντι, sed Σολομών. Et Latina septuaginta Seniorum editio ex imperio Sixti V. *Canticum Canticorum, quod est Salomon*; Quo more etiam Pagninus, atque Vatablus: At, cur non inflectunt hoc in loco, frangúntque Septuaginta, cùm alibi non infrequenter agant? Vincentius Ricchardus Notis ad Commentarium Matthæi Cantacuzeni in Cantica, ad vers. 1. cap. 1. opinatur, quoties non inflectitur nomen *Salomonis*, aut *Pacifici*, vocabulum non esse referendum ad Dauidis filium, sed ad Christum; Sed cùm nihil speciosum afferat, quo probet, credere non possumus; ostendat significatum per Salomon inflexum non conuenire Salomoni, humano solùm Regi: fiet, vt nec vox quadret eidem: quoad litteram nihil mysterij: nam, quoniam dictio vtrunque suffert, nimirum, vt absque orationis næuo, & cum inflexione, & sine illa pronuntiari valeat, scribíque: ideò modò inflexum legitur, modò absque inflexione: poterit tamen deseruire tropologiæ: nempe, vt ij, quibus hoc canitur Epithalamium, qui sunt fideles animæ, cogitent, debere se fortitudinem induere, & neque vel ad blanditias, vel ad territamenta vlla inflecti, vt ab incepta probitatis semita declinent.

96. *Salomonis nomen cur Græca editio non inflectat Canticorum titulo?* Septuag. Cõplutense. Regium.

Pagnin. Vatabl. Vinc. Ricc.

A virtutis tramite nullatenus declinandum.

ANTELOQVIVM X.

Tituli, & inscriptionis Canticorum moralis sensus declaratus.

BREVEM esse titulum Canticorum, & non vltra tria verba monuimus, cùm historicam explanationem aggressi sumus: sed multis tumentem mysteriis: & coacti sumus vela dissertationis expandere: Quòd si tanta vbertas eius, qui strictior est sensus, & diffundi non soleat, litteræ nempe: quid arbitramur de tropologia, quæ laxior est, & facilè excrescit? Vniuersa persequi impossibile fuerit: seligemus aptiora: auspicemur à Deipara.

SECTIO I.

Virgineis legionibus, quæ prima fuerit Ductrix?

1. NON fuit Salomon primus, qui cecinit carmen; ante illum Moyses ad Erythrea vada, & posteà oloris instar suauissimè cùm ascenderet in montem Nebo, vt moreretur; ante illum Debbora, & Anna Samuëlis mater; Sed, licèt illi priùs Canticum aliquod; hic tamen primus, quia Canticum Canticorum modulatus est; & ideò primus absolutè in Canticis pangendis, Princépsque canentium omnium: meruit superbum titulum felicior Musa supra omnem antiquam Poëtarum venam; Cui symbolum accommodabimus? Nec difficile hoc tamen; Vidésne cultores virginitatis ante MARIAM, Iosuë, Eliam, Elisæum, Danielem, Præcursorem Domini? Et tamen illa sola Virgo Virginum: quia etsi alij virginitatem dilexerunt anteà; sed nemo talem, qualem ista, scilicet cum voto perpetuùm duraturo; Sic igitur respondent sibi, & Canticorum Canticum, & Virgo Virginum, gloriosum vtrunque nomen: illud de potissimis Salomonis encomiis; hoc de singularibus MARIÆ laudibus; Inspiciamus, olfaciamus; nam flores sunt, flores certè vbicunque virginitas; Sed, quoniam de primis floribus tam gratiosam coronam Reginæ nostræ vertici, est qui demere tentet; armemur in defensionem; nunc flotidè; erit, cùm neruosè ipsa suggerente: & quò eniteat magis Sectionis argumentum, subdiuidamus illam in membra aliqua pauca tom. 2. Vestigatione 20. explanatione Mystica, Sect. 2.

Nemo ante MARIAM, *votum perpetuæ virginitatis emisit.*

§. I.

MARIA *castitatis perpetuæ vexillum extulit.*

2. LEgo quidem, nec stupere desino Abraham Patriarcharum Verticem, vxoris subdi imperiis, Genes. cap. 21. vers. 12. *Omnia quæcunque dixerit tibi Sara, audi vocem eius*; Ampliſſima mandati lex est, quæ præcipienti nullos circumscribit terminos; Quid si veterano iam homini, & post innumeras peregrinationes lasso rursum noua imponat exilia Sara, & ad terrarum vltimas nationes mittat? Quid, si domestica mancipiorum indigna & abiecta ministeria præcipiat summæ auctoritatis viro? Quid, si probare tentet, & audeat insinuare, vt aduersùs dilectissimum non appareat genitor? Erit, vt obtemperet sine exceptione, & vniuersa perficiat? Quidni? nam in omnibus vt audiat vocem illius, iussio est Creatoris: Sed nónne maritus familiæ, atque mulieris caput, & gentium vsu, & Pauli instructione priori ad Corinthios cap. 11. vers. 3. Quænam est ergo hæc rerum inuersio & histeron proteron, vt Sara dominetur? Scilicet, Abrahamus iam propè centenarius est, delirat senex venerandus, domui regendæ non est: At, nónne etiam Sara nonagenta annos superans? Citiùs in femina, quàm in viro marcescit & corporis, & mentis vigor; sed tamen ideò prælata est sponso, quoniam nonagenaria; hoc autem qua acciderit forma docebit nos Auctor de mirabilibus sacræ Scripturæ, lib. 1. c. 22. *Sara sterilis vxor filium Isaac nomine iam nonagenaria peperit; sed hoc valdè conueniebat, vt quoniam filius, quem parturiebat, ipsam figuram Christi, qui ex sola Virgine sine aliqua humanæ voluptatis cupiditate nasceretur, pertulit; illum non ætate, qua solent feminæ parere, id est, à duodecimo anno vsque ad quadragesimumnonum annum; sed contra illius consuetudinis metas parturiret: vt, scilicet, ille infans non solum vltra quinquagesimum annum desinente scilicet partus officio, sed etiam nonagesimo anno nasceretur, desinente voluptatis desiderio*; Itaque Isaacum, non multò antequàm eius nutibus subiiceretur Abrahamus enixa fuerat Sara, quemadmodum ex memorato Geneseos loco colligitur; filius autem in lucem editus vti Christi typum sustinuit, quoniam eo maternæ vitæ curriculo in auras prodiit, quo natura partubus finem posuerat, imò & voluptati ipsi, Veneríque tintigini; sic genitrix Virginis immaculatæ imaginem portauit, quando & ipsa in pariendo aduersùs naturam dimicauit, delicias coniugiorum non experta; Erat quoque

Gen. 21.

1. Cor. 11.

Auct. demirab. sac. Scr.

quoque & Abrahamus ob pares cauſas virginitatis repræſentatio: nam genuerat, qua ætate in viris deficit poteſtas, & putà Ioſephi vmbram tuliſſe, qui & ipſe caſtiſſimus; ergo, cùm ad eos peruenisſent annos vterque coniux, vt in virginum quaſi tranſirent claſſem, potiora fuerunt Saræ referenda: quia, etſi vmbratilis tantùm eſſet virginitas; ſed in his vmbris referebat Virginum Caput & Ductricem MARIAM Sara; Hæc itaque ratio, quamobrem ſub extremis potiſſimùm temporibus Sara præeſſe cœperat, quoniam in Virginum contubernia tum tranſlati; in hoc autem contubernio feminæ, id eſt, MARIÆ principatus adſcribendus ſit, quod ipſa viam colendæ perpetuæ virginitatis præmonſtrauerit; Fauet Hieronymi exquiſito interpretamento epiſtola 140. ad Principium; *Defecerunt Saræ muliebria, & ideò Abraham ei ſubycitur, & dicitur ad eum; Omnia, quæ dicit tibi Sara, audi vocem eius: Sexus deuoratur à Virgine; Chriſtum portat in corpore*; Venuſtè illud, *Sexus deuoratur à Virgine*; Vt propterea quaſi deglutitam à Sara mariti dominationem intelligeremus; quoniam ex quo muliebria defecerant, in Virginem id eſt in MARIAM transformata eſt.

Hieron.

Veniat, & nobiſcum accinat præſtantiſſimus Muſicus Iſaïas; *Egredietur* (ait cap. 11. verſ. 1.) *virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*; Sequamur myſticam interpretationem, ac concedamus Bernardo ſermone 2. de Annunciatione, radice adumbratam Virginem immaculatam; bellè continuò inſinuat mellitus Abbas: *Illud ſanè diligenter attende* (inquit) *quòd florem hunc de radice, non de virga dixerit aſcenſurum*; Verùm hæc ſtuporem ingerunt: nam, eſto quidem in radicem demum referantur vniuerſa, quoniam inde reliqua ſuccum attrahunt; ſed quæ tamen regio arbores producit, quarum frondes, ſtoloneſque floribus deſtituantur? truncus, & non rami, florem emittat? Horrida, & incultior pars caudex eſſe conſueuit; amant conuexa, & editiora loca laſciuientes ſurculi, & erecti in ſublime cùm vere nouo Phœbus lætiores oſtendit vultus, expandunt primùm foliorum aulæa, deinde flores explicant; hæc naturæ diſciplina, hic ſyluarum ordo; Cur rerum ſtatuta Iſaïæ inuertit ſermo? quam incompertam hactenus fabricat plantationem? Aſſeras hæc tranſcendere corporea, & ſpiritaliter ſolùm eſſe intelligenda; nempè vt ſit MARIA radix, Chriſtus Virga, flos virginitas: nam de eodem loquutus Seruatore Bernardus alibi, & quantùm amaret virginitatem delineans ſermone 2. de Aduentu inquit; *Vnde & ad ciuitatem Nazareth, quod interpretatur flos, aduolauit; & ad ſuaueolentem perpetuæ virginitatis florem aduenit, illi inſedit, illi adhæſit*; Hanc quidem expoſitionem non inuiti recipimus; vulgatiſſimum quippe eſt floribus caſtitatem ſignificatam: ſed quo pacto adſentiemus non quidem è virga qui IESVS eſt prodire florem, virginitatem nempe? ſed ex radice, Deipara ſcilicet, cùm potiſſimum caput virginei honoris Chriſtus ſit, MARIA ſecundas poſt eum obtineat partes? ſequitur enim & ipſa Agnum, quocunque ierit, cæteros omnes quamuis præcedat: Verum quidem eſt MARIÆ pudicitiam longiſſimo ſuperari interuallo à Filij virginitate; quoniam illa ſolùm pura creatura: hic & Deus, & homo pariter: at non primus fuit Chriſtus, qui virginitatis ſigna extulit, qui inuitauit ad

3. Iſaïæ 11.

Bernard.

cœlibes thoros innuptas legiones; hoc, antequàm naſceretur qui orbem redempturus fuerat, MARIA præſtitit: ipſa namque Angelo progeniem ſpondenti retulit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*? Quippe à multis diebus, fortaſſe quidem cum primo rationis vſu, antequàm materno egrederetur carcere, ſtatuit in corde ſuo maritales nunquam admittere amplexus: Quoniam igitur hoc ab illa perpetratum antequàm Verbum in carne appareret, vt ducem Virginitatis indicaret Iſaïas, dixit luculenter, florem, id eſt, virginitatem non à virga, ſed à radice deriuatam; *Dixiſſe poterat* (ait idem Bernardus libro 5. ad Eugenium) *& flos de virga; ſed maluit de radice; vt vnde virgam, inde florem dixiſſe originem demonſtraret*; id eſt, quemadmodum ex radice MARIA videlicet, virga, nimirum Chriſtus exortus: ſic ab eadem radice non tantùm Chriſtus, ſed etiam flos virginitas vtpote, initium duxit.

Bernard.

4.

Chriſti igitur virginitas dignitate prior eſt; MARIÆ tempore: præit Filio Bellatrix inſignis: Vultiſne egregium ſpecimen contemplari? Pugnatum contra Siſaram pro Iſraële à Debbora, atque Barac, Iudicum 4. Ductor quidem cohortium Barac, nempe cui præcepit Dominus Deus Iſraël cum decem millibus pugnatorum de filiis Nephtali, & de filiis Zabulon Thaboris conſcendere cacumina: Sic ille ſane legionum Princeps inſtructor: at quæ vocauit ad prælium, quæ inuitauit, Debbora fuit: Audiamus mulieris laudes ab Ambroſij ſtilo libro de viduis: *Hæc enim docuit non ſolùm viri auxilio viduas non egere, verùm etiam viris poſſe eſſe ſubſidio, quæ nec ſexus infirmitate reuocata, munia virorum obeunda ſuſcepit, & ſuſcepta cumulauit*; Ergo pugnæ dignior cura in Baracum tranſlata: ſed ad bellum prior excitauit Debbora: ille poteſtate anteceſſit, iſta tempore: Scribunt nouos milites Chriſtus atque MARIA, vocant pudicæ agmina, itur in certamen laborioſum: nec tamen caſtitas trepidat ſecura ſub tanto Imperatore: dixitque ad eam Barac; *Si venis mecum, vadam; ſi nolueris venire mecum, non pergam*: Quid eſt, quòd triumphi ſociam velit Debboram Baracus, ſi vincat? diſcriminis, ſi pereat? Si timor eſt Martis dubiam experiri aleam, & comite ſolatur metus, eligat de virorum turbis Scipionem aliquem, aut Annibalem: mulierum eſt domos cuſtodire, prædam famulis, & cibaria ancillis diſtribuere, lana operari, atque lino conſilio manuum ſuarum: maritus belli, pacíſque negotia tractet: Sed agnoſco Chriſti artes! non vult ſine Genitrice tantis potiri laudibus: iuuat quidem orbi copias oſtendiſſe virgineas, iuuat caſtitatis vexillum in excelſum erigere; Verùm cum matre tanta partitur munia: ille dignitate præſtantior, eius nobilior virginitas; hæc tempore præceſſit: ille primus inter viros caſta vota exhibuit; hæc prima & inter viros, & inter feminas; Igitur cùm & ille primus, & illa prima; venuſtè Filius ad Genitricem; *Si veneris mecum, vadam; ſi nolueris venire mecum, non pergam.*

Iudic. 4.

Ambr.

Virginitatis Marianæ delineatio excellens Salomonis thronus, quem de ebore fecit grandem, & veſtiuit auro fuluo nimis, Regum 3. cap. 10. verſ. 18. Verùm à Damiano ſermone 1. de Virginis natiuitate, ſcitè quæſitum; *Quid eſt, quod aurum, & argentum, & lapides pretioſi, & omnis denique pretioſioris materiæ prætermittitur gloria*?

5.

3. Reg. 10. Petr. Dam.

Sola eboris ſubſtantia capax eſt tantæ compoſitionis, & fabricatur in ea, quod omnibus operibus præferatur? Nam, ſi operi prodigioſo æternitatem conciliare cupido fuit Principi, cedrus aptior fuerat; ſin verò exquiſita rerum pretia commendare debuerant, cur omiſerat argenti puriores vænas? aut quas Oriens abſcondit gemmas, ſeu maris profundo, ſiue in telluris gremio, ſeu beſtiarum nonnunquam viſceribus? Anne eam prudens delegit materiam, quæ ſyncerius MARIÆ declaret virginitatem? Vel Numen ad hoc impulerat magis præſcium futurorum? Sic viſum B. Damiano loco memorato; *Ebur enim* (inquit) *& mirabili candore relucet, & multa præeminet fortitudine, frigidioríſque naturæ ſortitur auſpicium: & quid candidius illa virginitate, quæ ſingularis aſpectus ſui gratia ſupercæleſtem Curiam allicit ad videndum? Quid fortius illa fortitudine, per quam Domini fortitudo vaſa diripuit fortioris? Quid frigidius illa ſubſtantia, quam obumbrauit virtus Altiſſimi?* Quid verò mirabilius in hoc throno? Certè illud: *Quoniam non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis*? quippe & alij Dynaſtæ diuitias multas congregauerunt, aurum, purpuram, lapillos, vt & ſibi thronos regia dignos amplitudine facerent; ſed vniuerſa opera Salomonis ſupergreſſa eſt induſtria: Attamen, cùm & Deo fanum inſigne, & ſibi magnificas domos conſtruxerit Salomon, atque in his extiterint plurima ſingulari arte compoſita; quamobrem inter exquiſitas fabricas tot, tantáſque, de nulla prolatum; *Quoniam non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis?* Eſt etiam, quod notemus, comparationem fieri cum ſuperioribus ſolùm temporibus, non cum venturis nepotibus: quippe præteriti verbum, *factum eſt*: à MARIA virginitatis duci initia hæc omnia diſtinctè exprimunt: Nam certè alias eius virtutes ſi contemplemur, qui ſimilitudinem earum habuerint, inueniemus: nimirum & præcedentia tulerunt ſæcula qui ieiunarent, qui miſericordes fuiſſent, qui ſilentij, modeſtiæ, orationis ſtudiis floreret; virginitatem perpetuam cum voto qui amarent, & MARIAM referrent, nemo viſus ante ipſam; poſt illam pudicarum examina prodierunt; Egregiè igitur de throno MARIÆ caſtitatem adumbraturo dictum; *Quoniam non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis.*

§. II.

MARIA, *quia prima Virginum, Virgo antonomaſtice dicta.*

6. SIc nanque ſalutat Chriſtianus Orbis Dei Matrem, VIRGINEM excellenter appellans; cuius & iucundi, & magnifici encomij elegans ſimilitudo, certè quæ aptè exprimit narratio Exodi cap. 3. Moyſem nanque cùm deſtinaret in Ægyptum Creator; *Si dixerint mihi*, ait, *quod eſt nomen eius*, qui miſerit; *quid dicam eis? Dixit Deus ad Moyſem: Ego ſum qui ſum; Sic dices filijs Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos:* Verùm, quales hæ notæ, quæve nomina, quibus innoteſcat Deus, & Moyſis legationi concilietur auctoritas? Quippe Hieronymus concinnè addubitauit in cap. 3 ad Galatas; *Nunquid ſolus Deus erat* (inquit) *& cætera non erant? Vtique cœlum, & terra, vel maria, & ipſe Moyſes, cui Dominus loquebatur; & Iſrael, & Ægyptij, ad quos mittebatur, erant*? Tot igitur cùm extarent, viuerent, haberent vt eſſent, cuiuſnam arbitrabimur vices gerere Moyſem, putabunt Hebræi? nam, ſi illius ſe tantùm fungi aſſerat, qui eſt; equidem & Indus eſt, & Armenus, & Geta, & Ponti Euxini habitator, & Nomades ſunt, & Aſiæ populi, & omnis terrarum facies: Attamen ſcientiſſimè Numen cum Moyſe ſermocinatur; Habent quidem, vt ſint creaturæ; habétque Omnipotens, & incomprehenſa Diuinitas: Creator autem exiſtit, quin hoc cùipiam debeat; at receperunt à Creatore reliqua, vt eſſent: Ergo ipſe fons, cætera ſcaturigines: ipſe inuentor, & princeps; ob hoc quanuis cætera habeant, vt ſint, viuántque & moueantur: Deo tamen, vtpote auctori, vocabula ſingulariter accommodantur; Quamobrem, *qui eſt*, abſolutè pronunciatum, Deum indicare intelligimus, *illa, vt diximus, cauſa* (ſubdit Hieronymus) *quia cætera, vt ſint, Dei ſumpsêre beneficio*; Iam igitur, quòd virgineum honorem intactum, illibatúmque ſeruent in omne æuum tot pueri, tot puellarum incontaminati greges, à quo hauſerunt exempla? Certè ab illa, quæ prima inter mortales ſtatuit æterno propoſito virum non cognoſcere: nam, vt fuerint apud nationes infidelium ante ipſam Veſtales feminæ, verùm audiemus ab Ambroſio lib. 1. de Virginibus: *Quis mihi prætendit Veſtæ virgines, & Palladis Sacerdotes? Qualis iſta eſt, non morum pudicitia: ſed annorum, quæ non perpetuitate, ſed ætate præſcribitur? Petulantior eſt talis integritas, cuius corruptela ſenioni ſeruatur ætati; ipſi docent virgines ſuas non debere perſeuerare, nec poſſe, qui virginitati finem dederunt: qualis autem eſt illa religio, vbi pudicæ adoleſcentes iubentur eſſe, impudicæ anus*? Nulla itaque ante Deiparam ſyncera, duraturáque virginitas: & quoniam ipſa tanti, támque difficilis, & impediti operis prima artifex, à qua deſumpſerunt aliæ: quemadmodum Deus, *qui eſt*, abſolutè nominatur, quamuis creaturis etiam, vt ſint, non denegatum: ſic illa Virgo excellenter nuncupata: etſi præter ipſam innumeræ quoque ſint virgines. Galat. 3. Hieron. Ambr.

7. Verùm experiamur, an aptiora nobis fortaſſe ſuppeditet Matthæi Euangelium exempla c. 23. *Et veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ, filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare*; Quorſum non & Zachariam *iuſti* condecorauit titulo, quemadmodum Abelem? Nam, ſi magnum eſt ſacerdotio inſignitum fuiſſe: ſi hoc etiam amplius, ſanguinem profudiſſe, & victrici Martyrum lauro cinxiſſe triumphalem verticem: neque his deſtitutus ornamentis Zacharias: *Iuſtum* igitur cur nominare tardat? Sanè *iuſtus* vterque, Zacharias, & Abel, quippe purpureo latice dealbauerant ſtolas ſuas, candidiores redditi à cruento flumine: Verùm Abel pulcherrimi ſacrificij prima victima: ipſe duri certaminis Anteſignanus: primus ipſe vocauit ad caſtrenſes aquilas rubicundam cohortem: quoniam igitur ille Dux & Anteceſſor, ſingulari donatur gloria, vt cùm iuſtum abſolutè pronunciari audimus, non Zachariam, Matth. 23.

chariam, non alium quempiam fortissimorum Athletarum intelligamus; sed Abelem; *iusti* quippe vocabulum sic vendicat solus, quasi nullus extiterit excepto eo qui iustitiæ fulserit laude: Sed auscultemus Auctorem de mirabilibus sacræ Scripturæ, inter Augustini Opera, tom. 3. Capite igitur tertio; *In eo enim* (inquit) *quod dicit: A sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ, & non addit iusti; ostendit, quia Abel in iustitia hominum primatum tenuit, eò quòd primus Martyrum iustus fieri meruit:* Ergo, si Abel in iustitia hominum primatum obtinuit, quoniam viam Martyribus aperuit, quoniam ante eum nemo per vulnera meliorem quæsiuit salutem; non dicemus MARIÆ inter Virgines primatum debitum, cùm prima cœlibes annos duxerit, prima Veneris gaudia contempserit? Quòd si eandem ob causam Abel promeruit, *iustus* vt diceretur absolutè, excellentérque; MARIAM ob paria virginitatis decora, non tantùm Virginum Virginem; sed Virginem quoque absolutè, & absque addito, quasi ipsa sola sit Virgo, quæ sociabus careat, nuncupabimus.

Auct. mirab. sac. Script.

8. Matth. 1.

Anne illud venustius, idem quod Matthæus libro generationis IESV Christi insinuat? nanque Dauidem cùm allegaret bis, *Regem* perpetuò nominauit; Salomonis cùm faceret mentionem, *Regem* dicere omisit. vti animaduersum citato nuperrimè capite tertio ab Auctore Scripturæ de mirabilibus arcani sermonis; *Cui non additur, Regem,* (ait,) *cùm patris regno teneret maius imperium:* Sed Monarcham cur vocare dubitet Euangelista, quem Epithalamium hoc cum diademate pingit, cap. 3. *In die desponsationis, & lætitiæ cordis eius?* Fortasse regnatorem appellare noluit, quoniam libidinibus quondam seruierat, ex libero & dominatore vitiorum mancipium? Verùm & Dauidis adulterium publicum fuit: Dicam, quod ad institutum nostrum conducat; Dauid primus inter Hebræos imperij rexit habénas, idcircò honoris quodam velut priuilegio Rex specialiter nuncupatus, & appropriatum illi nomen plurimis commune; Sed hæc stare non posse affirmes: nanque Saülem purpura indutum priusquàm solio Dauid sederet, notissimum est; falsò igitur supponimus, Dauidem primum intèr Monarchas extitisse, qui Iudæorum Rempublicã gubernauerint; Verùm opus est, inter duos regnatus distinguamus; quippe Saül Rex quidem fuit, sed breui quasi interuallo; non enim ad posteros eius deriuatus est principatus; At verò Dauid imperio duraturo in longa sæcula, & dominationi quasi non defecturæ vnquam, exordium dedit; quippe Paralip. 1. c. 28. vers. 4. ipsemet testimonium perhibet: *Sed elegit Dominus Deus Israël me de vniuersa domo patris mei, vt essem Rex super Israël in sempiternum;* Alibi etiam legimus: *Quoniam non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius,* &c. Quoniam itaque Dauid primus fuit, qui perseueraturo, & stabili sedit throno: idcircò Matthæus, cùm plures referret, qui Hebræorum populis iura dedissent, neminem excepto vno Dauide Regem appellauit: debetur enim Regis nomen per excellentiam, & appropriationem primo indeficientis, & permansuri regni auctori: Ergo ante Puellam intactam Verbi Genitricem extitêre quidem virgines; sed quæ ad tempus castitatem sponderent solùm, quemadmodum ex Ambrosio ostendimus num. 2. Deipara autem MARIA non ad certam aliquam annorum periodum Deo promisit illibatam, purámque se exhibere virginem: sed donec halitus superesset, donec vita comes fuisset: Perpetuæ itaque inuentrix castimoniæ cùm extiterit meritò Virgo nuncupata est singulariter, quasi nulla prẽter ipsam virgo.

Rex tantùm, qui virtute præditus.

Auct. mirab. sac. Script.

1. Paral. 28.

§. III.

MARIA, *eò quòd sit prima Virgo, æternam Verbi quasi generationem æmulata, dum concipit, ac parit.*

9. NEc tantùm Dei progenitrici concessum Virgo vt dicatur absolutè: maiora supersunt, & quibus vix humana par sit mortalitas: proferamus difficillimam, siue Augustini, seu Fulgentij, vel, vt nonnullus maluerit, Seueriani sententiam: Sermone igitur inter Augustini homil. 15. de tempore, & in Appendice 24. *Angelus* (inquit) *sermonem iecit, Virgo concepit: coniunctio hæc sine sordibus facta est, in qua & maritus fuit sermo, & vxor auricula:* Rursùmque in eadem Appendice, serm. 22. qui fuit de tempore decimus: *Expauit in partu suo Mater: Deus per Angelum loquebatur; & Virgo auribus impregnabatur:* Nónne de Spiritu sancto conceptus est Christus? Nónne Puellæ intacta formatus aluo? Quis hic partus, cuius auctores verbum, atque auricula? Nescio, quid hæc subolent arcani grandioris, & ad Triados ineffabile prouocant Sacramentum. Sanè Nazianzenus Gregorius *Virginem* non dubitauit appellare sacro sanctam Trinitatem: quin & *primam Virginem* ipsius enim genus sunt reliquæ virgines; Sed audiamus ex carmine de virginitate:

Augusti.

Trinitas, prima Virgo. Nazianz.

Prima, Trias, Virgo est, siquidẽ Patre natus anarche
Filius est; nec enim Pater ortum traxit ab vllo,
Vtpote principium rerum, & vitalis origo,
More nec humano generauit sanguine Natum,

Est verò hæc prima virgo fœcunda: At quibus modis? Nempe spiritalis est vtraque processio: nihil ibi corporeum, nihil humanum, & fragile: intellectus dominatur, voluntas agit, subtilissima est omnis operatio, & intentionalis. Sic decebat primam Virginem fœcundari: sic Filium genuisse: sic Spiritum gratiarum datorem produxisse: éstque ibi, qui sermocinetur: est, qui audiat: nam de tertia inter eas Personas Ioannes cap. 16. *Non enim loquetur à semetipso: sed quæcunque audiet, loquetur:* id est, quæ à Patre, Filióque accipiat. Cùm igitur Augustinus sciret, quæ à prima Virgine procederent, immortales esse emanationes, in quibus Genito Pater intellectionem infinitam communicaret, Spiritus ab vtroque audiret: videns MARIAM *Virginem primam* esse, subintulit disertè, eam quoque per sermonem, per auriculam genuisse, ac proinde scripsit: *Coniunctio hæc sine sordibus facta est, in qua & maritus fuit sermo, & vxor auricula:* Huic fauent cogitationi Patrum multæ sententiæ ad illud Luc. cap. 11. *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei:* Quibus frequenter innuunt MARIAM spiritu atque mente priùs genuisse Christum, quàm corpore.

Ioan. 16.

10. Iam & alterum Augustini effatum expenda-

Ioannis supra alios Euangelistas præcellentia. August.

mus lib. 1. de consensu Euangelistarum, cap. 4. *Tres* (inquit) *Euangelistæ in his rebus maximè diuersati sunt, quas Christus per humanam carnem temporaliter gessit: porrò autem Ioannes ipsam maximè Diuinitatem Domini, qua Patri est æqualis, intendit, eámque præcipuè suo Euangelio quantùm inter homines sufficere credidit, commẽdare curauit; Itaque longè à tribus istis superiùs fertur; ita vt hos videas quodammodo in terra cum Christo homine cõuersari: illum autem transcendisse nebulam, & peruenisse ad liquidũ cœlum, vnde acie mentis acutissima, atque firmissima videret, in principio Verbum Deum apud Deum:* Sic Augustinus, & veterum maior factio; Sed, quamobrem non alium partum edidit nobis Ioannis calamus, quàm de increato Verbo notitiam? Nam si à Virgine beata discere oportebat, potuerunt ex eodem haurire fonte commilitones: sin autem caro, & sanguis non reuelauit, id est, à mortali non excepêre creatura; sed pater, qui in cœlis est, reuelauit paruulis suis; de hoc inquisitio est, cur non & cæteros impulit, ineffabilem declarare generationem? Sciamus, quid Petri Damiani oratio de Ioanne prodat sermone primo eius de laudibus; *Quanuis enim in omnibus Sanctis* (inquit) *semper sit angelicæ munditiæ contubernalis, & cognata virginitas: beatus tamen Ioannes tantò reliquas virgines superat, quantò virginitati* B. MARIÆ *per sedulitatis: ac perpetuæ custodiæ meritum appropinquat, à qua sola præceditur:* Ioannis igitur castitas Marianæ pudicitiæ simillima fuit, & ad eam proximè accessit, assertore Damiano; Quemadmodum itaque MARIÆ concessum ob castitatis singularem gratiam, vt æternam Verbi generationem imitaretur, & maritus fuisset sermo, vxor auricula: sic cùm Ioannis virginitas Marianam referret pudicitiam eique appropinquaret & quam germana esset decebat, vt de inexhausta Vnigeniti, qui est in sinu Patris, tractaret generatione, & de eius fluentis biberet Ecclesia magnorum arcanorum latices.

Virginitatis Ioannis Euangelistæ, encomium.

II.

MARIA specialiter Dei soror. Nyssen.

Notum autem, Induperatricem nostram sæpiùs hoc Epithalamio sororem sponsi nuncupatam: & quidem Nyssenus hom. 4. hoc præstare aliis nominibus vocabulum docuit ad illud cap. 2. *Sicut rosa inter spinas, sic soror mea inter filias. Quantùm videmus* (ait) *ascensum in altum, tantùm videmus esse animæ profectum: primus ascensus est assimilari equis, qui copias perdiderunt, ac destruxerunt: secundus ascensus est, quòd ea facta sit propinqua, & quòd fecerit oculos columbæ: tertius est ascensus, quòd non amplius propinqua, sed soror sit nominata:* Sed, cùm sponsi, id est, ipsius Dei sororem dicamus MARIAM, experiamur huius germanitatis causas, eodem interprete Gregorio: *Postquam ergo facta est flos,* (subiungit) *neque à spinosis læsa fuit tentationibus, quominùs esset lilium; oblita populi, & domus patris, & matris suæ, aspexit ad verum Patrem: & ideò vocatur soror Domini*; Igitur hæc nobis manifestant dicta, propterea Dei sororem appellatam, quòd populum, larêsque paternos obliuioni commiserit; At, nónne hæc potiùs Sponsi iustam promeruissent iram? ipse nanque in progenitores pietatem, obseruantiámque omnem commendat; feret verò, vt immemores simus? Sanè patriæ gentis tunc mores, puellas viris tradere, connubia amare, prolem optasse; hoc eam & genitoris aula docebat: ergo istos si velit vsus contempsisse, nouásque tentare semitas, Domini fore vt euadat soror, spondent: Verùm, vt hæc operetur, quo pacto continuò Deo germana? Equidem fiet, vt prima virginitatem colat, cùm cæteræ feminæ in eum vsque diem viros ambirent, & aliquando septem mulieres virum vnum apprehenderent (Isaiæ cap. 4.) obnixè rogantes opprobrium eis auferret: Prima igitur Virgo euadet: quid inde sequatur? Profectò, vt sacrosanctæ Triados, quæ prima Virgo, Deique ad instar spiritaliter Verbum producat, fructus absque floris laceramento ostendat: hoc post Deum MARIÆ tantùm concessum, vt Verbi consubstantialiter infiniti Mater vocetur: hoc solùm prima Virgo Trinitas: hoc solùm prima Virgo MARIA; proinde aptissimè soror Dei Regina intemerata: nempe, tanta naturarum, officiorúmque similitudo; non nisi inter fratrem, sororémque reperiri valeat: quamobrem æqualiter nobiles vtranque Verbi generationem non dubitauit Ambrosius affirmare sermone 16. de Natali Domini: *Vt cui prior natiuitas gloriosa extitit,* (inquit,) *eius secunda contumelioſa non fieret: hoc est, vt quemadmodum Virgo Diuinitas ediderat; ita eum Virgo, & Virgo* MARIA *generaret:* Quid nisi enim par vbique quodammodo nobilitas, cùm ex sorore altera natiuitas, ex fratre altera?

Ambr.

12.

Isaï 53. Aluarez.

Vultúsne à Propheta discere? *Generationem* (ait) *eius quis enarrabit?* Quo loco, vt doctè colligit noster Gabriel Aluarez, ex antecedentibus claritudinem generis describere Vati mens est: Porrò, quemadmodum idem, cæterique ferè adnotant Explanatores, nunc de sempiterna, nunc de temporanea, aliquando & de vtraque simul generatione declarant prisci, recentésque Interpretes: Citat ille multos primæ classis: Verùm, vnde claritudo tam immanis, cuius præstantiam verbis significare impossibile sit? *Quia* (inquit) *abscissus est de terra viuentium*: At nónne filij omnes abscissi de terra viuentium? quid enim filius, nisi *origo viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ?* Non tamen omnes filij natiuitate eximij; sed qui auos, genitorésque sortiuntur illustres: quòd si indicata verbis illis emanatio per intellectum, vitalem nempe, potentiam; sed hoc tam arduum non est, vt capi non valeat, cùm & Philosophi, & Theologi passim reuelent: Libet Ruperti Abbatis super hac re audire sententiam, qui libro 2. in Isaïam, cap. 19. inquit: *Sed vtramlibet generationem quis enarrabit? nam vtraque mirabilis, & vtraque ineffabilis est: nam ineffabile est, quod de diuina generatione Pater in Psalmo: Eructauit, inquit, cor meum Verbum bonum: Ineffabile itidem est, quod de carnis generatione rectè hìc dictum intelligitur; quia abscissus est de terra viuentium; de terra, inquam, non morientium, siue mortuorum morte peccati, qua omnes in Adam mortui sunt; sed de terra viuentium; id est, de terra virginea per sanctum viuificata Spiritum, abscissus est:* Duæ igitur fuerunt glebæ; altera viuens, & benedicta, Paradisi scilicet spatia, antequàm offenderet protoplastus; altera Creatoris anathemate percussa, ob delictum, ac proinde tribulos solùm cum spinis, mortis opera, cultori restituens: anterior illa gleba duobus præterea nominibus memoranda; nam & virgo erat, cùm vomere non indigeret, Erat etiam prima virgo: hanc enim nulla antecessit: ergo abscindi de terra viuentium, est abscindi

Rupert.

Christus abscissus est de terra viuentium, ideſt de terra virginea per Sanctum Spiritum viuificata.

ſcindi de terra, quæ ſit prima virgo: Hinc itaque generatio clariſſima, hinc ineffabilis; quia eius Auctores, & æternus in Cœlo Genitor, & in terris cum tempore Mater, primæ virgines fuerunt.

SECTIO II.

Ne in mortalia labamur, à venialibus cauendum: quò præcepta tutò adimpleamus, conſilia etiam ſeruanda.

13. ADuertimus ex principio Commentariorum Hieronymi in Eccleſiaſten, Epithalamij huius ſtructorem nominis affectaſſe paupertatem huius in libri fronte: neque enim, vti aliis in codicibus, aut generis claritatem nunciat, vt qui ſit prognatus ex nobiliſſima tribu Iudæ, Dauidem Auctorem habens Regem in paucis & ſanctitate & doctrina & belli ornamentis illuſtrem; aut ſceptri & opum potentiam, vt qui dominetur in Iſrael; habitet autem in Sion vrbe perfecti decoris, de qua glorioſa dicta ſunt: quam Deus cœli præ aliis ciuitatibus ſingulariter dilexit: Quæ hæc deſpicientia vniuerſæ pompæ, atque in eo quidem merito, quod totum gaudioſum eſt, & lætificans? Nimirum, optabat ſignificare nobis Verbi diuini amplexibus hoc iungi Hymenæo animam, quæ ſæculo valedixit, &, vt loquitur ſanctus Doctor: *Virum conſummatum, & calcato ſæculo præparatum:* Sed quorſum iſtiuſmodi philoſophantium genus, diuitias, honores, voluptates contemnant? Nunquid non & his pollentes Sancti fuêre, æternam adepti ſunt repromiſſionem, quibus dignus non erat mundus? An ſoli pauperes, aut qui deliciis terga verterunt, in Olympum transferendi? Nónne & iuſtus ſepties in die, id eſt multoties venialiter cadit: nec tamen ideò Tartaro deuotum caput, beatæ patriæ ciuis potiùs futurus? Subſcribimus iſtis: ſed tamen locupletes ægrè cœli limen intrant, quoniam auguſtæ ſunt valuæ, & illi, quia Crœſi, craſſi nimis: Venialiter offendens quoque ſub Numinis amicitia eſt: at ſi leuia iſta deſpiciat, modica ſupinè ſpernens, facilè in magna decidet, & mittetur in gehennam ignis: ergo tantum carpere iter volens, adiungat præceptorum amori conſiliorum obſeruantiam, tanquam vallum; & ne lethali cedat noxæ, à venialibus temperet: hoc faciens viuet.

Verbi diuini amplexibus iungitur anima quæ ſæculo valedixit.

14. Vocauit ad ſe in montem Sina Creator Moyſem, cui legum tabulas eſſet daturus; vetuit autem conſcendere quempiam de populo vnà: Sed non faceſſunt hæc ſtuporem: demiror tamen, quòd tantus ſit, tam ſedulus, ne quiſquam vel fimbriam montis tangat: *Ne tangatis* (inquit) *fines illius: omnis, qui tetigerit montem, morte morietur*, Exod. c. 19. verſ. 12. Vt quid tanta religio erga montem? Iuſſit quidem, ne aſcenderent: quo verò de aſcenſione nullum eſſet periculum, præcepit, ne tangerent: At huius mandati quænam vtilitas? licèt enim populus tetigiſſet montem, quænam inde irreuerentia? Animaduerte, vt tum de condendis legibus, quas Hebræi obſeruarent, tractatum à Creatore: nam digito ſuo Decalogum ſcripſit, quem Moyſi vulgo intimandum tradidit: Voluit igitur, intelligerent, quo pacto præcepta, quæ obligant, ſeruari poſſint? nempe, per eorum, quæ remotiora ſunt, & quorum non eſt obligatio, cultum: vt, quemadmodum is à monte vincendo plurimùm diſtat, qui ne tangere radices, & baſim audeat: ita, qui timidus eſt in eorum tranſgreſſione, quæ animæ mortem non afferunt; difficillimè mandata violabit, per quorum confractionem Dei amicitia, quæ animæ ſalus eſt, deperditur; Nihil ad legum conſeruationem magè idoneum præſcribi potuit: Notauit prudenter Oleaſter in præfati capitis tropologia: *Etiam hic pulchram* (inquit) *habent admonitionem Prælati, vt cùm velint præcepta ſua à ſubditis ſeruari, prohibeant initia tranſgreſſionum; ob hanc cauſam fortè Dominus Euæ prohibuit* (ea teſte) *arboris interdictæ contactum, ne contingeret eam venire ad eſum: quare & hic Dominus non ſolùm prohibet montis aſcenſum, ſed contactum: ideò enim prohibet tangi, ne contingeret aſcendere: Optimum eſt, ſi quid præcepto prohibes, ſepem, aut murum addere; quoniam, vt apud Prouerbium eſt, in arca aperta etiam iuſtus peccat. Vbi ſimul diſce, quàm ſit cauendum, peccati ad terminos accedere, ſi vis non peccare.* Oleaſt.

15. Profectus ad Eliſeum Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ, ægrè tulit quòd eum neque tetigiſſet, neque vidiſſet Propheta: *Putabam* (inquit) *quod egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me.* Reg. 4. cap. 5. verſ. 11. Sanè 4. Reg. 5. recte, quòd legis exactus fidiſſimúſque cuſtos Eliſeus leproſum minimè tangit: nam id Hebræis illicitum, Leuit. c. 13. & 14. Verùm, cur Leuit. 13. non obuiam procedit, non ſalutat, quando id non prohibitum, & officij atque humanitatis extitiſſet? Sanè viri ſancti, & timorati, vt ea, quæ per legem tenentur facere, indifficulter præſtent, ab iis abſtinent, ad quæ lex & prohibitio non extenduntur: fuit enim virorum ſpiritalium talis perpetuus, & ſalutaris vſus: Vt igitur Eliſeus, quod per legem facere iuſſus eſſet, nempe ne leproſum contingeret, ſine onere, aut faſtidio obſeruaret; id etiam exequutus eſt, ad quæ lex non adigebat, ſcilicet vt nè videret quidem lepra infectum; Quis enim nouit, ſi fortè colloquia cum Principe miſcuiſſet Vates, non aut eius precibus, aut blanditiis, aut muneribus ſuperandum? Bonum eſt cellæ parietibus muniri, ne intuearis, quod illicitè concupiſcas: Sed nunc, vbi Eliſeus quiſquam? Etiam non vocati Principes adeunt, intrudunt ſe Optimatum aulis, cùm tamen Propheta ſpondeat, quoniam, *qui portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius, & tacebit: quia leuauit ſe ſupra ſe; ponet in puluere os ſuum:* At iſti cineris obliti in purpuram os poſuerunt: Vereor, vt vnquam lepræ mederi poſſint: *Putabam* (inquit fatuus Dynaſta) *quòd egrederetur ad me, & tangeret manu ſua*: Erras Naaman: Monachi non diſcurrendo per Regum atria, lepram auertunt; ſed orantes in cubili ianuis clauſis coram Patre, qui in cœlis eſt: Verùm pro capitali noſtro ſcopo benè ex Sodalibus Nicolaüs Serarius in allegatum caput: *Itinere ergo ſeſe ad Prophetam accingit Naaman: ſed ad eum ille domo egreſſus non eſt: cauſam cenſent Procopius, & Theodoretus quæſt. 19. quòd legis adeò ſtudioſus eſſet Eliſeus, vt ne immundi quidem* Thren. 3. Serar.

Exod. 19.

dem hominis aſpectum, multò minùs contactum ferre vellet: vt, ſcilicet intelligeremus, quàm eorum mores, & conſuetudinem defugere oporteat, quos grauiorum ſcelerum, infidelitatis, ac hæreſeos lepra inquinat. Toſtatus breuiter tom. 3. in Matth. quæſt. 12. in c. 8. Toſtat.

16. Isaïæ 6. Eleuatus in ſpiritu Isaïas vidit ſolium gloriæ magnificæ, & circum adſtantis Seraphim: *Sex alæ vni, (inquit,) & ſex alæ alteri.* cap. 6: verſ. 2. Præclarè Bernardus ſerm. 5. de verbis exordialibus huius capitis: *At quid multiplicitas iſta pennarum?* An non duæ ſufficiebant, præſertim Spiritibus, qui pondere carent? Num forſan ob pompam & maieſtatem? nam & Principes huius mundi propter gloriæ ſplendorem, magna eos ſtipante caterua incedunt, cùm ad ſeruitia centeſima abundaret pars? Ita arbitremur, cum alis repreſentari multis, vt principem in Hierarchia locum obtinere credamus, qui tantis affluunt pennis: aut fortaſſe Luciferi caſu perculſi de pennis tam diligens prouidentia eſt, eò quòd ille propter alarum inopiam ceciderit: tentauit enim vna tantùm cum ala volitare, eodem aſſertore mellifluo Abbate: *Superbus ille Lucifer lucem præferens, non ignem habens, alteri tantùm innixus alæ, caſum facere potuit, non volatum*: Sed Angeli faſtuoſi ruina vt duabus armarentur pennis, ſuadere potuit: quando iſtæ ſufficientes in altum attollere, à præcipitio ſeruare; quorſum etiam ſex alæ? Sanè id, quod ad volitandum per ſe neceſſarium eſt, & ſine quo non duæ ſunt alæ, vt docet natura auium penè omnium exemplo: itaque ſine his volucres quocunque optent ſe librare nequeant: Vt igitur hoc, quod per ſe requiſitum eſt, ſartum tectum maneat, addunt inſuper de non neceſſariis: nam certè habentes duas alas, à lapſu tuti ſunt quoad his præſtant: ſed tamen in periculo verſantur; quia, ſi vna deficiat ala, in ſublime ferri nequeant: Iam verò ſex habentes pennas, impoſſibile eſt, vt aliquando pennarum inopia laborent: O Angelorum diligentiam! ô noſtram amentiam! illi, qui præ amoris Ætna euomunt flammas cubitorum quadraginta nouem; in quibus, non dicam aliquid tepidum, aut obſcurum exiſtat, ſed nihil non ſummè ardens & lucidum, pennas multiplicari vehementiùs optant, & non duæ, non tres, non quatuor alæ ſufficiunt: nobis ſatis mandatorum cuſtodia, à lethalibus iniuriis abſtinere, & præclarè cum noſtra ſalute actum putamus! Sed heu, quoniam antemurale deſpeximus, & murus noſter diſſipatur: quidni enim in præcipitia laberemur vna ſolùm contenti ala, quaſi nos Lucifero robuſtiores futuri, quem vna innitentem ala caſus irreparabilis excepit; æternùm relegatus, ne videat gloriam Domini? ſi vis mandata ſeruare, & vltrà etiam cole, alioquin decipietur ſpes vna tua: nemo mergitur, quoad fluminis ripa cubat: ſed pauci ita dormientes non in gurgitem ceciderunt, qui & eos velut plumbum abſorpſit.

17. Pſal. 63. Proinde Dauid ſapienter rogabat Pſalmo 63. verſ. 1. *Exaudi, Deus orationem meam, cùm deprecor: à timore inimici eripe animam meam*: Quid opus eſt, ô Rex, vt etiam ab hoſtium formidine libereris? Abſint, qui nocere cupiunt, timor malum afferre nequeat: imò verò vtilis fuerit metus aliquis: nam cautum reddet, & vigilare faciet, ne quando aduerſarius, velut fur dormienti, & ſecuro obrepat: At ſanè, cùm hoſtis aduentat, præcurſor eius formido eſt, quæ aut oppida, aut nationes terret; tunc pauent vrbes, omnis tabeſcit & mœret ſexus, clamant cum ſenibus & virginibus & pueri: quis nos liberabit à timore ſuperuenientis iræ? Quid vociferamini, ciues? Petite ab hoſtili liberari gladio: panicus iſte metus quodnam damnum allaturus ſit? Sed tamen non aliud ingeminant, niſi à formidine, & furoris expectatione eximi: Pulchrè quidem: nam benè norunt, ſi timendi nullum ſit fundamentum, ſacuros eſſe poſſe de inimicorum aduentu: Noli, anima, expectare hoſtis congreſſum: dubia eſt ſalus, quæ pugnæ exitu ſtat: propelle, quæ hoſtem antecedunt: præclude tentationum vias: ſic præcauendo remotiora, incolumis eris: illa imprimis deteſtanda ſunt, quę metuere, & vacillare faciunt; illa, quæ ſcrupuloſam conſcientiam generant; quando anxius hæres num legis terminos prætergrediaris, an non: auerte lumina quantocyùs ab iſtis, alioquin vide quoniam hoſtis timores iſtos proximus ſubſequitur, & non remorabitur ingredi vrbem, quam deſolatam faciet: Concinnè Hilarius in eum Pſalmi verſum: *Ait enim: A timore inimici eripe animam meam: Deus enim non tantùm orandus eſt, cùm, quæ timentur, ingruerint; ſed timenda ea ſunt, quæ, cùm cœperint adeſſe, dominantur, & ſemper, atque indefeſſis precibus orandus eſt, vt nos à timore eorum, quorum dominatum timemus, eripiat: Propheta ergo ad omnem timorem inimici ſollicitus, Deum orat.* Hilar.

18. Prou. 7. Sed, quemadmodum eſſent præcepta Dei colenda, ſollicitè Parœmiaſtes eleganter repræſentauit Prouerb. cap. 7. verſ. 2. *Fili, ſerua mandata mea, & vines, & legem meam quaſi pupillam oculi tui*: Quare ſingulariter pupillæ ad inſtar, & non ſicut, aut manum, aut pedem, aut frontem, aut genas ſeruamus? Sanè inter corporis partes luminibus natura munimen prouidit, quo proteguntur quaſi aggeribus & muro: Diſce ex Ambroſio lib. 6. Hexameri, c. 9. *In quorum medio* (de oculis eſt ſermo) *pupillæ ſunt, quæ videndi munus operantur; hæ, ne qua incidentis iniuriæ offenſione lædantur, pilis hinc inde conſertis, velut quodam vallo, per circuitum muniuntur*: Non hoc in facie, non in manibus, non in plantis, quæ nuda deſtituit natiuitas, ſi non ars de veſtium generibus propugnacula attuliſſet: Quando igitur velut pupillam oculi cuſtodienda mandata ordinat, vallo & obſidione cingenda inſinuat: At quodnam erit vallum præceptis? Equidem conſiliorum, quæ non obligant, reuerentia; ſollicitum ſtudium vitandi leues noxas; Nónne ita quidem? Nam, vt quid putas datæ ſunt luminibus palpebræ, quæ occcultent? pili, qui defendant? Certè ad puluerem, ad feſtucam arcendam: neque enim contra fortiores hoſtes tueantur: Sed percipiamus ab eodem Ambroſio: *Vnde tutum auxilium poſtulans Propheta ait: Cuſtodi me Domine vt pupillam oculi: vt protectionis diuinæ fieret ei tam ſollicita & tuta cuſtodia, quam pupillam oculi tutiſſimo quodam naturæ vallo munire dignatus eſt: ſimul, quia innocentia, & integritas leui ſorde adſperſa violatur, & gratiæ ſuæ munus amittit; & ideò proſpiciendum, ne quis eam puluis erroris oblimet, aut vlla vexet feſtuca peccati*: Itaque pro puluere & feſtuca defenſio eſt oculis ab Auctore rerum; ac proinde Ambroſ. Ambroſ. Pſal. 16.

quando

quando idem Auctor legem seruandam monet quasi pupillam oculi, ab iis cauendum innuit quæ mysticè sunt puluis, atque festuca; quid autem ista nisi venialia delicta? Vita leuia ista, & securè mandata custodies, legem adimplebis.

19. Sed culpæ istæ quarum non est pondus, dices, handquaquam mortem animæ afferunt, proinde neque præiudicare eidem poterunt: quare de tam minutis non est, quòd anxij simus, facilè nanque eluuntur; facilis est medicina, quando per illa spiritus non ægrotat vsque ad mortem: robur aliquantùm minuunt, sed restauratur absque vexamento: At tu, qui hæc affirmas, considera mihi, vitam hanc stadij, & agonis instar esse: Scis Paulum ita monere Corinth. priori cap. 9. vers. 25. *Sed qui in agone contendit* (inquit,) *ab omnibus se abstinet*, id est, amictum vniuersum proiicit, vt non inuenustè exposuit noster Pineda ad vers. 20. cap. 1. Iob, num. 9. & illud tritum de Gregorianis ex hom. Euangeliorum 82. affert: *Nudi ergo cum nudis luctare debemus: nam si vestitus quisquam cum nudo luctatur, citius ad terram deiicitur, quia habet, vnde teneatur*: Certè in gymnasiis ethnicorum, vbi variæ exercitationes, & imprimis colluctatio, etiam & virgines sine indumento aliquo pro illorum temporũ barbara impuritatè: quare Propertij Musa lib. 3. de ludis Lacon.

Multa tua, Sparte, miramur iura palæstræ;
Sed magè virginei tot bona gymnasij,
Quòd non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros.

Itaque, vti innuebat Gregorius, ne haberet, quod prehenderet aduersarius, palæstrita vestem cunctam exuebat: insuper & oleo corpus vngebat, quo tenentis manibus elabi posset, & eludere spem aggressoris: Chrysostomus enaratione 2. in Psalm. 40. *Quemadmodum enim oleum efficit, vt athletæ elabantur è manibus aduersariorum*, &c. Taléque nonnihil Dionysius de ecclesiastica Hierarchia, cap. 7. p. 3. Ambrosius præfatione in Lucam: Nónne certè his præmunitum subsidiis gymnicum, satis arduum vti prosternat athleta, nudum scilicet & proper vnguenta è brachiis, & amplexibus fluentem, ceu limosus piscis è manibus capientis absque sensu labitur? Quid faciat coronandus? Equidem sumit ex pulueribus, & proiicit in hostem: non fugit ab oleo cinis, induratur magis & concrescit, talique stratagemate adiutus qui colluctatur, reperit vnde stare cogat deinceps quoad in terram deiiciat, & superet, Io clamantibus victori inspectoribus: Proh & exigui pulueris iactu confusum pugilem valentissimum! Et erit, qui puluerum nocumenta contemnat? Attendite, robustissimi, & videte, quoniam sæuior hostis est, quam vt vos arbitramini, qui à vento rapitur puluis! minutæ illæ culpæ, quæ puluis sunt, afferent excidium strenuissimis ducibus, quoniam silenter fortitudinem eius comederit quasi vermiculus tenerrimus trabes demolitur, quæ æternùm duraturæ videbantur: Sed quoniam ad terrendum audaces istos, qui ob leue pondus, ob corpus breue puluerem despiciunt, venialia sicut aquam bibunt, oratio nostra frigida, & ineloquens est, proferamus nonnulla, quæ Nili Abbatis suppeditauit Asceticum: *Nudum* (inquit,) *imò verò vnctum oportet certare: nuditas enim facit, vt ab aduersario luctator apprehendi non possit: vnctio autem, vt si quando fuerit apprehensus, elabatur: propterea luctatores puluerem aduersariis conantur aspergere, vt olei leuitatem iniectu puluveris exasperent, atque ita facilius eos apprehendere valeant: iam quod illic est puluis, id in nostro certamine est in terrenis rebus occupatio; & quod illic est oleum, hic est quietis studium ab omni sollicitudine vacuum: & quemadmodum illic, qui vnctus est, facile vitat, quas ipsi vocant apprehensiones: sin puluerem admiserit, ægrè colluctantis declinat manum: ita hic, qui nulla de re sollicitus est, difficilè capitur à Diabolo: quod si occupatus est, & sollicitudine tanquam puluerem mentis exasperat tranquillitatem; ex illius manu haud facilè effugit.*

1. Cor. 9.

Pineda.

Ad luctam nudi procedebant pugiles, & oleo delibuti. Propert.

Chrysost.

Dion. Areop. Ambros.

Puluis cur à luctantibus aspergeretur aduersario?

Nil. Abb.

At, vt noueritis, quo pacto inanes istæ arenæ grandes demergunt onerarias, cinis gigantes prosternit, depromam ex Augustino, quonam more Catholicus in Manichæismum prolapsus sit: is tractat. 1. in Ioannem, ad illa cap. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, ita enarrat: *Nam, nescio quis tædium patiebatur à muscis: inuenit illum Manichæus tædio affectum; & cum diceret, se non posse pati muscas, & odisse vehementer illas, statim ille: Quis fecit has, inquit? Et quia tædio affectus est, & quia oderat illas, nõ ausus est dicere: Deus illas fecit: Erat autem Catholicus: Ille statim subiecit: Si Deus illas non fecit, quis illas fecit? Planè, ait ille, ego credo, quia Diabolus fecit muscas: Et ille statim: Si muscas Diabolus fecit, sicut te video confiteri; quia prudenter intelligis, apem quis fecit, quæ paulo amplior est musca? Non ausus ille est dicere, quia Deus fecit apẽ, & muscam non fecit, quia res erat proxima: ab ape duxit ad locustam, à locusta ad lacertam, à lacerta ad auem, ab aue ad pecus, inde ad bouem, inde ad elephantem, postremò ad hominem, & persuasit homini quia non à Deo factus est homo: Ita ille miser, cum tædium passus est à muscis, musca factus est, quẽ Diabolus possideret: Beelzebub quippe interpretatum dicitur Princeps muscarum: de quibus scriptum est: Muscæ morientes exterminant oleum suauitatis*: Videtisne, vt propter muscam, hominem negauit, quem Deus creasset? Quid magè obscurũ musca? Quid homine clarius? A muscæ negatione ventum est, vt homo negaretur manibus Dei plasmatus fuisse, quem apertè Scriptura testatur à Deo conditum ad imaginem & similitudinem ipsius? Leue tædium est, ob quod eorum recitationem pertransis, quæ sine onere, ex deuotione tantùm piæ mentis, quotidie ad Virginem beatam, aut de Cœli incolis tutelarem aliquam pronuncias: ab hoc fastidio pergitur ad quidpiam omittendum quod conscientiæ & noxarum Iudex plurimùm commendauit; sed tamen alligare noluit: itur ab istis ad tertium, fit veniale piaculum ecclesiastici pensi aliquid reliquendo ob materiæ paruitatem: tandem aut Officium integrum, aut magna eius pars contemnitur, lethale perpetratur crimen; sic eius, quæ videbatur scintilla, incendium est exitus. 20. Augusti.

Nónne vides, quàm immanes sordes puluerem neglecti alunt? Egrediebatur de Ægypto phalanx Hebræa per deserti abitura viam, & iussa est vestigiis integumenta quærere: *Renes* (inquit) *vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus.* Exodi cap. 12. vers. 11. At, cur non faciem magis, non caput, non manus, vel pectus abscondi imperat? Volebat profectò cauendum esse à puluere: pedes autem sunt, quibus maximum à luto, & puluere imminet discrimen, quoniam totius corporis à pedum venustate dependet pulchritudo: ideircò apud Hieremiam de vrbium formosissima mœrens conqueritur: *Et egressus est à filia Sion omnis decor eius.* Thren. cap. 1. vers. 6. 21. Exod. 12. Thren. 1.

Quo

Quomodo amissus,atque deturpatus omnis vniuersim decor? *Sordes* (inquit) *eius in pedibus eius:* Nihilne de fronte,nihil de oculis, nihil de genis candidis & rubicundis olim, nihil de lactea cervice,nihil de vberibus, nihil de manu ? de pedibus tantùm, *Sordes in pedibus eius*;& tamen omnem speciem defunctam, & emortuam asserit? Odiram à pulueribus,& neglecto luto plagam? Benè igitur,quod de Ægypto exituros,calceatos procedere iubeat; Verùm , quamobrem non legimus, dum sub Pharaone populus habitator esset apùd iniquam gentem,à Numine imperatum, vti calceamenta portarent ; sed nunc , cùm abire tentant? Intellige medius fidius,Ægyptus mundi typus est , ibi quoniam frequentes occasiones labendi in mortales, grauioréque noxas , populus fidelis & sanctus sua sponte ab istis caueret, neque opus monitore , cùm serpentes,& vepres crebrò occurrerent , quæ lacerarent pedes : itaque peccatum lethiferum pius quisque facilè deuitat, ingerente horrorem sceleris immanitate: desertum autem Religiosorum vita atque status est ; hìc rarò aliquid de serpentibus, de spinetis, aut aculeatis filicibus, quæ plantas vulnerent; quare locus iste quidem inuitabat ad deponenda calceamenta: quid enim istis opus,quando nihil in via , quod graue nocumentum afferat ? Ergo, vt & hìc calceos non abiiciant,Creator admonet: quoniam,etsi non à morsibus serpentum, non ab aculeis metus sit ob soli reuerentiam : tamen à puluere egregium periculum est , ne fortè quasi minutos aduersarios Israëlitæ despiciant viles cinerum atomos; contingat autem ex horum contemptu serpenti & vepribus locum dari,& pungant sanè vsque ad mortem.

22. Thren. 1. Sanct. At & locum Hieremiæ ex Thren. cap. 1 vers. 8. expendamus magis : *Sordes eius* (ait) *in pedibus eius:* Adnotat verò doctè noster Sanctius , Hebræam voculam בְּשׁוּלֶהָ *besuleh*,pro qua vulgatus transtulit *in pedibus* , significare prætereà partes illas vestimentorum , quæ extremæ sunt , atque pedes lambunt , quas fimbrias appellamus;igitur querela est idcircò , quòd hæ vestis partes sordidæ appareant ; Sed, vt ego concedam, istud sua dignum esse reprehensione : nam certè in tam speciosa virgine , qualis erat Sion , cui nulla similis tum sub cœlo omnia & polita , & nitida debeant conspici tamen quantum est hoc , vt dicatur, *Egressus est à filia Sion omnis decor eius?* quasi verò cum deformi limbo non possint alia affabrè venusta coniungi ? Nisi fortè contendas ex Psal. 44. vers. 14. in ora cycladis positum omnem splendorem;nam ibi de extima parte, *Omnis gloria eius, filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus* ; Cùm igitur vestis totus honor in limbo , non mirum , si hoc deturpato affirmet , amissam firmitatem vniuersam ; Quis credat à fimbria pendere totam amictus gratiam? Illa, quæ tibi nouissima apparent, & contemptibiliora, caue, ne puluere infici sinas : vallum reliquæ telæ, fimbria est , circundat & protegit illam ; hoc amisso Palladio ruet Ilium , & ingens gloria Dardanidum ; exteriorem hominem fateor repræsentat limbus, qui deforis est:agnosco etiam virtutem præcipuè ab intus manare ; sed crede , nisi externi gestus cum omni modestia, cura habeatur , deficiet interiùs vigor : denique meminisse semper oportet Sioni inclytæ vrbi obiectas in vestigiis sordes, vtque formidandæ stragis causa extiterint.

Psal. 44.

Quantis à Deo locupletatus donis primus homo? Quàm fœlici in statu creatus ? Sed miror, cui deliciosam vitam , & locum voluptatis præparauerat, cur agriculturam exercere velit, *Tulit ergo Dominus Deus hominem,& posuit eum in Paradiso voluptatis,vt operaretur,& custodiret illum.* Genes. cap. 2. vers. 15. Ad quidnam vtilis labor iste:nam neque ciborum exigit necessitas , non morbus aliquis sobriam exercitationem postulat, non lucri causa suscipitur ; Basilius Seleucensis orat. 2. *Exundans bonitatis diuinæ opulentia,mox vt creatæ res fuerunt, mouit ad operationem , fecitque creaturam suæ bonitatis instrumẽtum;propterea hominum manibus terram excoli fecit* : Expendo,vt *exundantem* appellet diuinam bonitatem,& subiungat, fecisse creaturam instrumentum huiusce suæ bonitatis : Quid patrauit ? Nimirum,impulit hominem , vt quanquam satis tutus videbatur cum adminiculis cœlestium donorum;tamen ad abundantiam præsidiorum , ostium præcluderet socordiæ,terram colendo; hoc fuit exundans bonitas: Sed, quid opus fuit tanta munitione,vtque adderetur nouum sepimentum ? Multa sanè necessitas : Nam, quoniam maritum Eua non imitabatur, otiosis vacauit colloquiis non solers femina , & ab hoste callido decepta est ; Auctor Rupertus lib. 3. de Trinitate , & operibus eius, c. 2. *Mulier corpore,& oculis vaga dum incontinenter deambulat,fortè prospectans,qualis extra Paradisum mundus esset:& dum serpens,vtpote astutus, dulcedini terræ illius propiùs,& ambitiosius inhiat; locus Diabolo datus est,& occasio breuiter porrecta vnde tentaret Euam* ; Cernis , vt non frustrà Numen monuerit , ab otio cauere : glebam aperire, & findere! Nihil tam securum , ne etiam ipse Paradisus , cui non sit opus munimine,quando adhuc relictus sit homo, qui aut delinquere possit, aut in bono permanere : nunquam obfuit antemurus.

Gen. 2.

Basil. Seleuc.

Rupert.

23.

SECTIO III.

Contemplationis deliciis frui cupientem, oportet omnibus sæculi curis valedicere.

24. MIrati sumus , quamobrem Salomon , qui in vestibulo aliorum librorum se , & filium Dauidis , & Regem Israël nuncuparit , huius in limine Cantici titulos externos omiserit , nuda Salomonis contentus nuncupatione : Ac placuit cum cæteris causis illa: nempe, quòd codex iste mentem castis sponsi sui amplexibus per sacrum contemplationis fœdus iungat : Quoniam igitur metri finis sit , diuinarum cogitatio rerum , Salomon indicaturus expeditam debere esse animam , & terrenis purgatam affectibus, quæ supergressa sit mundum , & strepitum compescuerit , tumultuantium curarum : omisit , quicquid , aut ad carnis molestam procurationem , aut ad negotia ex iniuncta Monarchia , spectare poterat : proinde non Dauidis soboles,non regnator in Sione potentissima vrbe: sed nudè Salomon! O certè regnorum pondus! nisi enim sarcina fuisset imperium , & corona , nequaquam prudens Rex , mox vt volare instituit,contemplationis adiutus alis , & empy-

rea

rea transcendere, sceptri memoriam deposuisset; Salomon tantùm, postquàm euasit contemplans, ne si etiam Rex, præpediretur à volando: Non stupeo, imperante Salomone florentissimam visam Monarchiæ ideam, si quæ vnquam sub Principe aliquo visa est; quando ille nouerit contemplationi interdum vacare, consopita ad interuallum regnorum memoria: Verùm assumpto insistamus themati.

25. Magnanimum pusionẽ nobis describit Isaïas, qui penè mammans audeat cum draconibus pugnare; *Et delectabitur infans* (ait) *ab vbere super foramine aspidis & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet*, Isaïæ c. 11. vers. 8. Porrò sic aduertendum est, ex specubus, atque antris olim data oracula. Lucan. lib. 5.

Isaïæ cap. 11. verba de Baptista.

Lucan *Oracula ex specubus emissa olim*

——*Sacris se condidit antris,*
Incubuitque adytis Vates ibi factus Apollo.

Strabo. De omnium celeberrimo Delphico oracolo Strabo libro 9. *Oraculum id ipsum* (aiunt) *esse specum altissimè depressum, aditu non admodum lato:*

Lucian. Quo ex specu draconem responsa dedisse Lucianus de Astrolog. significat, ὑπὸ τρίποδος δράκων φθέγγεται; *loquitur draco sub tripode.* Igitur putarim Isaiæ verba de Ioanne, Christi Prodromo, non inscitè construi posse: vix enim fasciis solutum, in eremum profectum, vbi in spelunca prope Iordanis fluenta delituerit, nobiles tradidêre Historici, quos nominat Suarius tom. 2. in 3. partem, disp. 23. sect. 2. §. *Quartò paulò post*, &c.

Ioannes Baptista ex cauernis Dæmonem eiecit.

Suarez. Hunc igitur à mammis derelictis in deserta euntem draconem, nempe Satanam, ex specubus, & cauernis eiecisse, quò loca, in quibus dominabatur Inferni Rector, & dubiis vaticinationibus imponebat generi humano, deinceps conuerterentur in Sanctorum Anachoretarum habitationem, vbi sequestres à rerum humanarum tumultibus iugiter contemplationi vocarent, Sed, quid miror de Ioanne explicasse Propheræ sententiam, cùm Hieronymus incitet, qui aduersùs Luciferianos non longè ab initio de Baptista? *Planè Angelum*, (inquit,) *qui post materni ventris hospitium eremi deserta sectatus, paruulus de serpentibus lusit:* Sed cur paruulo creditum aduersùs serpentem certamen? Nam serpens quidem astutum animal est, quin & omnibus callidior animantibus: pueri, ex diametro simplices nimirum, & faciles decipi; debebat igitur crescere in eam vsque ætatem, quæ sapientes reddit homines, vt paribus videlicet, armis dimicaret, id est, sapientia contra prudentem: Verùm erat contentio super specus possessione: Volebat eiicere draconem Præcursor: At, quem in finem? Nempe, quò contemplationi insisteret; Sed contemplationem diligentem, puerum esse oportebat; quippe ætas illa omnium curarum vacua est, non de vestitu, non de cibo, non de calceamentis prouidet, nihil in crastinum coaceruat, nec tristia deprimunt, neque læta erigunt, in hoc mundo tanquam si non esset de mundo: Cùm igitur contemplatio studiosos suos eiusmodi optet, quos terrena nulla vexet, aut perturbet sollicitudo, egregiè pro spelunca, id est, contemplationis sede pugnaturus cum aspide Ioannes, ea potissimùm ætate certamen iniit, in qua contemplationi singulariter idoneus, liber sanè à negotiis, & omni huius vitæ affectu.

Hieron.

Diuitiæ & sæculum cõtemplationi impedimento sunt.

26. Formauerat Adamum Creator, visúmque adiutorium ei addere sociam feminam, ex qua propagarentur orbis incolæ, vixque his recensitis Moyses continuò addit, immissum soporem in Adam, Genes. cap. 2. vers. 21. Cur tam properè dormit? Sanè, quanquam Rupertus Abbas lib. 2. explanationum in Genes. c. 39 hominem summæ ingratitudinis arguat, quòd simul ac conditus est, in Numinis benefacientis laudes non proruperit? difficile tamen est, vt id credam, (neque enim satis validum argumentum est, quòd Geneseos Textus sileat) quin iudicauerim, à lobo declaratum cap. 38. vers. 7. *Cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Porrò astrorum vocabulo irrationalia indicata, filiorum Dei nominibus intellectualem vtranque creaturam, angelicam, & humanam: Adamus igitur considerandæ diuinæ munificentiæ altissimè intentus, ferebatur extra se à grandiori contemplatione; sed mulierem formaturus Deus, noluit, vt sensus vigilarent: Quamobrem? Nempe, si intueretur se vxori alligandum, cùm qui vxori alligatus sit, de iis sollicitetur, quæ ad vxorem, & familiam pertinent, horum cogitatione aliqualiter Adami distraheretur mens, ne tota se colligeret, & tota effunderetur in diuina: ergo, vti contemplationis interruptæ dulcedine fruatur, sopiantur potentiæ; verùm oculis corporeis succumbentibus quieti, cor intùs vigilet, & Dei encomia contineret: nam ecstasim passum, & à Spiritu sancto illustratum propheticè Patrum vox, quos promit Salianus tom. 1. anno mundi 1. die 6. num. 105. At sciamus ex Ambrosio, quemadmodum feminæ consociatio, impedimento esse potuerit, ne satis tranquilla, atque stabilis esset contemplatio. Libro de Paradiso, cap. 11. *Quis est iste sopor,* (ait) *nisi quia paulisper ad coniugium copulandum cùm intendimus animum, veluti intentos oculos ad Dei regnum, inclinare, atque inflectere videmur ad quendam somnum istius mundi, & paulisper obdormire diuinis, dum in sæcularibus, mundanisque requiescimus?*

Gen. 2. Rupert.

Iob. 38 7.

Salian. Ambr.

27. Statuit Seruator Thaboris in apicibus gloriosus apparere in conspectu charorum speciatim Discentium; & inquit Euangelista: *Post dies sex assumpsit* IESVS *Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* Matth. cap. 17 vers. 1. At, quamobrem post sex dies? aut qui sunt isti sex dies? Sanè Exodi cap. 20. vers. 9. præceptum accepit Israël: *Sex diebus* (inquit) *operaberis & facies omnia opera tua: septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est; non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum & aduena, qui est intra portas tuas:* Igitur, si post dies sex assumpsit, Sabbatho quidem tulit eos: Verùm, quare hæc lux arrisit magis? Sanè propterea in montem subduxit, vt stillicidiis quibusdam perennis Beatorum gloriæ recrearet, vt discerent quàm magna esset dulcedo inexhaustæ cõtemplationis Deum facie ad faciem intuentis ex splendoribus transmutati vultus: ipsi verò & mente quoque excesserunt in profundissimam rapti theoriam: ergo vt nossent, speculationi vacaturos, debere omnem sæculi memoriam deponere, curas obliuisci vniuersas: noluit iis diebus, quibus genus humanum operibus incumbit, ad gloriam videndam transferre: sed feriandi luce, Sabbatho, nempe, quando negotiorum omnis cessat tumultus. Aut certè dicemus, sex diebus condi-

Matth. 27. Exod 20.

tam omnem creaturam, in quorum ſingulos ius aliquod habeant ; ſeptimum extra poteſtatem creaturarum eſſe, quem ſibi Numen integrè vindicet ; itáque volentem contemplari ſic vniuerſam creaturam tranſcendere debere, vt nihil in otio eius ſibi vindicet, ibi ſolùm moretur Deus, cætera abeant cuncta, quoad fas humanæ
Orig. imbecillitati : Nunc locum ſuum Origenis accipiat oratio tract. 3. in c. 17. Matthæi : *Quoniam enim in ſex diebus perfecti numeri totus factus eſt viſibilis mundus, ideò arbitror eum, qui tranſcendit omnes mundi res, conſiderans iam non quæ videntur, temporalia enim ſunt : ſed quæ non videntur, quoniam ſunt æterna, ille poteſt aſcendere ſuper montem excelſum Chriſto ſe præcedente : ille poteſt & gloriam aſpicere Verbi Dei : Si ergo quis noſtrùm cupit Chriſto ſe aſſumente aſcendere ſuper montem excelſum, & videre ſecretè transfigurationem ipſius, tranſcendat opera ſex dierum, non aſpiciens quæ videntur, neque diligens mundum, nec ea quæ ſunt in mundo, nec concupiſcat aliquam concupiſcentiam mundialem, quæ eſt concupiſcentia corporum, & corporalium diuitiarum, & gloriæ corporalis ; nec omnia, quæcunque ſolent auellere, & trahere à melioribus, & diuinis, & ad inferiora deponere : cùm autem tranſcenderit ſex (ſecundùm quod diximus) dies, nouum Sabbathum ſabbathizat, exultans in monte excelſo, in eo quod videt transfiguratum* IESVM *ante oculos cordis ſui.*

28. Duas claſſes nouam nuptam colentium deſcribit Pſaltes hymno 44. primùm filias Tyri, & omnes diuites plebis, de quibus aſſerit, muneribus eſſe deprecaturas vultum eius : Deinde virgines & proximas, adoleſcentulas, videlicet intra puellarum quidem numerum, quanquam non tanti ſplendoris : de his pronunciat, adducendas eſſe in templum Regis : Quid in his præſtantius, aut faciem Reginæ contueri, aut in eius ſacrarium introgredi ? Sanè poſtremum iſtud : nam liberum eſt omni vulgo Principum ora intueri : cùm illi in publicum vt ab omnibus conſpiciantur nonnunquam prodeant : paucorum eſt ad penetrale admitti ; hoc enim eſt templo intromitti : quamobrem & alij vertunt : *Penetrabunt vſque in intimum palatium*, nam vox originalis, היכל *hechal*, & delubrum, & regiam denotat : Quid eſt verò : in penitiora loca intrare, niſi familiarem ad Reginam habere recurſum & ſublimiori orationis dono excellere ? denique & in domum orationis, quod templum eſt, recipi ? quam non eſſe modicam prærogatiuam, qua virgines filiabus Tyri antecellunt, magnus
Pſalm. 4. Baſil. velit Baſilius ad finem homiliæ in Pſalmum 44. *Hæ domum* (inquit) *adducentur Regi, & adducentur, non in vnum plebeium locum, & vulgarem ; ſed in templum Regis : vaſa nanque ſacerdotalia, quæ humanus vſus non commaculauit, in Sancta Sanctorum adducentur : Quanta ſit prærogatiua in templum Regis adduci, Propheta pro ſeipſo orans oſtendit : Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, & viſitem templum ſanctum eius :* Sed, quænam eſt hæc Regina tam noua & inſolita, quæ ab intima regia filias Tyri, quarum tanta fuit potentia terra, marique, quarum opes in immenſum creuêre, quæ locupletes arceat ? Non ſic equidem Reges mundi huius ; imò, qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt ; pauperes deſpiciunt ; adfamiliaritatem & colloquium Optimates, & vitos diuitiarum tantùm admittunt : Ecce vim ſe creti ; Profecto ſponſæ noſtræ familiaritas cum amicis per dona orationis, & ſacræ theoriæ diuinarum rerum eſt : petunt autem huiuſmodi ſermocinationes quietem, atque ſilentium maximum : filiæ Tyri, cùm ex mercatura viuunt, in negotiis & tumultibus perpetuò ſunt ; diuites quoque nunquam feriantur, quos augendæ ſubſtantiæ labor, de vxore, de filiis cura, dies noctéſque ſollicitat : ab his vniuerſis vacua eſt Virgo, quæ Deo, ſibíque attendit ſolùm : ob hoc igitur virgines, & proximæ, quæ ſunt etiam puellæ, tantùm adducuntur in templum Regis.

29. Cur aduersùs Ananiam, & Sapphiram tam ſeuerus vindex Apoſtolorum Caput Petrus ? Scilicet, negarunt de agri venditi pretio, quando mutilarunt illud : At, nónne & Simon Præceptorem ſum negauit, & ad vocem quidem ancillæ ? Quamobrem igitur in ſimilis naturæ condonanda noxa non mitior ; quin verò & ſuperauit multùm Petri delictum : Certè quondam homo Rex cùm poneret rationem cum ſeruis ſuis, oblato ei vno, qui debebat ei decem millia talenta, ad ſupplicationem dimiſit ei debitum : ſed, cùm hic idem inhumanior extitiſſet aduersùs conſeruum, & tenens ſuffocaret eum ob centum denarios, ſtomachatus Rex quòd miſericordiam non didiciſſet, atque veniam conſequutus, in ſimili non fuiſſet benignus, *tradidit eum tortoribus, quoadúſque redderet vniuerſum debitum.* Matth. c. 18. à verſu 23. Quare igitur Petrus, quem ſe negantem IESVS ſuſtinuit clemens, & expectauit ad pœnitentiam, non etiam erga negantes Ananiam, & Sapphiram lenior exiſtat ? Vide ſtupeſcentem, & penè increpantem Cæſarium, Nazianzeni fratrem, Dialogo 5. Cæſar. *Quamobrem ergo tam enormiter lapſus ſanctus ille vir Petrus, & veniam conſequutus, ipſe quoque veniam non dedit Ananiæ, & Sapphiræ, ſed in vna hora vtroſque occidit verbo ? Licet nullus eſſet lapſus reſpectu illius abnegationis, aurum abſconderãt proprium, non alienum : vel etiamſi alienum fuiſſet, non eſt par peccatum priuatarum rerum parũ quid abſcondiſſe & abnegaſſe* IESVM ; *Non dementiæ eſt, primarij illius aduersùs ſontes terror ; ſed præſciæ diſciplinæ, plurima mortalium ſanantis vitia :* Sanè Chriſtianitatis exordia in Euchariſtiæ, & orationis pabulo ; *Erant nanque perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis Panis, & orationibus.* Actor. c. 2. verſ. 42. quò autem Act. 2. & 4. liberiùs orationi vacarent, exonerabant ſe diuitiis, vt quæ curas afferunt animum angentes : quare quoquot erant poſſeſſores agrorum, aut domorum, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum, Actor. cap. 4. verſ. 35. volebat autem Ananias & ſubſtantiæ partem retinere : & tamen orantibus ſe adiungere : arbitratus rem difficilem Apoſtolorum Coryphæus, & quòd in perniciem nouellæ, ſed florentis tamen, vineæ cederet, putauit acriori medicamine eſſe vtendum, vt ſupplicij immanitate compeſceret pullulantem licentiam, & contineret in officio recèns conuerſos ; propterea quanuis ipſi peperciſſet Chriſtus, quem vehementer negauit ; non iudicauit parcendum eſſe cogitantibus diuitias contemplationis ſtudio impedimenta non afferre : ne ſi lenior fuiſſet, crepundialis adhuc Eccleſia de vigore remitteret : & antè penè tepida, quàm nata fuiſſet : nihil diſſimulandum ſub initiis rerum, quæ fortia eſſe neceſſe eſt. *Sub initio diſciplinæ ſeuera eſſe debet cuſtodia.*

Obtulê

30. Obtulêre ſacrificium duo primi fratres Caïn, & Abel: *Reſpexit verò Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Caïn verò, & ad munera illius non*
Gen. 4. *reſpexit.* Geneſ. cap. 4. verſ. 4. Quorſum verò ad iunioris oblationem potiùs reſpexerit: Ædepol,
Cyrill. quia melior ſacrificans ille: Percipiamus à Cyrillo lib. 2. in Geneſim: *Ergo ſacer, ac ſapientiſſimus Abel, quæ in grege ſuo præſtantiſſima erant, quæque æquiſſimo animo delecta fuêre, Deo optimo offerebat, modúmque ſacrificandi haud ignorans, adipes quoque apponebat: At Caïn, non eo modo, ſed contrà magna cum negligentia offerebat: quæ enim ex tempeſtuis frugibus, excellentiores eſſent, ſuis deliciis reſeruabat: quæ verò deteriores haberentur, Deo maximo offerre non erubeſcebat*: Denique Paulus vndecimo ad Hebræos capite aſſerit, verſ. 4. *Fide*
Hebr. 11. *plurimam hoſtiam Abel, quàm Caïn obtulit Deo*, id eſt, vberiorem, præſtantiorémque, vt Græcum πλείονα denotat; nempe viuax fidei ardor mouebat, vti per orationis ſtudium de æternaturis ſedulò cogitaret: ab oratione autem inflammatus animus, quod optimum erat, meditabatur: Sed, quæ fuerunt adiumenta Abeli, vt per contemplationis ſtudium, fidem acueret? quæve Caïno obſtacula ad ipſum id? Nempe, fuit quidem Abel paſtor ouium, & Caïn agricola, eodem Geneſ. c. 4. verſ. 2. quamobrem Caïni ſanè mentem terrenæ diſtrahebant curæ: nam opibus inhiabat, quò amplam familiam, quò vxorem, & filios ſuſtentaret: Abel, quem matrimonia coluiſſe incertum eſt, in montibus & ſyluis paſtor vtique verſabatur, vbi quietus animus ab omni tumultu liber, facilè in diuina aſſurgere poterat: ergo ipſæ viuendi artes, alterum vt contemplationi operosè vacaret, iuuerant: quid enim magè idoneum ſolitaria vita theoriæ amatoribus? alterum, quò remiſsè ageret, occaſio fuit, cùm hyeme, æſtate, vere, autumno nunquam ceſſarent negotia, ſiue arandi, ſiue ſementem colligendi, ſeu aliæ ruſticationes: orandi verò ſtudio conſopito, non eſt mirandum à Caïno tepidè, & indecorè ſacrificatum eſſe Deo: Fauet cogitationi noſtræ Ioſephus Flauius lib. 1. Antiq. cap. 3. *Hi fratres ſuis quiſque ſtudiis intenti erant: Abel iuſtitiam colebat, & omnibus actionibus ſuis Deum præſentem*
Ioſeph. *ratus, virtuti operam dabat, paſtoralis autem eius erat vita: Caïn verò, cùm alioquin etiam peſſimus eſſet, lucrúmque ſolùm ſpectaret, terram quoque arare primus excogitauit*: Quibus ſignificat Abelem iugi fruentem Dei præſentia, qui altiſſimæ orationis effectus, id tamen conſequutum, eò quòd eius vita paſtoritia eſſet: qua alter caruerit gratia frater; tum, quòd vitioſæ indolis eſſet; tum maximè, quòd lucro, & terrenis ſollicitudinibus
Rupert. occuparetur: Neque diſpar ſententia Ruperti Tutienſis Abbatis lib. 4. in Geneſim, cap. 2. *Nam Caïn, cùm Deo offerret ſua, ſeipſum ſibi retinuerat, repoſitum habens in cupiditate terrena: huiuſmodi portionem Deus non accipit: ſed, Præbe, inquit, fili, cor tuum mihi: At Caïn cor ſuum retinuit ſibi, & fructus terræ obtulit Deo: Abel autem primò cor ſuum, deinde rem ſuam offerendo, plurimam hoſtiam per fidem obtulit*: Igitur ad ſacrificia, orationem, alióſque religionis actus aptiora Abelis ſtudia, quæ libera à cupiditatibus, & à tumultibus, quos ſecum aduehunt terrena lucra.

31. Benedixit tribubus Iſraël Moyſes, & Benjamin alloquutus: *Amantiſſimus* (ait) *Domini*
Deut. 33. *habitabit confidenter in eo; quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet:* Quæ quidem verba ſecundùm communem explanationem indicant, cecidiſſe in ſortem tribui Benjamiticæ locum, in quo exædificatum ſit templum Hieroſolymitanum: hîc amor Numinis, hîc ſuauiter requieſcit, proinde & poſſeſſor amantiſſimus eius, & ſedes ipſa quaſi thalamus illi: Verùm, quamobrem in hanc tribum collata tam grandia? num ob fundatoris præſtantiam? Sed melior Ioſeph, dignior Iudas! Sanè deſcendente in Ægyptum reliqua Iacob ſobole, vnus Benjamin manſit apud genitorem: ibi domi reſidens conſolabatur grauem parentis ætatem, & tranquilla fruebatur pace, Geneſ. cap. 42. verſ. 4. At quid Ægyptus ſpiritaliter? Mundus vtique cum irrequieta pompa ſua: S. Damian. ſerm. 61. in Vigiliam Natiuitatis Domini: *Per Ægyptum figuraliter exprimi mundum iſtum, diuinorum eloquiorum ſcrutatores affirmant*: Ergo certè Benjaminus, qui mundi tumultibus liber, qui Ægypto abſens eſt, vnicè dignus, cui templum aſſignetur, locus, nempe, orationis: quis enim talis cuſtos loci, niſi qui ferietur, & otium ſanctum colat, quale nullum in Ægypto, mundo ſcilicet? Dices, & Benjamin perlatum in Ægytum, ex Geneſ. cap. 43. fateor! verùm poſt multas hinc inde altercationes deſcendit; neque ſponte, ſed vi quadam, non frumentorum gratia, alteriúſve humani lucri; ſed ne fratrum periclitaretur vita: qui autem in mundũ deſcendunt fraternæ ſalutis cauſa, quos hic ſolùm ſcopus incitat, nequaquam ſtrepitu mundano offenduntur: ſed egrediuntur, & ingrediuntur, & paſcua inueniunt, quin & abundantiùs nonnunquam torrente ſpiritalium dulcedinum potat eos Numen: Gloſſa apud Lippomanum Græca ad cap. 42. Geneſeos, *Idcircò affirmat ceſſiſſe Benjamino templum, quòd Ioſephum cum decem fratribus non adorauerit, vt monet idem caput verſ. 7.* Verùm idem hoc eſt, quod à nobis pronunciatum: nam propterea Ioſephum non adorauit, quia in comitatu reliquorum fratrum non erat, domi ſcilicet, relictus: At Gloſſæ verba ſunt: *Notandum verò, quòd Benjamin, neque Ioſeph, quemadmodum reliqui fratres adorauit: ideo in partes Benjamin ceſſit tẽplũ.*

Gen. 42. *Ægyptus, mundi typus.* Petr. Dam. Gloſſ. Græc

32. De Moyſe Exodi cap. 33. verſ. 7. ſcriptum, tuliſſe *tabernaculum, quod tetendit extra caſtra procul,* Exod. 33. *vocauitque nomen eius, tabernaculum fœderis*: At certè, cùm populum numeroſum regeret, mirum, quòd non eò loci tabernaculum conſtituerit, quò facilè multitudo recurrere poſſit: neque enim Magiſtratus ſolitudinem petere debeat, vt quem grex frequenter deſideret, atque vt caſtris egredi placuerit, ſed procul non erat eundum: verùm idem Textus paulò inferiùs, verſ. 11. loqui ſolitum Dominum ad Moyſem, affirmat, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum: innuit autem oraſſe Moyſem, & excelſiori contemplatione donatum: Præclarè itaque tabernaculum, in quo preces fundebat, vbi mente excedere conſueuerat, procul à caſtris, in quibus à multitudine ſtrepitus, collocarat, quando ſanè oporteat eum, qui orationis ſtudio eminere aueat, negotioſa, & inquieta omnia declinare: Ambroſ. Ambr. epiſt. 82. ad Vercellenſem Eccleſiam: *Moyſes ſolus, qui Deum videbat, extra caſtra habebat tabernaculum, quando loquebatur cum Deo.* Nilus Ab- Nil. Abb. bas in Aſcetico: *Moyſes item extra caſtra figens tabernaculum, oſtendit à tumultu bellico quàm longiſſimè abeſſe Magiſtrum oportere, & qui ad pacificum & quietum ducit vita genus, debere à caſtrus*

cruentis esse remotissimum: Ibi & aliud non despiciendæ considerationis tangit Nilus; nempe, disquirit, quamobrem à Salomone potiùs, quàm ab eius genitore Dauide voluerit Numen, templum ædificari, cùm certè Dauidis menti cogitationem iniecisset de fano moliendo, atque is materiam plurimam, aurique, & argenti pondera eum in finem coaceruasset? Verùm Dauid omnem vitam inter castrenses strepitus consumpsit; vix nouit, quid otium fuisset; semper in procinctu aduersùs hostes: Salomon autem tranquillos annos duxit, & secessu fruebatur inturbido: Voluit igitur Numen, vt cùm fundatorem operis sacrificiis, & orationibus destinati respuisset, quem curæ perpetuùm sollicitarent; discerent aduentantes precum gratia, quietam afferendam esse mentem, & in qua nulli bullirent tumultus: *Quòd si quis nondum cupiditates superauit,* (prosequitur Nilus) *sed adhuc in pugna, & sanguine versatur, & tamen Dei templum ex animis humanis molitur; is, nimirum, audiet à Deo: Tu mihi templum non ædificabis, quoniam vir sanguinum es:* (1. Paralip. cap. 22. vers. 8.) *pacificum enim requirit statum diuini templi constructio.*

Nil. Abb.

1. Paral. 22.

33. Sunamitis luctu compunctus pius hospes Eliseus, desertum tantisper reliquit, & oppido receptus, domúmque plorabundæ matris ingressus, clausit puerum suscitaturus ostium cubiculi, quo iacebat defunctus super se, Reg. 4. cap. 4. vers. 34. Sed, quare domus secreto non contentus, etiam voluit cubiculum obserari? An non meliùs in platea ciuitatis coram multitudine vniuersa, puerum suscitare, quò daret gloriam Deo populus? Sed considera, quoniam per orationem vita restituenda fuerat: *Ingressúsque clausit ostium super se, & super puerum, & orauit ad Dominum:* Quòd si quidem Eliseo orandum sit, necesse est, vt procul à turbis puerum viuificet: neque enim precatio tumultum sustinet: O bonum præceptorem Eliseum! Vtinam in congregatione Antistites imitentur! si quando infirmatur, & dormitat aliquis languens Lazarus, immitant in cubile, & claudant à foris ianuam per dies non paucos, hoc est, exercitiis mentalibus vacare faciant; videbunt, quàm properè matrem, quæ in Christo genuit, consolaturus sit, nouæ vitæ incenso ardore: Non meum est consilium istud: didici à Gilleberto serm. 16. *Mortuus* (inquit) *est, qui vel tædij, vel desperationis mole obruitur, in quo nihil est viuidæ deuotionis, feruidi spiritus? bonus huius lectuli vsus, qui breui hora in tempora sequentia vitalem alacritatem transfundit: bonus lectulus, in quo nullus languor est, nisi fortè languor amoris, qui non versatur in infirmitate, sed in iucunditate:* Ac sanè, cùm tam cautus extiterit Eliseus, ne quam sedato mentis statui vrbis tumultus distractionem peperissent, atque domus intimis se penetralibus occultauerit, & ob tam iustas causas, Carmeli secessum ad breue reliquerit interuallum; eius tamen factum eremi cultoribus admirabile potius quàm imitandum censuit Petrus Cardinalis Damianus, adeò si quæ vita est contemplationi per integrum addicta, ne ob sancta etiam negotia ad vrbes conuolare debeat: *Quod autem Eliseus* (loquitur Apol. c. 28.) *ad resuscitandum Sunamitis filium de montana remotione descendit; huius temporis Monachis potiùs est veneratione habendum, quàm imitandum: liceat sanè Monacho ad sæculum ex voluntate recurrere, quoties mortuum hominem ad vitam potuerit suscitare:* Quasi subinnuens, non nisi tam grandis prodigij occasione deserendam esse speluncam: atque erit sanè ita, vt pauciſſimi eremo pedem extrahant, cùm rariſſimis concessum mortuos ad vitam reuocare: Benè igitur Salomon, eo, quem de vita contemplatiua scripsit libro, omnem sæculi, atque curarum memoriam aboleuit; neque Dauidis filium se nuncupans, nec Hierosolymotum Regem: sed nudo Salominis vsus vocabulo codicis fronte.

Gilleberti.

Petr. Dam.

SECTIO IV.

Scientiæ, spiritus feruorem esse maritandum, quò sapientiæ vtilis euadat.

34. DVo nomina præstantissima sortitum Epithalamium istud subindicauimus; alterum ob carminis & ingenium, & summam elegantiam, nempe Cantici Canticorum, quòd inter metra vniuersa excelleret; alterum, propter affectus nobilitatem, nimirum Canticum amoris vocatum, quòd hîc amor omnem suam potentiam effunderet: O singulare vinculum! Certè verè Hymenæus, cuius lampades tam ignitæ sunt, tam splendentes! Equidem scientia absque ardore spiritus, Deo stultitia est: charitas absque ingenio vtilis est verùm, vt Paulino scribens Hieronymus effatur: *Sancta rusticitas sibi solum prodest: & quantùm ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi; tantùm nocet, si destruentibus non resistat:* Palmam vtriusque fœdus retulit: *Daniel* (inquit eodem loco Stridonensis) *in fine sacratissimæ visionis, ait* (scilicet, c. 12. vers. 3.) *iustos fulgere sicut stellas; & intelligentes, id est, doctos sicut firmamentum: vides, quantùm inter se distent, iusta rusticitas, & docta iustitia? Alij stellis, alij cœlo comparantur:* Et luculentè quidem doctam iustitiam firmamentum appellauit: nam verè in his Ecclesiæ catholicæ robur; nanque doctissimi ad omne genus pugnæ: si enim exemplis agendum sit, & hæc potentior armorum forma aduersùs induratam nequitiem, vita fulgent emaculata: sin Hereticus, aut Iudæus, aut Gentilis ratione, atque dissertatione edomandus sit, promunt quasi Scribæ docti de thesauro suo noua, & vetera.

Hieron.

35. Tales monet esse Aaronicus ille Sacerdos: nam ad oram vestimenti deorsum pendentis, mala punica intexta ferebat, *ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac byssо retorta; & tintinnabula de auro purissimo inter malogranata in extrema parte tunicæ per gyrum.* Exod. c. 39 vers. 23. Ac sanè, facilè cesserim tintinnabulis sapientiam, quæ vocalis, & in platea, & viarum semitis, clamitat, indicari; pudórque Leuitæ nomen portare eum, in quo non sit cognitio, cùm & infimum sacerdotalem gradum egregiè doctum requirat Aaronica vestis, propterea nanque ad extima dependent tintinnabula: Sed, cur associauerit fructus tintinnabulis? Certè cur ex vniuersa pomorum sylua elegerit malogranata, cùm aliarum arborum nobiliores essent fœtus? Anne, vt regiam in sacerdotio innueret potestatem? nam pomum diadematum prodit? Sanè rubentia sunt mala punica; & quæ in Palæstina nascuntur, singulariter rubent: ergo euomit ignes fructus; ardoris

Exod. 39.

ardoris procul dubio insigne hieroglyphicum est; Docet igitur vestis inferior limbus, vocalem & sapientem oportere esse Sacerdotem: at & à charitatis incendio ardentem eundem; non seorsim tintinnabula, sed inter malogranata, vt amicitiam innuat inter sapientiam & charitatem, quas ligari, vnáque ferri conueniens sit; ista verò cùm in omni sacro Mysta desiderentur, sed in primis in iis, qui euangelizant, quorum idcircò specioſi noscantur pedes, & propterea ad pedes Aaronis illa symbola: nisi enim ardeat Orator Christianus, atque Ætnam emittat contra peccatores, compta poterit esse eius eloquentia; sed animabus tenuiter vtilis: Eluxit vtrunque in vltima Seruatoris concione; quam discessurus ex hoc mundo habuit ad Apostolos.

Rupert. Notatum id à Ruperto Abbate exordio libri 13. in Ioannem; *Qui sunt* (ait) *fines tunicæ sacerdotalis, nisi extrema, de quibus nunc loquimur, vitæ Domini nostri? quæ sunt mala punica valdè rubentia, nisi eius, qua maiora nemo habet, charitatis opera? tintinnabula verò clarissima sunt dilectionis eius verba, quibus & eos in prædicta cœna instituit; & mixtis tintinnabulis doctrinæ, & operum eius malis punicis, nihil visu pulchrius, nihil auditu dulcius, nihil experimento delectabilius.*

36. Populum cùm ex Ægypto educeret Numen, dedit itineris duces, Moysem, & Aaron, alterum ciuilem Magistratum, alterum sacrorum Præsidem; Psal. 76. *Deduxisti sicut oues* (canit Dauid Psalm. 76. vers. 21.) *populum tuum, in manu Moysi, & Aaron*; Quem Psalmi locum quemadmodum interpretetur Origenes homil. 27. in Numerorum librum, operæpretium est, videamus; Orig. *Exierunt autem in manu Moysi, & Aaron: ad exeundum de Ægypto non sufficit vna manus Moysi, quæritur & manus Aaron*; Moyses indicat scientiam legis; Aaron sacrificandi Deo, & immolandi peritiam. Sanè ad Moysem liber, & volumen legis pertinebat, proinde & sapientiæ scrinium, atque conditorium; ad Aaron spectabant ignes, quibus victimæ & holocausta cremabantur; idcircò & ad eum ardor, quæ charitas est, referendus: Gradere sub talibus Imperatoribus secura, cohors Hebræa: nam, quanquam ouium in morem procedas, ac proinde in medio luporum, qui lacerare tentent, ibis in lætitia, nec erit in tribubus tuis infirmus: nam pro te fœderantur scientia, & ardor; quando verò duo ista amicitias ineunt, omnia in tuto sunt: Scis, quantùm fœderantur? Sanè, quasi vnum sint; neque enim in manibus Moysi, & Aaron deductam plebem asserit; sed *in manu*, tanquam sit vna vtriusque manus; Iterùm Adamantius: *In manu enim Moysi, & Aaron eduxit eos Dominus, & non in manibus Moysi, & Aaron: vnum enim opus vtriusque manus est, atque vna perfectionis expletio.*

37. Per coniunctas scientiam, & charitatis inflammationem, in terram Chanaan itum per Israëlitas; per has in Paradisum transferendus Christianus: siquidem collocatus est ante Paradisum voluptatis Cherub, & flammeus gladius, atque versatilis ad custodiendam viam ligni vitæ, Genes. c. 3. vers. 24. Cen. 3. Sed insolens mucronis forma; quis talis macheræ vsus? quo pacto leues, & comprehendi nescias flammas arripiet bellator? vanescet inter digitos, atque eludet fallax ensis: At non in Paradisum ingressus, nisi talem per ensem: Sanè Paulus gladio adumbrari verbum, ex quo sermo sapientiæ est, innuit c. 4. ad Hebræos, vers. 12. *Viuus est enim sermo Dei*, inquit, *& efficax, & penetrabilor omni gladio*: Sed inutilis ad Paradisum scala absente ardore charitatis, scientia; igitur ardentem esse necessarium est gladium, qui verbum est: quomodo autem possit ardere nisi à flammis? Benè itaque flammeus ensis, qui lignum vitæ defendit, vt simul & ardeat, & illuminet: Bruno apud Tilmannum in Allegoriis. *Cherubin plenitudo scientiæ interpretatur, Ecclesiæque Doctores significat, in quibus scientiæ, & sapientiæ thesauri sunt reconditi: cùm autem quis de Paradiso, id est, de sancta Ecclesia propter peccatum suum eiicitur: ne ad lignũ vitæ, id est, ad carnem Christi participandam accedere præsumat, ab his interdicitur: est autem iste gladius lucens, & flammeus, splendidus, & sine rubigine: quo qui percussus fuerit, aut illuminatur, aut exuritur*: Benè coniunxit in gladio illuminationem, atque exustionem, vt scientiæ illustratio responderet, ardori combustio. Hebræos. Bruno.

Ibant, post suscitatum è mortuis Christum in 38. castellum Emaüs ex discipulis duo: *Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse* IESVS *appropinquans ibat cum illis.* Luc. c. 24. Luc. 24. vers. 15. *nec cognoscebant eum*: Ergo incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant; nec sic aperiebantur oculi eorum: ô rudes nimiùm auditores, quando nec Christo præceptore aliquid penetrant! Venitur in castellum, discumbitur, panis diuiditur, & vt fractus est, aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum; Quod nouum genus collyrij istud? Panis cæcitatem dispellit, quam Christi magisterium tollere non valuit? Verùm perpende scientiam à Christo communicandam nolle absque sodali charitate esse; tum autem discipulorum enituit charitas, quando coëgerunt peregrinum vt maneret apud eos, eò quòd nox properaret, & timerent, ne sub dio manendum fuisset illi; tum eadem adoleuit charitas, cùm ad mensam sedere fecerunt: Igitur scientia, quæ docente Christo, vim suam efficaciter non exercuit, vt vidit charitatem, exiliit, & tenebras dispulit potenti robore: Gregorius Romanus homil. 23. in Euangelia: Greg. *Sed esse extranei à charitate non poterant hi, cùm quibus Veritas gradiebatur, cùm ad hospitium quasi peregrinum vocant: Mensam igitur ponunt, panes, cibósque offerunt: & Deum, quem in Scripturæ sacræ expositione non cognouerant, in panis fractione cognoscunt*; Nempe, quia panem esurienti frangentes, charitatis exercebant opus, qua visa, lux sapientiæ, quæ frigidi recusat sinum pectoris, oborta est caligine tectis: sic nanque vt accideret, vaticinatus est Isaïas c. 58. vers. 7. & 8. *Frange esurienti* (inquit) *panem tuum, & egenos, vagósque duc in domum tuam*: quod vtrunque Emaüntini perfecêre discipuli; *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum*: Laurentius Iustinianus ad normam Gregorianæ expositionis, de triumphali Christi agone, c. 25. *In panis* (inquit) *fractione potiùs, quàm in prædicatione, agnoscere meruerunt: quatenus sicut egeni miserti sunt, ita misericordiam reperirent.* Isaïæ. 58. Lau. Iust.

Transfigurato Christo vox de cœlo intonuit; 39. dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite*: Matth. c. 17. vers. 5. Matth. 17. Testatus & pro Gnato Pater, cùm baptizatus de aqua ascendit: verùm tunc solùm proclamatum ab eo, filium eius esse dilectum, in quo sibi com-

placuerit; sed non præceptum spectantibus ablutionem, vti audirent, Matth. c. 3. vers. 17. Cur non vtrobique, vt exaudiretur, imperatum? Sanè ibi de regeneratione actum, qua peccatum ab Adamo deriuatum destruitur: conuenit autem & hoc iis, qui obaudire nequeunt, etiam infanti vnius noctis: in Thabore verò præscribebatur Apostolis, ex quibus aderant tantùm, forma doctrinæ euangelicæ, & vt esset seminandum vtiliter in cordibus mortalium verbum Dei: Aduertit Caietanus ad c. 17. Matthæi: *In Baptismo*, inquit, *paterna vox non dixit: Ipsum audite: Sed modò hoc addidit propter mysterium: tunc enim regeneratio, modò doctrina significatur: & propterea tunc satis fuit testificari, quòd est filius: modò oportuit testificari etiam, quòd est Doctor audiendus à mundo:* At certè, quando vocis paternæ scopus, vt à Filio normam prædicandi nationibus, acciperent: quamobrem non eis Seruator Christianæ Rhethoricæ leges aliquas dederat absoluta transfigurationis gloria? Aliquid de Eliæ quidem aduentu; sed excepto hoc non aliud: arbitror tamen documenta præbuisse, signis ædepol, non voce, nempe, ad hoc attulerat Moysem, atque Eliam delectos ex omni Patriarcharum cœtu: *Potest & alia addi causa* (inquit Euthymius) *quòd hos propter discipulos adduxit, vt ad eorum imitationem excitarentur:* Igitur per hos: quos ideò socios voluit, loquutus Apostolis, tacitè indicauit, quales verbi prædicatores, eos cuperet: quæ autem ex Moysis, & Eliæ coniunctione instructio? Sanè propterea vocatos, alterum ex loco, in quem translatus sit; alterum ex mortis sinu, nominatus modò Auctor putauit, vt mortis, vitæque Dominus cognosceretur Christus: Moyses enim mortuus erat, Elias viuus; nempe, intelligerent animarum venatores, duo eis ex muneris ratione incumbere; alterum, vt peccati morte defunctos gratiæ vitæ restituerent; alterum, vt per gratiam viuentes, à morte per grauem noxam, præseruarent: Verùm, præter ista, aliud insuper: Moyses sanè doctissimus fuerat, vtique à Martyrum corona Stephano laudatus, *quòd eruditus esset omni sapientia Ægyptiorum, & potens in verbis.* Actor. cap. 7. vers. 22. Tantus autem Eliæ Vulcanus, vt quasi *ignem surrexisse, & verbum eius quasi faculam arsisse* Siracides affirmet, Eccles. 48. Ecclesiastici cap. 48. vers. 1. Optabat itaque, discerent Apostoli, quando eos Ecclesiarum Principes designaturus esset, qualem deceret esse euangelicum Antistitem; nempe, cuius exculta eruditio Moysis enucleatam, vberêmque sapientiam imitaretur; cuius ardor in exhortando Eliæ scintillas, atque flammam referret: Non miror, IESV bone, quòd talibus cinctus athletis gloriosus, & splendescens appareas! O Petre, ne dicas, quoniam in monte tria figere tabernacula expediat: non ad hoc Moyses, non ad hoc Elias spiritalis, vt eremum incolant & propriæ saluti incumbant: docti, ardentésque sunt: operæpretium est itaque in omnem terram exire sonum eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: sine, inde proficiscantur: mandatum habent, *Vt doceant omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: Certè mandatum tu, atque commilitones simul atque Moysi & Eliæ similes fueritis, postquàm resurrexerit à mortuis Filius hominis, in quod tempus hanc manifestare visionem non liceat.

Caiet.

Euthym.

Operarij euãgelici scopus & partes.

Act. 7.

Eccli. 48.

Vehebatur stupenda illa Ezechielis quadriga similitudinem quasi aspectus hominis habens: eius quæ supra lumbos corporis lineamenta, electri imaginem referebant; quæ à lumbis deorsum erant, ignita apparebant: Ezechielis cap. 1. vers. 27. Quis tam densi ænigmatis sensus? Sanè, quadriga illa quatuor Euangelia sunt. Gregorius homil. 2. in Ezechielem: *Quatuor hæc animalia, sancti scilicet, Euangelistæ:* Res est præter controuersiam, & in omnium ore: & quidem aurigator idoneè interpretari valeat diuini sermonis quisque Præco: eorum enim est, hoc vectari curru, & circuire omnes mundi plagas Christum annunciando: Puto igitur illa sedentis in throno (qui rhedæ intra ambitum) species denotarit, qualem deceat esse Euangelij buccinatorem: nam quidem electrum ex auri, argentíque admixtione nascitur Plinio Auctore lib. 33. c. 4. Gregorius nuper memorata homilia: *Electrum quippe ex auro, & argento est: in electro, dum aurum, argentúmque miscetur, argentum ad claritatem crescit; aurum verò à fulgore pallescit:* Iam verò notum est secundùm mysticam significationem, argento eloquium, atque scientiam repræsentari, aurum charitatem figurare, spiritus ardorem, tantúmque profectò, vt fornace aduersitatum probetur, splendescátque magis: Igitur Euangelij Legatum oporteat ingenio, atque eruditione lucere: verùm cum qua ardor inflammatæ mentis, charitatísque incensæ, coniunctus sit; hoc est de electro componi: Vt quid igitur, dicas, si electro ista sufficienter declarantur, adiuncti sunt ignes? *Et à lumbis eius vsque deorsum* (ait Vates) *vidi, quasi speciem ignis splendentis in circuitu:* An, quoniam electri natura mitis est? quamuis enim splendeat, non comburit: Oporteat autem Viros apostolicos non tantùm lenes esse, sed frequenter & seueros? An, quia ad alia domanda vitia sufficiant medicamina suauia, ad luxuriam, quæ in lumbis regnat, incendio & vastatione opus sit, adeò contumax malum? Subinnuit Hieronymus: *A lumbis verò, & deorsum, ignis erat resplendens in circuitu: vt ostenderet ea, quæ supra lumbos sunt, vbi sensus versatur, & ratio, non indigere igne, nec flammis: sed pretiosissimo metallo, ac purissimo: ea verò, quæ à lumbis deorsum, vbi coïtus, vbi generatio, vbi incentiua vitiorum, purgatione indigere flammarum:* Supra lumbos rationis, & iudicij sedes, atque vt labantur aliquando; tamen, qui rationi cedunt, iiscum blandè agendum: si quis ratione gubernari contemnat, vt nolunt Hæretici, flammis tradatur: Sed iuxta instituram à nobis disputationem: equidem iucundissimus est splendor electri; & hæc eius præcipua dos: at frigidus est: non enim torret, aut calefacit: Ne igitur quisquam opinaretur, sufficere euangelico Concionatori lucere tantùm, apponuntur incendia; ideò associantur electrum, atque ignis: *Quid verò iste ignis* (proloquitur iam nominatus Gregorius Papa hom. 9. in Ezechielem) *designat, nisi ardorem sancti Spiritus, qui corda, quæ repleuerit, incendit? de quo ipsa Veritas dicit: Ignem veni mittere in terram:* Hic igitur sacri Spiritus ardor scientiarum fulgentissimo iubari copulandus erat, vt euangelicæ quadrigæ dignus Auriga throno veheretur.

Gregor. Pap.

Electrum ex auri & argenti mixtura.

Plin.

Greg.

Euangelicus minister quibus excellere dotibus debeat?

Luxuria vitium difficilè vincti.

Hieron.

Hæretici flãmis tradẽdi.

Gregor.

Plorabat apocalypticus Euangelista, quoniam librum quem viderat in dextera sedentis in throno, scriptum intus, & foris, signatum sigillis septem, *Nemo neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, qui aperiret, dignus inueniebatur.* Apoc. cap. 5.

41.

Apoc.5. cap. 5. vers.1. Non fuit diuturnus mœror; nam accessit, & volumen reserauit Agnus, cui subitò victoriale carmen quatuor animalia, & viginti quatuor seniores panxerunt; *Dignus es, Domine,* (cantabant,) *accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in Sanguine tuo:* Perpende causalis vim; *Quoniam occisus es*; Nam, etsi mortuus non fuisset, an non posset aliis egregiis facinoribus promereri, vti librum aperiret? Atque occumbens, an non poterat alio, præter libri intelligentiam, præmio donari? Quare itaque librum ideò reuelans, eò quòd iugulatus sit? Sanè mentis ardor nullo potiori testimonio probari valeat, quàm sanguinis effusione; satis enim, eximiéque ardens pectus est, quod vsque ad sanguinem restitit; Tritum quoque illud est de Saluatoris ore, maiorem charitatem neminem habere, quàm vt etiam pro amicis animam ponat; ergo in occiso mansuetudinis Agno & ardor summus, & charitas superexcedens. Iam fortasse mirabere, quòd librum aperuerit? Nam, cui danda clauis

Scientia feruore spiritus acquiritur. scientiæ, nisi illi, cuius tam insignis ardor, cuius tam vehemens charitas? Erat liber ille signatus, sermo vtique Dei labiis prolatus per ora Prophetarum; hunc si quispiam penetrare optet, charitate in feruore spiritus ardeat; alioquin pulsantibus ad ostium, *Nescio vos*, respondebitur: O sancti ardoris potestatem magnam! Quod nemo, neque in cœlo, nec in terra, nec subtus tertam agere potuit, vicit flamma charitatis; Rupertus

Rupert. libro 4. in Apocalypsim; *Ergo, quod dicunt ei, qui iam aperuerat; Dignus es accipere; idem est, ac si dicant; Dignus es, & potens sensum legentibus aperire, & intelligentiam Scripturarum dare; Vnde hæc, Domine, dignitas tibi? Quoniam occisus es, inquiunt, & redemisti nos Deo in Sanguine tuo; nisi occisus fuisses, nequaquam liber aperiri potuisset; quoniam ergo occisus es, in eo ipso aperuisti librum, & implesti veritatem Scripturarum.*

42. Sed & in hac Ioannis narratione aduertere æquum est, mortales ex omnibus orbis partibus Agno volumen reseranti applaudere; *Et redemisti nos Deo* (inquiunt) *in Sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes*, allegato cap. 5. vers. 9. Verùm, quo pacto tot cultores nactus Agnus? Nam in Iudæa solùm notus Deus; & si quid de gentibus, tanquam nihilum illud; quid enim tres Reges, & ij in regionem suam per aliam viam statim reuertentes? Proh! quantùm est librum aperiri, quia occisus est Agnus! Antequàm duceretur ad victimam, liber etiam apertus fuerat; nam, *Traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ, & vt reuoluit librum, inuenit locum, vbi scriptum erat; Spiritus Domini super*

Luc 4. *me*, &c. Luc. cap. 4. vers. 17. Et tamen tunc ex Israël etiam non magna pars sequebatur eum: de Gentibus non quasi erat vir cum illo; simul ac dedit cruorem in pretium pro populo contradicente ei tota die, ac sic ostendit charitatem suam erga genus humanum, omnis eum natio supplex adorauit: O quàm efficax est sermo cum charitate non ficta! Sanè vsque ad animi compages

Feruor ad peccatores conuertendos eloquentia potior. Rupert. pertingens, & plures conuertens vna hora, quàm linguæ disertissimorum absque spiritus incendio felici per multos annos: Præclarè Rupertus dicto-iam lib. 4. in Apoc. *Antequàm aperuisset Agnus librum, antequàm per passionem suam adimplesset veritatem Scripturarum, præter paucissimos, præter tres Magos ab Oriente venientes, & præter illum illuminatum à natiuitate cæcum; ferè nullus inuenitur procidendo adorasse Agnum, Christum, Dei Filium; sed, postquàm aperuit, postquàm obedientiam consummauit, omne genu curuatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; Nec verò solummodo genuflectitur; sed adoratio plena procidendo perficitur, sicut & in Psalmo scriptum est: Coram illo procident Æthiopes, & adorabunt eum omnes Reges terræ.*

43. Quantùm deperibat Iacob formosam Rachelem, pro qua septem annis duram seruiuit seruitutem, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine? Quantùm horrebat idem Liæ nuptias? contempserat enim illam, & socero conquestus est; *Nónne pro Rachel seruiui tibi? quare imposuisti mihi?* Genes. cap. 29. vers. 25. Gen.29. Liam, videlicet, supponens sororis loco? *Quærendum itaque est* (ait Richardus de S. Victore Rich.Vict. libro 1. de præparatione animi ad contemplationem, cap. 2.) *cur ferè omnes coniugia Liæ tantoperè abhorreant, qui in amplexus Rachelis tantùm suspirant?* Sed idem cum reliquis Patribus sentiens, Rachele studium sapientiæ, & contemplationis designari; Lia, operosam virtutis, iustitiæque feruida exercitamenta; *Quid* (inquit) *dulcius, quid iucundius esse potest, quam oculum mentis ad summæ sapientiæ contemplationem erigere? perfecta iustitia iubet inimicos diligere, illata mala patienter ferre, oblatam gloriam vbique declinare, quo ab huius mundi amatoribus quid stultius, quid laboriosius reputatur?* Inde igitur est, vt Liæ connubia despiciantur, Rachel ardenter ametur: atque ob hoc Gentilium Philosophi multi erant in rerum speculatione assidui; erat enim res gloriam & iucunditatem afferens: sed iustitiæ operationem, & animi nitelam, & quæ ordinata charitas præscribit, vtpote laboriosa, fugiebant? Nunquid & Iacob, qui Christianum sapientem præfigurat, idipsum permittetur, vt sola Rachele delectetur, Liæ consortium horreat? Nequaquam profectò: Audiet à prudenti socero; *Non est in loco nostro consuetudo,* (apud Christianam nimirum Philosophiam,) *vt minores anteà tradamus ad nuptias:* Non dabitur vllo modo Rachel nisi Lia etiam admittatur; & si quæ præferenda, si quæ primo loco nubenda, Lia erit, quæ virtutem, spiritúsque denotat feruorem; non Rachel, quæ sapientiam, & cognitionem designat; Periculosa res est, velle in solius Rachelis amplexus ire.

44. Cupísne hoc intueri? Disce à Ioanne Apocalypsis cap. 1. vers. 16. nempe, ille, quem, in Apoc.1. medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis vidit, *habebat in dextera sua stellas septem*; Sed, cur non potiùs Solem astrorum decus? Nempe, Sol qui & lucet, & ardens calefacit, eos adumbrat, qui cum scientiarum studio charitatem, ardorémque piæ mentis coniungunt: hi per se stare possunt, vtpote validi athletæ, non egent fulcris quasi imbecilles; stellæ autem fulgorem emittentes, qui non comburit, qui flammas non excitat, doctos adumbrat frigidi cordis, in quibus ignis salutaris non ebullit, vitia & imperfectum omne consumens, proximorum quoque mentes accendens; his non satis læua manu sustentari: exiguum est firmamentum tanto periculo; extendatur dextera, in qua robur & fortitudo est, &

vtinam vel sic à præcipitio, & ruina securi: Audiamus Rupertum pulchrè exaggerantem discriminis magnitudinem initio lib. 2. in Apocalypsim; *Septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum, vt prædictum est; iam isto dicto stellas eiusmodi salubris timor constringit; quia, videlicet sic stellæ istæ in cælo sunt, vt eas teneri oporteat, ne cadant in terram: nam de cœlo stellæ plurimæ ceciderunt, & de stellis facti sunt Principes tenebrarum. Dicendo itaque; Qui tenet septem stellas in dextera sua simul terribiliter innuit, vt qui se existimat stare, videat, ne cadat; non enim stat sua virtute, sed dextera Domini continente.*

45. Statim ipso creationis exordio Spiritum sanctum introducit Moyses, qui superferebatur aquis, Genes. cap. 1. vers. 2. Causam illius delapsus Genes 1. Tostat. Tostatus suggerit; *Spiritus Dei, scilicet sua voluntas, & intellectus ferebantur, scilicet, indicando quid fieret illis aquis:* Sed quare de hoc elemento singulariter diuinum sollicitetur Flamen? Cur Verbo relinquit, quæ aut æther, aut terra productura sint? Saltem cur non ignem sui characterem visitat, & de eius molitione cum filio consilium init? Profectò ex aquis non solùm pisces, sed etiam volucrum species exortæ; ea communis *Volucres de aquis exortæ,* Patrum sententia; Vnum promemus Claudium Claud. Mar. Marium Victorem ligato pede 1. in Genesim libro, effantem;

Hinc volucres quoque molle genus traxêre vigorem:
Nam liquidas dum format aquas, immissáque pontum
Vita subit, feruent multo tumida æquora partu;
Nec satis est pisces, genus omne, exurgere, quódque
Squamea turba salo summas euadit in vndas;
Ne volitans in aquis sensim natet æthere puro,
Æthereos volucris continget docta recessus:
Ergo materies auibúsque, & piscibus vna est.

Sed, qui volantes isti, & aligeri, nisi sapientes, qui ingenij pennis ad conuexa in sublime feruntur? ergo elementum, vnde prodibunt Doctores, necessum est Spiritus sanctus suis imbuat affectibus priùs; Præclarè Tertullianus de Tertull. Baptismo; *Ab eo qui superferebatur, id, quod ferebat, sanctitatem mutuabat; quoniam subiecta quæque materia, eius, quæ desuper imminet, qualitatem rapiat, necessum est;* Vndis igitur imprimebatur Flaminis conditio; ardor, scilicet, atque inflammatio; Quamobrem & Hieronymus in Hebraïcis quæstionibus de Genesi, Hebræam vocem *Merachepheth* מרחפת, pro qua Latinus Interpres, *ferebatur*, propriè significare ait, velut calore vitali fouentem in similitudinem volucris calore oua animantis, quibus incubat: At quæ tanta cura latices calefaciendi? nimirum, vt gignenda soboles originis saperet naturam, & volucres vnà cum acumine doctrinæ, ardorem ferrent etiam; Denique ab eo, *qui superferebatur, id, quod ferebat, sanctitatem mutuabat*, vt Tertullianus dicebat; Igitur scopus, vti Doctores vnà cum eruditione, mentis excellerent & feruore, & munditie, alioquin si tantùm luce intellectus contenti, metus, ne sicut Angelus, qui mane oriebatur, & ipsi caderent.

***

SECTIO V.

Amanti animæ, si dilectus absit, omnia sordent; eius illi præsentia rebus omnibus charior.

46. REuertamur iterum ad nudum Salomonis vocabulum, quod Epithalamij vestibulo præfixum asseruimus aliter, quàm in aliorum codicum frontibus; nihil igitur hîc de regio stemmate, nihil de imperio in Israël, quemadmodum Prouerbiorum initio; nihil de potentissima Sionis arce, velut exordio Ecclesiastæ; tantùm Salomon: Et venustè quidem; scribebat nanque metrum, in quo amantes semper aderant; si quæ est absentia, per somnia solùm abit dilectus; Quando igitur amantibus conceditur, alterutrùm gaudiosa frui præsentia, nulla de honoribus, nulla de voluptatibus, nulla de regno cura; sufficit diligenti, eum, quem amat coram se habere; pro isto vno solatio, valedixerit facilè cæteris, siue oblectamentis, seu commodis; nihil apud eum charum, dummodo, quem deperit, illo redimendus sit: Luctabatur Iacob tota nocte, & puto, luctabatur, ne abiret quem brachiis constrinxerat, dilectus vtique; nam Angelus erat magni consilij; *Dimitte me*, (inquit ei) *iàm enim ascendit aurora*, Genes. cap. 32. vers. 26. Quid fecit Iacob? Equidem pro benedictione dimisit; O tepidum amatorem! An non benedictione potior dilectus? Laudo, quòd non pro diuitiis, pro voluptatibus, pro honore dimiserit; sed nec etiam pro benedictione, quanquam illa valdè bona, dimittere oportebat; Iure neruum femoris eius tetigit, & in posterum claudus apparuit; nam sanè vno amoris pede ambulabat, qui dilectum pro re quauis etsi etiam benedicta, reliquit: Arbitror, qui integrè dilectum amet, non reperietur, nisi in hoc nostro Salomonis Hymenæo; *Tenui eum* (inquit Sponsa Cantic. cap. 3. vers. 4.) *nec dimittam*; Etiamsi regna offerantur, etiamsi deliciæ filiorum hominum, atque auri, & argenti pondera multa? Nec sic profectò: quid enim ista sunt amanti, animæ desideranti? Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam: At benedicet Sponsæ benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberũ & vuluæ? Nec ita tamen dimissura sit eum, quem deperit cor eius; Dilectus eius illi donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ; non erit, quòd ab eo separare valeat; Certè, neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque creatura alia poterit separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESV Domino nostro: O verè amantem Sponsam, quæ nec ad horam dilectum, nec ob terrores, neque propter blanditias relinquere velit! Iure merum, quod de tali sponsa pangitur, Canticum Amoris cum excellentia dictum est; neque enim vltrà tendere amor potest: Bernard. fermone 79. in Cantica: *Tenui eum, nec dimittam; Et sanctus Patriarcha: Non te, inquit, dimittam, nisi benedixeris mihi: Ita ista non vult eum dimittere, & fortè magis, quam Patriarcha id non vult;*

Gen. 32.

Deus super omni re æstimandus.

Cant. 3.

Bernard.

vult; quia nec pro benedictione quidem: siquidem ille benedictione accepta dimisit eum; hæc autem non sic; Nolo, inquit, benedictionem tuam, sed te: Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.

47. Reuersurus ad genitorem prodigus adolescens, orabat supplex inter mercenarios admitti; renuit pater, & stolam primam citiùs educi iubet, dari annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, Luc. cap. 15. vers. 22. Cur non consolatur gnatum, & primæ orationis vota exaudit? nam audiuit Pater cœlestis, cùm ita oraret, quanquam à longè esset: Quamobrem non permittit ad tempus saltem cum mercenariorum abiecta turba habitare, quò plùs æstimet filiorum, quàm amiserat nobilissimam sortem? Sanè ille, quo donatus est iuuenis, cultus, nobilium seruorum erat: Porrò eiusmodi pueri, Optimatum nimirum, gnati, ante ora Dynastæ (qualis & fuit iste pater) semper assistebant, cùm mercenarij vix vnquam ad eius familiaritatem, ne etiam conspectum, admitterentur; Hi sunt illi ministrantes, quorum ornatum demirata est Sabæorum Regina vestes, scilicet, de quibus ad Salomonem; *Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* 3. Reg. 10. Daniel. 1. Reg. 3. cap. 10. vers. 8. Hi, de quibus Danielis c. 1. vers. 3. & 4. *De semine regio, & tyrannorum pueri, in quibus nulla esset macula, decori forma, & eruditi in sapientia, vt starent in conspectu Regis*; Iam verò genitor iste ardenter amabat remigrantem adolescentem; Annon amabat, qui, cùm adhuc à longè esset, accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum? Verè, nisi amor validus fuisset, non ita recepisset eum, qui dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè; Cùm itaque diligeret supra modum, charitatis autem omne solatium est dilecti præsentia, sineret ille mercenariis adiungi, quem ibi morantem aut rarò, aut nunquam cerneret? Mandauit igitur, aut ad filiorum normam cooperiri, aut certè eorum de more famulorum, qui semper coram Principe assistunt, ac proinde illorum præsentia semper fruuntur; Atque eandem ob causam fortasse annulum dedit in manum eius: fuit enim veteris æui mos, vt quem quisque impensiùs amaret, eius iconem annuli pala insculptum ferret, quò semper præsentem haberet; Eius ritus crebra in Bibliis memoratio; docebit noster Sanchez ad cap. 44. Isaiæ, num. 17. ad Ierem. cap. 22. num. 39. Nouarin. lib. 3. sacrorum Electorum, capite 17. num. 123. Hinc, nimirum, vt mittentibus cognatis, atque amicis ad nouam nuptam muneribus variis, soli sponso permissum, annulum dare, & iure bono, cùm sponsa nullius præter mariti effigiem, deinceps contueri deberet; verùm & huius iugem recordationem habere, vt qui esset omnis eius amor: qua de pronubiali consuetudine noster Bullingerus tom. 2. opuscul. lib. 1. de vestibus pont. episcop. & sacerdot. cap. 33. sed aptè Hector Pintus in vers. 16. cap. 49. Isaiæ; *In manibus meis descripsi te*, &c. *Qui domi* (ait) *alicuius personæ, quam diligit, habet in tabula imaginem pictam memor est eius, quandiu eam videt: sed, cùm discedit à loco, vbi est imago, obliuiscitur: At si eam habeat in manibus descriptam, nunquam illi excidet eius memoria*; Ergo, quoniam reuertens iuuenis spondebat charitatem, & dilectionem genitori in futurum, sciens pater, quoniam qui amat, nihil vehementiùs optat, quàm habere semper præsentem eum, quem diligit; ne quando nouus iste amator mœrore tabesceret, ob genitoris quem diligebat, absentiam; annulum tradidit, in quo ferret cælatum illum, in quem tam sapienter exarserat; Igitur pater filio stolam primam dedit, ne quando à patris conspectu filius discederet; gnatus annulum admisit, quò genitor semper adesset, quem digito portabat; sic vterque, dum incensè diligit, alter alterius præsentiam sollicitè procurat.

Amatorum imagines insculptas ferebant veteres annulis.

Sanchez. Nouarin. *Sponsus solùm annulum ad sponsam mittebat.*

Bulling.

Hect. Pint.

48. Video chariores quosque, quales Martha & Maria, & in primis sacrum Apostolorum chorum, cùm Seruatorem alloquuntur, Domini eum nominibus appelantes potiùs quàm Magistri, aut Institutoris; quòd si quando & Præceptorem nominant, cura est & tum quoque Domini vocabulum annectere; *Vos* (inquit) *vocatis me, Magister, & Domine: & benè dicitis sum etenim.* Ioan. cap. 13. vers. 13. Scio quidem Apostolos adhortatum fuisse, ne Pharisaïco more cuperent ab hominibus vocari Rabbi, quod interpretatur Magister, Matth. cap. 23. vers. 9. at se ita dicinon prohibuit, imò sibi solùm conuenire nomen innuit: *Quia Magister vester, vnus est Christus*: & idoneè ab eo pronunciatum: nam certè ideò in hunc mundum, vaticinante Isaïa cap 55. versu 4. missus: *Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus.* & alibi cap. 30. vers. 20. *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum mementis: Hæc est via, ambulate in ea?* Respondeo, non ideò omissum à discipulis Magistri nomen, quòd mala esset nuncupatio, sed *Domini* vocabulum frequentiùs vsurpatum ob amorem erga Seruatorem: nam sanè amor vt dicebamus, ante cætera id adnititur vnum, nempe vt dilectus, quoad fieri valeat, præsens existat: est verò discrimen inter eos, qui dominum potiùs, quàm Magistrum habent, quòd qui sub domino sunt, apud eum semper manent, eius nanque possessio sunt: itaque, non die, non nocte ab eius atriis discedunt: discipuli coram præceptore ad tempus solùm, dum è cathedra prælegit; sed nec hæc ipsa qualiscunque ad longum coniunctio, abeunt post menses aliquot non rarò haud vnquam reuersuri iterum: quoniam igitur plùs absentiæ est in Magistri vocabulo relato ad discentes, nolunt qui amant, & propterea dilecti quoad valeant præsentiam modis omnibus intendunt, dictione vti alia quàm illa, quæ præsentiam magis denotat: hoc autem est domini verbum: Festiuè Rupertus in cap. 7. Matth. ad illa verba: *Magister sequar te, quocunque ieris*, &c. *Primùm, ipsa appellatio insuauis est, cùm dicit, Magister, & non dicit, Domine: Insuauis, inquam, & sine dilectione: nam, si ritè recolis, eorum appellatio, qui cum dilectione appellauerunt, talis erat, vt dicerent, Domine: exempli gratia, vt appellatio Petri dicentis? Domine, si tu es, iube me venire ad te: Talis appellatio, Magister, siue Rabbi, Pharisaïcâ extitit, quibus delectabile erat vocare, & vocari ab hominibus Rabbi: Et quidem bonum est, & suauè vtrunque dicere simul, Magister & Domine; vnde & dicit ipse: Vos vocatis me, Magister, & Domine: & benè dicitis, sum etenim: Sed solum hoc dicere, Magister siue Rabbi, & non dicere, Domine, cordis est longinqui, id est longe remoti à familiaritate dilectionis.*

Ioan. 13. Is. 55. & 30

Domini vocabulum, nomen amoris.

Rupert.

Amauit

49. Amauit impatienter Dinam Sichem filius Hemor Heuæi, cúmque timeret, ne charo despoliaretur pignore à fratribus puellæ, misit legatum genitorem suum amicitias obtestatum & connubia, Genes. cap. 34. vers. 8. Sed non requiescebat æstuans adolescentis animus, & veritus, ne segnis orator extitisset pater illius, ipse sit causæ suæ Aduocatus, atque Iacob & filios alloquutus; *Inueniam* (inquit) *gratiam coram vobis, & quæcunque statueris dabo*; Quid dicis, miserande Princeps? etiamsi dimidium regnorum petant? Etiamsi omnia; Quid igitur tum tu sceptro viduatus, pauper, & inglorius? Satis illi modò fruatur præsentia sponsæ, quam diligebat, cui ob excessum amoris conglutinata est anima eius; Oleastri moralis expositio in illud; *Dixit Sichem ad patrem eius, &c. Commune est, vt ille, cuius negotium proprium est, diligentiùs, & ardentiùs curet illud; Vbi simul aduerte hominis aliquid vehementer cupientis animum, vt nihil neget, nihil differat, vt consequatur quod aliquando improbè cupit*; Pudet me considerantem huius principis vehementiam, & ob amorem prodigam munificentiam; *Quæcunque statueritis*, ait, *dabo: tantùm date mihi puellam hanc vxorem:* Heu! heu! promptiores sunt in generatione sua filij sæculi, quàm filij lucis; quasi stercora arbitratur vniuersa demens iste Princeps, quo votorum suorum desideriis potiatur; & nos pro fruendo æternitatis dilecto, illo formoso super Sole, & Luna; illo, in quo thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei; illo, in cuius femore insculptum, Dominus dominantium; qui beare potest sine fine; vix calicem aquæ frigidæ porrigimus? Certè, quemadmodum Sabæorum Regina surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam; quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis; cùm generatio praua, & adultera nollet audire illum, qui plusquàm Salomon esset, quem in plateis & ad ianuas quotidie habebat: sic coniector, & adducendum hunc, siue alium similem insensatum Principem in iudicio cum eadem generatione, vt accuset, quoniam ille vnius puellæ gratia, ciúsque peregrinæ, & incognitæ, à qua nulla recepisset beneficia, totam substantiam velut pro nihilo reputauerit; cùm tamen illi pro eius dilectione, qui posuit animam suam pro eis, & ductus est ad crucifigendum, non cibum esurienti, non vestem intecto, non arido potum qualencunque dederint: O quale erit spectaculum illud! quanti pudoris, & verecundiæ!

Gen 34.

Oleast.

50. Absit tamen, vt non Deus iste sanctus aliquos seruos fideles habeat, quorum amor castus obscœnæ dilectionis quæcunque ostentamenta, quascunque affectus probationes longo superet interuallo: vbi sub vexillo Cypridis talis amator, qualis Dauid Rex? *Ne auertas faciem tuam: ne declines in ira à seruo tuo*; Psalm. 26. vers. 9. Quid dixisti, Propheta? cernis iratum Numen omnipotens, in cuius manus tremendum sit incidere, & rogas, *ne declinet à te*? Ergo vis, vt appropinquet? Sed ignis comburens est, & conuertet in cineres, atque fauillam; Imò postula sapienter, vt paululùm recedat, donec pertranseat indignatio eius? Nónne intueris, si quando paterfamiliàs excandescit, vt fugam meditetur vxor, & abscondantur filij, chariſſima pignora? nam, quanquam aduersùs eos non est furor; metuunt tamen vel ab aliena ira? O magnum amatorem Iessæum Dauid! ne dilecti præsentia vel ad momentum careat, nec etiam ab irato discedere placet! Amor ex eius, quem diligit, præsentia viuit: tolerabilius ei est iræ perferre tormenta, quàm sine amato esse: tundat, laceret, vexet iratus amor, tantùm non abscedat: *Ne declines* (inquit) *etiam vel in ira à seruo tuo*; Nemo vnquam amatorum sæculi tam fidenter, tam robustè loquutus; Comites sunt ridentis fortunæ: si dilectis irascatur, continuò in tempore tentationis recedunt; Solus Iesvs meus amatores habet, qui cum eo in tentationibus permanserunt, nihil est quod eos à charitate, quæ est in Christo Iesv diuellere possit; Pro me Augustinus enarratione 2. in Psalmum 26. ad citata verba; *Magnificè; nihil dici diuinius potest; sentiunt hoc, qui verè amant; Domine, ne declines in ira à seruo tuo? Posset illi fortè responderi hoc modo; Quid times, ne declinet à te in ira? magis si à te declinauerit in ira, non in te vindicabit; si incurras in illum iratum, vindicabit in te; opta ergo potiùs, vt declinet à te in ira, non accedat:* Verùm statim pro amante anima egregiè respondet idem Beatus Pater Augustinus; *Nolo: quicquid mihi præter illum est, dulce non est; quicquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum, & se mihi det.* August.

Amor Sanctorum erga Deum quàm insignis.

51. Expendamus eiusdem Augustini de Magdalena ad ostium monumenti plorante dictum tomo 9. tract. 121. in cap. 20. *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans, & oculi, qui Dominum quæsierant, & non inuenerant, lacrymis iam vacabant, amplius dolentes, quòd fuerat de monumento sublatus, quàm quòd fuerat in ligno occisus;* At qui fieri poterat, vt plùs de ablato Christi corpore, quàm de eodem extincto Maria doleret; Nónne potior luctus in morte causa? poterat enim & ab hominibus restitui corpus ablatum, non poterat nisi à Deo reuocari vita: Imò, vt cur plangat super ablato corpore? Nónne enim cogitare poterat per discipulos distractum, ne in manus odientium veniret hostium, proinde in tuto iacere, de quo magis gaudere par erat? Sed, quam velis consolationem amanti, quæ omnibus modis dilectum amisit? Vulneratum est cor Mariæ Lazari sororis suprà quàm credi possit, cùm vidit inclinato capite emittere spiritum, illum, pro cuius desiderio æstuabat accensa amoris flammis; sed delinibat hunc amorem suum antiqui hominis lineamentis conspectis; excitabat veteris gloriæ iugem memoriam muta imago, & tandem vtcunque præsentem habebat; nunc autem & viui, & defuncti societate destituta, quid faciat, nisi vt plorans ploret in nocte, & in die etiam; Non habet, quò se vertat amor eius: si lignum inspiciat, ibi non est: si bustum lustret, non apparet; si Angelos interroget, non respondent; hoc igitur est, quamobrem ampliùs dolet, quia fuerat de monumento sublatus, quàm quòd fuerat in ligno occisus; quoniam sic omnibus modis eo carere cogatur: quare & subiungit allegatis verbis Augustinus; *Quoniam*, inquit, *Magistri tanti, cuius eis vita sublata fuerat, nec memoria remanebat.* August.

52. Iussus Abraham sacrificare Deo vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam, Genes. cap. 15. vers. 9. *Tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit; aues autem non diuisit:* Quamobrem? Num, quia columba, & turtur secandæ volucres? Ita coniector quidem. Sed, quid portenderit Gen. 15.

tenderit actio? Equidem hæc duo pennatæ aues sunt amoris hieroglyphicæ; tum, quòd Veneri sacræ: tum, quòd ad concubitum ardent; tum, quòd fidem sibi maximam seruant, & turtur amisso compare viduos annos transit; nam de turture idem quod de columba, cùm esse columbarum speciem multi arbitrentur, de quo noster Sanchez ad versum 10. cap. 2. Canticor. *Surge, propera, amica mea, columba mea*, &c. vbi auctor esse amoris symbolum docet, ibidem & Delrius, Pineda lib. 5. de rebus Salomonis, cap. 5. ad versum 17. Psalm. 44 num. 1. & in primis Valerianus Pierius Hieroglyphicorum libro 22. prope initium, qui duo Propertiana illa adducunt ex lib 2. elegiarum, vbi de voluptatibus suis actitat;

Columba amoris sacri, & profani symbolum. Sanch. Delrius. Pineda. Pier. Valer. Rupert.

Exemplo iuncta sic sint in honore columbæ,
Masculus, & totum femina coniugium.

Sed his quæ satis vulgata sunt, iungamus aliquid Christianæ eruditionis: Fuit igitur antiquus fidelium mos, vt crucibus Seruatoris columbas insidentes adpingerent; Meminit prisci vsus sanctus Paulinus Nolanus epistola duodecima ad Seuerum, post medium aliquantò:

Super Crucē cur antiquitus columba depicta? Paulin.

Ardua florifera Crux cingitur orbe corona,
Et Domini fuso tincta cruore rubet.
Quæque super signum residens cælestis columba,
Simplicibus produnt regna patere Dei.

Video sanè Paulinianos versus indicare adiunctam columbam simplicitatis, atque innocentiæ fuisse emblema; sed æstimo & significasse amorem Christi erga genus humanum, quem tam acerba morte excellentissimè testatus, certè Ioannes cap. 3. Euangelij, vers. 16. cùm Numinis sempiterni erga mortales inexhaustam dilectionem innueret; *Sic enim Deus dilexit mundum* (inquit) *vt Filium suum vnigenitum daret*; Quæ in verba Chrysostom. homil. 26. *Etenim singula verba magnam vim habent: nam illud*; *Sic dilexit*, *& illud*; *Deus mundum*, *immensam amoris significat vehementiam*: Et sanè, quandoque coronam Crucis circundabant columbæ, quandoque ipsas corona ambiebat, vti probat noster Rosvveidus Notis ad citatam Paulini epistolam, in illa verba: *Quorum figura est*, &c. Siue, quia vehiculi huius superiorem locum charitas triumphans occupat, seu quòd eadem charitas genitrix fuerit, quæ Pacificum nostrum in die desponsationis, & lætitiæ cordis sui diademate tanto honoris cinxit, cùm Ecclesiam sibi coniunxit; Sed mouet me vetus Longobardorum ritus, de quo Paulus Diacon. lib. 5. eorum Historiæ, cap. 34. Ad *perticas* autem locus ipse dicitur; quia ibi olim, perticæ, id est, trabes erectæ erant, quæ ob hanc causam iuxta morem Longobardorum poni solebant: *Si quis enim in aliquam partem, aut in bello, aut quomodocunque extinctus fuisset, consanguinei eius intra sepulcra sua perticam figebant, in cuius summitate columbam ex ligno factam ponebant, vbi eorum dilectus obijsset*; *faciebant scilicet, vt sciri possit in qua parte is, qui defunctus fuerat, quiesceret*; Scitissimè illud: *Vbi eorum dilectus obijsset*: nam ideò sanè speciatim inter volucres omnes columba suspendebatur, vt dilecti esse tumulum innueret, eò quòd sit amoris index ales, alioquin ad demonstrandam busti sedem, quæcunque alia sufficeret auis. Denique hoc etiam, quod Spiritus sanctus sub columbæ specie à Christianis repræsentabatur, qua de re idem Rosvveidus in eandem epistolam ad illa; *Et per columbam*, &c. nempe, quia amor sit cœlestis spiritus; Sed iam tandem in viam reuertamur, vnde digressi sumus, constánsque maneat columba, atque turturibus amorem figuratum: quòd si illis amor præmonstratus, pulchrè sanè, quòd non diuidantur: nanque vti disserit Ambrosius sermone 11. in Psalm. 118. in illa: *Defecit in salutari tuo*, &c. *Sanctus*, *& timens Deum*, *nescit aliud desiderare*, *nisi salutare Dei*, *quod est Christus* IESVS; *illum concupiscit*, *illum desiderat*, *in illum totis intendit viribus*, *illum gremio mentis fouet*, *illi se aperit*, *& effundit*; *& hoc solum veretur*, *ne illum possit amittere*: Quòd si igitur omnis amantis timor est, ne à dilecto separetur, ne eius suauissima careat præsentia, vt quid diuideret Abraham amoris aues turturem, atque columbam? Tostatus ad contemplatiuam refert vitam: *Alia* (inquit) *ratio est mystica*, *quia animalia quadrupedia designant vitam actiuam*, *quia in plura necessariò diuiditur*, *iuxta sententiam Saluatoris*. Luc. cap. 10. *Martha*, *Martha*, *sollicita es*, *& turbaris erga plurima*; *porrò vnum est necessarium*: *Vita autem contemplatiua*, *quæ per aues designatur*, *non diuiditur*; *quia in se collecta*, *in Deum tota mente consurgit*; Verùm hæc à nostro scopo non dissentiunt; vita enim contemplatiua, est vita ardenter sanctè amantium, qui in conspectu dilecti iugiter ambulant, omnisque eorum conatus est, ne quando elabatur: Venustè igitur, quòd aues, quæ hanc, quæ in amore est, vitam innuunt, non diuiduntur; quia diuelli à suo dilecto contemplatio, quoad fieri valeat, non patitur: & in patria, vbi perfectissima summi boni contemplatio est, nunquam erit diuisio aliqua.

Ioan. 3. Chrysost. Rosvvid. Paul. Diac. *Colūba pertica suspensa super defunctorū sepulcris.* Ambr. Tostat. Hieron. Beda. Orig. Genes. 47. *Christi erga homines amor in ascensione eximiè demonstratus.* Imperf. Chrysost.

53. Hominem quendam peregrè profectum, qui cùm discederet, tradidit seruis bona sua, narrat Matthæus cap. 25. vers. 14. Quisnam homo ille? Christus sanè. Et quando peregrinatus? Cùm ex hac vita ad Patrem transit, ascendens in altum, captiuam ducens captiuitatem: Ita Hieronymus, Beda, Adamantius, & in primis citandus festinè incertus Chrysostomus: Verùm, quo pacto istud peregrinationis, & quasi exilij genus? Nunquid non mundus iste ploratus, & lacrymarum vallis est? nunquid non absentiæ & peregrinationis mœstissimus locus? Certè ita nominauit prudens senex Iacob: *Dies peregrinationis meæ* (inquit) *centum triginta annorum parui & mali.* Genes. cap. 47. vers. 9 Nunquid non mater nostra Hierusalem beata sursum est, terra lacte & melle fluens, vbi non est mors, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà? Ad hanc igitur amœnam stationem iturus Christus, & præsertim ad dulcissimum Genitorem post triginta tres annos reuertens, quo pacto asserit, peregrè se profisci, & velut exilia sibi indici? Sed considera, habuisse Christum in terris pusillum quanquam gregem, at quem blandissimè amabat, & deliciæ eius esse cum istis filiis hominum; cùm itaque nullum syncero amori maius tormentum, quàm diuelli ab eo, quem vehementer deperit, eius despoliari præsentia, alloquio, conuictu, significaturus IESVS quàm impensè diligeret Apostolos, ad Olympum quanquam pergat: cariturus tamen eorum consortio, peregrè se proficisci affirmat: Nunc, quem promisimus, Imperfectus hom. 53. in Matthæum: *Commendat autem Christus dilectionem suam*, *quam habet in Sanctis*; *ad regna enim cœlestia ascensurus*, *& ad Patrem suum iturus*, *vnde descenderat*, *peregrè se iturum dicit*,

dicit, propter charitatem Sanctorum, quos relinquebat in terris; cùm magis peregrè esset in mundo, sicut ipse testatur, dicens: Incola ego sum in terra apud te.

54. Hinc fortè colligere valeamus, cur dignatus sit Creator, hominem impium, tyrannúmque sæuum Nabuchodonosor in somniis alloqui; Monet Danielis Textus de visione bis, capite nimirum, 4. & 2. & non prodiisse à naturalibus causis ostendit Pereira libro 2. in Danielem, ad illud; *Tu, Rex, cogitare cœpisti*, &c. Sanè amator hominum Deus, quibuscunque modis adesse creaturæ suæ tentat; diligit enim ea, quæ fecit, & vult omnes homines saluos fieri: Itaque tum etiam, cùm aduersùs eum mortales iniquitatibus pugnant, à benefaciendo non desistit, cogitationes sanctas immittit, & ad sui memoriam excitat; sed gens peruersa, atque ingratissima natio propellit à se dulce Numen, quantúmque ipsum studet, vt se oculis hominum ingerat, tantùm illi laborant, ne quando illius meminisse possint? quare sanè dum vigilant, & sui compotes sunt, sic distrahuntur nunc curis, nunc voluptatibus, vt ne ad instans de cœlestibus de Deo cogitent; Videns igitur Creator interdiu vias sibi intercludi ob malitiam hominum, nocte aggreditur; quasi furtiuè, & in occulto se immiscet creaturæ sensibus, quando palàm nolit illa; Sic egregius amator coniungi nititur iis, quos tantoperè dilexerit, vt dederit pretiosam vitam suam pro illis: Tertullianus de anima, titulo de somniis; *A Deo autem pollicito, scilicet, & gratiam Spiritus sancti in omnem carnem, & sicut prophetaturos, ita & somniaturos seruos suos, & ancillas suas; ea deputabuntur, quæ ipsi gratiæ comparabuntur, si quæ honesta, sancta, prophetica, reuelatoria, ædificatoria, vocatoria, quorum liberalitas soleat & in profanos distillare, imbres etiam & Soles suos peræquante Deo iustis & iniustis; siquidem & Nabuchodonosor diuinitùs somniat, & maior penè vis hominum ex visionibus Deum discunt; Sicut ergo dignatio Dei & in ethnicos; ita & tentatio Mali in Sanctos, à quibus nec interdiu obsistit, vt vel dormientibus obrepat, qua potest, si vigilantibus non potest:* O Numinis diligentiam! Tota die stat per fenestras nostrorum sensuum prospiciens, si quam videat aperiri rimam, vt se intromittat; sed nec tam longa statione lassatus, non imprimis nostra duritie; de nocte etiam clamat: *Aperi, soror mea, sponsa mea*; & interim perferebat ætheris fastidia aperto vertice; certè caput eius plenum rore, & cincinni eius guttis noctium; non tamen illi tædiosa, aut nox, aut dies, præ magnitudine amoris: *O amor præceps vehemens*, (Bernardus sermone 79. in Cantica, *) flagrans, impetuosè, qui præter te aliud cogitare non sinis, fastidis cætera, contemnis omnia præter te, te contentus*; Ita quidem Salomon in hoc amoris Cantico, reliqua despiciens, quæ vel flamma, vel opes, aut potentiam commendant, nudum Salomonis titulum præfixit.

* * *

Dan. 2. & 4. Pereira.

Tertull.

Bernard.

SECTIO VI.

Grati animi esse, beneficij se splendoribus abdicare, eósque in doni auctorem refundere.

55. IVxta translationem septuaginta Seniorum ostendimus, Canticorum inscriptione Salomonis vocabulum dandi casu efferri, sic vt titulus legeretur; *Canticum Canticorum Salomoni*; Qua dictione innui iudicauimus dedicatoriam phrasim Auctoris Epithalamij offerentis illud vero Salomoni Christo, cuius meritis accepetit inter alia supernaturalia dona, & prophetiam, & sapientiam per se infusam; itaque in mare iterum reuertuntur flumina, & quod accepit pius Metricus, Deo cum gratiarum actione restituit; O animum summè fidelem! ô pulchrum Dei, & creaturæ certamen! Ille effundit, hæc remittit: & non citiùs ab eius manibus in creaturæ sinum, quàm ab hac excussum munus ad Numen reuertens; Lusúsne iste, & fortasse pilæ similis lusus aliquis? Sanè lusisse Verbum, dum creanda ordinaret, cùm ad extra Diuinitas benefaciendo omni enti progressa est, Paræmiastes asserit Prouerb. cap. 8. vers. 30. *Cùm eo eram, cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum*; Neque absimilem pilæ lusum extitisse putauit Lyrensis; Sed quanquam ille ad volubilem fortunæ rotatum transfert, quæ modò ad hos, modò ad illos transit, & quò ditet quosdam, alios depauperat; nos tamen ad reciprocam beneficiorum pugnam; Nam sicut pilam recipiens non detinet; sed in eundem, qua potest festinatione, retorquet, à quo euolauerit; ita gratus animus iteratò, quæ admiserit possessori restituit: nouit enim à Philosopho dictum, (Seneca libro 4. de beneficiis; *) Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit.* Et eundem asserere epistol. 83. *Errat, si quis beneficium accipit libentiùs quàm reddit: hilarior esse debet, qui soluit, quàm qui mutuat; & lætior esse debet, qui ære alieno accepti beneficij exoneratur, quàm qui obligatur.* Sed deseramus trita ista, ne vulgari affectum se beneficio cultior legens conqueratur.

Prouerb. 8. Lyran. Senec.

56. Clausit apud Ægyptum diem Iacob, & antequàm fato cederet extremo, adiurauit filium suum Ioseph, vti cadauer defuncti in Chanaan sepeliendum transferret, Genes. cap. 47. vers. 30. Verùm, cur tam sollicitus de extincti animæ exuuio Patriarcha? Quid referat, viro præsertim sapienti, quacunque orbis parte cineres taceant? Habeat in pretio superstitiosa Gentilitas, cui nulla resurgendi spes, & fabulas putat Auernum, atque Paradisum; altior debet esse Iacob cogitatio, vt qui Deum facie ad faciem viderit, & salua facta sit anima eius: Equidem patriæ amore allectum Caietan. & Oleast. arbitrati sunt; posterioris ea verba; *Dulcis patria amor est, vt non solùm vini eam desideremus, dum absumus; sed non nisi in ea mortui nos requiescere putemus.* Ego sic interpretor; Nimirum terra Chanaan, quæ eduxit in lucem Iacob, quæ natiua ei gleba, hæc aluit, hæc enutriuit, hæc succum, & medullam præstitit; debuit

Genes. 47.

Caiet. Oleast. *Patriæ amor intimus hominibus.*

debuit igitur corpus terræ Chanaan, quando hæc subministrauit escas, quæ in sanguinem, in carnem, in solidiores quoque partes conuersæ sunt; Quando ergo ab hac terra acceperit, per quæ materia sustentata est, quò gratum se ostenderet, oportebat benefacienti solo iterum restituisse, ab illa quæ mutuatus esset; accepit autem corpus; hoc ergo ferri in terram Chanaan præcepit, quo ad hanc tellurem, quod eius fuisset, beneficium

Rupert. reuerteretur; Aliquid de hac grati animi testificatione innuere visus Rupertus lib. 9. in Genesim, cap. 21. *Quid autem* (dicit) *Patriarcha tantus, cuius cœli, cui viuenti totus mundus exilium fuit, tantopere de corpore suo curauit, & serio scire voluit, quo loco puluis in puluerem, & cinis reuerteretur in cinerem? Videlicet, quia terra repromissionis Domini Dei erat dicentis; Terram, in qua dormis, dabo tibi, & semini tuo, & his similia, quæ promisit: Donum autem Dei, qualecunque est, siue magnum, siue paruum, cœleste, siue terrenum pro honore, vel charitate dantis, pretiosum est, & esse debet in oculis sapientis.*

57. Aliud quoque meditatus sum, singulare illud fortasse; Cùm ex Labanis domo in patriam reuerteretur Iacob, misit Verbum administratorios Spiritus suos, qui obuiam procederent, & quasi victorem lætis plausibus cum triumpho in natales deducerent sedes; Adstitêre magno pugili tanquam præsidiaria cohors Pæana canentes, quos cùm vidisset cum militiæ forma, ait; *Castra*

Gen. 32. *Dei sunt hæc: Et appellauit nomen loci illius, Mahanaim id est, Castra,* Genes. cap. 32. vers. 2. Sed lubet floridam Ruperti orationem adtexere lib. 8. in Genesim, cap. 2 *Non dictum est,* (inquit) *quia apparuit Angelus, vel apparuerunt Angeli ei, quod & multis accidit: sed dictum est, quia fuerunt ei obuiâ Angeli Dei, quod insigne sonat victoris & emeriti, cui pro gloria triumphi pompa cœlestis obuiam procedens, festiua exceptione lætum obsequium præbuerit:* Sic itaque ob Verbi imperia Iacob famulati sunt angelici Spiritus, & eius condecorarunt triumphum; Cupiebat Patriarcha par referre benefactori, & donum transferre in Auctorem; sed quis modus exæquandi ista? Vidit prophetico lumine Verbum hominem factum; sciuit in Chanaan nasciturum, ibidémque & morti, & sepulcro tradendum; At vlteriùs contemplatus est tertia die resuscitandum cum gloria immarcessibili, quò verò speciosior esset anastasis, & resurgentis dignior pompa, consurrectura & alia multa corpora Sanctorum, quæ dormiebant in monumentis? affulsit illicò spes obsequendi Verbo eiúsque augendi triumphum: Igitur, quò famulari resurgenti cum carne Verbo possit, atque ita compensare famulitium Angelorum, cùm ex Verbi iussione ouantem eum castrensi more deduxerunt, mandauit deferri corpus suum in terram Chanaan: ergo quod impendit Iacob beneficium per ministeria cœlestium spirituum Verbum, hoc rursum eidem Verbo carne circũdato restituit obsequium Patriarcha, dum resurgeret ministrans per seipsum,

Abul. & comitatus splendorem augens: Abulensis ad cap. 47. Genesis. *Causa autem, quare volebat in sepulcro illo sepeliri, erat: quia Iacob in spiritu videbat, quòd Messias in terra illa conuersari debebat, & mori, & resurgere: Credidit ergo, quòd sicut multa corpora Sanctorum cum ipso Christo resurrectura erant, vt patet Matthæi cap. 27. ita ipse posset cùm eis resurgere: & sic tenetur ab omnibus Catholicis*

Sherlogi Anteloq. in Cant.

factum fuisse, scilicet, quòd Iacob cum Christo surrexit: quanquam hoc postremum non ita certum, vt apud omnes Orthodoxos fixum sit, vt benè adnotauit Salianus tom. 1. anno mundi 2345. Salian. num 3.

Proficiscens in Mesopotamiam Iacob simul 58.
atque sopor irruit, *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlũ? Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes super eã.* Gen. c. 28. v. 12. Sed cuius scala ista symbolũ, Gen. 28.
declarat egregiè Theodoretus quæst. 82. in Ge- Theodor.
nesim: *Prouidentia* (inquit) *diuina manifestiùs declaratur in rebus, quæ videntur aduersa: idcircò Iacob fugit, & solus peregrinatur, vt locupletissimus rediens experiatur, quanta sit Dei omnium prouidẽtia, & alios doceat hanc Dei sollicitudinem: id, quod apparitione sua confestim Deus declarauit, ostendẽs ei scalam ad cœlum vsque pertingentem, & sanctos Angelos ascendentes, & descendentes, ipse verò Dominus sursum consistens confirmabat eum, ac metum expellebat: quorum vnunquodque poterat securum reddere Patriarcham docetur enim nihil negligenter à Deo administrari: sed ipsum omnia dispensare sanctorum Angelorum ministerio:* Igitur, quando scala illa diuina prouidentia: hæc autem sit, per quam beneficia tot, tantáque ad homines deriuentur: boni autem Genij instrumenta sunt, quibus mortales beans prouidentia variis donis, vtitur: optimè quidem scribuntur descendere pennigeri Spiritus, in auxilium, nempe, rationalis creaturæ: Sed, quorsum iidem sine mora ascendere dicantur? Nunquid & Deum etiam filij hominum locupletare valeant? Sanè Dauid, cùm satis potens extitisset: tamen bonorum illius non egere Numen fassus est apertè: quid igitur remeant in cœlum continuò Deo non profuturi? Puto, nomine proborum hominum reuertuntur, eorum sanè, apud quos grata cœlestium beneficiorum memoria viget: Hi igitur, vti animi synceritatem erga benefacientem significent, restituunt per manus Angelorum, quæ per easdem receperunt: sed & Numen gratitudine hominibus non cessurum, quàm subitò dona ab ipso missa retulêre, tam citò vt ad homines maiora iterum deferant, præcipit: Hoc est igitur illa Dei scalæ incumbentis; & hominum bonorum altercatio contendentium, apud quem mansura sint beneficia, hæc irrequieti motus Angelorum occasio: Hoc ostento stimulabatur Iacob, nempe, modò ille gratus extitisset, nullam timendam aduersæ fortunæ iram: daret Numini libenter, quæ ab eodem recepisset: sic enim contingeret, inexhausta emanatione à supernis ditandum, quando nunquam cessarent Angeli à descensu: descenderent autem munera ferentes, ex quibus secundùm Diuinitatis morem posteriora meliora essent prioribus, in iis præsertim, qui beneficiis vti probè sciuissent. Chrysostomus homil. 54. in Gene- Chrysost.
sim: *Statim in ipso initio volens confirmare alacritatem eius, apparet, ac dicit; Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac patris tui: ego & Patriarcham, & patrem tuum in tantam gloriam crescere feci: Ne igitur timeas: sed crede, quòd ego, qui impleui illis suas promissiones, & te mea cura, & prouidentia dignabor: Ne timeas, sed confide, & omni timore depulso, crede his, quæ à me dicuntur.*

Loquebatur cum Samaritide puella Seruator; atque, vt melioris laticis desiderium inserat, 59.
inquit: *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei,*

Ioan. 4. *fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Ioan. cap. 4. verſ. 14. Sanè aquæ vocabulo Spiritus ſancti dona intelligit Chriſtus, explanatore Chryſoſtomo homil. 31. in Ioannem: *Spiritus ſancti gratiam nunc aquam Scriptura appellat, vt non ſubſtantiæ, ſed & operationis has intelligentias eſſe demonſtret.* Verùm, quam ob cauſam aſſerat, hunc fontem miſſurum aquas ſuas in vitam æternam, hoc eſt, in cœleſtia? Cur non potiùs irriget humana, vbi maior neceſſitas, imò in patria illa ſerena, & beata nihil deeſt? Cur non ſaltem mare aliquid participet, quando omnia flumina eunt in mare? Ad hæc, aquarũ naturæ contrariũ eſt, in ſublime aſcendere; grauior nanque eſt, atque propterea ſubſidit: Sed vide, vt dixerimus, hos latices dona eſſe ſancti Spiritus: eiuſmodi autem gratiæ è ſupernis veniunt, quemadmodum Iacobi canonica monet cap. 1. verſ. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum:* Quando igitur ex Olympo ea munera delapſa fuerint, iuſtus, qui accepit, animi gratitudinem monſtraturus, vnde exorta ſunt, illuc ſecundò reſtituit, ac proinde in ſedes empyreas, vbi, qui beati, & felices ſunt, vitam habent, habéntque abundantem, & æternam: O puram iuſtorum amicitiam! In Deo requieſcunt ſolùm: Deus illis omnia; & quò oſtendant charitatem non eſſe mercenariam, dona non ſpernunt quidem; ablegant tamen piè à ſe: ſaltem id teſtatum cupiunt, Deo, non ſibi cupere munera: Huiuſmodi fortis amator Ignatius meus, Pater & Dux teſſeræ meæ, nihil ſibi adſcribi permiſit, IESV vocari Sodalitium, à IESV nominari vniuerſa, & concupiuit & obtinuit: Verùm de loco Ioannis allegato Ruricij, Epiſcopi Lemouiceni, expoſitionem præteriiſſe non iuuat, lib. 2. epiſt. 33. *Hanc aquam* (inquit) *ſi quis fidelis, non guſtu tantùm ſummo tenus ore libauerit; ſed totis animæ viſceribus appetens conuiua ſorbuerit: protinus in laudem Domini omnipotentis erumpet, & hoc incipet eructare, quod biberit:* Satis propriè Ruricius dixit: *Hoc incipit eructare*, nam Hebræa, pro quibus vulgatus *eructare* transfert, erumpere etiam tanquam ex viuente vena, & manare velut ex ſcaturiente fonte denotant, quemadmodum Lorinus probat ad verſum 1. Pſalm. 44. *Eructauit cor meum*, &c. Ructus etiam ſecundùm Æſculapianam Scholam denotat ciborum quidpiam, quod ex debili pectoris calore à ſtomacho in os iterum reuertatur: nempe, ad eundem beneficia regrediantur, à quo deriuata ſint, hoc eſt ructus, hoc fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

Chryſoſt. Ruric. Lorin.

60. Pſal. 18. Sed aliquid de ructu ex Pſalm. 18. verſu 3. *Dies diei* (inquit) *eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam:* quæ ſic explano, vt quidem vnus dies alteri quaſi monitor; & pædagogus ſit; nox quoque alteri nocti magiſtra ſit: Sed quid aut dies, aut nox docturi ſint? Nempe, dies, vt nocti gratus ſit; nox, vt diei grata ſit: In quibus? Sanè poſt vernale æquinoctium dies longiores fiunt: nox contrahitur, vt illi creſcant; augentur, ſed ob tenebrarum diminutionem, ſic benefacit diei nox: verùm ille recompenſat iterum autumni tranſacto æquinoctio; tum enim lux exinanitur, vmbræ productiores fiunt, ſcilicet quas commodauit nox horas diei per æſtatem, reſtituit ille bruma ineunte, & accepta dona retribuit: Theophilus Alexandrinus epiſt. 3. paſchali: *Dies* (ait) *ordine, & circulo ſuo de noctis temporibus mutuatur & rurſum nox recipit, quod largita eſt: dúmque viciſſim & tribuunt, accipiunt, & orbe quodam, quod paulatim amiſerant decreſcentes, ſenſim creſcentes recipiunt: Creatoris Dei interpretantur ſapientiam:* His Vltimis Theophili verbis fortaſſe alluſum ad Pſalmi, quem nominauimus, decimioctaui exordium: *Cœli enarrant gloriam Dei*: eſt enim tanti Gubernatoris incredibilis honor, talibus vti famulantibus, qui nihil recipiant; aut, vt admittant quidpiam, iterum poſſeſſoribus reſtituunt: O Regum familiares, ô Iudices Prouinciarum, diſcite à nocte, diſcite à luce nihil recipere! Hinc Moyſes Deuteronomij cap. 32. verſ. 1. ingratos allocuturus, cœlum & terram teſtes aduersùs illos citat, idémque Iſaïas cap. 1. verſ. 2. *Audite* (inquit) *cæli, & auribus percipe, terra*: Olympum quidem allegat, quoniam dies, & nox tam gratæ ſint: terram autem, quòd & granum frumenti ſulco conſepultum agricolæ cum fœnore mutiplicatum nempe, reſtituat; Iſraël autem Dominum non cognouit, cui prætulit idolum in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.

Theophil. Alex.

Miniſtri Principum non debent munera admittere.

Deut. 32. Iſaïæ 1.

61. Matth. 4. Modum, quo ad Apoſtolatum aſſumpti ſunt Iacobus, & Ioannes, fratres, deſcribens Matthæus cap. 4. verſ. 21. *Et procedens inde* (Chriſtus, videlicet) *vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua, & vocauit eos:* Cur memorat in genitoris comitatu fuiſſe, cùm Seruatoris voci auſcultarunt: Num, vt commendet obedientiæ nobilitatem, quæ IESVM parenti antehabuit? Nam certè & alius ab eodem vocatus rogauit, vti ſineret priùs genitorem defunctum terræ cemmendare: Sed cur tunc potiſſimùm alloquutus, quando magis debuerit in ſolatium grandeuæ ætatis ei, qui procreauit, qui aluerat, reliquiſſe? Animaduertit ſanè hominum Redemptor, germanos iſtos paternæ educationis apprimè memores: quippe donec pueri fuerant, & victum ſibi conquirerere ignorarent, genitor prouidebat: nunc quando vix parens laborando ſit, alienóque egeat miniſterio, quo & panem, & veſtem adipiſcatur, filij beneficio pari afficiunt; atque vt ille cum otio viuat, ipſi ſudant: Arbitraturus eſt igitur Chriſtus, homines in quibus tanta animi gratitudo vigeret, diſcipulatui ſuo opprimè aptos, proinde tum ſingulariter vocauit, quando genitori ſuccurrentes viderat, & patri ſimilia obſequia reſtituentes, nec enim hæc vulgaria probatæ indolis documenta fuerant erga genitorem nempe, tam piè gratos fuiſſe, vt loquitur Chryſoſtomus homil. 14. in Matthæum: *Nec ſanè parua hæc ſunt documenta virtutis, facilè omnem tolerare pauperiem; de iuſtis laboribus viuere, mutua ſibi charitate connecti, ſecum habere inopem patrem, atque in eius obſequio laborare.*

Chryſoſt.

62. Exod. 7. Cùm Ægypti fluuium in ſanguinem conuertere ob Pharaonis duritiem vellet Numen, Moyſi præcepit: *Dic* (inquit) *ad Aaron: tolle virgam tuã, & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti, & ſuper fluuios eorum, vt vertantur in ſanguinem.* Exod. cap. 7. verſ. 19. Verùm, nónne Moyſes ipſe hoc facere poſſet? Imò debebat quidem: primùm, quoniam Aarone natu minor erat, & ſeniorem germanũ adoleſcentiori imperare decentius erat: ſecundò, idque præcipuè, eò quòd Moyſes ex infantibus Hebræis extitiſſet, quos ſub aquis perire Pharao iuſſiſſet, quem exitio proximum, de

de alueo tyranni gnata extraxit: Quemadmodum igitur Numen aquas in sanguinem verti idcircò permiserit, vt quibus offenderant impij, iisdem torquerentur: nam benè Oleaster ad citatum à nobis septimum caput: *Aduerte etiam, quomodo per ea, quæ quis peccat, torquetur: peccauerat Ægyptij, aquis fluminis suffocando & submergendo filios piorum; & ideò voluit Dominus, quòd ab aquis punirentur bibendo sanguinem pro aqua:* sic idem sineret, vt supplicij instrumentum is esset, quem extinguere cupiebant? est enim malis pœna cruenta nimis, ab iis opprimi, quos aliquando odêre, quos contempsêre: est & Sanctis gaudij non modica occasio: lætabitur enim iustus, cùm viderit vindictam, & lauabit manus suas in sanguine peccatorum: Ob has itaque causas Moysem potiùs, quàm Aaronem virgam sumere conueniens erat: Ita quidem, ni alia fuissent obstacula: Debebat Moyses flumini incolumitatem quodammodo, debebat vitam, quòd tunc placidior cucurrisset, quòd fluctibus non intumesceret, quòd non excreuisset more suo, & infantem diluuia præcipitassent in vada scopulosa, aut cautibus allisissent: Igitur, quando ad Pharaonis domandam superbiam expediens sit in cruorem vndas conuerti, saltem hoc concedatur, ne Moyses id faciendo mortalium ingratissimus habeatur: nam, quanquam apud Sapientes iussa superna excusarent (Deo nanque præcipiente & per calcatum patrem, & per calcatam matrem pergendum) sed vulgus indoctum crudelem, beneficiorúmque immemorem appellaret, vt qui inuisas reddidisset vndas, & immani affecisset plaga, à quibus olim crepundialis & mammans adhuc tam blandè, tam humanè exceptus fuisset: Famæ igitur Legislatoris prospiciens Deus, iussit virgam Aaroni tradi, quando flumina in sanguinem vertenda erant: Secundùm hæc Abulensis quæst. 7 in c. 7. Exodi: *Alia causa est* (inquit) *quia Moysis fuerat liberatus de aquis, vt patet supra cap. 2. ideò non erat rationabile, quòd percuteret aquas.*

Per quæ quis peccat, punitur.

Abul.

Duo somnia viderat Ioseph: alterum de manipulis, qui consurgentem vnum manipulum colebânt, quibus significabatur adorandum à fratribus, quod & ipsos non delituit: *Nunquid* (inquiunt) *Rex noster eris? aut subiiciemur ditioni tuæ?* Genes. cap. 37. vers. 8. Alterum, quo & Solem, & Lunam, & stellas vndecim supplices venerari intuitus sit: quo adumbratum, & genitorem, & matrem adoraturos eum fuisse: Sed hac audita visione, ait Textus eodem capite, vers. 10. *Increpauit eum pater suus, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* Sed, quare non & primo narrato somnio genitor in eum inuectus est? Nam peruenisse de eo rumorem ad aures parentis verosimile est, quando fratres sciuerint, & indignè tulerint, & patri nunciarent, vt quàm procax esset puerulus, quem adeò diligebat, nosset, minúsque amaret in posterum: Sed rescito vtroque somnio, quamobrem exardescit homo maturus? neque enim fieri posset, vt gnatum pater adoraret, nisi hoc ad Reipublicæ gubernacula subuecto: quòd si Magistratum filius gessisset, non absonum tunc, vt definit ex Tauri Philosophi opinatione Gellius Atticarum noctium lib. 2. cap. 2. *In publicis locis, atque muneribus, atque actionibus, patrum iura, cum filiorum, qui in Magistratu sunt, potestatibus collata interquiescere paululum, & conniuere:* Atque, vt leges

63.

Gen. 37.

Parentē meliorē filio locum cedere, qua occasione decorum. Gell.

aliquæ infringendæ essent; sed facilis dispensatio, cùm genitor ob filii principatum cederet; quis autem non gnato imperium comparasset, si tam facili acquirendum pretio, tantùm vt pater ante filium procumberet? Sed animaduerte, quoniam aliud sit, patrem velle ob Magistratus, aut publicæ functionis honorem filio cedere; aliud, filium hanc genitoris subiectionem admittere: in patre virtus atque laus est; filius, si potuit declinare genitoris adorationem, nec fecit, superbus atque ingratus est, quippe gnatus post Deum parenti acceptum referre debet, quod est; & cùm à patre acceperit esse, in eundem referre velut in caput & radicem oportet omnem præcellentiam: Vno verbo, cùm caput in membra fluat, membra vt capiti grata sint, capiti restituere debêt, si quid in eis, aut gloriæ, aut vigoris est: pater verò filij caput est, cuius ille ramus, pars, membrum: Igitur Iosephum cùm pater impensè diligeret, & de puero grandia sibi sponderet: videns, adorationem sibi à capite præstari velle, cùm è diuerso parentem gnatus adorare debuisset, timuit, ne ingratus euaderet, ingratum autem sciebat pectus nunquam ad sublimia anhelare, proinde increpuit, vt quem ab ineunte ætate gratitudine in primis addictum optaret, vt quæ sit virtus facilè reliquas virtutes in anima generans: Philo Hebræus libro de Ioseph, prope initium: *Grauiter autem obiurgabat filium, timens, ne quid ille peccaret: Potéstne, inquit, fieri, vt ego, matérque, & fratres adoremus te? Nam per Solem, patrem: per Lunam, matrem: per vndecim stellas fratres significare videris: quod caue vnquam in mentem tibi, mi puer, veniat: trade potiùs obliuioni visiones istas nefarias:* Appellat autem visiones nefarias, eò quòd ingratitudinis species sit, caput subiici membris, patrem adorare filium.

Phil. Hebr.

Absalon ille parricidalis, neque pugna interemptus, neque à saltu absorptus, cùm plures ille consumeret, quàm quos gladius vorauerat, neque à Dauidis, qui occurrerunt, satellitibus confossus, non scopulo illisus, non mulo deiectus: omnia pepercerant: Num, quia pius genitor sic optauerat? eius enim vnicum votum: *Seruate mihi puerum Absalonem.* Reg. 2. cap. 18. num. 5. Verùm conniuentibus reliquis, non arbor, non Ioab pepercit: Dicamus primùm de quercu, quæ bellatoris crines implicuit; cur huius rami speciatim vindicant, & vlciscuntur? Equidem non nunquam accidit, ex nobilitate quempiam dedecoroso facinore turpari: tristatur familia, quoniam vnius noxa in omnes redundat, vniuersos grauat: Tandem; siue ob amicitias, siue ob pecunias condonat Magistratus, placantur ciues: sed nunquam consanguinei conquiescunt: manet alto corde affixa labes, non aliter quàm morte pianda, atque vltimò necem inferunt: Ecce, qui præ cunctis parcere debuissent, præ reliquis sæuiunt? Ne stupescite: vehemens eos dolor incitat: & nisi sublato impio capite haud putant inustum stigma deleri posse: Iam quò tendat oratio, suspicamini: Erat Absalon ramus, truncus Dauid: vicit immanitate barbariem omnem iniquissima soboles: delicias, splendorem, vitam eripere conabatur ei, à quo progenitus, à quo enutritus in pompa & voluptate multa; dolebant rami super infami germine, & quoniam genus suum macula horrenda aspersérat, vltionem pollicentur: Infelix Absalon, dira nimis ramorum est ira, parcant Dauidis ferui, conniueat saltus,

64.

2. Reg 18.

indulgeant scopuli, mulus adiuuet, Olympus fulmina contineat, non mare excipiat, non terra dehiscat; postquàm omnia quieuerint, frondes armabuntur, & quàm inauditæ ingratitudinis forma ramis attulisti iniuriam, vindicabunt vertice illaqueato; lictores erunt, qui Ioabo interfectori sistant; sic iustè non nisi à ramis patitur, qui rami nomine abusus, aduersùs radicem ingratus extitit; Sic non pede non manibus; sed capite irretitur, qui non contemnere caput, non destruere veritus: Chrysost. tom. 1. enarrat. in Psal. 3. *In arbore sublimi suspensus est, qui aduersùs patrẽ er gebatur; & à planta detinebatur, qui cum radice pugnabat; & vinctus erat à ramo ramus, qui erat à paterna affectione abruptus; & capite tenebatur, qui genitoris caput auferre contendebat; & tanquã fructus pendebat ab arbore, qui naturæ agricolam volebat exscindere;* Et similia multa eodem tom. 1. hom. de Absalon persequente patrem Dauid, vbi illud; *Te non contempserunt exercitus,* (cũ Dauide sermo est,) *non duces, quibus parci sceleſto, mandasti: sed illa arbor, illa te primùm vlta est, illa læsi patris iniuriam, quæ te nõ audierat, vindicauit:* Ad Ioabum feramus; Cur iste singulariter iugulat, cùm abstineret totus exercitus, Dauidici memor imperij, qui puerum liberandum præceperat enixè? Equidem, si quis alius in Dauidis militia gratissimi cordis, Ioab in primis; Testatus planè, cùm obsessa vrbe Rabbath, cùm caperetur, Regem aduocari iussit, vti honos victoriæ potiùs Monarchæ, quàm sibi adscriberetur, Reg. 2. cap. 12. vers. 28. Quanta fidi cordis sinceritas, quæ magis cuperet Regi, quàm sibi gloriam, & à se lucem triumphi alienaret, vt in eum, à quo beneficia recepisset, transferret? Quoniam igitur bonus ordo postulabat, vt de ingratitudine supplicium gratitudo sumeret, (huius enim virtutis est, sibi oppositum vitium extinguere,) de ingratissimo Absalone æquum erat, vt non alius magis, quàm is, qui gratitudine eximiè fulgeret, vindictam caperet; hic autem erat Ioab, ac proinde ab huius dextera periit viperina proles: Dissimilis Absaloni germanus eius, Canticorum Scriptor; memor beneficiorum, quæ à Deo accepit, Deo reddidit; atque vt significaret, titulum præfixit dedicationem, quæ innueret, inquiens; *Canticum Canticorum Salomoni.*

In quibus quis peccat, in iisdem plectitur. Chrysost.

2. Reg 12.

SECTIO VII.

Verus obediens, neque præcipientis conditionem, neque mandatorum qualitatem (tantùm honesta sint) discernere debet; Deus solus attendendus.

65. STatuimus, nihil interesse, siue Canticorum inscriptio Salomonici imperij partus extitisset, seu eam septuaginta Seniores adinuenerint, siue Esdras, aut alius quispiam, dummodo afflatu Dei; decreuimus nanque in vaticiniis, simpliciter loquendo, haud anxiè esse disquirendum de immediato loquutore, quando prophetantes instrumentum solùm sint Dei effantis, qui certè, quemadmodum per Moysem doctissimum virum, vtpote omni Ægyptiorum sapientia eruditum, loquutus sit; ita & per rusticum Amos etiam prophetauit: Itaque Deus est, quem in prædicente attendere debeamus, cùm eius sermo ille sit, & materialiter se habeat, quòd per huius os, scilicet, aut Regis, qualis Dauid: aut docti, qualis Salomon: aut pastoris, & abiecti, qualis Amos, profatus sit; Quo symbolo egregiè delineari obedientiæ naturam existimem, nam, qui huius scopum virtutis attingere desiderat, personam imperantis respicere non debet: sed, siue Angelus de cœlo: seu homo super terram, atque inter homines; siue Pharisæus à cathedra doceat, cuius vita sermonibus discors: seu Moyses ipse sanctissimus Legislator: seu Consul, siue plebeius imperet, æquè obtemperare oporteat: Neque etiam disquirendum, an hæc, an illa potiùs præcipere iustum fuisset, modò Dei legibus non aduersentur, similiter vniuersa amplexanda sunt, & pari mentis alacritate: Verùm percipiamus ex diuina B. Parentis nostri Ignatij epistola hac de virtute documentum admirabile: *Siquidem superiori* (inquit) *nec si prudentia, bonitate, cæterisve quibuslibet donis ornatus, instructúsque sit, propterea optemperandum est: sed ob id solùm, quod vices gerat Dei, eiusdémque auctoritate fungatur, qui dicit: Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit: Nec è contra, siue consilio, aut prudentia minùs valeat, quidquam idcirco de obedientia remittendum, quatenus ille Superior est: quãdo illius personam refert, cuius sapientia fulli non potest, supplebitque ipse, quicquid ministro defuerit, siue probitate, aliisque ornamentis careat.* Sic beatus Pater! probemus ista.

S. Ignat. de Loyola.

Restituit vitæ Seruator defunctum Lazarum: 66.
sed ecce qualis prodeat? nempe, ligatus pedes, & manus institis, & facies illius sudario erat ligata, Ioan. cap. 11. vers. 44. Vt quid in hunc morem; neque enim taliter alij, quos vita donauit, cùm tamen iidem sepeliendi ritus fuissent: & debuit sanè hospitibus eam gratiam feciſſe, sororibus dico, quas summoperè diligebat, vt fraternos vultus nimiùm optatos quamprimùm intuerentur: Equidem Lazarus eos homines repræsentabat, qui cùm diu in peccatis iacuissent: & penè in his computruissent, tandem benignioris Numinis clementia ex peccatorum cœno emersere: hi autem pristinis vitiis renunciantes, dum spiritalis vitæ structuram meditantur, de basi in primis cogitant, quæ est obedientia: *Est enim hæc vna virtus* (vt loquitur Gregorius in Moralibus lib. 35. capitis decimi initio,) *quæ cæteras virtutes mentis inserit, insertásq; custodit:* Igitur, vti eiusmodi, quorum typum sustinebat, obedientiæ genuinam formam præmonstraret Lazarus, sic irretitus prodiit: nam certè oculi propterea obuelati, ne sciret, quisnam ille fuisset qui de morte suscitaret, num obscurus, an nobilis: diues, an pauper: illiteratus an doctus: si enim Christum vocantem conspexisset, amicitiæ antiquæ quòd obsecundaret, detulisse existimari possit, vel personæ, quæ maiestate, scientia, pulchritudine, morum integritate excelleret: cùm tamen alterum etiam his carentem dotibus, Dei tamen Legatum, auscultare debuisset: pedes vinctos habet, vt qui propria virtute in hunc potiùs, quàm illum, digredi non valeret locum, nec optaret fixas aliquas sedes: tantùm vellet superiorum ductu ferri: O felix impedimentum! Nunquam liberior Marthæ frater, atque Mariæ, quàm dum sic implicitus, vt nihil aliud caperet, quàm quod Prælatus desideraſſet: Eleganter Ambrosius libro de fide

Ioan. 11.

Obedientia, basis virtutum. Gregor. Pap.

Ambros.

fide resurrectionis, prope medium: *Audiuit ergo defunctus, & exiuit foras de monumento, ligatus pedes & manus institis, ac facies eius orario ligata erat: Comprehende, si potes quemadmodum clausis oculis iter carpit, vinctis pedibus gradum dirigit: manebant vincula, nec tenebant; tegebantur oculi, sed videbant: virtute enim diuinæ præceptionis operante natura suum non requirebat officium: Si miraris hoc, disce, qui imperauerit; tum mirari desines*: Quàm speciosum est illud, quod Ambrosius asserit! *Tegebantur oculi, sed videbant:* Nunquam enim melius cernimus, quàm cum non intuemur: cæco, nimirum quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, ducti; nec metus est, vt labatur pes, quanquam illaqueatus: gradietur inoffensè vsque ad ciuitatem sanctam Sion.

67. Contemplor etiam Lazari vinculis simile quidpiam in supernis, & prope ipsum Deum; quippe eius throno adstantes Seraphim, *Sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius,* Isaïæ 6. *& duabus velabant pedes eius.* Isaïæ cap. 6. vers. 2. Sed, cuius & vultum, atque vestigia? an Dei, an ipsorum spirituum? Equidem suos Patronos vtraque habet opinatio: sed veterum recentiúmque maior pars, Angelorum ora, plantásque velatas arbitratur: Quare & Symmachum vertisse: Procop. *Velabant faciem suam.* Procopius asseuerat: vide Sanct. nostros Sanctium, & Aluarez: Ergo & aliud in Aluarez. his Lazari mysterium: nam lumina absconduntur, pedésque alarum innectuntur pennis: Num ob parem causam? Planè: quippe administratorij Spiritus sunt, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis; atque, vt effatur Bernardus serm. 2. in vigilia Natalis Domini, Bernard. *Discurrunt medy inter nos, & Deum, fidelissimè portantes ad eũ gemitus nostros, & ipsius nobis gratiam deuotissimè reportantes*; Quãdo itaque Creatoris imperia obseruant, & exequuntur; benè si faciem tegant, vt, quod ad eos attinet, nolint scire, quisnam ille sit, qui præcipiat; num Deus in sua maiestate, an alius nomine ipsius etiam, quãquam minor Angelis, & neque id paulò quidem, promptissimè obsequerentur, ac si immediatè Numen intimasset: pedes quoque irretitos ostendunt, vt nullam sibi propensionem esse, ad hæc itinera potiùs quàm illa, significent; verùm id placere solùm, quod Superiori visum fuerit imperare, neque alacres magis ad Regum aulas, quàm ad pauperum tabernas: sola voluptas, paruisse: Fauet huic explanationi non obscurè noster Sanctius num. 14. *At religiosæ* (inquit) *obedientiæ habes hic, si vnquam, præclarum symbolum; quam humilem esse debere, alacrem, & cæcam, docet spiritualium Patrum, & omnium penè Ordinum religiosorum disciplina: ecce hic habes excussas alas, & ad volandum expeditas, cum oculis tamen, si non cæcis; certè velatis: habes pedes tectos, in quibus affectus significari constat: vt discas, non tam tuis affectibus, atque voluntati seruiendum, quàm parendum alienæ.*

68. Volebat Creator Moysem in Ægyptum destinare ad Pharaonem, vt educeret populum eius de captiuitate, & iugo ferreo: at Propheta semel, iterúmque supplicat, ne mittatur: nunc quidem velut imbecillitatis suæ conscius: *Quis sum ego* (inquit) *vt vadam ad Pharaonem*, &c. Exod. Exod. 3. & 4 cap. 3. vers. 11. nunc linguæ infantiam proponit: *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri, & nudiustertius.* Exod. cap. 4 vers. 10. Nuper idem Numen apud Isaïam deliberabat eo, quod citauimus, cap. 6. vers. 8. *Quem mittam, & quis ibi nobis?* Statimque prosiliit Vates, & amoto omni impedimento: *Ecce ego,* (ait,) *mitte me*: Quamobrem, aut non promptum se Moyses continuò exhibet? aut non etiam tergiuersatur Isaïas? Num, quia ad liberandos conciues mittebatur Legislator, quod illi optatissimum erat? & arbitrabatur vix obedientiæ nomine dignam parentiam, cùm ea quispiam ex Superioris iussu exequitur, quæ ab eo præcipi maximè cuperet? Non dissentit Magnus Basilius in cap. 6. Isaïæ. *Quia illic quidem mittebatur Moyses pro bono, ac beneficio in populum conferendo: & nos homines sic natura comparati sumus, vt quæ semel volentes exequenda proposito elegerimus, quamlibet molesta fuerint, tamen eam operosam molestiam deuoramus, ac perpetimur.* An ideò Moyses detrectat, quoniam ambitiosa erat legatio, & plurimi honoris, & quanquam Superiori parere opus perfectum quidem; sed tamen cùm ad pompam quisquam vocatur, humilitatis est cum sobrietate reniti, suámque habet laudem? Ita Basilius eodem loco, & multò clariùs Gregorius Romanus lib. 35. Moralium, Greg. Pap. cap. 10. *Moyses nanque* (ait) *cum in deserto oues pasceret, Domino per Angelum in igne loquente vocatus est, vt eripiendæ omni Israelitarum multitudini præesset: sed, quia apud semente humilis extitit, oblatam protinus tanti regiminis gloriam expauit, mòxque ad infirmitatis patrocinium recurrit, dicens: Obsecro, Domine, non sum eloquens*, &c. Fateor quidem, commendabilem esse affectum renitentis cum indifferentia, quando Prælatus ad sublimia euehit; sed tamen obedientiæ purissima lex est, nihil proprij velle retinere; æquis vlnis amplecti, siue quod excelsum est, seu quod abiectum: Cùm igitur vidisset Isaïas Seraphim vultum, pedésque alarum vmbraculo protegentes, didicit ab eis, obedientiæ præclarissimam normam esse, cùm iudicium voluntásque subditi cum iudicio, voluntátéque Antistitis, siue in grandibus, seu in paruis consentit; hoc enim illo ostento diximus, numero elapso repræsentatum; Itaque Isaïas totus à Superioris dependens placito, *Ecce ego,* inquit, *mitte me*: Nec dicit sanè: *Ege ibo,* cùm tamen quæsitum fuisset, *Quis ibit?* quoniam eiusmodi asseueratio quidpiam propriæ voluntatis adsonare videatur: sed, *Mitte me*: penes te sint vniuersa: tu impelle, siue ad magna, seu ad exilia: Basilius vbi suprà: *Quare* Basil. *Moyses quidem propter splendidum & illustre genus, accitus est ad tanti populi præfecturam, quam deprecatus est: Quis sum, vt pergam ad Pharaonem Regem? Rursus: Obsecro, Domine insufficiens, nec satis idoneus sum! Isaïas autem tale aliquid cùm nihil audisset, sed solùm edoctus necessitatem mittendæ legationis, nihil inuitus seipsum permisit Deo, perque exuperantem charitatem se iniecit medium subeundis periculis, nihil secum reputans eorum, quæ sibi irroganda essent à populo mala.*

Vix obedientia quæ de rebus est nobis placentibus.

Basil.

Superiori proponere quando liceat.

69. Expendamus Zenonis Veronensis ex tertio de Abraham sermone, gnomen: *Lætatus est puer* Zen. Ver. (inquit) *patre fideli, ipse quoque fidelior; nec recusabat mortem, quam Deus, qui vitam dederat, imperabat.* Quo in axiomate, illud peregrinum, quod *patre fideli* puerum *fideliorem* nominet: Verùm, nónne Abraham, pater credentium? Quo more igitur eo *fidelior* Isaac? An, quoniam in adolescente virtutem plùs demiramur, quàm in senibus? vel, quia filius ibi oritur, vbi desinit parens, quando vltima penè Abrahæ tentatio sit primus

Virtus in adolescente rara.

Isaïæ 6.

calix Isaac? Equidem Abraham, quemadmodum
Gen. 22. Genesis caput 22. insinuat, ab ipso Deo immediatè edoctus est, vti filium vnigenitum holocaustum offerret super vno montium, quem ostenderet illi: Isaac autem non à Deo ipso immediatè, sed ab homine, genitore nimirum, percepit, velle Numen quam illi commodauerat vitam, repetere ab eo: maioris autem obedientiæ est parere Deo, cuius voluntas non nisi per hominem innotescit, qui vanitati & mendacio subiectus est, quàm Deo se palam manifestanti: Vt igitur innuat, quàm alta virtus sit, Deum in Prælato agnoscere, eidémque non secùs parere per alios loquenti, quàm si ipse vultum aperiret: puerum genitore *fideliorem* appellare non est veritus; Sed progrediamur cum Zenone: *O qui seruum Domini ita se esse meminerat, vt patrem se esse nesciret: Quid est, pater? Ecce sub oculis iacet filius vinculis adstrictus vbi sunt lacryma? vbi dolor, qui in humanis sensibus versari consueuit? In tantis filij casibus latatur, & gaudet:* Sed, quare se patrem esse ignorabat? Nimirum, quia sic ad illam victimam offerendam accesserat, quasi filium non sacrificaret: itaque mentis tam alta erat pax, vt idem fuerit illi natum mactare, ac si aliud quidpiam occidere iussus esset: non enim, quid sacrificaret, considerabat; sed num sacrificando pareret: Idem illi, siue filius, siue aries procumberet: non enim rem, sed mandatum intuebatur: Idem rursus beatus Martyr: *A filio ad agnum transtulit dexteram, semper latatus, & gaudēs; nec mutatus est vultus eius, cùm esset victima mutata: cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat & filium: vbi enim fides fuit, non erat dolor*: Verùm quamobrem in vtroque euentu sibi semper æqualis sacrificans? Scilicet, *Seruum Domini* (vti aiebat Zeno) *ita se esse meminerat, vt patrem se esse nesciret:* ideò oblitus paterni nominis, quoniam oculis obuersabatur, seruum se esse: quòd si seruus, certè id omnibus modis considerare debet, quid herus exoptet: si agrum colere iubeat, hoc eadem animi alacritate aggredi oporteat, ac si in aula viuere, in deliciis imperet: non, quid faciat, expendere præstat; sed, quid possessor illius magis desideret: Verùm, vbinam inueniendus seruus tam bonus, & fidelis, qui non magis velit in Regum domibus habitare, quàm in rustica casa? Quis ille Cœnobita, qui non magis amet cathedram, & vocari Magister, quàm culinæ occupari sordido & ignoto ministerio? Quid dixi de culina? Vtinam vel ad confessiones audiendas, vel psallendum cum Fratribus, vel rudem plebem instruendam descendant nonnulli! Veniet hora, cùm nouissimum obtinuisse locum cuperent; sanè cùm prement nouissima. O Abraham, quomodo sic potuisti obliuisci te esse parentem, & tanta lætitia filium iugulare, quanta & arietem!

Veri obedientis quanta mentis indifferentia.

70. Quæsitum à nobis aliàs, Auctore Cæsario,
Cæsar. Nazianzeni fratre Dialogo quinto, quamobrem Princeps Apostolorum Simon, sic exarserit aduersùs Ananiam, & Sapphiram, vt vita despoliauerit, Actorum cap. 5. Diximus horum piaculum
Act. 5. extitisse, quòd celauerint de pretio agri venditi: quæ absconsio negationis quoddam fuerit genus, cùm integrum pretium negauerint, vt os tacuerit, factis tamen: At istud Petrum magis ad clementiam mouere debuerit: nam ita comparatum, vt quarum commiserimus noxarum, si veniam consequamur, misereamur faciliùs earundem: Simon autem negauerat semel atque iterum, iterúmque Præceptorem, & ad puellæ vocem inficiatus est: cur itur non lenis erga simile delictum? Equidem erat illa Ecclesiæ infantia, quam obedientia egregiè fundari oportebat: erat verò Petrus non solum regularium, sed etiam omnium Christianorum Hierarcha Christi vice fungens in terris: Ananias autem, & Sapphira non considerabant in Petro, nisi hominem, proinde decipi posse, & fraudari agri pretio aliqua ex parte cogitabant: sic enim innuere videntur ea verba: *Non es mentitus hominibus, sed Deo*: ac affirmet: Non me contempsistis: quid enim ego sum, nisi piscator, & idiota? sed Deum: Igitur, ne quis deinceps auderet Superiorem quasi hominem infirmitatibus obnoxium considerare; sed velle Deum intelligeret quod superior iubeat, cuius nomine imperat; diminutè obedientes morte abripi subitanea passus est.

Aduersùs inobedientiam seueri debet esse Prælati.

71. Nec mireris, Petrum tam seuerum aduersùs
inobedientes: didicit à Magistro suo Christo Iesv; nam certè vt surrexit de cœna, misit aquam in peluem, & cœpit lauare pedes discipulorum, vt autem venit ad Simonem Petrum, cùm se indignum æstimaret, cui Dominus pedum sordes ablueret, & amore, & humilitate percitus inquit: *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Ioan. cap. 13. vers. 8 Tulit acerbè Redemptor hominum, continuóque subiunxit: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*: Quid est, non habebis partem mecum? Quasi verò à Christi aut amicitia, aut regno excludendus? Sed, nónne potiùs gratiam promereri debuit? quamquam enim & renititur; sed pietas, quæ operit delicta, est in contumacia: sed tamen Redemptori non placet indiscreta pietas; vtique, si alia minoris auctoritatis persona, Apostolorum Coryphæo pedes abluisset, haud tulisset grauatè: verùm sustinere non potest, vti eius ad vestigia procumbat Christus: hoc autem est, quod Seruatori displicet: vult enim subditum incontentiosum esse, & alieno regimine penitùs manuduci; itaque eius nullatenus esse partes, disquirere, qualis sit persona imperans: num aut summa, vel mediocris; aut plebeia: tantùm nouerit Dei fungi legatione; & cùm ob eius amorem alienæ se voluntati subiecerit, ad diuinam spectare prouidentiam Antistiti insinuate, quæ auscultaturo conueniant: Et puto tam minaciter Simonem alloquutum, vt quoniam cæterorum Caput futurus esset, qualem ab illis exigeret obedientiam, nosset; scilicet, nihil perniciosius esse subdito, quàm cùm spreto Maiorum iudicio suum antefert sensum, quanquam certè in rebus spiritalibus & piis, in quibus sanè maius periculum est: Verùm de hoc Christi facto vt opinetur Ba- Basil.
silius Magnus in Regulis Breuioribus, responsione 233. intelligamus: *Petrus, cùm ei talium, ac tantorum rectè factorum testimonium à Domino fuisset datum, atque eo modo appellatus, & Beatus laudatus: vbi vna tantùm in re ab obedientia visus est discedere, atque hoc ipsum non ex negligentia, superbiáve; sed ex reuerentia honoréque aduersùs Dominum suum, propter hoc ipsum tantùm ei dicitur: Nisi lauero te, non habebis partem mecum.*

72. Creatoris potentiam & gloriam significaturus Dauid Psalmo 118. vers. 91. *Ordinatione tua* Psal 118.
(inquit) *perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi*: Commendat autem Numen ob promptam lucis obedientiam; honor enim dominorum est,

habere

habere famulos, qui alacriter, ad nutum, conſtanter obtemperent; Verùm, cur non ab alia creatura potiùs deſumpſit encomij materiam? Nam, vt teneantur omnia opera manuum Dei factori ſuo parere; ſpecialiùs tamen lux, vt quæ potiora dona receperit: ipſa nanque eſt prima inter condita à verbo, quæ ab eodem approbata eſt, Geneſ. cap. 1. verſ. 4. *Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona*; ipſa, cuius genitor, Sol nempe, cum imperio creatus: *Fecitque Deus luminare maius, vt præeſſet diei.* eodem cap. 1. verſ. 16. Quis verò non in æternùm, ſi poſſet, certè ad longiſſimum æuum, non permanere Monarchiam vellet? Itaque mirum non eſt, quòd lux per tot ſæcula indefeſſa obedientia perſeueret; Sed perpende, lucis, aliatúmque rerum à Deo factarum diſcrimen; Coguntur quidem & maria, & tellus, & ignis, etiam ingratis nationibus miniſtrare; Fateor, *ingemiſcit creatura*, vt Paulus monet; vtique videns ſe ad hoc obligatam; nam vellet Numinis iniuriam aduersùs impios mortales vlciſci; Itaque, cùm onus ſit, ſub quo ſuſpirat, quòd per tam multas ætates non ſuccumbat, nec renitatur iniquæ ſeruire nationi hominum, obedientiæ ſpecimen eſt omnem vincens eloquentiam; Aſt ſanè iſtiuſmodi elementis quale quale nonnunquam ſolamen: quippe non tarò arua cultori fructus denegant ſuos, & eludunt agricolæ ſpem; mare nauigantes abſorbet; ignis vrbes aliquando integras depopulatur; Creator permittit; & quoniam iuſta eſt retributio, lætantur cernentes peccatorum vindictam, neque ſemper proſperari viam impiorum; Cæterùm luci nulla talis conſolatio; *Oritur enim Sol, & occidit quotidie, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, luſtrans vniuerſa.* Eccleſiaſtæ cap. 1. verſ. 3. Bene quidem, *luſtrans vniuerſa*; id eſt, barbaris ſimul, & cultis gentibus lucis vſuram præbens, Ethnicum, Mahometanum, Hæreticum non minori benignitate iubaris, quàm Catholicum perfundens; atque inter hos, & peccatorem, & iuſtum illuſtrans: vnde filius ille diſſipator; *Pater, peccaui in cœlum, & coram te*, non autem, peccaui in terram, dixit Luc. cap. 15. verſ. 18. quoniam quidem à terra genitæ arbores eſurienti, neque de ſiliquis, quantùm ſat fuiſſet, ſubminiſtrabant, cùm Olympus ſplendores nunquam occultaſſet: O auricomi ſyderis deprædicandam obedientiam! Meritò Pſalmodus obſtupeſcit, & euehit: ſi enim iuſtis fulgere, ſi templa, ſi Regum baſilicas, ſi montes aromatum, ſi concluſos hortos, ſi reuerberare peccatores ad modicum interuallum Creator iuſſiſſet, toleranda fuiſſet ſeruitus; at pari alacritate immundiſſimis ſplendeſcere, oriri ſuper iuſtos pariter & iniuſtos, nunquam vacare à benefaciendo ingratiſſimis prouinciis; ſanè mirabilis famulatus eſt, & vix inter irrationalia, quod plus enarret Dei gloriam, quàm quòd ordinatione eius perſeueret dies: O homo! & non erubeſcis, non confunderis, quoties planetam iſtum intueris! quoties & naturam vniuerſam perpetuò obſequentem illi, à quo condita eſt, etiam tum, quando tibi nouerca videtur, cùm ab ea vapulas, & fame, incendio, illuuione caſtigat! neque enim vel iſta, niſi iuſſa perficit, adeò nunquam niſi ex alieno optatu regi velit, quod ſcitè perpendit Aurelius Prudentius libro poſteriori contra Symmachum;

Ergo capax vtriuſque rei natura creandis
Se præbet populis, nec habet diſcernere diſpar
Viuentiũ meritum, quos tantùm paſcere iuſſa eſt;
Seruit enim mundus, non iudicat: hoc ſibi ſummus
Naturæ Dominus præſcripta in tempora ſeruat.

Eximiè pronunciauit: *Seruit enim mundus, non iudicat:* Nam, ſi mundus iudiciaria poteſtate fungeretur, ſecerneret lolium à tritico, & in faſciculos colligatum, ignibus traderet; quoniam autem ſeruit, tantùm imperantis mandata obſeruat: ſiue ille iuſſerit, vt fructus ſubminiſtret bonis: ſiue, vt malis producat, ad eam non ſpectat niſi parere iuſſionibus: & hoc idem Pſaltes loco memorato Pſalmi, *Ordinatione* (inquit) *tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi*: id eſt, propterea, & ingratis, & benè meritis obſecundant, quoniam ſeruitute tibi obſtricta.

Sed ex eodem Pſalmographo Oda 104. v. 22. vbi, memoratur Ioſephus à Pharaone tantis honoribus affectus: *Vt erudiret* (inquit) *Principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret*: nimirum, vt ad eam normam inſtrueret, ad quam formatus eſt ipſe Ioſeph: Sed cur de Principibus ita dictum, & ſenibus, non verò de adoleſcentibus? Arbitror ſanè iuniores aulicos, qui poſteà capeſſuri erant Reipublicæ habenas, Principum vocabulo ſignificari: Iuuat noſtram cogitationem Brunonis Carthuſiani Commentarius: *Et non ſolùm iuuenes Principes*, (ait ille,) *qui non erant adeò ſapientes: ſed & ſenes eius, qui erant ſapientes, maiorem prudentiam doceret: quod quidem mirabile fuit, doceri ſcilicet, ſenes à iuuene*: Hos igitur, qui futuri erant Magiſtratus, & Præfecti prouinciarum, oportebat Ioſephum non aliter, quàm ſui ad ſimilitudinem effingere: Quid hæc commonefaciant? Equidem is optimus Antiſtes euadit, qui nouit optimus eſſe ſubditus; optimus verò ſubditus is eſt, qui Prælato cuiuis indifferenter paret, ſiue is nobilis ſit & diues, ſeu pauper & obſcurus: indicat enim hæc agens, ſe non ad perſonam mandantis attendere, ſed ad illum, cuius vicarius ſit: Quid verò contigit? Profectò Iacob parenti obſequens fuit, donec apud eum permanſit: ſed pari etiam alacritate Putiphari ſeruitute oppreſſus obtemperauerit: quin & carceris vigili, dum clauſus teneretur: vbique Ioſeph humilis, & obediens: quoniam non hominem perpendebat, ſed Deum, à quo omnis dimanat poteſtas: & quoniam tam bonus ſubditus nouerat eſſe, Magiſtratuum ſpecimen euaſit, cui non dubitauit Pharao vniuerſam regnorum adminiſtrationem credere: Quò igitur iunior nobilitas ſufficiens cum tempore extitiſſet, quæ regere ad imitationem Ioſeph poſſet, & floreret imperium ſub tali præfectura, voluit vti eos velut ſemetipſum erudiret: hoc eſt, dum in minoribus eſſent, faceret, vt cuiuis Magiſtratui obedirent: neque eam ſibi licentiam vendicarent, quam nonnulli Optimates ad perniciem Reipublicæ aſſumunt, qui indignum putant inferioribus obedire Prætoribus: Pagnini habet tranſlatio: *Vt alligaret Principes*: Et omnes vulgariter conſentiunt Interpretes, Hebræa permittere, vti aut *vinciret*, aut *alligaret*, ex bona verſione promatur: neque inuenuſtè pro ſcopo noſtro: Nam aſſeruimus voluiſſe primùm bonos ſubditos facere nobilitatis iuuentutem, quò dignè in Magiſtratum poſteà creſcerent: ad hoc autem vinciebat, eóſque alligabat, id eſt, propria & voluntate, & iudicio deſpoliabat, vt nihil cuperent, nihil ſentirent aliter, quàm Prælatus vel optaſſet, vel ſenſiſſet: qui tales ſub

Obedientia honorata non tanti facienda.

Gen. 1.

Rom. 8.

Eccleſ. 2.

Luc 15.

Terra auara & illiberalis, ſecùs cœlum.

Prudent.

73. Pſal. 104.

Bruno.

Optimus Prælatus qui bonus fuit ſubditus.

Pagnin.

aliena extitiſſent ferula, poſſe ſummo cum regnorum commodo ad capeſſenda prouinciarum gubernacula aſſumi; Atque nos, vt hanc in ſubditis indifferentiam ſignificaremus, comparauimus prophetali obedienti.e: nam Vates de ſuo non loquitur, non diiudicat: verùm ea ſolùm pandit, quæ alloquens Numen inſpirat; ad eius nutum omnes animi affectus componit, ipſe inſtrumentum tanti operis.

SECTIO VIII.

Poſt Chriſti Incarnationem, & Natiuitatem, Deum quaſi mitem factum; qui ſub lege vlciſcens, qui ſeuerus habebatur.

74. TAntùm *Salomon*, id eſt, *Pacificus* nominatur Auctor huius libri veſtibulo; non filius *Dauid*, quemadmodum alibi; quia Dauid vir ſanguinum, & bellator à iuuentute ſua; non Rex *Ieruſalem*, quia ibi turris Dauid, ex qua pendent mille clypei, omnis armatura fortium; Igitur ablegatum ab hoc volumine, quidquid ad pugnam, aut fundendum cruorem ſpectat; Quamobrem? Sanè huius libri ſcopus eſt de Incarnatione Filij Dei agere, quemadmodum non ſemel
Athanaſ. docuimus ex Athanaſiana Synopſi, ſiue ex Opere Euſebij Pamphili in hunc Codicem, qui notant, in aliis veteris Inſtrumenti voluminibus ſermones iræ, atque indignationis reperiri; in Cantico Canticorum lætitiæ, & gaudij ſola verba; *Propterea*, inquiunt, *quòd liber præſens nihil aliud, quàm Verbi aduentum ſignificat*; Ac ſanè à diebus aduentus eius ceſſauit omnis pauor, atque trepidatio; miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia, & pax in oſcula, inque amplexus ruerunt; non iam vltrà metuentis vulgi funeſta vox; *Non loquatur nobis Dominus*; imò verò, ſonet vox tua in auribus meis: nam vox tua dulcis eſt, equidem & ſuper mel & fauum; verba enim vitæ habes: Loquere, Domine, quia audit ſeruus tuus; clama, ne ceſſes; non fugiemus ampliùs à voce tua, quemadmodum ſe abſcondit præuaricator Adam; paruulus datus eſt nobis; & quem terrere poterit ſonus vagientis? Benè igitur, quòd carminis, in quo allata humano generi Numinis placati benignitas demonſtratur, inſcriptio de pace tota ſit; nam exinde pacificum Verbum, ex quo carnem aſſumpſit.

75. Ingreſſus eſt Iſraël mare rubrum, timuêre gurgites, & retrogreſſi, quaſi murum à dextra, leuáque fecerunt: Quid miramini? Audiuit vocem increpantis Numinis, & fugit à vultu iræ furoris eius; nam quidem obiurgantis ſermo ille, de quo
Pſal. 105. Pſalmorum Cantor Hymno 105. verſ. 9. *Et increpuit mare rubrum, & exſiccatum eſt*, Percipiamus amplius à Cæſario Arelatenſi homilia 4. de
Cæſ. Arelat. Paſch. *Nec immeritò eos hoſtis non attigit, lux præceſſit, fluctus expauit*; *Sic Propheta teſtatur*; *Et increpuit mare rubrum*; *& receſſit, & iterum; Mare vidit, & fugit*; *Quid vidit? Sine dubio illud terribile profundum aſſiſtentis inhorruit maieſtatem, & ad præſentiam ſui ceſſit Auctoris*; Puto his ſecúdi maris procellis indicauerit Iordanis vndas, quæ defecerunt ante Arcam fœderis Domini, cùm tranſiret eum Ioſuë, cap. 4. verſ. 7. de qua trepidatione Pſalm. 113. verſ. 5. *Quid eſt tibi, mare,* Ioſuë 4. *quod fugiſti: & tu, Iordanis, quia conuerſus es retrorſum*? Elapſis multis ſæculis deſcendit in Iordanem baptizandus à Ioanne Præcurſore Auctor humanæ ſalutis; aſtitit tota Trinitas, Pater emiſſa voce aſſerente; *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo* Matth. 3. *mihi complacui.* Matth. cap. 3. verſ. 17. Spiritus ſanctus ſub columbæ forma; Verbum in homine neque tamen abditur, neque retrocedit Iordanis; quæ hæc eſt animi fortitudo ſuſtinentis totam Triadem? Illa fluenta, quæ à conſpectu Arcæ trepidabant, nunc omnes diuinas Perſonas perferunt! Ergóne Arcæ vehementior Maieſtas, quàm Domini exercituum? Verùm, quid tergiuerſamur enodare? Tunc ſanè, quando fugiebant vndæ, Patres ſub lege erant, quæ nihil ad perfectum duxit: tunc Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, nondum humanum amictum induerat; Igitur ante Incarnationem vel muta pauebant elementa, & à conſpectu Dei fugère vel audaces vndæ; poſt hominem aſſumptum, vniuerſa in pace ſunt, non eſt quòd Iordanis timeat, etiamſi tota delabatur Trinitas; atque ob hoc amor eum comitatur, Spiritus ſub pacatæ volucris imagine; Genitor, qui timeri poterat, intra nubes latitat; O mitem Incarnationis œconomiam! Meritò à cœleſti militia cantatum! *Et pax hominibus bonæ voluntatis*; Accinat & nobis Chryſologus; nam eius Muſicæ inſtar vbicun- Chryſol. que oratio; *Hodie Deus maieſtate intonuit* (ait ſermone 160) *etſi Pater de cœlo intonat, ſi filius Iordanis inſiſtit fluentis, ſi Spiritus ſanctus corporaliter apparet de ſupernis: quid eſt, quòd Iordanis, qui fugit ad præſentiam legalis Arcæ, ad totius Trinitatis præſentiam non refugit? Quid eſt? Quia pietati obſequitur, incipit non eſſe timori; Hic Trinitas exercet gratiam totam, totam ſecum loquitur charitatem; ibi elementa corripit, vt ſeruulos inſtituat ad timorem.*

76. Duos filios ſuſtulit Abraham, Iſmaëlem, & Iſaac: ſed, quàm diuerſa vtriuſque exordia? Iſmaël vix conceptus, & mater in exilium propellitur: ſed & genitrix ex ſeruili genere: & ipſe prænunciatus, qui ferus homo euaderet, Geneſ. cap. 16. Gen. 16. verſ. 12. Quid non in tanta ſerie horridum & exaſperans? Naſcitur Iſaac, & tota domus in lætitia eſt: agnouit mater, dixitque: *Riſum fecit mihi Dominus: quicunque audierit, corridebit mihi.* Gen. cap. 21. verſ. 6. Nec multi proceſſerant dies, quan- Gen. 21. tùm enim eſt ablactationis tempus? & lætatus genitor, mactauit allatum de armento vitulùm ſaginatum, tauros quoque, & altilia occidit, & inuitatis amicorum plurimis, fecit grande conuiuium in die ablactationis eius: Sed, cur tam diſpar natiuitatis vtriuſque conditio, & non magis congaudet in filij maioris natu, ſeu natalitio, ſeu ablactatione Abraham? Nimirum, ſenior ex duobus Iſmaël populum Hebræorum denotat, Expoſitoribus Rabbano, & Tutienſi Abbate, Ruperto? ibi Rabban. verò ſeruitus, ibi ignobilitas, ibi exilium, & plan- Rupert. ctus: denique ibi homo planè ferus, cuius manus contra omnes, atque omnium contra eum, bella & inimicitiæ perpetuæ: At nato Iſaac, qui Chriſtum præmonſtrabat, abiit mœror, abiêre pugnæ: epulari tunc oportebat, & gaudere: quia natus erat Saluator in ciuitate Dauid: O diu optatos Iſaac natales! Sed multitudine pacis compenſauit deſideriorum tædia: ſi tamen quenquam tædebat expectantem deſiderium collium

æternorum,

æternorum, pro quo nulla tam longa vota, quæ non breuis viderentur moræ; *Sara* (inquit Rupertus) *vxor tua pariet tibi filium; & quia tu risisti, Isaac vocabitur nomen eius; quia reuerà ridebit in nouissimo generositas tua; quo nomine rectè feminis Abrahæ, quod est Christus, felix natiuitas significatur, qui vniuersis Sanctis, quorum ex carne vera caro, & verus homo est ipse, sempiterni risus, & interminabilis gaudij causa est.*

77. Isaï. 11. Sed huius pacis admirandum; idémque dulcissimum carmen apud Isaiam cap. 11. vers. 6. *Habitabit* (inquit) *lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit; vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur*; Sanè ante hoc tempus ne frater à germano tutus; nam Abelem impius occidit Cain, Iosephum fratres vendiderunt, Absalon ex eodem patre natum interemit; nunc verò habitabit lupus cum agno; Nec dixit sanè, vti non inscitè animaduersum ab Hugone Carensi; *Agnus cum lupo habitabit*; Sed è diuerso; debuerat enim imbellis agniculus quibuscunque possit modis, lupi voracis gratiam ambire; sed tanta est concordiæ post natum Emmanuëlem cupido, vt non agnus lupum; sed ex opposito lupus agnum pro fœdere solliciter; Consueuit esse indomitorum animantium pro spelæo & cauerna crudelis pugna, vindicante sibi tutiora loca quicunque robore præstat, & nolentes socium antri admittere; nunc autem sub iisdem penatibus, eodémque thalamo, & vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur; Bellè Tertullianus in Hermogenem, cap. 11. *Cum restituta innocentia, & integritate conditionis pecora condixerint bestiis, & paruuli de serpentibus luserint*; Condictura pecora floridè pronunciauit; nam verbum est indicans diem conuiuio præscribi, nam, quid restat, nisi vt simul epulentur, & comedant feræ: quando simul morantur, & accubant? Visne & de symposio audire? *Benjamin* (ait) *lupus rapax, mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia.* Genes. cap. 49. vers. 27. Sed, cur vespere capta distribuat? Num, quia à prandio matutino satur? Verùm luporum maior consueuit esse fames ad occasum: *Leniores pardis equi eius* (inquit Habacuc cap. 1. vers. 8.) *& velociores lupis vespertinis:* Videndus Gueuara in nominatum caput num. 86. Ribera num. 19. Sanchez num. 32. & certè mirum est, quòd ab animanti, si quod aliud est, inexplebilis auiditatis, escas abiiciendas esse, quas donet commilitonibus, affirmet: Sed considera, vt non hæc mane, sed ad vesperam agat; Cur non mane? Nempe, quia fuit tempus legis, atque Synagogæ illud: tum rapere, dilaniare, vastare omnia: quantum tormentum sub tam duro iugo, necessarium tamen tam graue onus indomitis ceruicibus contumacis, & ingratæ nationis: sed vt inclinata est dies, & gratiæ vmbra refrigerauit, tantùm non rapere famelicum lupum, vt de acquisitis diuidat, humanus, & placabilis factus: Eucherius apud Veronensem Episcopum in catena allegati capitis Geneseos, construens de populo Hebræorum: *Mane* (ait) *illud tempus creditur intelligi, quo legem accepit; tunc enim primò quadam illuminatio scientiæ mundo data est: vespere erit illud tempus nouissimum, quo conuertetur: quia ergo iam per gratiam Domini illuminatus incipit legis spiritalia à carnalibus diuidere: ideò dicitur, ad vesperam diuidet spolia, siue escam: id, quod tota die in lege meditans antè non fecit:* O intuere, Christiane, quo iam vel luporum feritas mane tantùm est, & sub lucis infantia! Sufficiant tibi delicta iuuentutis tuæ: vt quid etiam vsque in senium protrahis delicta? Saltem nunc sub vitæ occasu benè operare, & diuide spolia! Etiámne post Christum incarnatum, post noui Testamenti concordiam, audes sæuire, rapere, plagiari: & non metuis bestiarum immanissimis crudelior videri? Túque, pusillanimis, homo, inquam, boni desiderij, quanquam imperfectus adhuc, cur non de Numinis vberi clementia meliora concipis? Vt quid contristatus luges tota die? fortasse tu commiseris atrociora, quàm quæ aut lupus, aut pardus, & leo patrauerint in syluis & montibus? & tamen isti, qui inter peccatores Antesignani, simul cum agno atque oue, quæ innocentia claruerunt inoffensæ vitæ, accubant?

Hug. Carēſ. *Natiuitas Christi omnia pacificauit.* Tertull. Gen 49. *Luporum sub vesperam fames maior.* Gueuara. Ribera. Sanch. Eucher. in Lipp cat. *Post Christi Incarnationem turpe vitiis esse deditum.*

78. Dum in Synagoga Iudæorum doceret Christus, Spiritus immundus concitauit ad loquendum quem possederat hominem: *Quid nobis, & tibi,* IESV *Nazarene? venisti perdere nos? Scio, qui sis, Sanctus Dei*; Pulchra sanè confessio, nisi fortè illaudata: quia ab ore impuro: At non placuêre Seruatori encomia; quamobrem comminatus est ei IESVS, dicens: *Obmutesce, & exi de homine.* Marci cap. 1. vers. 25. Sed, cur aduersùs hunc laudes proclamantem tam seuerus, qui aliàs erga blasphemantes etiam satis mansuetus? Verùm contrarius erat: sed potiora, quæ ab aduersariis testimonia: An, quia Dæmones, vel cùm dicunt, quæ probata sunt, tum maximè cauendi sunt, quoniam aliquid de synceris propinant, vt venenum latens faciliùs hauriatur: quæ solennis est Hæreticorum consuetudo, quorum Satan principium, & caput? Euthymius cum hac sententia: *Deinde docuit nos,* (ait,) *ne Dæmonibus vnquam credamus, etiam vera dicentibus: cùm enim ament mendacium, sintque nobis inimicissimi, nunquam vera loquuntur, nisi ad fallendum: veritate quasi esca quadam vtuntur:* Tertulliani tamen modò antefero iudicium: ita enim meditatur ille, quasi pessimus Spiritus insinuauerit, finem aduentus Christi, & in terras delapsus fuisse, vti Dæmones torqueret, & ignibus addiceret tartareis: nam quod Marcus hîc, & Lucas cap. 4. vers. 34. ἀπολέσαι, nempe, *perdere:* Matthæus cap. 8. vers. 9. βασανίσαι, id est, torquere effert: Christi autem hic primus per Incarnationem aduentus non fuit nisi propter salutem hominum: iterum venturus est iudicare viuos & mortuos, tum & Dæmones, & scelestos de mortalibus in stagnum & puteum abyssi mittet æternùm cruciandos? Quamobrem nec patienter omninò modò sustinet, vt Apostoli de conculcato Dæmone glorientur: *Verumtamen* (inquit) *in hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Luc. cap. 10. vers. 20. Adeò nunc & in fauorem Dæmonum aliquatenus: nam vult omnia ad pacem, & iucunditatem esse quoniam nuptiæ sunt Agni, per Incarnationem nempe, & hominem subassumptum: Igitur aduersùs Spiritum immundum commotus, propterea quòd torturæ, & vexationi destinasset primi aduentus pacatissima tempora: Tertullianus lib. 4. contra Marcionem: *Adeò Iudicis, & vltoris, & vt ita dixerim, sæui Dei Filium agnouerat:* IESVM, *non optimi illius, & perdere, & punire nescientis: Atqui increpuit eum Iesus, planè vt inuidiosum, & in ipsa confessione petulantem, vt malè adulantem: quasi hoc esset summa*

Marc. 1. *Dæmoni, vt nec Hæretico in nulla re credendum.* Euthym. Luc. 10. Tertull.

gloria Christi, si ad perditionem Dæmonum venisset, & non potius ad hominum salutem; qui nec discipulos de subactione Spirituum sed de candida salutis gloriari volebat.

79. Totus ignifer, & comburens Deus, apud naturam, & legem; Ascendit clamor Sodomorum ad cœlum; & descendit ignis, atque sulphur ab alto; quod in fauillas conuertit vrbes pulcherrimas; Peccant Aaronis filij, ignem alienum offerentes coram Domino; & ab ignibus vorantur. Eliæ precibus ignis ab æthere delabitur, & duos Pentecontarchos quinquaginta militum rectores absumit; Denique, siue legem daturus in Sinaï apparet, seu liberaturus populum, Legatos ad Pharaonem mittens, rubo insidet; nunquam tamen sine ignibus, & fumariolo: talis, támque formidabilis, antequàm butyrum & mel comederet; vir factus Samaritanorum vrbem ingressurus, admittere respuerunt: & irati duo fratres filij Boanerges; *Domine* (inquiunt,) *vis, dicimus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* Luc. cap. 9. vers. 54. Fortasse annuit postulatis? Imò increpauit magis; Verùm iniustáne futura vltio? Nequaquam sanè; nam promeriti fuerant talia viri impij & inhospitales; quin & in his specialis noxæ forma: nam, quos Elias Regum 4. cap. 1. vers. 10. igni flagrandos addixerat, Samaritæ quoque fuerant vti benè à Maldonato ad citatum Lucæ caput animaduersum: præstabat autem ab antiquo exemplo didicisse, & cautos reddi; atque solet Numen inexorabile quodammodo esse erga illos, qui aliorum supplicio non coërcentur: tot igitur exigentibus causis debi tam vindictam, cur discipulorum votis non acquieuit? Nempe, postquàm Deus homo apparuit natus ex muliere, cuius impolluta viscera; aurea, quæ diu à terris pulsa fuêre sæcula, iterum redière; quemadmodum summa cum eloquentiæ copia declarat Firmianus Lactantius diuinarum Institutionum libri quinti cap. 4. 5. 6. *Sed Deus,* (ait,) *vt parens diligentissimus, appropinquante vltimo tempore, nuncium misit; qui vetus illud sæculum, fugatámque iustitiam reduceret; ne genus humanum maximis & perpetuis agitaretur erroribus; Redyt ergo species illius aurei temporis,* &c. Quando igitur sub Deo incarnato aurea renascitur postliminio ætas, nunquid ille ad vindictam processurus sit? Ferreo illa permissa fuerint sæculo, & trepidauerint homines, & occultauerint se in fissuris petrarum, donec pertransiret tu Domine; donec pertransiret furor tuus: nunc in amore, in gaudio, in pace viuendum est; *Nescitis,* (respondet Discentibus,) *cuius spiritus estis; Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare:* Ecce nunc tempus acceptabile, ô homo peccator; tantùm ingemisce ex toto corde, & auferet à te omne inquinamentum IESVS, quia aurei sæculi dies sunt, quoniam non venit animas perdere, sed saluare: Nónne vides, vt lacrymatur Magdala, & continuò mundatur! flet Petrus amarè, & condonatur illi; latro Paradisum rapit? denique Samaritæ offendunt, & ignis prohibetur è cœlo dimitti ob gratiam Euangelij, & melioris æui sub Deo cum carne inter homines viso? Nimiùm fortasse alicui videbor his immorari, & magis conceptus dici, quàm affectibus indulsisse optet; sed parcat maturus Lector; nam planè locus deliciarum est iste, quando ab vberibus Matris IESVS pendeat balbutiens & lusitans; atque non in spem, & solatium erigetur peccator, cui pro venia cum infantulo certamen futurum sit? Cæterùm, qui ab ore Hieronymi luculentissimi Doctoris, quæ à nobis prolata sunt, confirmari desideret, legat quæstionem eius epistolæ, quam ad Algasiam scripsit, quintam: Non tamen floridum Tertulliani stylum patiemur latere, qui 4. aduersùs Marcionem libro: *Repræsentat* (inquit) *Creator ignium plagam, Elia postulante in illo Pseudopropheta; è contrario Christi eandem animaduersionem destinantes discipulos super illum viculum Samaritarum; agnoscat & Hæreticus ab eodem seueriſſimo Iudice promitti hanc Christi lenitatem; Non contendet,* (inquit,) *nec vox eius in platea audietur; arundinem quassatam non comminuet, & linum fumigans non extinguet: talis vtique multò magis homines non erat crematurus:* Et inferiùs eodem libro; *Qui Sodomam, & Gomorrham nimbo igneo exussit: cui cantatum est; Ignis ante ipsum præcedet, & cremabit inimicos eius; Qui de rubo quoque ardenti vocem suam emisit; Discipulos, ne ignem postulauerint inhumanissimo viculo, coërcuerat.*

Luc. 9.

Maldon.

Aurea sæcula, Christi reduxit Natiuitas.

Lactant.

Hieron.

Tertull.

Dedit Numen primò legem in monte Sinaï: & ecce quantus terror: nam *cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangórque buccinæ vehementiùs perstrepebat* Exodi cap. 19. vers. 16. Fractæ tabulæ istæ à Moyse propter vehementiam doloris ob populi idololatriam: Renouantur iterum canones antiqui, sed absque metu & horrorem incutientibus, Exodi cap. 34. cur in principio terribilis Creator, deinceps blandus? Vide: Primæ tabulæ solius Dei adiutorio confectæ: nam & dictauit tantùm ipse & scripsit pariter Exodi c. 31. v. 18. Secundæ tabulæ à Numine quidem dictatæ, sed à Moyse scriptæ, Exodi cap. 34. vers. 28. Igitur ibi Deus solus: hîc & Deus simul & homo: Quid est Deus pariter, & homo, nisi Dei incarnati symbolum? Ergo, donec Creator & habitu inuentus est vt homo, omnia terrifica, aspera, formidanda, tonitru & fulgur: postquam factus est quasi vnus ex nobis, cessit tempestas & horror: proinde, quia primæ tabulæ veteris Instrumenti significabant tempora, benè quod pauorem incutiant, trepidare faciant: quia autem posteriori Decalogo Euangelium & gratia adumbratur, tranquillitas est, & malacia: Sic Augustinus quæst. 166. in Exodum: *Certè ergo repetitio legis nouum Testamentum significat: illud autem vetus significabat, vnde confractum, & abolitum est: maximè quia cùm secundò lex datur, nullo terrore datur, sicut illa in tanto strepitu ignium, nubium, & tubarum, vnde tremefactus populus dixit: Non loquatur Deus ad nos, ne moriamur: vnde significatur timor esse in veteri Testamento: in nouo dilectio.*

80.

Exod. 19. & 34.

Augustin.

De luce vera, quæ in hunc mundum venit omnem illuminatura hominem, Ioannes Euangelij limine affirmat, à quibusdam admissam, ab aliis non receptam: *Quotquot autem receperunt eum,* (inquit,) *dedit eis potestatem filios Dei fieri.* cap. 1 vers. 12. Egregium proculdubio hospitij stipendium! At quibus affecti suppliciis, qui abiecerunt? Nihil de pœnis, quas luerunt sed tantùm: *In propria* (ait) *venit, & sui eum non receperunt:* Sed cur non è regione collocat & vindictam, & præmia? Eo nimirum pacto, quo alius Euangelista, postquàm ostendit, vti ad regnum euecti sunt, qui esurientem refocillarunt, narrat etiam flammis addictos, qui famelico panem negarunt, sitienti potum, Matth. cap. 25. vers. 34.

81.

Ioan. 1.

Matth. 25.

Num

Num ſilentio innuit, ſufficienti vltione caſtigatos, eò quòd ſancti, & filij Dei eſſe noluerint; ipſum enim vitium miſeria eſt infinita, & calamitas inſuperabilis, vt deſint aliæ torturæ; In hanc mentem procliuior Chryſoſtomus homilia 9. in Ioannem; *Cur non dicis nobis, Ioannes, eorum etiam ſupplicium, qui eum non receperunt? Sed tantùm, quod ſui erant, & in propria veniens minimè receptus eſt? Quanam igitur gratia id ſubticuiſti? & quodnam maius ſupplicium eſſe poſſet, quàm ſi in eorum ponatur arbitrio, filios Dei fieri, & nolint? Sed ſponte ſua tanta ſe nobilitate, tanto honore indignos efficiant?* Ego aliud paulò diuerſum autumem; Equidem Matthæus loco memorato Iudicem pingebat; huius autem munus, bonis mercedem dare, prauis tormentum; idcircò vtrunque proponi debuerat; Ioannis autem eò potiſſimùm tendebat oratio; vt monſtraret de cœlo in virginis vterum, ex aluo in mundum proſiliiſſe Dei Filium; denique apertè inclamat; *Et Verbum caro factum eſt*; Quoniam itaque Incarnationis meminerat, abſcindendus erat omnis ſermo inſuauis, quo vel minæ, vel ſupplicia intentantur; quoniam, ex quo Deus homo factus eſt, apparuit etiam humanitas & benignitas Saluatoris noſtri; vbi autem totum poſſidet humanitas, vltioni nequit eſſe locus; propterea abſtinuit à pœna, quam promeriti fuerant non recipientes lucem veram.

Peccatis per ſeipſum magna tortura eſt. Chryſoſt.

Iudicē æquè decet, & præmia dare, & caſtigare.

82. Orabat in Gethſemani pomœrio factus in agonia Seruator; *Et factus eſt ſudor eius* (inquit Luc. cap. 22. verſ. 44.) *ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*; Quamobrem aduertit vſque in terram defluxiſſe cruorem? Sanè vt clamaret, vt vociferaretur; Aduersùs quos? Num contra crucifigentes ſe? Equidem pro illis magis tale, quale aridæ poſteà fauces pendentis à ſtipite; *Pater, ignoſce illis*: Vis noſſe, an talis fuerit loquentis clamor? Diſce ab Apoſtolo Gentium; *Et Teſtamenti noui Mediatorem* IESVM, *& ſanguinis aſperſionem melius loquentem quàm Abel.* Hebr. cap. 12. verſ. 24. *Et ideò melius* (inquit Anſelmus) *loquitur, quàm ſanguis Abel*; *quia ſanguis Abel mortem parricidæ fratris petyt*; *ſanguis autem Chriſti vitam perſecutoribus impetrauit*; *ſanguis Abel expetyt vindictam*; *ſanguis Chriſti miſericordiam*; Quæ & Patrum, & Expoſitorum vulgata interpretatio; Sed, cur non ſanguis Abel, quod melius eſt, poſtulauerat? Quoniam tempora ante Chriſtum in furore, atque vindicta, ſufficit illis modò bonam vltionem petant; at retribuere bonum pro malo, & auferenti palljum, & tunicam dare aureo Incarnationis ſæculo reſeruatum; hoc Emmanuël, hoc Chriſtus attulit: Ideò igitur vſque ad terram decurrebat riuus ſacer, vt terram erudiret, deinceps meliora loqui, quàm à Magiſtro Abele didicerat; & ſciat, ad plenitudinem, quæ facta eſt per Incarnationem reconciliationis, & pacis, non ſufficere à mala vindicta abſtinere, niſi & bona imprecentur hoſtibus: Drogo Cardinalis venuſtè libello de Sacramento dominicæ Paſſionis; *Sed vtinam gutta ſanguinis, qui de agone tuo ſudat, vſque ad terram decurrat, & aperiat terra os ſuum, & bibat illum, & clamet ad te, & tecum ad Patrem, melius quàm ſanguis Abel*; Quando igitur per Incarnationem pax abundans reddita eſt orbi, & omnis terror relegatus, ſpecioſè quidem metri Poëta titulum appoſitum eius, qui cecinit Salomonis, id eſt, Pacifici vocabulum affixit, quando Epithalamium de alia re non agat, quàm de Verbi in hunc orbem aduentu, déque ſubſequutis inde variis Eccleſiæ caſibus.

Luc. 22. Hebr. 12. Anſelm. Drog. Hoſt.

SECTIO IX.

Euchariſtiam reliquis eminere Sacramentis: eſſe, in quo & diuina largitas, & potentia magis reſplendeant.

SEd experiamur, quid iterum nobis inſinuet, Hymenæum dictum eſſe Canticum Canticorum? At non operoſum eſt intelligere, quid innuat; velatum, nempe Chriſti Corpus inter ſeptem data Eccleſiæ à Sponſo ſacratiſſima pignora, excellere, & apicem tenere; quid enim tam ad viuum exprimat Epithalamij hieroglyphicum, quàm huius myſterij præſtantiam? Nam ſi propterea iſtud metrum nominetur Canticum Canticorum, eò quòd omne genus carminis longè vincat, & ſuperet, & hoc etiam reliquis præeminet Sacramentis; quamobrem & Areopagita Dionyſius cap. 3. de eccleſiaſtica Hierarchia, *conſummationem, ac perfectionem Sacramentorum omnium* vocat; & Zacharias retrò à ſæculis cum admiratione proclamauit cap. 9. verſ. 17. *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Vis intelligere, quamobrem maius omnibus aliis Sacramentis? Subeat inter Salomonis fabricas memoria Templi; fuêre ſtupendi operis, & ingenij quicquid ædificauit, ſiue in Hieruſalem, ſeu in Libano, atque in omni ditione ſua; verùm Deo ſacratæ ædes laborum apex fuêre; cur ita? ſcilicet, propterea opus tam grande; *Neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo.* Paralip. 1. cap. 29. verſic. 1. In eandémque ſententiam Ioſephus Antiquit. lib. 8. cap 5. *Regia verò tametſi multum magnificentiæ templi cederet, quod neque materia eius tantò antè præparata fuiſſet, & Regi, non Deo ſtrueretur domicilium, eò tardiùs ad finem eſt perducta*: Alia Sacramenta velut homini ſolùm præparata ſunt: nam, quanuis & Deum auctorem habeant, & homines in Deum referant, quatenus aut mundant à peccato, vel iuſtitiam augent; tamen cùm hominis vtilitas in iſtis conſideratur, pro homine ſunt; At verò Euchariſtiæ Sacramentum Deo ſingulariter præparatum eſt, quandoquidem ibi ſit Corpus & Sanguis Chriſti vnà cum anima, & Diuinitate, vt docent Trident. ſeſſione 13. cap. 8. canone 1. cùm igitur in Euchariſtia Diuinitas ſpeciali more exiſtat, & ob id Sacramentum ſit Deo præparatum ſpecialiter, hinc eſt, quòd cætera vincat Sacramenta: Sed, quo id pacto, examinemus.

Areop. Zach 9. 1. Paral 29. Ioſeph. Conc. Trid

Sanè ille centum, & viginti Prouinciarum Rector potentiſſimus Aſſuerus, vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ ſuæ, *tertio anno imperij ſui, fecit grande conuiuium cunctis Principibus, & pueris ſuis.* Eſtheris cap. 1. Atque interpretantur tertium annum de lege gratiæ, quæ ſucceſſit legi naturæ & ſcriptæ, Strabus atque Nicolaüs; apponam Lyræ verba, quoniam clariora; *Per tertium annum* 84.

Eſth. 1. Strab. Lyran.

annum (inquit) *conuenienter intelligitur tempus tertium, quod est tempus gratiæ; quia successit tempori naturæ, & tempore legis Mosaicæ; fecerat grande conuiuium, quia tunc instituit Eucharistiæ Sacramentum cunctis Principibus, id est, Apostolis, de quibus dicitur Psalm. 44. Constitues eos Principes super omnem terram, & fidelibus alijs in diuersis Ecclesiæ gradibus constitutis*; Quibus verbis fieri satis arbitror disquirentibus quamobrem epulas solennes Imperator parauit Dynastis regni tertio potiùs, quàm aut secundo, aut primo anno: Nempe, præsignificabatur donum singulariter excellens dominici Corporis, atq; Sanguinis; oportebat autem in legem gratiæ conferri munus pulcherrimum; hanc autem excepimus à Nicolao tertium interpretari, & secundum constituere legem Moysis, primùm naturæ insitam regulam; At me non ista stimulant; mouet autem, quod cùm Monarchæ scopus fuerit, diuersarum prouinciarum hominibus ostendere, quanta fuisset diuitiarum pompa, & quàm sublimis, quantæ potentiæ magnitudo, in hunc finem delegerit præ aliis symposium? Quamobrem non aut turrim aliquam ædificauit, cuius vsque ad Olympum cacumen pertingeret, aut Mausolea, aut obeliscos, aut colossum exstruit, aut templum, aut vrbem fabricauit, quorum tanta essent miracula, vt humanas propè excedere vires putarentur, & delati ab vltimis terrarum finibus mortales, cùm intuiti fuissent, præ stuporis granditate, neque animum, neque verba haberent? aut certè vt architecturam despiceret, à militia famam deriuaret; & oppleret tanto milite faciem orbis; quorum neque siti flumina plenissima responderent, neque voracitati sufficerent oues, & boues, & vniuersa pecora campi? Sanè ex mysterio faciebat Assuerus, licèt ipse ignoraret, quantùm lateret arcanum; Quanuis igitur Rectores mundi huius, cuius omnis caro fœnum, quò aut diuitiarum, aut potentiæ experimentum edant; aliis vti possent, quæ magis deseruirent, quàm epularum apparatus, luxúsque magnificus; non ita tamen apud Regem cœli Christum IESVM: in conuiuio diuitiæ eius vniuersæ, quando & ipse totus; in conuiuio deliciæ; quin &, quod mirêre, robur, atque fortitudo illius; ibi enim & sacra Diuinitas, ad cuius nutum contremiscunt cœli columnæ. Benè itaque, quatenus hæc repræsentaturus Assuerus, vt diuitias gloriæ regni sui patefaceret, atque magnitudinem potentiæ suæ, symposium & Optimatibus, & mediis, infimisque adornauit.

Eucharistia donum legis gratiæ.

85. Amissum iuniorem filium cùm Pater recuperat, & effunditur in lætitiam tota domus, indoluit, quem ante omnem familiam gaudere oportebat, antiquior germanus; Sed audi liuoris causas; *Postquàm* (inquit Lucæ cap. 15. vers. 30.) *filius tuus hic, qui deuorauerat substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum*; Ergo certè vitulus ad inuidendum concitauit. Verùm, quæ tam stulta inuidia ista? Ecce profertur stola prima, ex bysso vtique, forsitan ex auro intexta; aptantur pedibus calcei, & ingenio & diuitiis nobiles; onerantur digiti annulo; ille sordidatus & squallens iam totus in vestitu circumamicto varietatibus; tacétque liuor pretiosa, & omnis conquestus de armentis, de vitulo solùm est? Certè æmulatio inuidens sublimiora quæque tangere, & venenato dente lacerare consueuit; quæ nunc est rerum inuersio excelsa deserens? Sed credo quidem, & modò in optima ferri etiam liuoris infandam rabiem; Mecum autem supponite primùm, quod præmonstrauêre Augustinus lib. 2. quæstionum euangelicarum, c. 33. Isidorus Hispalensis libro allegoriarum: Hieronymus epist. 146. ad Damasum de filio infrugi: Ambrosius lib. 7. in Lucam, duobus fratribus adumbratas nationes duas; alteram Iudæorum, penes quam Synagoga, & omnes à Moyse præscripti ritus; alteram Gentilium; sed, quæ derelictis vanis Numinibus Christi iugum admisit, & vocata est Ecclesia noua atque catholica, quæ vt tempore posterior extitit, sic adolescentiori filio significata est; Deinde adsentite, vitulo illo saginato expressam eucharisticam mensam; Hieronymus paulò anteà citatus; *Vitulus saginatus, qui ad pœnitentiæ immolatur salutem, ipse Saluator est, cuius quotidie carne pascimur, cruore potamur.* Chrysostomus homil. de patre & duobus filiis; *Quem vitulum nominat, propter hostiam Corporis immaculati; saginatum autem verè dixit, quia pinguis, & opimus in tantum est, vt pro totius mundi salute sufficiens sit ad odorem suauitatis*; Itaque Parabolæ reuelatio est, populum Iudæorum inuidisse Christianæ Ecclesiæ epulas dominicas; At quorsum istud singulariter, & non tot alia decora eiusdem Ecclesiæ, siue reliquis consideratis Sacramentis, seu aliis dotibus, inuidit populus Hebræorum? Nimirum inuidia perpetuùm, quæ meliora sunt, acriùs insectatur; tonitrui in morem excelsa & resistentia quassat, & in fauillas redigit: Quia igitur inter omnia dona, quibus Ecclesia catholica locupletata est, supremum fastigium Eucharistia occupauit: ideò non furiis agitatur ob stolam primam, id est, Baptismum, non ob calceamenta, id est, prædicationis gratiam, non denique ob annulum, hoc est, propter ipsam fidem; sed ob conuiuium omne delectamentum in se continens.

Aug. — Isid. Hisp. Hieron. — Ambros. — Chrysost.

Inuidia meliora lacessit. — *Iudæi Eucharistiam inuidet præcipuè Ecclesiæ catholicæ.*

Luc. 15.

Vocati ad nuptias IESVS, & discipuli eius; & erat etiam ibi Mater IESV, Ioannis cap. 2. Vt sensit Genitrix falerna deficere, dicit ad Filium: *Vinum non habent: Et dicit ei* IESVS; *Quid mihi, & tibi est, mulier? nondum venit hora mea*; Quamobrem Nato quasi ingrata Matris postulatio? An, quoniam nimiùm præpropera & festina? sic enim verba Redemptoris indicare videantur: nam, cùm nondum præstitutam adesse horam innuat, ante tempus rogasse docet: Ita visum Irenæo libro 3. aduersùs hæreses, cap. 18. *Nihil enim incomptum, atque intempestiuum ad eum; quomodo nec incongruens est apud Patrem; præcognita enim sunt hæc omnia à Patre; perficiuntur autem à Filio, sicut congruum, & consequens est apto tempore; Propter hoc, properante* MARIA *ad admirabile vini signum, & ante tempus volente participare compendij poculo, Dominus repellens eius intempestiuam festinationem, dixit; Quid mihi, & tibi est, mulier? nondum venit hora mea, expectans eam horã, quæ est à Patre præcognita:* Verùm, quænam hîc elucet properantia? nam, si aliquando conuertendi aquarum latices in vitis succum, certè tum, cùm epulantibus deficeret Bacchus: at Mater deficiente iam vino, suggessit Filio: non igitur fuit in orando festina nimiùm: Sed animaduerte; inter Eucharistiæ plurima miracula, ipsa vnius substantiæ in aliam cõuersio, ex primis stupescendis: quòd si in nuptiis apud Canam Galilææ adigebatur Christus, vt vnam substantiam in alteram conuerteret, iam, antequàm in limine esset, vt ex hoc mundo ad

86. Ioan. 2.

Postulatio tempori accommodãda. Iren.

Patrem

Patrem tranſiret, cogebatur præmittere aliquid magni eius Sacramenti, & typum ſaltem futuræ in Euchariſtia conuerſionis exhibere; hoc verò renuebat; atque propterea ab Irenæo pronunciatum: *Properante* MARIA *ad admirabile vini ſignum, & ante tempus volente participare compendij poculo*, id eſt, quaſi volente dominici Sanguinis myſterium in figura porrigi. Sed cur Redemptor exhorreat vel rudimenta prælibare euchariſtici doni, antequàm patiendo proximus videatur? Nempe, vſus amicorum eſt, in ſibi charos munera diſpertiri, agúntque frequenter; ſed tamen, quæ pretioſiora ſunt, in finem reſeruant, quando aut longam peregrinationem meditantur, aut vocantur ex hac communi luce ad diem ſine occaſu æternitatis; tum nobiliſſima dona congerunt in fidos ſodales, & vltimùm valedicunt: Hunc morem obſeruaturus Dei Filius, quoniam ex ſpoliis ab eo conferendis Euchariſtia ditiſſimum erat; noluit, antequàm diſceſſui vicinus eſſet, ſignum patrare, quod Euchariſtiæ æmulum eſſet; ne fortè cùm non integrè reſeruaret fini dierum omnia, quæ eo in Sacramento admirabilia eſſent, ſuſpicio aliquem occuparet, non eſſe inter dona à Chriſto diſtributa, Euchariſtiam nobiliſſimum munus, cùm vſus ſit, quæ meliora exiſtunt, ea non niſi ſub diſceſſum promere.

Amor ſub finem magis elucet ſemper.

87. Quid tam frequens in omnium ore, quàm, vt per manna deſignetur Euchariſtia? Et dicent quidem ob grauem fieri cauſam; quippe nuncupatur miſſus de cœlo Panis; panis autem, & in primis cœleſtis, ſi quidquam, Euchariſtiam bellè repræſentat; Sed nunquid ſolùm panis, manna? nonne etiam & piſcis, & volatile, & de quadrupedibus? poſtremò omnia, quæ comedentibus placuêre; nempe, *deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat?* Sapientiæ cap. 16. verſ. 21 Nec refert, an malis, æquè ac bonis, omnibus omnia eſſet: ſatis eſt probis, & Deum ritè obſeruantibus inſtar omnium eduliorum fuiſſe: Cùm igitur manna in eiuſmodi nutrimẽta tranſformaretur, quæ non dicam Euchariſtiæ valeant accommodari, ſed ei apertè repugnent; cur talis, tantúſque Sacramenti euaſit typus, quo alius ſolennior nullus? Conſulamus Dauidem Pſalmo 110. forſitan ab eo diſcemus nominis aptas cauſas: *Memoriam* (ait verſ. 4.) *fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe.* Quænam eſt hæc eſca, quam Numen ſigillatim timentibus ſe præparauit: Nam ſanè, quemadmodum Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos: ſic & iiſdem indifferenter diſtribuit alimenta, quæcunque aut maria, aut tellus, aut aër ſuppeditant: cæterùm, quamuis & manna etiam quorundam opinione improbis Iſraëlitis conceſſit; tamen, vt multi clari Scriptores autumant, & hoc Dauidicum perſuadet carmen, iuſtis ſolùm indulſit, vt deſeruiret vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, vt paulò anteà ex ſapientiæ volumine docebamus: Manna igitur cùm cibus fuerit, quem timentibus ſe largitus eſt in hunc modum, fuit certè & eſca, in qua fecit memoriam mirabilium ſuorum, in qua & virtutem operum ſuorum, id eſt, medullam prodigiorum annunciauit populo ſuo; Iam emicat, quorſum manna tam celebris Euchariſtiæ typus habeatur: nempe, quemadmodum illud in veteri lege, epitoma quædam fuit ſtupendorum operũ diuinæ potentiæ, in quo & diuitiæ; & fortitudo pariter, víſque excelſi brachij reſplenduit: ſic &

Manna in plura condimenta deſeruiens. Sap. 16.

Pſal. 110.

in noua, iuniorique Eccleſia, Euchariſtiæ Sacramentum illud eſt, in quo & diuinæ largitatis theſauri, & poteſtas infinitæ virtutis maximè relucet: Quare venuſtè Lyranus ad citata ex Pſalmo verba; *Hîc ponitur* (inquit) *ratio diuinæ laudis ex beneficio Euchariſtiæ ſpecialiter; Memoria fecit mirabilium ſuorum: eſcam dedit timentibus ſe: Scilicet, Corpus ſuum in Sacramento Euchariſtiæ, per quod reducuntur ad memoriam mirabilia Dei, quæ fecit filiis Iſraël in mãna;* Verè Euchariſtia noſtra & ſuper ipſum manna, mirabilium diuinorum mnemoſynon: nam & ipſum manna tandem vſu, & frequentia inoleuit: nauſeam, & faſtidium peperit Hebræis: cætera quoque portenta conſuetudine viluêre apud homines; tantùm iſtud Sacramentum ſemper nouum eſt: & quò plus conſiderant mortales, ſtupeſcunt magis: illi conceſſum, vt neque tempora, neque vſus admirationem imminuant; propterea & apicem inter ſtupeſcenda vendicat: Dicat Auguſtinus in memoratam Dauidicam Odam: *Tot per vniuerſam terram creat arbores, & nemo miratur: arefecit verbo vnam, & ſtupefacta ſunt corda mortalium: ſed memoriam fecit mirabilium ſuorum: hoc enim miraculum maximè attentis cordibus inhærebit, quod aſſiduitas non vilefecerit.*

Lyran.

Euchariſtia miraculum ſemper nouũ.

Chriſti atauos cùm recenſeret Matthæus veſtibulo euangelicæ narrationis, quamobrem Phares, & Zaram germanos cùm nominauerit, non etiam Iſaaco Iſmaëlem, & alios fratres coniunxit, Iacobo etiam Eſau, quin & ex Iudæ natos, alios præter Pharem, & Zaram recenſuit? Vetus quæſtio eſt, quæ & Ambroſium non latuit lib. 3. in Lucam, non longè ab initio: *Generauit enim mulier Phares, & Zaram filios, generauit geminos, vnde non otiosè Matthæus vtrunque ſignauit, cùm Phares tantummodò commemorationẽ cauſa depoſceret. Cur autem, cùm Iſaac duos generauerit, Iacob plures, ſingulorum tantummodo, quos ſucceſſionis dominicæ cauſa poſcebat, fecit Scripturæ ſeries mentionem? horum autem vtrunque memorauit, niſi quia hîc in vtroque myſterium eſt?* Et planè, vt inſinuat Ambroſius, myſterium aliquod eſſe oporteat, cùm genealogiæ ratio deſideraret ſolùm, vti maiores nuncuparentur; de Chriſti autem Maioribus vnus Phares cuius lineam traxit; Sed, quod iſtud arcanum? Nunquid Euangeliſtæ innuere placitum, coram Deo optimos conatus eandem laudem mereri, quàm euentus, & facta ipſa promereantur? Quare eò quòd Zaram manum produxerit, & ante Phares vulua progredi tentarit, animus egregius, quo Chriſti progenitorem eſſe, ſummoperè enixus eſt, pro facto, inſtárque illius reputatus, ac ideò eandem cum Phare memoriam conſequutus, vt inſereretur Chriſti atauis; His dixerim fauere Maldonatum, cùm aſſerit: *Contendere enim iam tum in vtero gemelli infantes videbantur, vter primogenitus, & Chriſti parens futurus eſſet, vt dubium fuiſſe videatur, vter primogenitus habendus eſſet; itáque voluit Euangeliſta honorem illis quodammodo partiri, ita Phares in Chriſti genealogia numerans, vt Zaram non penitùs excluderet; ſed ſuum illi, quod habuiſſe videbatur ius, quo vno poterat modo, declarando reſeruaret: magna enim laus fuit, quin parens eſſet Chriſti, tam parum abfuiſſe.* Ingenioſa quidem hęc conſideratio; ſed ſcopo præſenti non plurimùm deſeruiens.

Ambroſ.

88.

Voluntas & egregius conatus pro facto reputatur.

Dico igitur ipſe: Sanè apud Hebræos feminarum genealogia non ſcribebatur, ſed virorum

89.

Regula: Feminarũ genealogia non ſcribebatur apud Iudæos.

tantùm, vt monet Toſtatus quæſt. 28. in cap. 1. Matthæi excipiebatur tamen communi hoc vſu, ſi quæ mulier rarum aliquod facinus, & omnium ætatum ſtupore dignum perpetraſſet, qualis ſancta, ſtrenuáque Iuditha, cuius proinde genealogia texitur Iudith capite octauo: quin nec interſerebantur virorum genealogiis feminæ: Ruth tamen Matthæi catalogo recenſetur ob ſingulare erga eam Dei beneficium, qui & ab idololatria vocauit, & fecit, vt pareret filium, à quo Chriſtus deſcenderet, vti expendit Abulenſis quæſt. 13. in c. 1. Matthæi: Quemadmodum igitur feminæ aliquando intexuntur ob ſingulares, raráſque, cauſas; ita & viri, quamuis non de eorum numero, qui lineam generationis conficiunt: Sed, quæ tam magna fuit illa occaſio Zaram immiſcendi quippe mox vt manum extrà porrexit, obſtetrix ligauit coccino, Geneſ. cap. 38. verſ. 27. Ille tanto lætus munere, ſubintrauit continuò, & primogenituram fratri conceſſit: At quorſum deſpexit Hebræis charum primogeniti honorem? nimirum accepit in coccino rubeo de Sãguinis dominici theſauro: *Quid ſibi vult*, (effatur Ambroſius libro nominato tertio in Lucam,) *quod coccum in manu eius ligauit, niſi quia typus eius erat, qui Crucis indicio ſuæ, & ſanguinis fuſione actum illuſtrauit humanum?* Diues igitur ſupra modum à tanto pignore redditus, contempſit quaſi vulgaria primogenituram: vt, ſi quis ad principatum euehatur, ſubitò vilipenderit, quæ magni ducebat cùm in priuata verſaretur fortuna, & locum inter ciues honeſtum occuparet: Habe tibi, ô Phares, primogenita; ſuccede Iudæ: poſſide agros, lares, pecora, ſeruos, ancillas, & quicquid à parente in natu maiorem filium deriuatur: vno coccino donatus Zaram, quoniam & iſtud dominici Cruoris pignus, deſinet tibi inuidere, beatum ſe reputabit & affluentem ſupra omnes mortales, quando in Sanguinis ſui poculum Seruator contulit, quicquid apud illum, aut opulentum, aut pulchrum, quin & robuſtum, ſtrenuúmque eſt: Non igitur abſque præclariſſima cauſa Redemptoris genealogiæ inſertus eſt Zaram.

Gen. 38.

Ambr.

90.

Cùm ad Paradiſi ornamentum Creator de humo produxiſſet omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue, arborem vitæ in medio horti voluptatis conſtituit, Geneſ. cap. 2. verſ. 9. Cur non ſecus decurſus aquarum tam felicem ſtipitem? Certè decebat ſaltem loco aliquo patenti, & manifeſto exurgere vnde ſtatim intuentium oculos ad ſe raperet, & non abſcondi opaco ſpatio, vbi à condenſis frondibus tegeretur: ánne propterea occultauit Numen nemoris fortunati abditiſſimo tramite, ne aut vſu vileſceret, aut cùm ſupra modum formoſum eſſet arbuſtum, ſi crebrò videretur, tentamento eſſet Protoplaſtis; & haberent malitiæ defenſionem quãpiam? Non alienus ab hac coniectura Procopius: *Hoc lignum vitæ* (ait) *poſuit in medio Paradiſi, ne dum frequenter eam arborem in conſpectu cernerent, quaſi quibuſdam irritamentis illecti, in datam legem committerent*: Verùm nunc arridet magis noſtri Pererij exiſtimatio lib. 3. in Geneſim, exordio diſputationis de arbore vitæ, opinantis in medio Paradiſi locatum arbuſtum, vt ſignificet Moyſes eo genere dicendi, *illius arboris dignitatem, & excellentiam, inter omnes Paradiſi arbores principatum obtinentis*: Sanè, quicquid ea

Gen. 2.

Vſu nobiliſſima quæque vileſcunt.

Tentamenti occaſio vitãda ſedulò.

Procop.

Pereira.

Medius locus nobilior.

de controuerſia ſit, de qua ad illud Cantic. 1. verſ. 6. *Læua eius ſub capite*, &c. nos, num, ſcilicet, ad dexteram ſtare, aut conſidere potioris honoris ſit, quàm ad ſiniſtram: id tamen apud omnes in confeſſo eſt, medium locum ſemper fuiſſe digniorem; quin & medium cor poſſidet, quod nobiliſſima hominis portio eſt, vitæque depoſitarium: in meditullio igitur poſita arbor, neceſſe eſt, vt reliqua ſylua præſtantior habeatur: Sed, quæ hæc tam clara arbos, quæ vniuerſo beato ſupereminet luco? Equidem Chriſtus ſub accidentibus coopertus in Euchariſtia: ita ad longum Paſchaſius Abbas tom. 6. Bibliothecæ tertiæ editionis, libro de Corpore, & Sanguine Domini, cap. 7. tandémque ſubinfert: *Vnde & lignum vitæ iure dicitur: quia, ſicut illud immortalitatem corporis ſumptum præſtitiſſet; ita iſtud, imò ſolidiùs vitam præſtat cum obſeruatione mandatorum Dei in æternum*: Quoniam igitur hoc eſt, quod antecellit inter omnia Sacramenta, quoniam inter dona Eccleſiæ conceſſa potiſſimum eſt; ideò & arbor, per quam ſignificabatur, meliores Paradiſi ſedes occupabat; in mẽdio, nimirum, perpetuò virentis nemoris plantata.

Paſch. Abb.

Intuere, qualem regulam Paſcha celebraturis Legiſlator intimat Deuteronom. cap. 16. verſ. 5. *Non poteris immolare Phaſe in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus eſt tibi: ſed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt inhabitet nomen eius ibi*: At quis locus ille, in quo nomen Domini inhabitet? nempe, metropolis, Solymorum præclariſſima ciuitas, & nulli terrarum conceſſura, vbi & Sanctuarium, & templum, ad quod aſcendere Paleſtinæ incolas oportebat ad Paſcha celebrandum: Verùm, cùm Iudæa multas numeraret ciuitates, eáſque ampliſſimas: quamobrem nulla earum idonea reperta celebrando Paſchæ, excepta imperij arce? Lyranus ad citatum Deuteronomij caput: *Hoc præcipiebatur, vt cum maiori reuerentia fieret iſta immolatio in ciuitate electa ad diuinum cultum, & hoc eſt, quod dicitur: Sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, &c. & accipitur hic locus pro tota ciuitate Hieruſalem, quæ fuit electa à Deo ad cultum diuinum*: Eſto quidem, alij ritus quibuſvis in ciuitatibus, & oppidis perfici valeant; ſed Phaſe non niſi in aula Regis, in Palæſtinæ emporio, Hieroſolymorum vrbe: Quamobrem ita? Scilicet, quemadmodum ipſa Sionis ciuitas caput erat imperij, & reliquis antecellebat vrbibus ob multas cauſas: ita & Phaſe, cùm Euchariſtiæ ſymbolum eſſet, reliquas vincebat plurimo interuallo legis obſeruantias: Decebat igitur, figuram principis inter Sacramenta Euchariſtiæ, principem Monarchiæ locum ſibi vendicare; ita vt non niſi apud metropolim Phaſe celebrare liceret: Quando igitur & inter Sacramenta, & inter Eccleſiæ à Deo diſtributas gratias, præſtantiſſimum honorem Euchariſtia vendicet, rectè quidem Epithalamio eo adumbratam putauimus, quod inter carmina omnia, ſiue diuinæ Muſæ, ſeu humanæ excellit, atque vincit.

91.

Deut. 16.

Paſcha celebrabatur Hieroſolymis.

***

SECTIO X.

Æarundem rerum bonus vsus Salutem operatur æternam, malus condemnationem perpetuam.

92. CArmina non abnuere sacram Scripturam probauimus, neque metrorum varia genera: sed dices Musas bonos corrumpere mores, cedo, si ad mores impuros & Venerem lasciuam referantur: At si in Dei laudem componantur, quid ad mentem eleuandam aptius sactatis Hymnis? quid Psalmis & Canticis spiritalibus? quæ pangenda Paulus suadet ad colloss. c. 3. vers. 16. laborat hoc errore generis humani condensa portio vt statum vitæ, & occupationem crebrò incusent, & modò nuptias detestantur, modò nauticam, modò nundinationem, interdùm & ipsa litterarum studia, nec intuentur aut coniugium aut Philosophiam in culpa non esse, sed quòd ipsi se regere ignorent, neque vitam iuxta Christiana Documenta instituere, & ad honestatē, rectúmque formare: quod tamen alij non pauci agentes sanctitatis eximiam famam consequuti sunt neque matrimoniis derelictis, neque Academia exosa: officia & status obsunt: Nos damni tota origo, qui cupiditates nō frænamus: accepto Calice benedicto inquit Apostolis Christus: *Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* Matth. c. 26. v. 28. Quidnam est *pro multis* effundetur? an non pro vniuersis quidē? ná pro ominibus hominibus vulneratus est Iesus: equidē pro omnibus mortalibus sanguinē Christus profudit, sed non fuit omniū idem vsus precioſi thesauri: conuerterunt in bonū qui pœnitentiam habuerunt scelerum, qui noxas suas deflerunt: iudicium & condemnatio fuit illis, qui vitam in iniquitatibus clauserunt: Quoniam itaque ob ipsorum malitiā aliquibus non profuit: non distillasse pro vniuersis Christus asseritur: sanctus Thomas lect. 6. in c. 11. ep ad Cor. prioris *effusus est sanguis in remissionē peccatorū non solum pro multis, sed etiam pro omnibus secundùm illud. 1. Ioh. 2. ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed pro totius mundi: sed quia quidam se reddunt indignos ad recipiendum talem effectum, quantùm ad efficaciam dicitur esse effusus pro multis, in quibus habet effectum Passio Christi.*

Matth. 26. v. 28.

Effusus est sanguis Christi non solùm pro multis, sed etiam pro omnibus. S. Thom.

93. Quæ nobilior virtutis schola domo Genitoris duorum filiorum: *quanti mercenarij* (inquit) *in domo patris mei abundant panibus?* Luc. cap. 15. vers. 17. quisnam panis nisi doctrinæ spiritalis pabulum ad saturandam animam? tales itáque penates in quibus & vltima sors rudiū & imperfectorum institutione & præceptionibus affluunt ad benè, beatéque agendum: quòd si famulorū nouissimi sic replentur panibus quid de charissimis gnatorū pignoribus, in quibus stirpis spes arbitrabimur? tanta igitur copia salutarium dogmatū malè vtendo adolescētior filius pessimus euasit, adeò vt porcorum, hoc est luxuriosorū custos & dux factus sit; senior verò rectè vsus paternæ disciplinæ admonitionibus, in tantam processit modestiæ indolem, vt non veritus sit pronunciasse Genitoris nunquam se mandata transgressum: Anepigraphus in catena Græca super Lucā: *vnus est Pater duorum fratrum iustorum scilicet & peccatorum*: certè nónne vnus Pater amborū filiorum? nónne vna eadémque educatio? nónne paria ad iustitiam subsidia? nihilominus alius iustus: alius præuaricator: *Et diuisit illis substantiam*: quamnā substantiam? nisi creaturam huius mundi, vt inuisibilia Dei per ea quę facta sunt intellecta conspiciantur? quid fecit senior ex fratribus? laudauit Creatorē ob pulchritudinem Solis, ob Lunæ speciē gratiosam ob astrorū lucidos ignes, ob æquoris vastitatē, ob terrarum ambitum, facta est igitur ei creatura scala vt pertingeret ad altissimū, & ad cæli cælorum culmen: quid autem iunior? Solem & Latonam Deos constituit, & ad veræ diuinitatis iniuriam superstitionibus repleuit orbem: ecce eiusdem substantiæ quàm differens modus! alteri Dei fauorem conciliauit, alteri exitium peperit, pulchrè Chrysostomus eadem catena: *Vna quidem erat possessio, atque eadem paterna substantia, sed ille quidem benè illa vtebatur, ex pulchritudine creaturæ Creatorem cognoscens, & illam quidem admirabatur, sed adorationem Creatori reseruabat: impius verò creaturas vidit, visisque adhæsit, & illas pro diis habuit: Solem accepit in suum vsum, & donum vt Deum adorauit: accepit fontes ad delicias, & munus Deum reputauit: ipsemet munerarius ignorabatur, atque eius dona colebantur.*

Iusti vtuntur creatura in laudem Creatoris.

Chrysost.

Fiduciæ æquè ac metus plena Christi sententia Luc. c. 17. vers. 34. *Dico vobis, in illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus assumetur, & alter relinquetur, & duæ erunt molentes in vnum, vna assumetur, & altera relinquetur*: Quoniam lecti fruentes deliciis, & placido sopore? Opulenti nimirum significantur, quibus in solatio & requie vita: ecce igitur fiduciæ spem: non omnis dies excluditur Olympo, sed luxuriando partam substantiam dilapidauerit, is relinquetur, vt infernus eum deuoret: qui miserorum compatiens fuerit, atque dispersérit, & dederit egentibus is assumetur in aëra vt obuiam procedat Christo, & sit in gloria: qui autem pistrino laborant, pauperes & viles intelliguntur: ecce metus occasionem! licet enim destituti & infelices, nisi tamen in paupertate Religiosos se gesserint & deuotos, & à furto, aliisque malis abstineant relinquentur & ipsi, vt in sempiternam vadant gehennam, assumptiis iis tantùm qui in paupertate castis vixerunt mentibus: Theophilactus ex communi Patrum expositione: *Dicit igitur, quòd ex diuitibus qui in lecto quiescent alij quidem saluabuntur, alij autem non: Nam quia dixit, quòd difficilè diuites saluantur, ostendit nunc quòd neque hi pereunt, neque pauperes omnes saluantur, sed ex diuitibus vnus assumitur in occursum Domini: & alius relinquetur infrà vt condemnatus: & ex pauperibus similiter, quos per molentes significauit (quoniam per pistrinum laboriosam pauperum vitam insinuat) vnus quidem saluabitur, alius autem non:* At certè molentium figura non ordinarios tantùm significatos pauperes, qui ex necessitate tales & vellent si quomodo possint diuites fieri, sed qui sponte sua renunciarunt sæculo, & vitæ seueras quasdam profitentur rationes, carníque & sanguini comprimis arduas, putauit Isidorus Pelusiotta lib. 1. ep. 283. & 285. *Per duas autem molentes vitarum in vna re, ac classe discrimina puta in Religiosa exercitatione, aut virginitate, aut continentia, aut pudicitia, à multis quidem culta & præstita, at non ab omnibus*

94. Luc. 17. v. 34.

Non omnis diues cœlo excluditur.

Theophyl.

Pelluſ.

omnibus eadem mente, ac voluntate; Vide igitur ne hos omnes tutos esse; ô attendite qui laboratis & onerati estis! quid tam lachrymabile quàm molentes à pistrino ad infernum transire! ita nihil ex omni parte securum in hoc mortalitatis stadio nisi cauti & diligentes fuerimus, & benè vtamur concessis à Deo muneribus: atque hoc quidem loco (vt obiter insinuemus) mihi præstantium quorundam Theologorum opinio confirmari videatur arbitrantium cum iisdem entitatiuè auxiliis alterum conuerti, alterum dissentire; quin & fortasse ex molentibus istis nonnulli qui reprobati, entitatiuè robustioribus donati auxiliis ab aliis, qui cum remissiori vocatione salui facti sunt.

Vitæ Religiosæ propositum non ab omnibus eadem mente seruatur: vnde nec omnes de suæ salute securos reddit.

95. Gloriosus Iacob, qui etiam cum Angelo luctari non timuit, sed beatior multò quòd & superauit; at ille quòd vincere non posset cernens, *tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit*. Gen. c. 32. v. 26. igitur Victoriæ pensio vt claudicaret deinceps, altero rectus pede, altero infirmus: Quamobrem istud? erat futurum semen Iacob populus benedictus à Domino, origo ille tribuum, & nationis sanctæ; Ne igitur remissè agerent satis propterea securos se arbitrantes, quòd Iacob ducem haberent, & de gente essent specialiter à Deo adamata, ex parte claudus ex parte validus Iacob; scilicet eò quòd tantis donis abusuri multi fuissent, & idcircò in tenebras æternas cum damnatorum colluuie eiiciendi, claudus penes hos describitur; quia autem & plurimi beneficia Dei æstimantes saluandi fuissent, ob istos potens & fortis narratur; Iacob igitur solùm prognatum esse, illiúsque connumerari in sobole ad felicitatem non sufficit, nisi tanto muneri bonus accedat vsus;

Genes. 32. v. 26.

Quare Iacob ex parte fuerit claudus, & ex parte validus?

Augustinus ex quæstionibus in Genes. quæstione 104. *Vnus ergo atque idem Iacob & claudus, & benedictus; claudus in latitudine femoris tanquàm in multitudine generis, de quibus dictum est; & claudicauerunt à semitis suis; benedictus autem in eis de quibus dictum est, reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt.*

Augustin.

96. Iterum cum Iacòb; vidit in somnis scalam, cuius summitas Olympum tangebat, *Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam*. Gen. cap. 28. vers. 12. Quid scala hæc mysticè? nimirum persecutio; & quoniam sub hac alij labuntur, alij vincunt, idcircò ex Angelis quidam descendere, quidem ascendere perhibentur; ô certè quid horribilius sæuientis persequutionis rabie esse valeat? & tamen ne tum desperandum, nam scalæ apicem multi occupant; quò tamen Christianè timidè simus, & de nostris non præsumamus viribus, neque temerè aggrediamur tam forte certamen, opus est meminisse & Angelos describi, qui cadant, ruinámque patiantur; Tertullianus de persequutione, cap. 1. *Hæc pala illa, quæ & nunc Dominicam aream purgat Ecclesiam scilicet, confusum aceruum fidelium euentilans, & discernens frumentum Martyrum, & paleas negatorum; hac enim, scalæ quas somniat Iacob alijs ascensum in superiora alijs descensum ad inferiora demonstrantes*; Ad Genealogiam Saluatoris sunt qui referant scalam Iacob, nam & diuersæ generationes gradus referunt, & à Matthæo describitur, Lucas ascendit: sed quid æstimabilius, quid pretiosius, quàm de Christi esse progenitoribus? ô nobilitatis honorem maximum! ô suprà terrenam omnem felicitatem! Sed heû & ibi numerantur qui ceciderunt Reges impij,

Genes. 28. v. 12.

Scala Iacob mysticè Persecutionem designat.

Tertull.

Monarchæ detestandi; itaque de linea Christi auorum fuisse non profuit illis, qui virtutem & æquitatem contempserunt; nihil tam sacrosanctum & excelsum, quod abutendo damnationem non pariat; Anselmus enarrationibus in Euangelium ad cap. 3. Lucæ; *Hæc enim Genealogia, quæ à Iesu baptizato ad Deum tendit, videtur nobis esse scala illa de qua legimus, quia Iacob lapidem suppositit capiti suo, dormiuit & vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen eius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ; lapis enim capiti suppositus, & velut fundamentum scalæ factus Christus: & per hanc genealogiæ scalam alij ascendunt, & alij descendunt; ascendunt qui proficiunt, descendunt qui deficiunt.*

Christi Genealogia est scala in qua Reges impij ceciderunt. Anselm.

97. Interrogatus Christus à Pharisæis vbi regnum Dei quærendum esset, atque inueniendum? respondit; *Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Luc. cap. 17. vers. 21. torquentur sæpè mortalium non pauci, quod peregrina & inaccessa sit Regi cœlorum consectatio, quamobrem Anachoretis sortem inuident, & officio vitæ subindignantur quasi distractionum omnium causæ iniquiori! ô vtinam saperent & intelligerent? Nam viderent quanquàm in abstracto sæculi curis statu potiora adiumenta incomparandè ad pacem adipiscendam internam, sed posse & hanc ipsos quoque cum Dei gratia consequi modò paululùm vigilent, & solicitisint: Nam si lucra iniusta omitterent, si Deo paululùm vacarent, si filios & seruos probè instruerent, si quam possint miseris opem ferrent, si concordiæ studiosi fuissent, visitaret eos Pater luminum in benedictionibus, & experirentur inter negotiosa sæculi Deum reperiri posse ab hominibus bonæ voluntatis: Quare desinant friuolas accusationes variorum graduum & officiorum in Republica, quæ ad politiam, & orbis terrarum aptam gubernationem Dei instinctu inuenta sunt: Regnum Dei intrà ipsos est, procul vestigasse superuacaneum est; vtantur benè rebus, illæ non remorabuntur, sed propellant & incitabunt, vt Deo appropient: Gregorius Nyssenus de Virginitate, c. 12. *Eiusmodi igitur præceptum docêre Dominum arbitror, cum dicit ad eos, qui sapientiam in mysterio loquentem audire possunt, Regnum Dei intrà vos est: Significat enim, non esse diuinum bonum à natura nostra remotum, neque ab ijs, qui id quærere instituunt procul disitum, sed semper in singulis ineſſe, ignotum tamen atque obscurum, cum quidem vitæ curis atque voluptatibus suffocatur:* Beatus quoque Athanasius in vita sancti Antonij: *Nolite itaque virtutis tanquam impossibile nomen pauere, nec peregrinum vobis, aut procul positum videatur hoc studium, quod ex nostro Dei gratia præcedente pendet arbitrio: huius operis homini inserta natura est, & eiusmodi res est, quæ nostram tantummodò expectat voluntatem: Græci studia transmarina sectentur, & in alieno orbe constitutos inanium litterarum quærant Magistros: nobis verò nulla proficiscendi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet: in omni sede terrarum constituta sunt regna cœlorum: vnde Dominus in Euangelio ait: Regnum Dei intra vos est.*

Luc. 17. v. 21.

Inter negotia sæculi Deus reperiri potest ab hominibus bonæ voluntatis.

Athanas.

SECT. XI.

SECTIO XI.

Quæ sola ætate absque rerum gestarum gloria comite fundatur auctoritas, inanis reputanda.

98. ANtiquiora fuisse Moysis & aliorum Cantica hoc Salomonis Epithalamio concessimus, quod verum omninò sit; & tamen non delatus eis sublimior titulus Cantici Canticorũ, hoc est inter omnia præstantissimi, sed huic: quãobrem? nimirum illa quanquam ætate præcesserint, sed mentis inferiora, quippe & materia & stylus ignobilior: licèt igitur consentaneum sit annis deferre, seniúmque venerari, & canis aspersa capita honore prosequi, at non in præiudicium virtutis, vt eo solum nomine quispiam colatur, quòd plura numeret transacta quanquam inutiliter lustra: accipiat à præclarè gestis vetustas per quod ornetur, & tum cedant vniuersa emeritis diebus: verùm si de æuo solùm gloriatio est, vana habeatur; de iuuene flore annorum morte quasi intempestiua sublato Auctor sapientiæ c. 4. vers. 13. *consumatus in breui expleuit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius:* igitur apud Deum annorum æstimatio, & preciũ singulare: cùm quod ex abrupto, & breue sit multi arbitretur temporis: sed quomodo si pauci anni longitudo dierum sunt Creatori, de eo Psalmus testetur. 89. vers. 4. *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præterit:* & quasi pœniteret Vatem diei vnius spatium concessisse mille annorum curriculo, vt egregiè à Hieronymo obseruatum tanquam se corrigit adiungens, non esse nisi nocturnæ vigiliæ trium scilicet horarum spatium: *& custodia in nocte:* verùm & hoc indulgens nimium tribuit: quamobrem annectit, *quæ pro nihilo habentur, eorũ anni erunt,* id est, vt ea Hebræo quidam inferunt, *quasi somnium,* momentaneum videlicet & puncti instar: Quomodo igitur qui mille annis vixerat, tãquam non ortus iudicatur, vt qui desiuerit penè cum apparuisset? nempe hic tanto reuerendus senio, & antiquitate grauissimus nihil preterea admiratione dignum præmonstrabat, non bello, nõ litteratura, non moribus, quorum apud Deum potissima commendatio, aliisue clarus ornamentis: solam vetustatem crepabat tumidus: quo igitur huius vnius futilem esse iactantiam Propheta denunciat, affirmat annorum miriadem somniorum leuissimis gaudiis quorum breuissimum solatium, Deo iudice, comparari.

Sap. 4. v. 13.

Psal. 89. v. 4.

Qui nihil admiratione dignum in vita præstitit, apud Deũ non censetur vixisse.

99. Creata à Deo luce, formosissimo quidem opere, & radiante tanquam deliciantem in pulcherrimo fœtu Artificem velut introducit Moyses nam subiungit, *vidit Deus lucem quòd esset bona,* Genes. c. 1. vers. 4. Sed numquid non ante lucẽ producti cæli, terra quoque formata est? testatur siquidẽ idemmet asserens, *in principio creauit Deus cælum & terram?* quam ob causam his procreatis nõ subiecit de diuina approbatione & bonitatis encomio? Ecce, nondum prodierant Firmamentũ, non Phœbus, non soror eius, non astrorum faces cælũ adornabant, inhonorus illi adhuc vultus; nec melior glebę sors, absque floribus, sine gramine, plantis & arboribus vacua, deerãt & animantium turmæ, deerat homo, omnia eremus & vastitas occupabant: Quid infelicius? in quibus ergo sub tanta rerum iucundissimarum orbitate gloriari poterant cælum & terra? sanè in natiuitatis, ortûsque antiquitate, ante lucem enim, & ante cætera visibilia prognata sunt: igitur non habentia ornatum & cultum aliquem omni pulchritudine viduata ob senectutis titulum solum laudanda putasset Numen? Haudquaquam: propterea itaque etsi luce maiora natu commendare omisit, ne sine ornamentis antiquitatem approbasse iudicaretur etiam antè solis auricomum globum ligna & fœnum edita: numquid ideò cum sole de principatu fœnum contenderit? scitè Ambrosius lib. 4. in Hexameron. c. 1. *Ergò cùm vides solem, attende terram quæ ante fundata est, attende herbã fœni, quæ præstat ordinis priuilegio, attende ligna, quæ plaudunt quòd priora luminibus cæli esse cœperunt: Nunquid merita fœni maiora quam Solis? aut nunquid prior ligni prærogatiua? absit vt insensibilia tanti muneris præferamus ministro.*

Ambros.

Sherlogi Anteloq. in Cant.

100. Qui ad vineam conducti primo mane cum sub vesperam intuerentur pari mercede cumulatos qui hora vndecima laborare cœperunt, quorum proinde breuis interualli sudores, animi impatientia demonstrata conquesti tanquam de iniuria aientes: *Hi nouissimi vna hora fecerunt & pares illos nobis fecisti, qui portauimus põdus diei & æstus?* Matth. cap. 20. vers. 12. An non iustus istorum dolor, siquidem & verum fuit miseros sole tota die fatigatos, quamobrem itaque non & Pater familias illorum causæ fauerit? sanè qui hora vndecima vineam introgressi tanta alacritate vineã excolere adorsi, tantâque constantia & tam indefessa eam hilaritatem continuarunt, vt nobilior eorum fuerit industria, quàm antecedentium omnium, quarè & his adumbratum Apostolorũ Domini præclarissimam manum Patrum nonnulli existimarunt, singulariter de Paulo Apostolo quidam interpretati: quamobrem venustè admodum sanctus Gregorius Papa hom. 29. in Euangelia de hac Parabola: *plerunque & qui post nos venire cernitur, per agilitatem nos boni operis antecedit, & vix eum cras sequimur, quem hodiè præire videbamur: Ecce cùm Stephanus pro fide moreretur Saulus lapidantium vestimenta seruabat: omnium ergò lapidantium manibus ipse lapidabat, qui ad lapidandum omnes expeditos reddebat: & tamen eundem ipsum in sancta Ecclesia laboribus anteceſſit, quem persequendo Martyrem fecit:* Non igitur mentis, & rerum gestarum honore sub diei exordium inuitati illos superauerunt quos hora vndecima subministrauit: quonam igitur titulo præferri cæteris optabant? Nónne eo solum nomine, quod antiquiores essent? quid enim aliud suggerere poterant? ergóne tam bonus Pater familias ob solius antiquitatis iactantiam ampliorem contulisset mercedem? noluit in vinea sua eiusmodi ob titulos præmia distribui, proinde & murmura & quærimonias despexit.

Mat. c. 20. v. 12.

Tardius ad Deum conuersi nonnũquàm alios in virtute præcedunt. Gregor.

101. Matthæus dum Christi lineam enumeratis Genitoribus, & auorum serie proponere statueret, inscripsit, librũ appellas Generationis Iesu Christi, *filij Dauid, filij Abraham,* c. 1. vers. 1. admirati communiter interpretes nominatum antea Dauidem quã Abraham, cum multis sæculis illo posterior fuerit: verùm & primo eminêre loco honor est: quare hic Dauidi potiùs quàm Abrahæ concessus? equidem Chrysostomus, quem de more abbreuiant Theophil. & Euthymius celebriori

Matth. 1. v. 1

prædítum fama inter Iudæos Dauidem memorant, proinde tanquam insigniorem Genealogiæ
Theophyl. inscriptione melioribus donatum: Theophylacti sententia est; *Quia apud Iudæos* (inquit) *celebrior erat Dauid, regnôque clarior: Nam inter Reges ipse primus Deo placuit, & promissionem accepit à Deo, quòd ex semine suo surrecturus esset Christus, eà propter omnes Christum filium Dauid dicebant:* Si igitur Dauid celebrior Abraham, quam ob causam potiora conferenda essent in Patriarcham? nónne ob solam vetustatis reuerentiam, quoniam plurimis antiquior annis extiterit? At si paria vtriusque merita, rectè quòd longinquioris ætatis haberetur ratio: cum verò famosior putatus sit, digniora eius facta obscurari & vinci ab annorum copiosiori numero æquum non erat; præpositus est itaque Dauid, nè si anteponeretur Abraham, nudæ antiquitati delatum esse suspicaremur.

102. Adolescentes ad virtutis studium Ieremias hortatur spe celsioris laudis Threnor. cap. 4. vers.
Thren. 4. v. 27. 27. *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua:* At quam bonum hoc illi ô Vates! quid consequetur honoris? qualem compensationem? *sedebit* (inquit) *solitarius & tacebit, quia leuauit super se?* vbi sedebit? & quando? & quibus cum sociis? Bernardus interpretabatur de nouissimi iudicij magno & formidabili apparatu, tunc igitur huiusmodi Adolescentem, qui
Adolescentes modesti habebunt honorem Iudiciaria potestatis in extremo Iudicio. Bernard. sub iuuentute vixerit modestè & beatè ex iudicibus futurum, per quos mortalium, examinentur causæ: ingens dignitas, sed quam Theologi spondent Religiosis, de quibus speciatim Ieremiam plerique exponunt: *Non dixit sedet* (ait Bernardus serm. 1. de sancto Petro & Paulo) *sed sedebit solitarius cùm habuerit honorem singularitatis illius, videlicet iudiciariæ potestatis insigne, quod sancti in terra sua possidebunt cum latitia sempiterna: sed quare hoc, quia leuauit se super se, ideſt cum adolescens erat, & ætatis adhuc lubricæ sentiret ardores, senem induit, relinquens quod erat, & assumens quod non erat:* Sed obsecro, quales futuri sint ij, quos ad iudicandum socios assumere Christus dignatus fuerit? nónne prouectæ ætatis atque idcircò seniores nominantur? *nam in circuitu sedis sedilia viginti quatuor,*
Adolescentes virtute præditi computantur inter 24. seniores. Apoc. 4. v. 4. Rich. Vict. *Seniores sedentes circumamicti vestimentis albis,* Apoc. 4 vers. 4. de quibus, eorúmque officio audiendus Richardus de sancto Victore lib. 2. in Apoc. cap. 1. *Viginti quatuor seniores sunt omnes veteris & noui Testamenti sancti & perfecti Doctores, qui pariter rectè sub tali numero comprehenduntur propter duodecim Patriarcharum prærogatiuam, & propter auctoritatem Apostolicam: qui nimirum perfecti singulariter sedere dicuntur: quia & in præsenti Ecclesia quamdiu præsens vita agitur, & vltimo iudicio secundùm sua merita sedem iudicandi cum ipso Iudice sortiuntur:* Si igitur senes, & ob canitiem venerandos esse oporteat iu-
Alia senectus morum est iustitia, alia temporis. dices orbis terrarum sub fine temporum, quomodo è iudicibus vnum statuerimus, quem Adolescentem, & in exordio ætatis Ieremias nobis depinxerit? Verùm est alia Senectus morum, iustitiæ nimirum & sanctitatis plenitudo: alia temporis, per quam capilli immutantur: Quò igitur insinuet morum vnicam & præstantissimam habendam considerationem, iudicibus fidenter Adolescentem adlegit: nihil veritus annorum multa deesse lustra, cui suppetebat Christi gratia, & quem maturum virtutes fecerant.

Et vt noueris hanc esse veram senectutem, & non alteram eam longeuitatis mensium atque annorum, cerne qua phrasi Abrahæ exitum vltimum Scriptura delineet! *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.* Genes. c. 15. vers. 15. Quidnam est in *senectute bona?* num post liberos & nepotes multos? an post diuitias & voluptates maximas? an certè id quod in senectutem magis quadrat post vegetam & robustam extremam ætatem, quam tristitiæ, quam morbi, quam sensuum defectus non lassauerint? sed nihil horum *senectus bona*, cùm & talibus impij sæpè fruantur: ast *bona* reputatur, quam virtutes perfectissimæ adornant; Ambros. lib. 2. de Abraham, cap 9. *Nam insipiens in bello nutritur, & in discordia: iustus in senectute bona: Non dixit longa, sed bona, quia iustus benè senescit, iniustorũ autẽ nemo quamuis cornicibus diuturniore vita vixerit: nam diu viuere cõmune sapientibus, atque insipientibus est: benè autem viuere speciale sapientis est, cuius senectus venerabilis, & ætas senectutis vita immaculata: non diuturnitate inquit, neque numero annorum computata, nec capillis capitis in carne, sed sensibus: ille ergo benè senescit, qui benè senserit*; quare ab Origene obseruatum est peccatores ex Bibliorum idiomate senes non appellatos, neque eis plenitudinem adscribi dierum, quod mysticè temporalis succedentia annorum exiguo in precio sit absente honestate & præclaris facinoribus: *Presbyteri* (inquit hom. 16. in Iosue) *& Seniores non pro longæua vita dicuntur sed pro maturitate sensus, & grauitate vitæ veneranda: Vnde Abraham, qui minus vixit quàm prædecessores patres, primus in Scriptura Presbyter & senior appellatur: obserua autem sicubi inueniens peccatorem aliquem vocari seniorem & plenum dierum, quia peccator non est prouectus dierum, sed deficiens, non enim se extendit ad anteriora, sed semper retrò conuertitur.*

103. *Senectus morum sola vera senectus.*

Gen. 15. v. 15.

Quid sit vitã fungi in senectute bona.

Ambros.

Origen.

SECTIO XII.

Quò quisque proximior Deo, aut Christo, eò felicior & dignior.

104. SAlomonis hoc carmen eam ob rationem aliis omnibus Scripturarum metris prælatum tanquam nobilius & mage Beatum statuimus, siue quia Deum propiùs attingeret, quod subtilissimæ Theologiæ in modũ profundiora diuinitatis arcana perlustraret siue quoniam incarnati Verbi in mysteriis versaretur familiarius, & Christo proximiùs accederet: iure ob hos titulos reputatum Canticorum omnium excellentissimum: quid enim præstantissius? quid optatius coniunctione intima cum Deo & Christo eius: arduum illud Seruatoris pronunciatum Lucæ cap. 15. vers. Luc. 15. v. 7. 7. *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agẽte, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia:* igitúrne potior iustitia, quæ semper stetit, illa, quæ contrita est, & lapsum passa? Animaduerte, quomodo hoc intelligitur acutè: Solent iusti ordinarium prosequentes cursum vitæ, quæ cũ Dei timore est, interdũ remissè agere: Quamuis enim mortales noxas declinent, sed leuiũ vitandarũ culparum neglectio apud eos, quamobrẽ

tepidè

tepidè sanè cõuersantur in domo Domini; in pœnã tantæ socordiæ Numẽ aliquando permittit fœdis deturpari criminibus, quorum ex confusione talis enascitur pudor, qui in delictorum pœnitentiam stimulat ad seueræ disciplinæ arctissimas leges; quare deinceps celeritate feruntur admirabili, vt breui nonaginta nouem iustorum cœtum qui primam gratiam non amiserat, spatiosè tamen ob teporem spiritus ambulant, currendo vincant; itaque peccator iste conuersus quoniam incredibiliter in horas proficit, gratia post lapsum parta omnium illorum nonaginta nouem iustorum sanctitatem prætergressus, Deo, Christóque propior fit, nam quò sanctior quisquam est, quantáque maiori gratia ditior, eo fit propinquior Deo & Christo; sed Angeli plus gaudent, quò ad Deum quis propiùs accedat; benè igitur quod vberior sit lætitia de illo, qui pœnitendo affinior Deo & Christo euaserit, quam de nonaginta nouem iustis, qui à longiùs stant: S. Gregorius homilia 34. in Euangelia; *Plus autem de conuersis peccatoribus, quàm de stantibus iustis in cœlo gaudium esse fatetur; quia plerumque hi, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via iustitiæ; sed tamen ad cælestem patriam anxiè non anhelant, & plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua, quia securi sibi sunt, quod nulla commiserint mala grauiora: At contra nonnunquàm hi, qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti ad amorem Dei inardescunt; & quia erraſſe se à Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus compensant; maius ergo gaudium fit in cælo*, &c.

In pœnã suæ socordiæ Iusti in crimẽ labuntur vt celeriùs & animosiùs relaxentur, & propiùs ad Deum accedant.

Greg.

Hoc Angelorum gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente domestica parabola Christus bellissimè expressit, drachmæ nimirum, quam mulier amisit, & diligenter perquisitam tandem inuenit; nec se continêre valuit, quin sociabus & vicinis conuocatis postularit, vt congratularentur ob recuperatam drachmam Luc. c. 15. v. 9. & quoniam monetæ genus drachma, monetæ verò Regis insculpitur imago, vulgata sententia rationalem intelligi animam, quæ ad Dei similitudinem formata est; peccando autem nobilissimam hanc sculpturã miserrimè fœdauit, adeò vt iumentis insipientibus similem factam Vates affirmauerit! ô mutationẽ enormem & plangendã nimis! similẽ Deo comparatam esse iumentis stolidissimis; Tandem absterſis peccatorum sordibus quæ formosam inquinauerunt imaginem, redditus est nummus antiquo honori, aduocatítque continuò Anima vicinas, & amicas suas, hoc est potentias, vt diem festum agerent, & tripudiarent insigni cum hilaritate, vt exponit S. Gregorius Nyssenus de Virginitate, cap. 12. *Renera enim* (ait) *omnes contubernales animi potentiæ, quas nunc vicinas nominat, vbi detecta fuerit, ac reluxerit imago hæc magni Regis* (*quàm inde ab exordio drachmæ nostræ inseruit, qui cor da nostra ad vnum finxit*) *se ad sacrum illud gaudium, lætitiámque conuertent in inexplicabilem rei inuentæ pulchritudinem intentæ.* Sed quæ huius tam inauditæ iubilationis occasio? magna prorsus & ineffabilis; creatura quippe appropinquãdo Creatori suo fit omninò beata, fit nobilissima, & quò propius accedit, eo fit sublimior & fortunatior: Quidnam autem ex inuentione drachmæ consequutum? nempè vt à statu iumentorum, quibus assimilatus erat Homo per peccatum transierit ad statum filiorum Dei per gratiam, per quam & proximus

105.

Luc c 15. v. 9.

Nyssen. *Imago magni Regis relucet in anima inexplicabili pulchritudine.*

Deo redditus est, quid enim propinquius Deo filiis ipsius? nam si filij & hæredes quoque; cernentes igitur potentiæ Animam cui famulantur Deo, Christóque propinquam, atque ob hoc omni alia sublunari creatura præstantiorem, non possunt aliquo modo lætitiam dissimulare.

Moriebatur Iacob, & filium adiurabat charissimum Ioseph, ne in terrâ Ægyptiorum ossa eius relinqueret, sed faceret vt in Chanaan asportarentur Genes. c. 47. v. 30. eodem pacto & ipse Iosephus discessurus ex hoc mundo suos obstrinxit Genes. c. 50. v. 23. Quid referebat ossa consepulta esse magis in regione promissa, quam Ægyptiorum in glebis? nonne & resuscitare posset Deus iacentia in Ægypto cadauera? perspice; Sancti illi à Deo illuminati nouerunt sequuturis temporibus ex Virgine Hebræa in terra Chanaan prodituram in lucem Christum; & quoniam in vita frui non poterant; optabant post fatum illi proximos esse, quoniam intelligebant nihil sublimius, nihil mage desiderandam contingere posse quam Christo coniungi, ei appropinquare; ob hanc igitur causam, ne longiùs à Christo distaret quod superesset cadauerum, anxiè flagitabant baiulari ex Ægypto in Palestinam ossa ipsorum: P. Damianus sermone de translatione sancti Hilarij: *Quid est ergo quòd sancti Patriarchæ, qui se puluerem, & cinerem esse perspicuè perhibent? qui certè corpora, & corporalia quæque cælestium contemplatione despiciunt in Chananæorum terra corpora sua quiescere tanto desiderio concupiscunt? illius ergo terræ finibus beati viri iam medullitus aggliscebant, quam per Spiritum iam cernebant Saluatoris vestigijs atteri, quam interioribus oculis iam videbant pretioso Dominici corporis sanguine purpurari, vt illic eorum corpora suam expectarent resurrectionem, vbi resurrecturum esse cognoscebant ipsum beatæ Resurrectionis Auctorem.*

106.

Gen. c. 47. v. 30.

Cur Iacob voluerit post mortem asportari ex Ægypto in terram Chanaan?

Damian.

Dum paulatim mundi omnes Numen partes ornabat, & modo gramine, herbis, ligno fructifero amiciebatur tellus, modo luminaribus magnis, & stellarum candentibus radiis fulgebat cælum, modo æquora piscibus replebantur, adiungit quoque consummato opere molitionis primordialis narrator Moyses, *& vidit Deus quod esset bonum*; deerat vltimum munus, nimirum rationalis humana quæ concederetur Creatura, editus est tandem Adam, & hoc effigiato, de quibus toties seorsim pronunciauit Historia, subnectit de collectione vniuersorum, *vidítque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Gen. cap. 1. v. 31. Quam ob rationem post visum in terris Protoplastum crescit encomium, & eximiè *bona* reputantur quæ antea quasi mediocriter solùm *bona* indicabantur? Scilicet, antequàm homo fabricaretur non erat in mundo istomet inferiori creatura aliqua Deo affinis & tanquam cognata, in nulla enim relucebat ipsius Dei effigies & similitudo, sed nec quæ Christo olim venturo ad redimendum compararetur creatura aliqua, eiusdémque cum ipso naturæ & speciei; Homine itaque procreato iam redditus est orbis propter habitatorem suum, imò propter compendiatum in homine ipsomet orbem, qui proinde microcosmus, Deo, Christóque affinis, & cognatus: At verò probauimus, quo quispiam Deo, Christóque propinquior euadit, eo & nobiliorem, beatiorémque simul euadere: auctus est igitur post conditum hominem ob nouam cum Deo, Christóque cognationẽ, mundo honor, aucta felicitas, ideóque

107.

Creato iam homine, orbis terrarũ redditus est affinis Deo, & velut ipso melior effectus.

velut se ipso melior redditus; Si igitur incrementum orbis accepit post formatum Adamum, benè quod & maior sit laus posteà melioris vtique: atque idcircò quamuis ante hominem emolitum non dicebatur de mundi partubus, nisi quod boni essent qui producebantur fœtus, deinceps tamen iidem *valdè boni* referantur Augustinus lib.3. de Genes.ad litteram, cap. 24. *Non sigillatim vt in cæteris etiam de humana creatura dixit, & vidit Deus quia bonum est, sed post hominem factum subintulit de omnibus, & vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce valdè bona; prætermisit hoc dicere vt illud potiùs diceret quod futurum aliquid prænunciaret, moderatum est vtique vt diceretur & quod in præsenti verum esset, & præsentiam significaret futuri nempè humanum per peccatum lapsus, eiúsque per Christum reparationis; Quod igitur dictum est, vidit Deus cuncta quæ fecerat, &c. tum ad præsentem bonitatem refertur, quia vniuersum adeò conditum sapienter, ac pulchrè dispositum, seu ordinatum, & in vno homine microcosmo eleganti summa collectum est; tum etiam ad futuram, qua sexta similiter die erant omnia in homine quasi collecta per Christum Deum, & hominem instauranda.*

Augustinus.

108. Absolutis mundi operibus requieuit Creator in die septimo, *& benedixit diei septimo, & sanctificauit illum.* Genes.cap.2.vers.3. nobilissimus planè dies iste, & cæterorum vincens honorem, de cuius laudibus mellifluè Rupertus Abbas lib.2. in Genes. cap.16. & 17. De hoc die in typum Resurrectionis Christi Dauid Psalm. 117. vers.23. *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea*; Quidnam est quod de luce ista quasi in mysterium prædicat, diem extitisse quem *fecerit* Dominus? Nónne Auctor sex dierum qui præcesserunt, in quibus editæ creaturæ sunt, Deus? nónne ipse, & non alius extrà eum Deus procreauit? qua igitur de causa de Sabbatho putemus singulariter scriptum, diem esse quem *fecerit* Dominus, nisi quia dies dierum iste, atque eminens inter dies vniuersos: At vndenam huic diei tanta celsitudo? nam potiùs videatur aliis ignobilior diebus, cùm habeant illi de quorum natiuitate glorientur aut fruges terræ, aut animantia, vel planetas, vel aquatilia, aut denique hominem? dies autem iste vacuus sit, proinde ex otio illaudabilis? Respondeo feriationem extitisse in hac quidem luce Sabbathi, sed ab operibus sæculi, non ab operibus Dei; vnde Origenes benè tract. 29. in Matthæum; *requieuit ab operibus mundi, quæ facere cœpit, opera autem iustitiæ semper & sine initio operabatur, & operabitur sine fine; vt sicut ille requieuit in Sabbatho ab operibus mundi, non autem requieuit ab operibus iustitiæ; sic & nos per ipsum Sabbathizemus ab operibus mundialibus & carnalibus, & nociuis, opera autem iustitiæ semper exerceamus*; hinc igitur meritò nobilissima huius lucis dignitas super omnem alium dierum cursum; Nam vt demonstrabamus hactenus, illud in vnoquoque genere sublimius, quod propiùs ad Deum accedit, eíque affinius sit; cæteri itaque dies cùm in illis mundi intexantur opera, distrahunt, & mentem sollicitudinibus & curis à Deo separant; Sabbathum autem ad vacandum Deo integrè destinatum est, proinde Sponsi diuini amplexibus mentem arctè coniungit, quò fit vt longè proximior Deo sit dies istamet quam cæteri omnes, ac proinde nobilior & celsior lux hæc, quàm reliquæ.

Gen 2.v.3.

Nobilissimus dies septimus.

Psal. 117. v.23.

Septimus dies Sponsi diuini amplexibus mëtem arctè cõiungit.

Quid illustrius olim, quàm de populo Circumcisionis fuisse ex semine Abrahæ, de stirpe Hebræa? cæteræ nationes tanquam viles habebantur, quoniam populus ille erat populus segregatus & electus; iam verò extrà Iudæam inter aliarum Prouinciarum multitudinem, quid honoratius Ciue Romano? vtroque potitus Doctor Gentium; perspice tamen quid dicat; *Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei; propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam,* ad Philip. cap.3. vers. 8. qua in sententia premendum verbum illud, *vt lucrifaciam*; igitur lucrum & prouentus fuit antiquæ nobilitatis perdidisse ob Christum tanquam in ipso restaurata sit cum fœnore; sed quonam pacto aucta sub Christo nobilitas, cuius discipuli vilis plebs reputata? nempe Paulus idcircò renunciabat titulis seu Iudaicæ, seu Romanæ ingenuitatis, vt Christo propiùs adlegeretur; Cùm igitur licèt id humana consideratio non intelligat, spiritaliter tamen & verè, eò generosior & nobilior, vnusquisque, quò magis Christo appropinquat; rectè Apostolus detrimentum faciens mundani honoris, vt Christo familiatiùs vniretur; lucrum se feciisse memorat; Tertullianus lib.5. contrà Marcionem; *Quæ autem retrò lucri duxerat gloriam carnis, notam Circumcisionis, generis Hebraei ex Hebræo censum, pharisææ candidæ dignitatem: Hæc ac si stercora deputat præ comparatione agnitionis Christi.*

109.

Phil.3.v.8.

Tertull.

Habent sex hebdomadæ dies quòd de aliquarum rerum natiuitate glorientur.

Origen.

ANTELOQVIVM XI.

De meliori sacras Scripturas interpretandi genere.

VOLEBAM in præfatione ad benignum Lectorem occurrere his, qui displicere poterant in nostro Commentariorum more, quoniam autem vna, alteráve pagina coërcere dicenda impossibile videbatur; malui in has potiùs sedes transferre, quàm longa prolusione remorari, quem statim remittere necessarium fuerit, non ad aliud quidem, quàm ad Prolegomena, & librorum salutationes: nam in his totus hic primus lucubrationum nostrarum fœtus conteritur: Verùm stadium ingrediamur.

SECTIO I.

Num illaudati frequentes excursus in variarum disciplinarum materias? & quæ vituperanda longitudo Commentariorum?

1. VARIVM, atque difficile est humanum ingenium; nec puto, aliquem vnquam tantùm aut beneuolentiæ, aut laudis consequutum, vt placeret singulis; quin & infelicem iudicarunt multi, quem liuor intactum abire permisit; quippe magnorum conatuum semper hostis; Quem dicendi characterem amaueris? Longus videri cupias? ibis in offensionem breuiaria diligentium: Compendio gaudes? despicient qui pleno flumine natare optant: Medium tenes? neque apud hos, neque apud illos gratiam consequeris: Eruditus, atque copiosus es? odêre tantas diuitias: ieiunus, & macer? hoc quoque vitio adscripsêre; Ita per omnes semitas fastidium dominatur, & vetus equidem morbus, de quo Lyricus in Arte poëtica ante plurima sæcula conquestus;

Nemo omniũ gratiam concilians.

Horat.

Maxima pars Vatum, pater, & iuuenes patre digni,
Decipimur specie recti; breuis esse laboro,
Obscurus fio; sectantem læuia, nerui
Deficiunt, animique; professus grandia turget:
Serpit humi, tutus nimium timidúsque procellæ;

Sed quid demiramur in Scriptoribus omnia contemni à nauseantibus animis; quando & in sacratissimis, maximéque necessariis mysteriis cuncta exhorruêre? *Venit enim Ioannes Baptista* (Luc. cap. 7. vers. 33.) *neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis; Dæmonium habet: Venit Filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens vinum, & amicus publicanorum, & peccatorum:* Plerique suo indulgent genio, & quem ab hoc alienioremsentiunt, subitò condemnant: *Nostis,* (inquit Philippus, Bonæ-Spei Abbas, epistola 10 ad Bernardum,) *quantùm veteres Monachi, qui nigro habitu vestiuntur, qui iuxta præcedentium Patrum institutatritam Religionis semitam gradiuntur, de austera nouitate Cistercienſium conqueruntur: augmento quorum, ipsi vt æstimant, & fama, & numero minuuntur: Nostis, quantùm ipsi Cistercienses istorum teneritudinem, & molles delicias reprehendunt, & ad Monachos nullatenus pertinere contendunt: qui, quoniam parcioris victus, & habitus fastigium apprehendunt, non satis, vt dicitur, aliorum infirmitatibus condescendunt: Ab vtrisque autem Clerici regulares nonnullas, (vt aiunt) molestias patiuntur: qui tamen Deo vtcunque seruire moliuntur: & qui vellent, & deberent à Monachis collaborantibus adiuuari, conquerunturplurimùm ab eis resistentibus se grauari:* Ita igitur quocunque te vertas, quodcunque eligas, arduum est, sanè propè impossibile, vt, qui vexent, & reprehendant, effugias; Cùm ergo omnia impedita sint, & thamnis, vepribúsque circunsepta, atque esset propugnandum, quodcunque eligeretur; nobis arrisit spatiosior, vberiórque methodus eorum, qui oblata occasione varias, grauésque quæstiones dissitarum causarum mouent, eásque non strictim, & quasi in transcursu ventilant; at multa cum eruditione, cum succo, & viribus, vt Lectori sit, vnde ad satietatem hauriat; & Scriptores, qui ob angustias mortalis vitæ de omnibus scientiis tractare nequeant, dum ex vnius Operis ansa per multa vagantur argumenta, specimen exhibeant, quid in vniuersis labore, & industria consequuti sunt; à quibus illustrandis non ignoratio, aut deterruit, aut reuocauit; sed properantis Lachesis nimia festinatio, quando & in Potentatibus octoginta anni, & si quid ampliùs, hoc tantùm labor, & dolor: Quæramus patrocinia optioni huic nostræ.

Vnusquisque præter suæ vitæ studia, contemnit cætera. Luc 7.

Philip. Abb.

Longa Commentaria encomio & honore digna.

2. Verùm, quis nobis iure valeat succensere, quando habuisse contigit fulgentissimum tutelarem Gregorium Romanum epistola ad Leandrum Hispalensem ante Commentarios in beatum Iobum, cap. 2. *Sacri enim Tractator eloquij* (ait) *morem fluminis debet imitari: fluuius quippe, dum per alueum defluit, si valles concauas ex latere contingit, in eas protinus sui impetus cursum diuertit: cúmque illas sufficienter impleuerit, repentè se in alueum refundit: sic nimirum sic diuini verbi esse Tractator debet: vt, cùm de qualibet re disserit, si fortè iuxtà positam occasionem congruæ ædificationis*

Digressiones licitæ Scriptoribus. Gregor.

Gregorij opus Morale in Iob quàm eximium. Ribera.

ædificationis inuenerit, quasi ad vicinam vallem linguæ vndas intorqueat; & cum subiectæ instructionis campum sufficienter infuderit, ad sermonis propositi alueum recurrat: Atque hanc certè, quam aliis colendam regulam Magnus intimauit Pontifex, ipse diligentissimè obseruauit: Sed quali tandem in opere? Certè explanatione in Iobum, de quo propè diuino volumine noster Ribera proœmio in Malachiam, num. 10. *Equidem ita iudico, cùm de libris moralis expositionis in Iob sermo incidit; nullum habere librum Ecclesiam præter eos, qui diuinitus inspirati sunt, illis doctiores, aut vtiliores; per eius libros inoffenso pede currere licet, nihil timendum, nihil habet non catholicum, nihil non eruditum: quid relinquit in Scripturis, quod non verset, quod non elucidet? quid excogitari summo ingenio potest, quod non inueniat? quid vtile esse potest ad probandum, quod illum fugiat?* Si igitur post Bibliorum religiosissima effata, nullus sit codex, neque vtilior, neque doctior Gregorij in Iobum elucubrationibus, certè hunc potissimùm librum imitari iuuat præstantissimos quosque sacrarum litterarum Interpretes; atqui Gregorianum volumen totum vtilissimis, iucundissimisque abundat digressionibus, quibus seu historicum, seu mysticum sensum discutiat, excurrit per vniuersa Scripturarum prata, & in horrea sua coaceruat vnus, quæ plurimos locupletare valeant; Exhibeamus abundantissimum testem Sixtum Senensem; & quoniam in argumento versamur, cui delicati breuitatis amatores difficilem sint adhibituri fidem, operæpretium est integram Senensis periodum etsi longiorem transcribere; nam & animum nostrum plenè declarat, & excepto Gregorio, aliorum quoque subministrat exempla aliqua.

3. *Longos, qui perpolire Cõmentarios amauerint?*

Itaque lib. 3. Bibliothecæ, Methodo 21. *Secundus coaceruationis modus in testimoniorum aggregatione positus est, qui ad enodationem, & confirmationem propositi loci varia Scripturarum testimonia, auctoritates, & locos ex diuinis litteris similes in vnum contractos adducit, & hos rursum, præsertim, si obscuri fuerint, & impliciti, superaddita nouæ expositionis interpositione, particulariter edisserit: quo fit, vt, dum Expositor per singula prolata Scripturæ testimonia exponendo progreditur, explanationis corpus quodammodo in immensum excrescat, vixque finem inueniat: Desudarunt in hoc exponendi genere inter Scholasticos Henricus Langesteinus, qui consumptis multis annis in publica enarratione Geneseos, vix ad quartum eius libri caput post quatuor integros annos peruenire potuit, editis super his quatuor magnis voluminibus, in quibus omnes ferè vtriusque testamenti libros interpretatus est; Hunc longè prolixiore Opere superauit Thomas Hasselbachius, qui cum vno & viginti annorum spatio nondum peruenisset ad finem primi capitis Isaiæ, quem continuè enarrauerat, demum reliquit enarrationij suæ in primum Isaiæ caput libros vigintiquatuor; Ex Patribus verò maiori cum laude in hoc labore versatus est D. Gregorius, qui in omnibus scriptis suis: præcipuè autem in quinque, ac triginta libris Commentariorum in Iob, tot diuinorum eloquiorum sententias, fragmentáque congessit, & congesta exposuit, vt ex his, velut ex ditissimo promptuario, multi non ignobiles Expositores integras omnium ferè Scripturæ sanctæ voluminum expositiones acceperint; quales sunt Patherius D. Gregorij Notarius; Claudius Classitanus Abbas; Beda, Presbyter; Alalpus Monachus; Guernerus Pari-*

Sixt. Senens.

Henric. Lãgest.

Hasselbach.

Greg. Pap.

Ex Gregorij labore in Iob Scripturæ Commentarius integer conflatus.

sienſis; ac plerique alij Gregoriana lectionis studiosi, qui ex Gregorij sententijs in vtrumque Testamentum explanationes hauserunt; Ac sanè, quod de Gregorio Sixtus asseruit, ex eius collegisse voluminibus Bedam vtriusque ferè Instrumenti explanationem, idem pari iure de Augustini vigiliis affirmare valeat, quemadmodum vbique testantur Commentaria non solius Bedæ, sed etiam Eucherij, atque Rabani, & Hispalensis Isidori, aliorúmque multorum; Quanta igitur vtilitas est, in vnum, alterúmve Bibliorum codicem eiusmodi interpretationem congessisse, ex qua eruditus, diligénsque Lector facem accipere possit ad vniuersas Scripturas intelligendas? Quantùm eminet arcani sermonis vinculum cum reliquis partibus, quando absque illis non leuiter, neque perfunctoriè enucleatis, ne vnius alicuius tractatus membrum pro sufficientia, & dignitate enarrari valeat à Bibliorum Interprete consummato.

Ex Augustino Beda totã Scripturam ferè declarauit.

4. *Patres omnes digressoria scriptionis amatores.*

Quòd si grandium virorum exempla sint, quæ corroborare valeant, & multùm persuadere, quæ in commentando optima sit æstimanda forma, profectò non vnus aliquis ex Patrum Senatu, eum, quem diximus in scribendo ordinem sequutus est, sed omnes; vt nemo sit, quem excipere debeamus; Etenim id exploratum est apud doctos Theologiam in veterum Ecclesiæ Præceptorum monumentis dispersam, primùm colligi cœptam in Oriente ante octingentos annos à Ioanne Damasceno; deinde & subsequutis aliquot sæculis post mille, & centum annos à reparato genere humano excellenti compendio distributam à Petro Lombardo, qui id conatus est vt ipse testatur prologo ad librum 1. *Vti breui volumine complicaret Patrum sententias;* Quamobrem & Magister Sententiarum audiri meruit; Qui igitur eos, qui antecesserunt, facere soliti Doctores? Sanè, cùm vtriusque explanarent Instrumenti volumina, subinde oblata occasione varias inferebant quæstiones; & nunc de prædestinatione Sanctorum; nunc de gratiæ viribus, & præstantia; nunc de incarnato Verbo; nunc de vno, & trino Deo sermonem instituebant; sed vix quidpiam deducto, & continuato filo; at sparsim, & in roris modum, qui hac illac diffundatur; alioquin sanè apud ipsos si controuersiæ Scholarum separatis locis, & tractatibus inuenirentur, vt quid fuisset opus laborare, aut Damascenum, aut Petrum Lombardum in Summis theologicis conficiendis? & qui ad fastigium scientiarum Reginam euexêre duo Principes scholastici certaminis, sanctus Aquinas, & Ioannes Dunsius Scotus; omnes illi in hoc vnum incubuêre, vt diu, noctúque Patres terendo, & in primis perscrutando Dionysium Areopagitam; & beati Augustini lucubrationes, apud eos seiuncta, & diuisa in locos communes cogerent, & sibi inuicem comparatis, quæ apud voluminum diuersas regiones, aut de Creatore, aut de Angelis, aut de vitiis, atque virtutibus, plenum de quaque materia, & suis absolutum numeris formarent tractatum; Neque æstimet aliquis diuagatos Patres cùm ita à præcipuo scopo diuerterent, & velut ad peregrina excurrerent, per sacra tantùm, & de Bibliorum penu hausta; quippe, *Omnes* (vt præclarè adnotatum ab Hieronymo epistola ad Magnum Oratorem Romanum) *in tantum Philosophorum doctrinis, atque sententijs suos resarciunt libros, vt nescias quid in illis primùm admirari*

Theologiam scholastico more, qui disposuerint primi. Damasc.

Petr. Lomb.

Patres in Philosophorum, Oratorúmque lectione plurimùm versati. Hieron.

admirari debeat, eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum.

5. *Ordo & dispositio melior iuniorũ Doctorũ, quàm fuerit antiquorum.* Canus.

Sed Melchior Canus procœmio ad locos theologicos velit antiquos inuentione excelluisse; *Ordinem verò* (inquit,) *dispositionem, perspicuitatem sibi si assumant iuniores, videntur ea iure suo quodam vendicare; Quapropter vtrisque legendis efficiet Theologus scholasticam disputationem sine dubio pleniorem; nam ex illis, quasi materiam; ex his tanquam formam differendi mutuatus, potens erit nimirum exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere:* Sic Canus, quæ an comperta sint? aliorum crisis esto; difficile est enim putasse, rectiorem methodum in commentando à Patribus omissam esse; Sed modò præbeamus, certè & iuniorum exempla abundè confirmant à nobis hactenus præiacta fundamenta; Quòd si sanè inter recentiores lubeat numerare quosdam ante nos aliquot sæculis florescentes, erit plurimorum instar vnus Alphonsus Tostatus, de quo noster Ribera præfatione in Zachariam, num. 10. *Vbicunque Commentarij eius extiterint* (ait) *auidè legendus est; suppeditat enim rerum copiam mirabilem, quærit plura quàm vllus vnquam quæsierit, colligit dicta multorum, optimè eligit, copiosè tam aliena confutat, quàm sua confirmat, grauis, pius, & capacissimi iudicij, vt mirer vehementer eum tam mirabilem, támque raram eruditionem comparare potuisse, cùm eius ætate tanta esset in Hispania paucitas eruditorum, tam rara bonarum cognitio litterarum;* Quem alter ex nostris nunquam satis laudatus Annalista, Alphonso in his, quibus præcipuè excellit, simillimus; stylo, linguarum peritia, & temporum exacta edonatione superior, *Magistrum* appellat quemadmodum à Martyre Cypriano vocari solitus Tertullianus, atque is est optimus Pater Iacobus Salianus tomo 3. anno mundi 2963. num. 17. Iam verò Abulensis quantùm ingenij, & memoriæ vela diffundit? Septem nobis in Matthæum iusta volumina reliquit, nec Euangelistam absoluit; ad caput illius vigesimumquintum ferè octoginta dubia mouet: in vnius breui capituli enucleatione, vt aduertit Sixtus lib. 4. Bibliothecæ, centum & septuaginta scholasticas excitat quæstiones; & meruit ob tantam exuberantiam, quódque per omnia disciplinarum genera feratur, nihilque indiscussum prætermittat, *Stupor Mundi* appellari; planè Miraculum orbis homo tantus; Ioannes Hagen, dictus de Indagine, Teutonicus ex Carthusiensi Familia, cùm omnem Scripturam quadruplici expositione declarasset; Canticum tamen Salomonis octo interpretationibus illustrauit; vigebat ad annum 1460. Amauit & multa explanationum genera Dionysius Richelius ex eodem Cœtu; & quidem geminauit Commentarium super his nuptiis; Quid mirum, cùm & Origenes, qui facem cæteris Enarratoribus prætulit, vt recenset Hieronymus scribens Damaso, *decem voluminibus explicitis, quæ ad viginti vsque versuum millia penè præuenunt, primùm septuaginta Interpretes; deinde Aquilam, & Symmachum, & Theodotionem: & ad extremum quintam editionem, quam in Actio littore inuenisse se scribit, ita apertè, magnificéque differuit, vt inde mihi videatur, in eo completum esse, quod dicitur; Introduxit me Rex in cubiculum suum:* Bernardus verò Claravallensis Abbas, cùm in eruendo Canticorum sensu sibi excesserit ipsi, in vnius verbi examine sæpè multas homilias absumit: sanè vix septem tractatibus absoluit illa solùm, *Osculetur me osculo oris sui:* Quem Gillebertus, vt in reliquis, sic in hoc etiam feliciter imitatur: atque Thomas quoque Cisterciensis Monachus duodecim libris suam Commentationem in Epithalamium clausit: quos & nuperi, & in his doctissimi sequuti Interpretes magnis voluminibus Ludouicus de Sotomaior, & Michaël Gislerius Prosper Rosettus Ludouicus de la Puente.

Ribera. *Alphõsi Tostati laus.* Saliani commendatio. Abul. Sixt. Sen. *Canticum Canticorum quinam ad longum explanauêre.* Ioan Hag. Carthus. Orig. Bernard. Gillebert. Sotom. Gisler. De la Puẽte. Thom. Cist.

6. *Recentiores Scriptores, qui vberes Cõmentarios produxerunt.*

Age verò: hæc omnia quæ antiquiora fuêre, vitio non caruêre aliquo, & emendauit senioris ætatis nouos postremum hoc nasutum sæculum; sed vbi ditior seges illorũ, quibus voluptas fuit infinita disquirere, in omnes disciplinas crebrò excurrere, immorari, vniuersa plenè discutere? Alphonsi Tostati longitudinem in nouo Instrumento superauit noster Alphonsus Salmeron: quid autem in eo viro diuinæ, humanæque eruditionis non elucet? Certè succincta illa, & compendiaria respuit, cùm tamen otio nequaquam frueretur, sed præter diurna tempora noctem etiam surriperet animarum cura: at qui Deo, Ecclesiæque laborant, quid non possunt? Sebastianus Barradas non nisi quatuor voluminibus Euangelia absoluit: Alcazarius ne vno vastóque eo libro Apocalypsim clausit; nuper accepimus & alterum fœtum: in Acta Apostolorum diffusus satis, insignitérque eruditus Ioannes Lorinus: Iustinianus nequaquam breuis est, siue Paulum, seu canonicas declaret Epistolas; & nuper Ioannes Antonius Velazquez in vnam ad Philippenses Epistolam duo exarauit volumina emunctæ lucubrationis: Didacus de Baëza, cùm moralem Euangeliorum explanationem solam complexus esset, quatuor edidit tomos, quibus in eo tractationis genere non aliquid vidit præsens ætas magè splendidum: Viegas super Ioannis Apocalypsi quantis abundat nouis quæstionibus? quàm elegans vbique? Iam & in veteri illustrando Fœdere, quanta affluunt & maiestate, & copia, quàm multa in apricum referunt? In Genesim vterque Benedictus Pererius, atque Fernandez? in Exodum Barradas, atque Pereira? in reliquum Pentateuchum Lorinus? in Iudices, & Iosuë Serarius, atque Magallanius? In Regum librum 1. Franciscus de Mendoça? ille nimiùm citò raptus, qui non tam libros, quàm Bibliothecam moliebatur in Historiam Samuëlis: & potuit omnibus ad amussim instructus præsidiis, quæ in Scripturarum perfecto Interprete desiderantur: In Iobum, & Salomonis Ecclesiasten, & vitam Pineda? in Parabolas Salazarius? in Ezechielem Prado, atque Villalpandus, homines exquisitæ eloquentiæ, incomparandæ lectionis? Quid referam de Saliano, quem Historiæ leges etsi coërcerent: tamen nihil intentatum in omni veteri Fœdere reliquit, vt necesse fuerit Annales in sex volumina distribuere: atque certè hoc illi maximam laudem peperit.

Barradas. Alcazar. Lorin Iustin. Velazq. Baëza. Viegas. Pereira. Fernand. Serar. Magallan. Mendoça. Pineda. Salazar. Prado. Villalpand.

7.

Præter hos nostri Sodalitij homines, multi præterea sunt ex huius ævi optimis Scriptoribus, quibus similis Commentariorum modus placuit: Ascanius Martinengus in duo, triáve Geneseos capita duos magnos tomos edidit: Rutilius Benzonius, Lauretanus Antistes, in Canticum, *Magnificat*, volumen vnum iustum: Claudius Rangolius ex Minimorum Ordine, in librum 1. Regum duos amplos libros: vnum in pauca quædam Geneseos capita ex eodem Cœtu Marinus Mersennus: Fabianus Iustinianus, Episcopus Adriacensis,

Martineng. Benzon. Rangol. Mersen. Iustinian.

Fernand. Adriacenſis, in librum Tobiæ: Ioannes Fernando ex Prædicatorum Cœtu in Eccleſiaſten: Ioannes Nodin Minorita in Exodum, Ioannes de la Hay in Geneſim, Antiochus Brondus ex ordine Mercenariorum in Apocalypſim; Atque in Theologicis elucidandis id ipſum obſeruarunt in controuerſiis Cardinalis Bellarminus, Caniſius, Valentia, Gretſerus: in ſcholaſtica palæſtra Suarius, Vaſquezius, Salas, Albertinus, Bubalus, Didacus Ruicius, Faſſolus; Præceptor noſter Petrus Hurtado de Mendoça nuperrimè edita ſecunda ſecundæ; in morali Theoſophia Ludouicus de Molina, & Thomas Sanctius: in myſtica Iacobus Aluarez de Paz; in Philoſophicis Conimbricenſes, & Paulus Vallius; in Humanioribus Zerda, Raderus, atque Pontanus; Scripſit etiam Latis affluenter, paritérque eruditè Thomas de Maluenda ex Ordine Prædicatorum, de Paradiſo & Antichriſto; Illuſtriſſimus Baronius in Eccleſiæ præclariſſimis Annalibus non ſolùm caſus, varióſque rerum euentus patefacit; ſed de Conciliis, de omni antiquitatis vſu digreſſiones vtiliſſimas inſerit, multáque noui Inſtrumenti loca primo tomo ſummo cum iudicio explanat; prolixum eſſet de vniuerſis memorationem facere, & non nimiùm neceſſarium, cùm præ oculis, præque manibus docti paſſim habeant; Igitur ſiue ad anteriora tempora, ſeu ad proxima conuertamur, in vtroque qui ſcientiarum maiorem famam conſequuti ſunt, amarunt genus Commentariorum, quod multa eſſet refertum varietate, & data occaſione, aut eruditionis, aut ingenij demonſtrandi, per omnes quæſtiones & honeſtas, & vtiles iret.

Nodin. Brond. Bellarm. Caniſ. Valentia. Gretſer. Suarius. Vaſquez. Salas. Albert. Bubal. Ruic. Faſſol. Hurtado. Molina. Sanch. Aluarez. Conimbr. Vallius. Zerda. Rader. Pontan. Maluend. Baron.

8. *Quanta veri ſupellectili opus perfecto Scripturarū Interpreti?* Eccli. 39.

Verùm, quidni facerent, edocti ab optimo Magiſtro, Spiritu gratiarum, qui per Siracidis os cap. 39. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, narrationem virorum nominatorum conſeruabit, & in verſutias parabolarum ſimul introibit; in terram alienigenarum gentium pertranſiet; bona enim, & mala in hominibus tentabit;* Vt quid verò tantùm induſtriæ, vt neceſſe ſit, eum, qui ſapientiæ nomine florere cupiat, in omnem vetuſtatem ingredi, claſſicos quoſque Auctores deuorare, abditiſſima, & recondita vniuerſa penetrare, & inſuper longa ſibi exilia, peregrinationem in vltimas terrarum oras indicere, vt memorat Hieronymus epiſtola ad Paulinum? *Legimus in veteribus Hiſtoriis,* (ait,) *quoſdam luſtraſſe prouincias, nouos adiſſe populos, maria tranſiiſſe, vt eos, quos ex libris nouerant, coram quoque viderent.* Quem in ſenſum illud; *In terram alienigenarum gentium tranſiet*, exponunt Nicolaüs, Dionyſius, Palacios; Quid hoc tanto ſumptu opus, niſi vt doctus Scriba proferat de theſauro ſuo noua & vetera, & conquiſitis diuitiis edenda à ſe monumenta illuſtret, ex grano ſinapis arborem creans pulcherrimam, in qua & aues cœli nidulentur? Equidem plurima opus eſſe ſupellectili Commentatori, nec poſſe ſtricto ſermone muneri ſatisfeciſſe Hieronymus non ſemel intimauit; nam libr. 1. Apologetici aduersùs Ruffinum; *Commentarij* (ait) *quid operis habent? Alterius dicta ediſſerunt; quæ obſcurè ſcripta ſunt plano ſermone manifeſtant, multorum ſententias replicant, & dicunt: hunc locum quidam ſic ediſſerunt: alij ſic interpretantur; illi ſenſum ſuum, & intelligentiam his teſtimonijs, & hac nituntur ratione firmare; vt prudens Lector, cùm diuerſas explanationes legerit, & multorum vel probanda, vel improbanda didicerit, iudicet, quid verius ſit, & quaſi bonus trapezita, adulterinæ monetæ peccatum reprobet*; Et proœmio in libro 2. epiſt. ad Galatas; *Officij mei eſt obſcura diſſerere, manifeſta perſtringere, in dubijs immorari; vnde & à pleriſque Commentariorum Opus explanatio nominatur:* Similiáque prologo ad librum 1. interpretationis Hieremiæ; Facile autem eſt colligere, haud quaquam iſta perfici poſſe, niſi ſe diſtendat, qui explanationem aggreſſus ſit: At verò quantam amplificationem, qualéſve excurſus id requirat, de quo idem monet præludio in Danielem? *Ad intelligendas autem extremas partes Danielis, multiplex Græcorum hiſtoria neceſſaria eſt: Suctorij videlicet, Callimaci, Diodori, Hieronymi, Polybij, Poſſidonij, Claudij Theonis, & Andronici cognomento Alyſij, quos & Porphyrius eſſe ſequutum ſe dicit: Ioſephi quoque & eorum, quos ponit Ioſephus, præcipuéque noſtri Liuij, & Pompeij Trogi, atque Iuſtini, qui omnem extremæ viſionis narrant Hiſtoriam: & poſt Alexandrum vſque ad Cæſarem Auguſtum Syriæ, & Ægypti, id eſt, Seleuci, & Antiochi, & Ptolomæi bella deſcribunt:* Verùm ſanè hac de lite tractat doctè Ioan. Maior, quæſtione 1. in prologum libri 4. Sententiarum concluſione 2. *Non illaudabile eſt* (inquit) *extraneas ſcientias ad Theologiam nullo modo neceſſarias, ſed ad decorem Theologiæ conducentes introducere: Probatur: facta venerabilium Patrum, & baſium Theologiæ ſunt imitanda: ſed ſic eſt, quòd B. Hieronymus, Auguſtinus, & alij Doctores, Platonis, Marci Tullij, Virgilij, & aliorum Philoſophorum, Oratorum, & Poetarum introduxerunt ſcripta, vt patet legenti: ergo illud nobis licet*, &c.

Nicol. Dion. Palacios.

Hieron. *Commentarij ſcopus.*

9. Hieron. *Longitudo in cōmentando qua vituperanda, quæ approbanda?*

At hinc continuò ingens enaſci malum inclamitant; nempe ex tanta rerum coaceruatione ſcripta in immenſum creſcere, confundi, atque onerari Lectoris animum, & deſperatione fractum valedicere ſapientiæ, atque Muſis; quapropter de emendatione ſtyli cogitans Hieronymus allegato nuper in Danielem proœmio; *Verùm iam tempus eſt*, (inquit,) *vt ipſius Prophetæ verba texamus, non iuxta conſuetudinem noſtram, proponentes omnia, & omnia differentes, vt in duodecim Prophetas fecimus; ſed breuiter, & per interualla, ea tantùm quæ obſcura ſunt, explanantes, ne librorum innumerabilium magnitudo Lectori faſtidium faciat:* Et prologo in Ionam quid in aliis Commentatoribus diſplicuerit, enarrans; *Scio* (ait) *veteres Eccleſiaſticos, tam Græcos, quàm Latinos ſuper hoc libro multa dixiſſe, & tantis quæſtionibus non tam aperuiſſe, quàm obſcuraſſe ſententias, vt ipſa interpretatio eorum opus habeat interpretatione, & multò incertior Lector recedat, quàm fuerat, antequàm legeret: Nec hoc dico, quò magnis ingenijs detraham, & alios mea laude ſugillem: ſed, quòd Commentatoris officium ſit, vt quæ obſcura ſunt, breuiter, apertéque dilucidet: & non tam diſertitudinem oſtentet ſuam, quàm ſenſum eius, quem exponit, ediſſerat:* Reſpondeo, longitudinem duplici ex radice poſſe conſurgere; primùm, quòd in verbis ſit inepta quædam repetitio, & per ambages, multúmque circumeundo ea proferantur, quæ exigua periodo comprehendi poterant; deinde in rebus ipſis, quoniam aut eadem ſæpiùs ingerantur auribus, aut non neceſſaria ſcribantur, aut vulgaria pro raris producantur: vel denique, vt non ſint contemnenda, quæ dicantur; ad rem tamen nihil ſpectent: Huiuſmodi in commentando amplificationes nos libenter damnamus,

atque

Quintil. atque horum partem reprehendit Quintilianus lib. 8. Instit. cap. 2. *Est etiam in quibusdam turba inanium verborum, qui dum communem loquendi morem reformidant, ducti specie nitoris, circumeunt omnia copiosa loquacitate, quæ dicere volunt: ipsam deinde illam seriem cum alia simili iungentes, miscentéque, vltra quam solus spiritus durare possit, extendunt*: Neque sanè minùs onerosum hoc, quàm quod idem contingere compendia affectantibus statim subinnuit: *Alij breuitatis æmuli, necessaria quoque orationi subtrahunt verba; & velut satis sit scire ipsos, quæ dicere velint, quantùm ad alios pertineat, nihil putant*: Erit igitur quoad sermonis aut breuitatem, aut longitudinem id sedulò aduertendum, de quo idem monet lib. 4. c. 2. *Nos autem breuitatem in hoc ponimus, non vt minùs, sed ne plùs dicatur, quàm oporteat: non minùs autem cauenda erit, quæ nimium corripientes omnia, sequitur obscuritas, satiúsq; est aliquid narrationi superesse, quàm deesse: nam superuacanea cum tædio dicuntur, necessaria cum periculo subtrahuntur*: Secundò, oritur longitudo non causa alicuius ex prænotatis vitiis; sed quoniam ingenij ager felix est, & magno lumine præditus intellectus intuetur multa, quæ alios eum vsque in diem latuerant: Itaque cùm & verbis circunciſio adhibeatur, & in rebus ipsis nequidquam superuacuum afferatur: tamen arcanorum tam cumulata est seges, quam necesse sit glebæ magnam occupare partem: Quorũ igitur volumina ob huiuscemodi rationes crescunt, nequaquam ob longitudinem vituperanda sunt: verùm gratiæ illis habendæ maximæ, quòd abstrusas à mortalium cognitione veritates publici iuris fecerint: non enim aut longum, aut fastidiosum id esse valeat, quod ignorasse pœniteat, scisse delectet.

Breuitas quæ vitiosa.

10. Quanquam autem secundùm morem hactenus declaratum, in quocunque scribendi genere commendabile appareat digredi non ratò, & in varias materias excurrere; tamen hanc qualencunque licentiam potiori sibi iure vendicat Tropologia: quippe cùm Hieronymus adnoret in illud Habacuc c. 1. *Quia ecce ego suscitabo Chaldæos*, &c. inquiens: *Historia stricta est, & euagandi non habet facultatem: Tropologia libera, & his tantùm legibus circunscripta, vt pietatem sequatur intelligentiæ, sermonisque contextum; nec in rebus multùm inter se contrariis violẽta sit copulandis*: Cuius memoriam canonis cùm nos haberemus, in anterioribus conati sumus, dum Historiam pertractaremus, ferri ad diuersa parcè solùm, atque timidè: quamobrem longiores peregrinarum materiarum discursus reiecimus in præludia ethica, quæ ad Tropologiam spectant: Sed nec ibi nimium exspatiati sumus, quando in iustæ molis opere vix tres excursus: Neque sanè hoc ipsum perpetrauimus, quin allegoria fundamentum ab Historia mutuaretur: Et quidem ita vt fiat, conueniens, oportunúmque sit: nam quidem disciplinarum Principi Theosophiæ reliquas ancillari scientias, artésque omnes in confesso est: quo autem pacto ministerium suum impleant, & heræ obsecundent, nisi peritus artifex occasionem venetur aperiendæ rimæ vniuersis, vel saltem decentibus, vtilioribúsque? Hoc autem contigit, diuertendo sobriè nunc ad has, nunc ad illas notitias.

Regula: Tropologia euagandi facultatem habet: secùs Historia Hieron.

***

Sherlogi Anteloq. in Cant.

SECTIO II.

Quantum vitium in Scriptore quasi sua facere velle, quæ ab aliis adinuenta, elaborata sunt?

HOmines otiosi, qui à limine tantùm Musas salutarunt, qui voluptatibus & inertia fracti, in vmbra continuò sedent, nunquam ausi in apertum se effundere, & bono communi insudare: hi statim vt doctorum virorum lucubrationes prælum destituêre, & venales fiunt, peruolutant sedulò vniuersa; & si quid reperêre consimile his, quæ priores ediderunt, actum esse de genere humano arbitrantur; nempe quod patienter sustineat audaces plagiarios: Neque ego sanè negauerim aliquos esse tam proiectæ temeritatis, aduersùs quos omnis ira, & excandescentia lenis sit: nam, cùm ingenio, & literatura eguêre, inuerecundè suffurantur: quo verò & ipsorum credatur alienus partus, deformant miserè pulcherrimas eruditorum vigilias, inuertunt ordinem, mutant vocabula, adimunt perfecta, súsque déque vertentes omnia, monstrum tandem educunt: eum sanè in modum, quo olim Gentium Philosophi, & Vates, cùm in Hebræorum arcana inciderent, aut quòd sibi attribui inuentionis gloriam cuperent, aut quòd non satis perciperent, fabulas pro veris narrationibus emiserunt: id, quod à Tatiano Assyrio tom. 4. Bibliothecæ 3. editionis annotatum est oratione contra Græcos: *Multi nanque Græcorum* (inquit) *Sophistæ curiositate quadam inducti, quæcunque à Moyse, & similibus ei sapientibus viris didicerunt, deprauatè, & secùs efferre conantur; partim vt ipsi proprium aliquid promere videantur; partim, vt ea, quæ intelligunt, facta quadam sermonis compositione velantes, veritatem suis commentis vitient*: Itaque huiusmodi fucos, qui mella deuorant, & alienis laboribus insidiantur, cùm ipsi egregium nihil præstare valeant, & odisse iuuat, & ab humano cœtu exterminare, quoad fieri possit. Verùm non horum persequutores nos insectamur; sed genus quoddam virorum delicatum, loquacitate potens solùm, quod nunquam aut sudauit, aut alsit in doctrinarum acquisitione: vt reperit autem istiusmodi fex easdem ex Patr bus sententias aliquot, eadem vel Scripturarum, vel Conciliorum loca in diuersis Auctoribus statim blatterant, & crambem bis coctam apponi vociferantur, ex rapina, & spoliis præcedentium Doctorũ conflari volumina, non esse dignos aut Bibliotheca, aut nummis labores; agunt verò hæc omnia, vt inertiæ suæ patrocinium aliquod inueniant; nempe, intelligatur à scribendo propterea abstinere, quòd nisi iterent eadem, nihil relictum sit à veteribus indiscussum; se autem adeò ingenuos, vt malint inglorios annos traducere, quàm in aliena monumenta irruere, & proponere rursus cum fastidio, quæ anteà dicta fuerint. At certè prudentiam ista desiderant, scientiámque arguit felix censura: nam oporteat cogitasse, quem optimi quique Præceptores vsum obseruarint.

11.

Doctorũ hominũ vigilias inepte suffurantes, quibus similes?

Ethnici sacra Scriptura arcana fabulis accõmodabant. Tatian. Ass.

Quinam in libros, qui prodũt, imperitè blatterare soleant?

Nam, quotusquisque inter doctissimos est, qui si eas materias pertractet, quæ eruditionem postulent, & auctoritate, siue Bibliorum, seu

12.

Conciliorum, vel Patrum fulciendæ ſunt, non eadem repetat quæ alij tranſcripſerint? nè ab hac immunes, quæ nulla tamen culpa eſt, illi, quos appellant Criticos, qui omnia ad libram vocant, nihilque ipſorum vana opinatione nõ ſelectum, & nouum afferunt; Comparet Lector vel Coryphæos inter ſe, vix ex cardinalibus vnam reperiat quæſtionem; agatur de quocunque veterum ritu atque obſeruantia, in qua non aliqua reluceant, & frequenter multa quidem, à ſingulis coacceruata; quæ tamen ab aliis non ſunt mutuati, ſed propria diligentia inuenerunt; quidni ſanè, cùm eoſdem Auctores peruoluerint, atque eundem in ſcopum? Verùm ad Criticos alij attenderint, nunc de Theologis oboritur lis: Apponam egregium Cardinalis Bellarmini effatum tom. 1. controuerſiarum præfat. ad Lectorem; *Ariana hæreſi quondam graſſante ſcripſerunt accuratè, & copioſè tum Græci, tum, Latini propemodum infiniti, Athanaſius, Baſilius, Epiphanius, Didymus, vterque Gregorius, vterque Cyrillus, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius Bæticus, Idacius, Clarius, Phægadius, Fulgentius, & alij: ita verò conueniunt inter ſe, & quaſi conſpirant, ſiue teſtimonia Scripturæ pro Catholica fide adducant, ſiue ad Hæreticorum arguimenta reſpondeant: vt eadem omnes repetere, atque inculcare, & omnes etiam ab vno aliquo accepiſſe videantur: neque id illis vitio verti ſolet, aut poteſt; nam, quòd multi ſcriberent, cauſa erat ardor fidei, & zelus religionis, quem in eorum pectoribus Spiritus ſanctus accenderat: quòd eadem ſcriberent, inde fiebat, quòd antidotum veneni eiuſdem ex eodem fonte, eodem ſpiritu hauſerant: & ex iiſdem præſidiis aduerſùs hoſtes eoſdem, de poſſeſſione eadem, eodem Auctore, ac duce Deo, pugnabant.*

Eaſdẽ auctoritates ſæpè tranſcribunt eximij quiq; Doctores.

Bellarm.

13. Sed non in hæreſi tantùm profligandâ iiſdem vſos armis operæ pretium eſt, oſtendamus: at & in ſacrorum voluminum expoſitione, & planè mutuatos fuiſſe à prioribus non pauca aliqua, neque obſcuri nominis Magiſtros, verùm fulgentiſſima Eccleſiæ lumina, & omniũ diſciplinarum genere inſtructos viros: Proferamus autem eiuſmodi teſtem, quem ne inuidia ipſa contemnere audeat: & ſanè ille eſt Hieronymus, qui exordio libri 1. contra Ruffinum, *Si auctoritatem ſuo Operi præſtruebat, volens quos ſequeretur, oſtendere, habuit in promptu Hilarium Confeſſorem, qui quadraginta fermè millia verſuũ Origenis in Iob, & Pſalmos tranſtulit: habuit Ambroſium, cuius penè omnes libri huius ſermonibus pleni ſunt, & Marium Victorinum:* Atque ad Auguſtinũ ſcribens de ſeipſo; *Præſertim, cùm liberè in præfatione confeſſus ſim, Origenis Cõmentarios me eſſe ſequutum, & vel mea, vel aliena dictaſſe:* Meminit autem Prologi lib. 1. Commentar. ad Galatas: ſed apertè loquutus ſecundo in Michæam, proœmio: *Nam, quod dicunt Origenis me volumina compilare, & cõtaminari non decere veterum ſcripta, quod illi maledictum vehemens eſſe exiſtimant, eandem laudem ego maximam duco, cùm illum imitari volo, quem cunctis prudentibus, & vobis placere non dubito: ſi enim criminis eſt Græcorum benè dicta transferre, accuſetur Ennius, & Maro, Plautus, Cæcilius, & Terentius, Tullius quoque, & cæteri eloquentes viri, qui non ſolùm verſus ad multa capita, & longiſſimos libros, ac fabulas integras tranſtulerunt: ſed & Hilarius noſter furti reus ſit, qui in Pſalmos quadraginta fermè millia verſuum ſupradicti Origenis ad ſenſum verterit: quorum omnium amulari exopto negligentiam potiùs, quàm iſtorum obſcuram diligentiam:* Tantorum virorum abundè veſtigia legerunt Caſſiodorus in explanatione Pſalmorum Auguſtinum abbreuians, in omnibus ſacrorum voluminum Commentariis Beda eundem: cum aliis Patribus ſiue Græcis ſeu Latinis, Eucherius, Haymo, Strabus, Rabanus, Sedulius, Euthymius, Petrus Lombardus, Iſidorus Hiſpal. Victor Antioch. Titus Boſtrenſis: Chryſoſtomum Theophylactus decurtat: Theodoretus deflorat: Theodoretum Procopius: Lyra ex Hieronymo deſumpſit non pauca, ex vtroque vniuerſa penè Dionyſius Carthuſianus: súntque de horum claſſe Oecumenius, atque Incognitus in Pſalmos, & plures, quos & Auctorũ inter ſe collatio ſuppeditabit, & docebunt frequenter Sixtus Senenſis lib. 4. Bibliothecæ, Poſſeuinus in apparatu ſacro: Ribera prologo in Malachiam: Cantapetrenſis proœmio in librum ſextum hypotypoſeon: Sanè de ſui Ordinis præclariſſimis duabus facibus, S. Antonino, Florentiñorum Archiepiſcopo, & Vincentio, Bellouacenſi Præſule, Melchior Canus lib. 11. de locis, cap. 6. §. *Lex verò ſecunda*, &c. *De Vincentio* (ait) *Valuacenſi, & D. Antonino liberius iudico; quorum vterque non tam dedit operam, vt res veras, certáſque deſcriberet, quàm ne, nihil omninò præteriret, quod ſcriptum in ſchedulis quibuſque reperiret.*

Hilar.

Ambroſius, & Hieronymus, ex Origene trãſtulerunt.

Virgilius, & Tullius ab aliis plura mutuati.

Hieron.

Aliorũ ſcripta abbreuiantes.

Beda. Eucher. Haymo. Strabus. Raban. Sedul. Euthym. Lombard. Iſid. Vict Ant. Titus. Theophyl. Theodor. Procop. Lyran. Carthuſ. Sixt. Senenſ. Incognit. Poſſeuin. Ribera.

Cani de ſcriptis S. Antonini, & Valuacenſis iudicium.

Iam & Scholaſtici Theologi, inquit Martinez allegato nuper proœmio in ſextum hypotypoſeon: *Thomas ſiquidẽ, Bonauentura, Alenſis & eius generis cæteri (quorum inſtitutũ fuit, quæ ſancti Patres ſparſim tradiderunt, in locos cõmunes conijcere quid aliud fecerũt, niſi Auguſtini, Dionyſij Areopagitæ, & Ariſtotelis pulcherrimum vomitum vno vaſe concludere?* Profectò ſtupendũ id eſt, vt animaduertit Bellarminus de eccleſiaſticis Scriptoribus ab anno Domini 2100. *quòd magna pars primæ ſecundæ, & ſecundæ ſecũdæ S. Thomæ inueniatur iſdẽ verbis in primo, & tertio libro Speculi Moralis Vincentij Bellouacẽſis:* Ac quanquam ſanè ex Prædicatorũ Ordine vnus, qui correxit Angelici Doctoris Opera, Frater Franciſcus Garcia, in Vniuerſitate Tarraconẽſi publicus Profeſſor, ad finẽ partium, aſſeueret, *apertiſſimum eſſe, S. Thomam mutuaſſe ex Vincentio fermè õnia, quæ in duobus codicibus de vitiis, & virtutibus ſcripta reliquit: præceſſit enim (inquid) iſte Vincentius D. Thomam 34. annis, cũ Thomas obierit anno Domini 1274. & Vincentius anno 1240 ac proinde, cùm eadẽ ab vtroque prorſus ſcripta reperiuntur, quamuis multo elegantiori methodo diſponantur à S. Thoma, quàm à Vincentio fuerint tradita: veroſimilius, Thomam à Vincentio hauſiſſe doctrinam, non contrà Vincentium à Thoma.* Tamẽ Bellarmino Cardinali (quanquam eũ non lateret, quod ex Hieronymo oſtendimus, egregios fuiſſe Scriptores, qui ab aliis longos tractatus mutuati ſunt,) durum, inuiſúmque apparuit, vt Angelicus Præceptor hauriret Summæ ſuæ nobiliſſimũ mẽbrum ex peregrina lucubratione: quare neſcio quẽ alium iuniorẽ Vincentium meditari coactus, quẽ planè obſcuri fuiſſe nominis oporteat, de quo vtpote omnes tacuerint Auctores, quẽ ne ipſe, qualis fuerit, dicere potuit: Equidem, ſi in extrema ætate B. Thomas Summam Theologicam elaborauit, ſatis arduum eſt capeſſere, vt non deriuarit ex fontibus Vincentianis: Quamobrẽ in nupera editione Operũ Bellouacẽſis, quæ ſtudio Theologorũ Vedaſtini Collegij Duacenſis S. Benedicti prodiit, itũ eſt, in eã ſententiã, quæ à iuuene B. Aquinate

14. Martin.

Bellarm.

Num Summa Doctoris Angelici pars tranſlata ex Vincentio Valuacenſi.

Garcia.

Bellarm.

Summam Theologiæ S. Thomas adoleſcens ſcripſit.

nate cõpositam esse Summã autumat: cuius opinationis aliquod esse valeat fulcimentũ, quòd B. Doctor, quam in tertia parte, qu. 27. art. 2. sustinuit cogitationẽ de læsa Dei Genitrice à peccato originali, maturiori iudicio senior retractauit in 1. Sententiarum, qu. 1. dist. 44. art. 3. ad 3. *Et talis* (inquit) *fuit puritas beata Virginis, quæ peccato originali, & actuali immunis fuit*: Quod amplexatur ex animo Catherinus lib. 2. pro immaculata cõceptione, §. *Quàm variè*, &c. vbi ait: *Etiam qui insignes Thomistæ habentur, Capreolus, & Caietanus, fatentur ingenuè in nonnullis eum variè scripsisse; & posteriùs, quæ anteà scripserat retractasse.*

Opinionem asserentem, Deiparam, originali labi maculatam, retractauit S. Thomas.

15. *Quando vitiosum repetere, & mutuare ex alijs?*

At, siue B. Thomas ex Vincentio desumpserit, id, quod egregiis Viris nonnunquam contigisse monstrauimus; seu, quod certius nonnullis visum est, Vincentius à B. Thoma mutuatus sit, quando in studiorũ exordio Summam confecerit; id etiã atque etiam attendendum est, nihil ab exemplis tantorum Virorum patrocinij conciliari adulterinis fœtibus rudium, malorúmque ingeniorum: etenim in Scriptore, qui aliorum diuitiis sua locupletat monumenta, considerandum, quid ipse marte suo polleat cùm telam de ingenij venis absque externis adminiculis orditur; si enim illa, quæ sibi relictus fabricat, talia existãt, quæ exquisitum acumen, eruditionem singularem, venustatem, nitelam, ordinem sapiant, atque in his aliquando longus sit; indicium manifestum est, quòd de aliorum voluminibus transcripserit quædam, ob reuerentiam erga Maiores feciſſe, ob animi demissionem, quòd suis non crederet laboribus propter multam humilitatem: Quam in normam credo Sanctum Bonauenturam de Magistro Sententiarum loquutum; id, quod multis accommodari valeat, quæst. 4. in Prologum lib. 1. Sententiarum: ad secundum respondens inquit: *Et quòd sunt ibi multa dicta aliorum, hoc non tollit Magistri auctoritatem; sed potiùs eius auctoritatem, & humilitatem commendat*: Aut equidem eò quòd inornata essent, quæ prisci tradiderint, stylo nempe, atque methodo incompta; res autem ipsæ pretiosæ essent, & iudicauerint in bonum commune plùs cedere, si ingenium exercent in iis excolendis, & splendori restituendis; quàm si ex propriæ inuentionis quidpiam viscеribus in lucem darent: atque de hoc amplissimo Senatu omnes illi quorum in antecedentibus syllabum texuimus: sin verò vbi suis volitare pennis Scriptores cœperint, monstra pariant, humi repant, nihil scintillans & viuidum, nihil animatum proferant; suspicio incidit vehemens continuò gloriæ popularis aura captos voluisse cornicularum more in lucem Academiarum alienis coloribus vestitos prodire: Sed luunt meritas pœnas: nam, vt paululùm ex rudibus aliquos decipiant: & per ora currant ineptorum, vt in eruditorum se conspectum dedêre sibilis & cachinnis explodũtur cœtu Doctorum; mox & ad horum exempla ipsi semiscientes despiciunt, & vt cum blattis & tineis longùm contendant, amandant.

16. *Patrum verba detruncata vt sustineri debeant.*

Regula: Apostoli, in citãdo veteri in-

Illud nonnullos vexat, quòd videant à dicentibus è suggesto, Patrum aliquando verba detruncari, omitti medium sermonem, & colligi orationis extrema solùm: Verùm hæc adhibito antidoto sufferri possunt: duæ autem cautelæ obseruandæ: Prima, vt integer maneat sensus, & ne ex verborum transpositione, noua oriatur rerum figura: aliter si contingat, cogitur Au-

Sherlogi Anteloq. in Cant.

ctor pro iis testimonium ferre, quæ nunquam fortasse in mentem venerunt: Secunda, vt fiat cum moderatione, & in Auditorum gratiam tarò, ne longa non intellecti idiomatis periodo grauentur: nam sanè & Apostoli in citando veteri Instrumento aliquando media intersecant; & quod amplius est, ex duobus, pluribúsve diuersis locis, vnum conflant: pro quibus videri poterunt Leo Castrensis in illud cap. 8. Isaïæ: *Et erit vobis in satisfactionem*, &c. & ad illa c. 9. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon*, &c. Ribera in cap. 13. Oseæ, num. 33. Aliqui verò audaci allegatione citant ex Patribus multos versus, quos nullo pacto diuidunt, & intersecant; sed examinati nihil eorum claudunt, pro quibus adhibentur: scilicet, vt tempori magis deseruiant, quàm quòd priscos Doctores honoratos cupiant, nihil absque Patrum fulcimento ore cadere gloriantur; & cùm non semper in promptu habeantur genina loca, adulterant & distorquent: Saniſſimum profectò consilium est, & Christiano Ecclesiaste dignissimum, vt quoad eius fieri valeat, nihil de Scripturis proferat, quod non Patres corroborent: sonat enim dulcissimè piis in auribus Maiorum, in quibus præter doctrinam sanctitudo effulsit, auctoritas: sed non vniuersa Patres dixêre, vt nos latè monstrauimus Anteloquio 4. Sect. 13. Quapropter cura debeat esse perito Oratori, vt Ethologiæ graues sint historico fundatæ sensu, vtilitati animarum accommodæ: hæ vbi reluxerint conditiones, quamuis de Patribus nemo sit qui suffragetur, satis erit, vt contrarios eos non habeat proferendus sensus, & excipietur cum plausu à docto & maturo Auditore: quem certè morem in concionibus Patres ipsi obseruarunt, & optimi derecentiorum numero Interpretes.

strumento, media intersecant, & ex locis diuersis vnum faciunt.

Leo Castr.

Ribera.

An semper loca Scripturæ Patrũ dicta fulciẽda inconcione?

SECTIO III.

Explanatio Bibliorum mixta ex historica & ethologica, omnium & præstantissima, & vtilissima; Historicus Scripturarum sensus quanti faciendus? mystici sensus quam magna Ecclesiæ Patribus æstimatio? conceptuum studium optimis ingeniis dignum: loci communes morales non spernendi.

17. *Literæ nimium incũbentes tropologices despiciunt, & è contra.*

QVi in eruendo literali Scripturarum sensu operam & oleum vniuersum consumpserunt, dum incidunt in longos morales excursus, quibus sacri idiomatis sententiæ aliquæ moribus accommodantur, homiliis repleri volumina affirmant, locis communibus resarciri in detrimentum, & temporis, & Lectoris: itaque fastidiunt multùm genus tractationis; quoniam & ingenij parum requirit, & Bibliorum intelligentiæ modicum deseruit: quippe in Psalmos congestæ Tropologiæ, & Iobo, & Prophetis, & historialibus eædem facilè adaptari valeant: Rursum, qui spreto literæ difficiliori studio per allegoriarum iucunda prata diuagantes ætatem contriuerunt, literæ enucleationem despiciunt, vt quæ sit arida, insipida, animum

nequaquam reficiens: Ego sanè arbitror vsque pari dignos esse reprehensione: cùm enim sapientes esse non desinant, vtpote in Patrum aut lectione versati, aut bonorum Interpretum; dissimulant tamen scientiam, & vituperant id sanè, quo possit esse Scripturarum integra aliqua explanatio: Quid enim tam peruagatum, frequénsque apud Doctores veteres, nouósque, quàm mysticam considerationem animam appellare, granum, ædificij tectum, & coronam: litteram vocare corpus, paleam, basim substruendorum? At quemadmodum nulla possit esse suis absoluta numeris Philosophia de anima solùm tractans, & ruituram subitò ædificationem conueniat esse fundamento carentem: ita certè manca fuerit omninò expositio, quæ ex duobus sensibus, quibus innititur Scriptura, alterum amplexatur, alterum reiectat: Verùm ita contingit; vt, cùm illi, qui literæ tantùm incubuerunt, parum fortunati sint in disponenda Tropologia, ignorantiæ suæ patrocinium à mysticorum sensuum dedecoratione petunt: itidémque rursum euenit illis, qui contempserunt Historiam Bibliorum colere: Sed qualem mereatur censuram vna, atque alia pars, volo ab aliis percipiatis.

Germana Scripturæ interpretatio, quæ mixta est.

18. Sixt. Sen.

Sixtus igitur lib. 3. Bibliothecæ sanctæ, titulo, De vsu, & vtilitate historicæ, & mysticæ expositionis: *Nam sicut minimè* (inquit) *probandi sunt quidam nostri sæculi Expositores, qui spretis mysticis sensibus tanquam fortuitis cogitationibus, & ad arbitrium excogitatis, dormitanti literæ perpetuò assident, & solum mortuis syllabis, & dictionibus iucumbunt, frigidi, sine spiritu, exangues, & exanimes: ita graviter damnandi sunt inepti quidam nostrorum temporum Expositores, qui reiecta prorsus literali expositione tanquam re leuissimi momenti, & Grammaticis, vt aiunt, potius, quàm Theologis digna, in singulis Scripturæ locis coactas quasdam, & insulsas allegorias protrahunt, vim inferentes diuinæ Scripturæ, & destructa Historiæ veritate, ridiculas cogitationes suas venditant, tanquam magna, & arcana Ecclesiæ Sacramenta: hos ego amantissimè obsecro, & obtestor, vt considerent literalem expositionem non esse rem vsque adeò vulgatam, sed esse expositionem omnium difficillimam, ac maximè operosam, propter inusitatas & abstrusas sanctæ linguæ proprietates, & propter copiam rerum difficillimarum, artium videlicet, scientiarum, & disciplinarum omnium, quæ sub historico sensu comprehenduntur:* Et Sixto vetustior ex eadem Familia Sanctes Pagninus epist. dedicatoria Isagogæ: *Alij farinæ non dissimilis Scripturarum duntaxat historiis oblectantur; mysticos verò sensus, vt arbitrarios aut flocci faciunt, aut fastidiunt; nec apostolicæ recordantur sententiæ, quæ ait: Omnia in figuris contingebant illis: Historia tanquam palea est: mysticus verò sensus triticum: illa iumenta, hoc est simplices homines; hic doctos alit, historia est tanquam folium; mysticus verò sensus tanquam fructus:* Inuehitur & Cantapretensis acriter lib. 7. hypotyposeon primùm quidem in illos, qui præter sensus mysticos, cætera spernunt, ac Iudaïsmum sapere vociferantur: deinde & in eos, qui literæ solùm addicti sunt, & excepta huius inuestigatione, reliquum omnem laboreminutilem esse deprædicant: *Atque hi* (suggerit) *stupidius errarunt, vt sunt ferè omnes ætatis nostræ Scriptores, præcipuè Caietanus, qui cùm post Euangelij prædicationem, & ablationem velaminis, quod tegebat faciem Moysis, cœperunt Deo per Spiritum adhærere, nunc demum carne consummantur; & cùm liceat illis, postquàm fruges repertæ sunt, panem illum de cœlo venientem comedere; malint cùm grillo illo Homerico, glande vesci:* Sed de his initio huius voluminis sermonem instituimus, & Anteloquio 1. Sect. 9. à num. 73. non pauca attulimus ex Patribus, & optimis Scriptoribus, quæ hîc repetere minimè necessarium sit.

Pagnin.

Cantep.

19. *Historicus Scripturæ sēsus magnorum ingeniorum dignus laboribus.* Augusti.

Asserо primùm: historicam Bibliorum considerationem dignissimam esse materiam, quam viri consummatissimi, & præstantissima excolant ingenia: Nam certè, quid post Apostolos, & Euangelistas sublimius vidit Ecclesia Catholica Augustino, & Hieronymo, quorum alter Phœnix scholasticæ palæstræ, alter positiuæ? at Hipponensis retractationum primo lib. c. 18. *Cùm de Genesi* (ait) *duos libros contra Manichæos condidissem, quoniam secundùm allegoricam significationem Scripturæ verba tractaueram, non ausus naturalium rerum tanta secreta ad litteram exponere, hoc est, quemadmodum possent secundùm historicam proprietatem quæ ibi dicta sunt, accipi; volui experiri in hoc quoque negotiosissimo, ac difficillimo opere, quid valerem; sed in Scripturis exponendis tyrocinium meum sub tantæ sarcinæ mole succubuit: & nondum perfecto vno libro, ab eo, quem sustinere non poteram, labore conquieui:* Vides vt Atlas Augustinus sub tam graui pondere gemat, quin & cedat labori: vno absoluto Commentario præ lassitudine quiescendo spatia optet: Verùm Hieronymus, etsi non fatigatus quidem, sed quam adolescens explanationem formauit allegoricam super vaticinio Abdiæ, senectutis historico partui comparatam, leuidense opus vocat, & de paruulorum rudi scrinio: *Infans erā,* (inquit proœmio in Abdiam ad Pammachium,) *nec dum scribere noueram: titubabat manus, tremebant articuli: nunc vt nihil aliud profecerim, saltem Socraticū illud habeo: Scio quod nescio: Dicit & Tullius tuus, adolescentulo sibi inchoata quædam, & rudia excidisse: si hoc ille tam de libris ad Herennium, quàm de Rhetoricis, quos ego vel perfectissimos puto ad comparationem senilis pueritiæ dicere potuit; quantò magis ego liberè profitebor, & illud fuisse puerilis ingenij, & hoc maturæ senectutis:* Et Hieronymi in exponendis Bibliis spiritum egregiè consequutus Alphonsus Tostatus cùm plùs quàm vnquam aliquis se distenderet in veteri enucleando Instrumento, tamen vix vnquam ad tropologiā digreditur: *Quoniam* (ait quæst. 1. in cap. Exodi 28.) *moraliter exponere cuilibet literæ veritatem cognoscenti facile est:* Quòd si quidem & Historiæ interpretationem planam ille, atque apertam diiudicaret, aut certè non multùm necessariam; nequaquam sanè nè vir insigniter prudens inter negotiorum plurimos tumultus in non longa ætate, tantùm sibi oneris imposuisset; cùm vix non succo legendis eius voluminibus vita nihil breuis sufficere videatur.

Hieronymus quanti faceret historicū sensum.

Abul.

20. *Historia fundamenta eget omnis bona allegoriæ.*

Sed quid moramur historici sensus commendare emolumenta, cùm qui eius subsidijs indigeat, maximè vna sit allegoria? quid enim firmum in ea valeat esse, nisi literæ præiactis robustis fundamentis? Nonne hoc commune documentum, & quod omnes deosculantur? Opúsne & stabilire? Augustinus tom. 3. lib. 8. de Genesi ad literam, c. 7. *At nunc cùm primitùs propriè res ipsas intelligere ratio nulla prohibeat, cur non potiùs auctoritatem Scripturæ simpliciter sequimur in narratione rerum gestarum, res verè gestas priùs intelligentes,*

Augustin.

Hieron. *gentes, tum demum quicquid aliud significant, perscrutantes?* Hieronymus, è quo Scripturarum Canones haurire præstat sæpissimè, præfatione nempe ante librum 1. in Isaïam: *Vnde post Historiæ veritatem spiritaliter accipienda sunt omnia.* Et lib. 5. in Isaïam ad illud cap. 13. *Sed sagittis paruulos,* &c. *Hæc dicimus, non quòd tropologicam intelligentiam condemnemus: sed quòd spiritualis interpretatio sequi debeat ordinem Historiæ, quod plerique ignorantes lymphatico in Scripturis vagantur errore:* Similiáque lib. 13. in Ezechielem ad illud cap. 42. *Et dixit ad me: Gazophylacia,* &c. Atque in Abdiam ad illud: *Ecce paruulum dedi te,* &c. *Interpretatione prophetica debemus morem nostrum sequi; vt primùm Historia fundamenta iaciamus: deinde, si possimus, excelsas turres,* Greg. Pap. *& tectorum culmina suberigamus:* S. Gregorius prologo 1. in Iobum, cap. 3. *Nam primum quidem fundamenta Historiæ ponimus: deinde per significationem typicam, in arcem fidei fabricam mentis erigimus:* Anastasius Sinaïta lib. 7. Hexameron: *Quamobrem iure quoque Origenem synodica deponens sententia reiecit: oportebat enim primùm admittere Historiam, quæ conuenit literæ; deinde procedere ad anagogias:* Moyses Barcepha parte 1. Commentariorum de Paradiso, c. 4. comparat historicum sensum ædium fundamentis; mysticum parietibus, & tecto domus, cæteróque ornatui: Paulus Burgensis additionibus ad prologum 1. Lyræ in sacrum Instrumentum: *Nam spiritualis expositio semper debet habere fulcimentum ab aliqua literali expositione:* Abulensis tomo 4. in Mattth. quæst. 29. in cap. 16. *Ratio differentiæ est: quia sensus mysticus semper supponit sensum literalem: necesse est enim, quòd quælibet Scriptura habeat vnum sensum literalem, qui est verus sensus illius, & super illum possunt fundari mystici:* Sequuti hos Sixtus Senensis lib. 3. Bibliothecæ, titulo, *De vtilitate mysticæ, & historicæ expositionis:* Iansenius præfatione in Psalmos: Hieronymus Lauretus Proœmio in Syluam allegoriarum: Martinez lib. 1. hypotyposeon: Ribera præludio 1. in omnes Prophetas minores, & speciali prologo in Zachariam; & ex Scholasticis quosdam allegans Christophorus Gillius tom. 1. in 1. p. lib. 1. tract. 7. cap. 3. n. 2.

Anast. Sin. Moyses Barcepha. Burgens. Tostat. Sixt. Senens. Iansenius. Lauret. Ribera. Gill.

21. *Historicus sensus deseruiens singulariter ad argumentandum.*

Insuper & historicæ significationis non leue encomium est, quòd ipsa suppeditet robur ad probandas theologicas conclusiones, & fidei articulos stabiliendos aduersùs Paganos quosque, & Hæreticos: vnde S. Aquinas 1. partis, quæst. 1. art. 10. ad 1. *Et ita etiam* (inquit) *nulla confusio sequitur in sacra Scriptura, cùm omnes sensus fundentur supra vnum literalem, ex quo solo potest trahi argumentum: non autem ex iis, quæ secundùm allegoriam dicuntur, vt dicit Augustinus in epistola contra Vicentium Donatistam:* Ac quanquam hoc Angelici Præceptoris effatum non ita intelligendum sit, vt significet nullum prorsus ex mysticis sensibus suppeditare disputaturis efficax argumentum; (nam, cùm à Spiritu sancto & ipse sit, commodus quoque est ad arguendum, cùm de eo, qui legitimus sit, constat) attamen id verum est, plùs multò vtilem esse literalem sensum ad contumaces debellandos: imò & de mysticis ille maximè potens est, qui Historiæ coniungitur, ab eiúsque visceribus manat, de quibus peritè noster Gillius loco paulò anteà præmonstrato: quamobrem à viro erudito longissimè abesse debeat, vt historicum Bibliorum sensum quoquo modo despiciat, vt qui vel intellectu facilis sit, vel parum afferat emolumenti.

22. *Mysticorum sensuum inuestigatio summis Interpretibus digna.*

Assero deinceps; mysticorum sensuum disquisitionem opus esse grauissimum, & summo Scripturarum Interprete dignum: nam certè eiusmodi in arcano esse sermone, qui per se, & propriè ad eum spectet, certissimum est, & sanè fide sanctum, vt docet Molina in 1. p. quæst. 1. art. 10. disp. 4. Valentia tom. 1. disp. 1. quæst. 1. punct. 5. §. 3. & reliqui vulgariter: quòd si equidem is *per se* Scripturæ sensus sit; & eundem à Spiritu sancto intentum fuisse operæpretium est, asseramus: nam sicut ille Bibliorum, & diuinæ sermocinationis Auctor est: ita eius sensus principium, qui Scripturam perficit, in ipsáque includitur ex vi institutionis eius; à Spiritu sancto autem originem cùm ducat, vbi de eo constiterit, aut ex Apostolorum reuelatione, aut ex Conciliorum definitionibus, aut ex Patrum & Theologorum consensu; non erit minùs efficax ad argumentandum, quàm sit historicus sensus: si quidem & inde illi robur vniuersum, quòd à Spiritu sancto intentus; Atque sanè in hoc dogma conspirant florentissimi Theologi, arrisítque plurimùm iuniori in primis Scholæ: eius tutelares modò nominati duo, & cum eis P. Vasquez tomo 1. in 1. p. disput. 16. cap. 4 num. 13. & cap. 5. P. Gillius in eadem 1. p. tomo 1. lib. 1. tract. 7. cap. 5. num. 4. P. Fassolus tom. item 1. in 1. part. dubitat. 6. ad artic. 10. quæst. 1. Ribera in Epistolam ad Hebræos in illud cap. 1. *Et ego ero illi in Patrem,* &c. &. præludio 1. in omnes Prophetas minores, à n. 18. Pereira tomo 4. in Genesim, disput. 7. P. Augustinus Quiros Commentariis exegeticis disput. de sensibus sacræ Scripturæ, sect. 5. & extra nostram Familiam Alphonsus de Castro aduersùs hæreses, lib. 1. cap. 3. Ludouicus de Tena præludio 4. in Epist. ad Hebræos: Antonius Perez in Pentateucho fidei, volum. 3. dub. 12. cap. 5. num. 56. Cùm igitur ex duobus sensibus, ex quibus omnis consurgit Scriptura, & quos Spiritus sanctus sibi præfixit, alter sit, qui spiritalis, & mysticus nominatur; atque hic non solùm conducat ad morum institutionem, ad animam componendam; sed etiam vtilis, qui in aciem proferatur ad debellandas hæreses, ad confundendos paganos: quomodo non mancus censendus sit Bibliorum Explanator, qui in vno tantùm enucleando sensu vires omnes, & ingenium consumit; alio vel derelicto penitùs, vel leuiter examinato?

Mysticus sensus à Spiritu sancto intentus, & efficax ad argumẽtandum. Vasquez. Gill. Fassolus. Ribera. Pereira. Quiros. Castro. Tena. Perez.

23. *Mysticus sensus præstantior sæpissimè historico.*

Accedit his, quòd vbi Christus, & cœlestia Ecclesiæ Catholicæ decora, sensu historico non exprimuntur; sed Iudæorum aut bella, aut captiuitates, aut regna & nuptiæ, quibus refertum est vetus Instrumentum; tum mysticus sensus cui hæc obiiciuntur, ad quæ ille perpetuò fertur, (nam legis finis Christus est, & quæ ad eum spectant,) nobilior longè est, atque præstantior: itaque excellit è duobus: propterea & animæ comparatur à priscis Magistris, Historia corpori, vt quantùm materiam forma dignitate vincat, tantùm excedat mystica intelligentia literali: quo exemplo vsos primos Christianorum Monachos narrator est Philo Hebræus de vita contemplatiua: Eusebius Cæsarienſis lib. 2. Historiæ ecclesiasticæ, cap. 16. Andreas, Archiepiscopus Cæsareæ in Cappadocia initio Commentarij in Apocalypsim: Prologus sancti Gregorij, & Richardi Victorini in Cantica, gra-

Philo. Euseb. Cæs. Andr. Cæs. Gregor.

num, atque frumentum vocat myſterium, Hiſtoriam paleas, illud rationalium eſcam eſſe, hanc iumentorum: alios non paucos ſuperiùs audiuimus comparantes ſpiritalem ſenſum pulchriori domus parti, litteram deformiori: Porrò digniorem eſſe myſticam explanationem Hiſtoria ij omnes ſentiunt, quos allegauimus numero antecedenti: quibus iungendus Gueuara. Gueuara. Pined. præfatione in Habacuc; Pineda ad verſum 6. cap. 12. Eccleſiaſtæ, numero trigeſimo: Non celabo Pererij verba tom. 4. in Geneſim, diſp. 7. num. 52. *Sed enim* (inquit) *nobilitate, atque vtilitate ſenſus myſticus vſque eò præſtat Hiſtoriæ, vt præ huius dignitate perexiguum ille momentum habeat: quin etiam quaſi pro nihilo æſtimari videatur: equidem cunctanter hoc, & timidè dicerem, niſi haberem Auctorem huius ſententiæ, Doctorémque Paulum capite 9. Epiſtolæ prioris ad Corinthios.* Atque poſt diſcuſſam Apoſtoli ſententiam ſubiungit: *Non igitur abs re ſancti Patres in exponendo ſacras Scripturas, atque in erudiendis fidelibus, tam diligentes, tam aeurati, quàm copioſi in peruerſtigandis, eruendis, explicandiſque ſenſibus myſticis fuêre, vt quos ſcirent à Spiritu ſancto principaliter intentos, & ad illuſtrandam noui Teſtamenti doctrinam, ſpiritualiſque fidelium vtilitates promouendas maximè accommodatos:* Si igitur myſtica ſignificatio illa eſt, quæ principatum, & imperium vendicat, apparet, quàm egregiè muneri Scripturarum Interpretis is ſatisfacturus ſit, qui digniſſimum inter Bibliorum ſenſus omittit. Pereira. Pereira. *Sancti Patres diligentes in tractando myſtico ſenſu.*

24. Sed parum eſt, vt tantis euehant encomiis arcana, atque myſtica: ſtupendum magis, quod literam ſpiritu vacuam deſpiciant, neque leuibus quidem onerent conuitiis: Auguſtinus tomo 10. ſerm. 65. de tempore: *Denique infelices Iudæi, & plùs infelices Hæretici, dum ſolum literæ reſpiciunt ſonum, quaſi corpus ſine anima, ita ſine viuificante ſpiritu remanſerunt: nos audiamus Apoſtolum dicentem: Quia hæc omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem propter nos*: Hieronymus lib. 7. in Iſaïam, ad illud cap. 22. *Hæc dicit Dominus*, &c. indignam aſſerit, quæ domus, aut tabernaculi vocetur nomine, ſepulchrum potiùs eſſe appellandam. Et libro 1. in Oſeam, ad illud cap. 3. *Dies multos expectabitis me*, &c. *Et quia virum non habet, non veſcitur cibo hominum, frumento, & legumine; ſed hordeo irrationabilium iumentorum, ruminans vilitatem literæ, quæ interficit, & non habet ſpiritum viuificantem:* Atque epiſtola ad Nepotianum, poſt relatam Hiſtoriam de Abiſac Sunamite, quæ Dauidem calefaciebat: *Nónne tibi videtur* (ait) *ſi occidentem ſequaris literam, vel figmentum eſſe de Mimo, vel Attellanarum ludicro?* Beda prologo in librum 1. Samuëlis: *Nam, ſi vetera tantummodo de theſauro Scripturarum proferre, hoc eſt, ſolas literæ figuras ſequi Iudaïco more curamus: quid inter quotidiana peccata correptionis, inter crebreſcentes ærumnas ſæculi conſolationis, inter innumeros vitæ huius errores ſpiritalis doctrinæ legentes, vel audientes requirimus: dum aperto libro, verbi gratia beati Samuëlis, Elcanam virum vnum, duas vxores habere reperimus? nos maximè, quibus eccleſiaſticæ vitæ conſuetudine longè fieri ab vxoris complexu, & calibes manere propoſitum eſt: ſi non etiam de his, & huiuſmodi dictis allegoricum nonerimus exculpere ſenſum, qui viuaciter interius caſtigando, erudiendo, conſolando reficit?* Ioachimus Abbas lib. 1. concordiæ noui, ac veteris Teſtamenti, c. 1. *Quatenus primò ſecundùm literam pia inſtruatur infantia: ac deinde, quod ſenum eſt, ſequatur myſticus intellectus:* Caſſianus collat. 3. cap. 3. *Quædam autem ſi allegorica explanatione extenuata non fuerint, & ſpiritalis ignis examinatione mollita, nullo modo ad ſalutarem hominis cibum ſine corruptionis labe peruenient:* Sanctus Damianus lib. 2. epiſt. 12. ad Deſiderium Cardinalem: *Hinc eſt, quòd in Geneſi legitur: Ille eſt, inquit, Ona, qui inuenit aquas calidas, dum paſceret aſinas patris ſui Sebeon; Hoc planè, quantùm ad literam, vanum videtur, ac friuolum: quid enim ad ſacram Scripturam pertinet, vt referat quia cuſtos aſinarum aquas reperit in deſerto?* Ioach. Abb. Damian.

Atque mehercle, ſi corticem non tranſcendamus, nihil aut bellorum, aut aliorum ciuilium euentuum elucidatio diſtare iudicetur à Liuij, aut Saluſtij, aut aliorum de profanis, vel Scholiis, vel Annotationibus: Sed producamus iterum præcedentibus vehementiores teſtes. Nyſſenus homil. 1. in Eccleſiaſten: *Quid enim curæ eſt Eccleſiæ exactè, & accuratè diſcere bellorum calamitates, aut quinam fuerunt gentium Principes, & vrbium conditores, & quinam à quibuſdam deducti ſunt in colonias, & quænam regna deinceps ſunt exoritura, & quæcunque matrimonia, liberorúmque procreationes ſunt literarum monumentis diligenter mandata: & quæcunque doceri poſſunt in qualibet Scripturæ, quid ad ſcopum pietatis Eccleſiæ magnoperè contulerint?* Et idem procœmio in Cantica: *Quid enim ad virtutem audituro profuerit, quòd Propheta ſit procreatus ex fornicatione? & Iſaïas ingrediatur ad Prophetiſſam, ſi non vltra literæ dictionem procedat id, quod dicitur? Aut quid ad vitam ex virtute degendam conferunt, quæ de Dauide fiunt narrationes, cùm adulterium, & cædes in vnum concurrerint nefarium facinus?* Anaſtaſius Sinaïta libro 4. Hexameron, loquens de luminaribus diei, ac noctis, de quibus Geneſis cap. 1. verſicul. 14. *Quid autem etiam inuatur creatura, quod attinet ad literam, ex inſtauratione, & defectu Lunæ? Quid autem lucrifaciat Eccleſia videns eam, quæ dicitur vrſa? Quid etiam Pleïadem vnanimiter ducentem chorum ſex ſtellarum? Aliæ quoque ſunt innumerabiles figuræ, & nomina in aſtris Firmamenti, ex quibus Eccleſia nihil docetur ſpirituale ex corporali eorum poſitura, & motu: ſi quis autem vim rectè cognoſcendi, ac diiudicandi habeat*, &c. Annectamus tantæ vetuſtatis Patribus vnum de nuperis Sixtum Senenſem memorato aliàs libro 3. Bibliothecæ ſanctæ, titulo, De myſtica, & hiſtorica expoſitione: *Paucula quoque inueniemus* (ait) *in veteribus Hiſtoriis, quæ animum oblectent ſpiritualiter, & mentem paſcant, ſi myſticas expoſitiones negligimus: ſed videbuntur nobis omnia inſipida, agreſtia, inſana, & prorſus diuina maieſtate indigna eſſe, quæ Deus præcipit de agno, de ariete, boue, de vacca rufa, de hirco, adipe, armo dextro, iecore, pectore, ventre, cæteríſque brutorum inteſtinis: nihilque grande, nihil ſublime, nihil dignum Deo Deus ipſe iubere videbitur, niſi huiuſmodi ſacrificia, quæ vilia, humilia, & à ſapientibus huius mundi contemnenda videntur, ad ſacrificium Chriſti retuleris: in carnalibus ergo huiuſmodi ſacrificiis, niſi myſticum ſenſum, &* Anaſt. Sin. Sixt. Senenſ.

25. *Commentationes in Hiſtoriâ veteris Inſtrumenti, quæ myſtica deſerunt, quales eenſenda?* Nyſſen.

explana

explanationem recipiamus, videbuntur magis rationabiles Gentilium leges, vel Athenienſium, vel Lacedæmoniorum: ſed neque ad mores formandos in vniuerſum prodeſſe poterunt veteres Hiſtoriæ, ſi eas iuxta nudam literam conſideremus; quid enim ad ſalutem iuuat ſcire antiquorum Iudæorum bella, & ſeditiones, ſi in eis nihil aliud, quàm ſtrages, & effuſiones ſanguinis intelligamus? Quid refert ad pietatem conſequendam noſſe iuxta literam, quòd Abraham duas vxores, & filios habuit, Iſmaël, & Iſaac? quòd à lacte depulſus ſit puer Iſaac, quòd luſerit cum Iſmaële? Conſiderent ergo, qui vetus præſertim Inſtrumentum exponendum ſumpsêre, quàm inſigniter de re Chriſtiana promereantur, eò quòd ſe ab omni allegoriarum genere ſubtrahant, & in ſolius Hiſtoriæ enodationem incumbant.

26. *Chriſtus, Apoſtoli, eorúmque diſcipuli myſtico vſi ſenſu.* Sixt. Sen. Ribera.

Verùm fortaſſe hoc genus exponendi ſacroſanctam Paginam ex ſummis ducibus paucos, vel nullos habuit fautores? Imò certè & ipſum ſæculorum Redemptorem, & Eccleſiæ fundamenta Apoſtolos, qui eo frequenter vſi ſunt, vti monſtrant Sixtus ad initium lib. 3. Bibliothecæ ſanctæ, Ribera præludio 1. ex communibus in Prophetas, num. 18. & 22. Sanè illi, qui primitias ſpiritus ebiberunt, quos Marcus Euangeliſta Monaſticen docuit, qui à diſcipulis Chriſti hauferant, quod optimum eſſet, quos denique Philo de vita contemplatiua ſub Eſſenorum vocabulo depingit, hi equidem allegoriis inueniendis omninò vacarunt; nempe, quas & animam legis, & medullam appellarent; *Apud illos* (inquit Euſebius lib. 2. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. 16.) *ſacrarum literarum interpretationes ſublimi quodam, & allegorico ſenſu fiunt; nam vniuerſam legis Moſaicæ deſcriptionem viri illi ſimilem arbitrantur animali, cuius corpus verba nuda, & elata extrinſecùs continere; animam verò diuinum quendam ſenſum ipſis verbis incluſum (qui ſub oculorum aſpectum minimè cadit) in ſe complecti dicunt;* Quantùm autem Doctores Eccleſiæ allegoricos adamauerint ſenſus, facilè perſpiciet qui vel primis labris de eorum fontibus hauſerit, & proſequuntur fusè Godefridus Tilmannus Carthuſienſis præfatione ad collectas ab eo ex triginta Patribus allegorias; Leo Caſtrenſis diſputatione de tranſlationibus ſacræ Scripturæ, à cap. 46. in tantúmque ab aliquibus proceſſum ex Catholicorum numero Auctoribus, vt non dubitarent affirmare, omiſſam ferè à veteribus hiſtorici ſenſus enodationem, eò quòd ſe penitùs ſpiritali, & myſtico ſenſui addicerent, vt qui animum ſuauiter recrearet. Sed eo de pronunciato quidnam ſentiremus, aperuimus Anteloquio 1. Sectione 6. num. 34.

Philo. Euſeb. Tilman. Leo Caſtr.

27. *An cœceptus, & locos cõmunes formare liceat Scripturariũ Interpreti?* Ribera.

Noſter Ribera his quidem non aduerſabitur, quæ magis ab eo probari neque vno loco demonſtrauimus; ſuggerit tamen aliquid proœmio in Ioëlem, cui reſpondere neceſſarium ſit; *Ne ergo quærant in hoc libro* (inquit) *quos iam vulgato nomine conceptus vocant, ex verbis ſingulis ſparſim extractos, & ſecum mutuò non cohærentes, nec vllam verborum propheticorum connexionem, conſequentiámque ſeruantes, prout ſe ſe ſcribentibus offerunt, & populi auribus plauſibiles fore exiſtimantur; etenim hoc ſcribendi genus nouum planè, & Patribus noſtris inuſitatum fuiſſe arbitror, qui vel hiſtoricum ſenſum perſequuntur: vel ſi ille apertior ſit, modò ad allegoricum, modò ad moralem excurrunt; ſed ita vt locos communes conficere negligant: ea dicant, quæ illo Hiſtoriæ velo contecta, ſiue de Chriſti myſterijs, ſiue de morum confirmatione Spiritum ſanctum reliquiſſe iudicant: ſeruata tamen rerum omnium inter ſe, & ſimilitudine, & connexione: Hoc Origenem in homilijs in vetus Teſtamentum, Hieronymum in Commentarijs Prophetarum, Ambroſium in omnibus quæ ſcripſit, Gregorium in pulcherrimis illis libris moralis expoſitionis: hoc cæteros Patres, Scripturæque tractatores feciſſe planè animaduertimus:* Præfatione autem in Habacuc; *Nemo itaque populares conciones à me requirat in Prophetarum enarratione, nemo locos communes:* Prologo demum in Zachariam, can. 7. *Multi librum aliquem Scripturæ exponendum aſſumunt, non tam vt exponant, nihil enim ferè dicunt, niſi quod vbique inuenias: quàm vt Conciones ſine nomine Concionum venditent:* Hæc optimus Pater, in cuius animaduerſionibus duo arridenti; Primum, quòd illos vexent, qui quas per multa tempora ad plebem Chriſtianam habuerunt Conciones, cùm ſeorſim multa & cum laude, & cum adeuntium fructu edere poſſint, malunt aſſuere alicui ex ſacris voluminibus, vbi, cùm nihil afferant, quod ad hiſtoricum aperiendum ſenſum conducat, poſt breuiſſimum literæ examen, illúdque ipſum mutuatum ab aliis, & in compendia indiligenti cura redactum, euomunt longiſſimas exhortationes; vt quid enim Bibliorum ſe declarationi ingerunt, ſi laborare non eſt animus, & parem in literæ eruendis arcanis induſtriam ponere cum myſticorum ſenſuum ſtudio? Operæpretium eſt, aſſimiletur vtraque expoſitio, & ſibi mutuò reſpondeat, quò Lector intelligat, ſcribentem vtranque ſuggerere explanationem, non vt apud populares laudem captet; ſed vt placeat eruditis, qui mancum norunt interpretationis genus, quòd non vtrunque ſenſum æquali cum honore, certè adhibita ab Auctore omni diligentia, tractet: Secundò, quòd taxet eos, qui & ordinem rerum, & cohærentiam negligunt, & œſtro quodam impatienti paginas adimplendi coaceruant vulgaria quæque abſque delectu, & methodo; Cæterùm his amputatis vitiis, aut Conciones, aut locos communes (quando ita placeat nominare) diſponere; neque conſuetudini, quam Patres Eccleſiæ obſeruarunt repugnat; neque labor eſt aliquo modo triuialis, ſed qui egregiam ſupellectilem omnifariæ doctrinæ poſtulet, inſuper & acumen ingenij plurimum.

Hiſtorica & myſtica expoſitio debet eſſe pari conatu elaborata.

Ordinis, & methodi cura habenda multa.

28. *Conceptuum ſtudium decet eruditiſſimos quoſque.*

Nam certè nos locos communes, aut homilias vocamus, iuxta quod proſequimur inſtitutum, cùm poſt impigrè diſcuſſum Hiſtoriæ ſenſum, ex myſticis ſenſibus iis, qui de literæ aruo pullulant, aſſumitur theſis aliqua, atque hæc multo cum vinculo, atque ordine, probatur aliis conſimilibus Scripturarum locis aggregatis, vocatis & in teſtimonium Patribus, ſumpto argumento à verſionum diuerſitate, allatis nonnunquam, quæ apud Ethnicos grauiora ſunt: denique producta expoſitione viuida, ſpiranti, à vulgi conceptibus remotiſſima: quem non eruditorum hæc deceant? Sanè hominem eſſe plurimæ, atque exquiſitæ lectionis oporteat, in omni Scriptorum genere non mediocriter verſatum, qui hæc pro ſufficientia præſtat; atque tantas poſt comparatas diuitias, & memoria polleat valenti neceſſe eſt, & diſcurſu acri: Quare opus eſſe infinitæ penè moleſtiæ, & quòd otium, virésque deſideret, ingenuè idem admiſit Ribera præfatione in Haba- Ribera.

cuc, & experientia satis quotidiana edocet; nam & præclarissima torquentur ingenia, si modò ad eas, quas significauimus, attendant conditiones; Sed, quæ hæc est nostra amentia despicientium Christianas disciplinas? Nam, vt taceam incredibilem vtilitatem, quam huiusmodi lucubrationes Ecclesiæ afferunt (suppeditant enim Oratoribus catholicis materiam, vt è loco publico, de vitiis, & virtutibus, de æternaturis suppliciis, de gaudio perenni, de Christi maiestate, de Sanctorum triumphis differant) quamobrem tanti facimus, si Criticorum aliquis notas ad Liuium, Salustium, Tacitum, edat? vel Maronem, Senecam Tragœdum, Statium, Martialem animaduersionibus locupletet? & aliquando fusiùs excurrat in veterum ritus, siue de ludis agat, aut Græcorum, vel Romanorum, aut de militia, vel Reipublicæ forma? & non tantis saltem encomiis afficimus, qui varia themata ex Bibliorum visceribus deprompta omni etiam eruditione illustrant? Nam, quid aliud priores illi faciunt, quàm si de victoria exempli causa agant, hinc inde conglomerare ex veteri historia, quibus id, quod confirmandum assumpserunt, stabiliant? Et quoniam apud Polybium, Xenophontem, Thucydidem dispersa in vnum collegerunt, laudibus vsque in cœlum euehuntur; At paria, & in suo genere ecclesiastici, siue Oratores, seu Interpretes præstant quoque; nam & deuotio toto Bibliorum corpore, exhaustis summo cum labore Patribus, euolutis ipsis illis Gentium, & Philosophis, & Historiæ conditoribus, & Poëtis, ex vniuersis demum probationem conflant, qua nihil iucundius, si rerum varietas consideretur; nihil difficilius, si multitudo lectionis perpendatur; nihil sublimius, si quorum gesta celebrentur, examinemus; nihil denique vtilius, aut homine dignius, si quem in finem suscepta diligentia tendat, auscultemus.

Conceptuum vtilitas magna.

29. *Loci communes morales, an à Patribus vsitati?*

Tantùm illud supereſt de scrupulis; Ecclesiæ priscos Doctores, à quibus æquum est haurire, qualis esse debeat germana Scripturarum explanatio, huiusmodi locis communibus non fuisse vsos; Concedo quidem istud; nihil tamen feciſſe primos eorum locorum Auctores affirmo, quod vel Patribus aduersaretur aliquo modo, vel displicere eorum amantibus vsquequaquam possit: Nam certè, vt dicebamus Sectione 1. Theologicas difficultates non seorsim discusserunt Patres, sed oblata occasione interserebant, aut de incarnatione, aut de Trinitate, aut de gratia, vel Angelis sermones, & multoties breuiter solùm; Verùm hæc apud illos dissita, & incompaginata subsequentes Doctores Petrus Lombardus, Alensis, Bonauentura, Scotus, Aquinas in locos communes redegerunt, in ordinem, formámque stabilem, vt cuique deinceps expeditum fuerit, quæ ad vnam materiam spectabant, ea collecta reperire; At num ista agendo à Patribus recesserunt? Imò verò pergratum aliquid ipsis Ecclesiæ luminaribus feciſſe, nepotibus perutile cuncti iudicarunt; In similem igitur modum quamuis Patres, aut Alphabetis non vterentur, aut non vnum aliquod Theorema sibi proponerent, quod vndique accersitis variis probationibus locupletarent; iuniores, si quod ab eis omissum fuerat peragant, haudquaquam existimandi sint Doctoribus antiquis contradicere, quin potiùs id præstare, quod ex mente Doctorum esse facilè præsumatur; Quamobrem encomio digni sunt, eam qui prouinciam susceperunt, ex quibus plerique de nostris; Viegas, Barradas, Magallanius, Salazarius, Mendoça, Ioannes Antonius Velasquez, Benedictus Fernandez; nam hi post absolutam affabrè historicam explanationem, diffundunt se non minori cum eruditione ad tropologicas considerationes.

30. *Conceptuum qualis debet esse vsus Oratori Christiano?*

At eiusmodi subtiles discursus animas non mouent; gloriam scopum habent, non lacrymas deflentium peccata; Et quî possit vulgus percipere, quæ non rarò bona quoque ingenia fugêre? Respôdeo, periti Ecclesiastę munus esse, ex duris, solidisque cibis mollem escam facere; certè arduis plana intermiscere, vt omnis auditor habeat, vnde pascatur; nam, quorsum audeant asserere conceptibus non esse vtendum, nec reuelanda mystica Bibliorum arcana? Vt quid enim illa Spiritus sanctus Scripturis inclusérit, nisi in commoda fidelium? quo autem pacto fidelibus salutaria esse valeant, nisi exponantur ab Oratore Christiano? Studeat, laboret, meditetur Ecclesiastes, & inueniet ditissimam sacrarum rerum supellectilem, quæ cùm sapiant acumen; ab Auctore tamen vtpote gnauo Architecto eam receperint lucem, vt videant & qui non lyncei sunt; In primis verò curam adhibeat maximam, vti post roborata ethica documenta duobus tribúsve Scripturæ exemplis ad suadendum pergat, & exclamet validè aduersùs iniquitatem, atque malitiam; hîc totus inardescat zelans pro Domino exercituum; terreantur ad sonitum vocis eius muti quodammodo parietes, arescentibus hominibus præ timore iræ, quæ ventura est, & quam tam feruidè denunciat; Ita certè Concionatorum decus, & speculum egregium Chrysostomus; nam primùm orditur ab explanatione diuinæ paginæ; hanc postquàm iuxta historicum, & mysticum sensum, & noniter, & ingeniosè illustrauit; tum more rapidissimi fluminis cum impetu decurrit, atque æstuat in peccatores; Sic in homiliis ad populum Antiochensem, atque singulariter dum Paulum interpretatur; vt non sit operosum, credere de Apostoli spiritu epotasse; neque ab eo discrepant cæteri Patres, quorum exhortationes semper acutæ sunt.

SECTIO IV.

Exaggerationes Concionatorum; distortæ, & impropriæ expositiones; nonnihil de accommodatio sensu Scripturarum; à Spiritu sancto?

31. DIcturi sunt, qui mysticorum sensuum videntur osores, stomachari se, non contra eos, qui aut tropologiam, vel allegoriam sectantur moderatam, & grauem, & in primis Historia fulcitam; sed aduersùs temerariam quorundam licentiam, qui pro arcano, & mystico sensu venditant imposturas, & ignoranti imponunt turbæ, nescio quibusnam vanissimis exaggerationibus, aut violenta, contemptáque locorum interpretatione, planè in despectum sacræ nostræ religionis, Bibliorum ludibrium, vt cogantur viri solidè docti,

docti, iidemque zelo maiestatis diuinæ paginæ incensi, cùm audiunt, suspiria ex imo pectore ducere; Equidem hanc tam iustam querelam audiens penè moti sunt pedes mei, vt & in illorum transirem factionem, nisi perpenderem hæc vitia esse personarum, nihilque esse tam immaculatum, quod non sordibus mali adspergant; Huius labis origo, quòd illotis manibus ad Scripturas euoluendas pergunt, quoniam aut Theologiæ nihil, vel libarunt sanè, aut vt in scholastica palæstra aliquandiu, exigua tamen cum laude versati sint nullam in discutiendo Bibliorum historico sensu diligentiam posuerunt; & cùm fundamento careat allegoria, fit, vt elumbis, vana, difficilis prodeat; Vtinam non & cum hac tam enormi insciitia iactantiam incredibilem copularent! Certè illi, quoties volumen quodcumque in publicum exit, primi Aristarchi; illi, à quibus oracula expectantur; quorum iudicio aut stat, aut labitur eruditorum nomen: At cui vnquam pepercit virulenta lingua? quem omiserunt proscribere & damnare? Omnis apud eos in corruptela liber; Dicam certè ob hoc felices clatorum virorum lucubrationes, quæ si talibus non displicerent, eruditæ haud esse possint; Denique illi sunt, de quibus Hieronymus ad Paulinum scribens; *Alij adducto supercilio grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris Literis philosophantur; Alij discunt, proh pudor! à feminis, quod viros doceant, & ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, imò audacia edisserunt alijs, quod ipsi non intelligunt; Taceo, qui si fortè ad Scripturas sanctas post sæculares literas venerint, & sermone composito aures populi mulserint; quicquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec scire dignantur, quid Prophetæ, quid Apostoli senserint; sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia; quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, deprauare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem*; Sanè, quoniam & istiusmodi hominum genus, quod gloriæ, qua indignissimum est, supra modum auidum, nonnunquam scribendo memoriam sui, & ad longinquas nationes, & ad posteros transmittere audet; iuuaret multùm, vt quibus id incumbit oneris, diligentissimè examinarent publicanda; eóque magis, quòd rarò Latino charactere donant cogitationes; nam hoc velatæ saltem à vulgi absconderentur oculis, neque essent tanto offendiculo, cùm paucorum tererentur manibus.

Vnde contingat, vt nonnulli mystico sensu abutantur?

Censorum indoctum & pessimum genus.

Hieron.

32. Verùm, sicut nimia licentia iustè reprehendenda est, cùm aut exaggerationes sobrietatis, & temperantiæ prætergrediuntur limites, aut expositiones sacrorum verborum ridiculæ, impropriæ, extortæ apparent; sic non omnis libertas taxanda est in Concionatoribus; Id ægrum fuerit persuadere viris, qui omnem ætatem in Scholarum pressis disputationibus consumpserunt; vellent enim singulari rigidè, & ad vnguem discuti, & odère laxam doctrinam; Sed in hoc labuntur vitium illi tantùm, qui non satis in Patrum lectione versati sunt; nam si hos euoluerent cum delectu, animaduerterent facile alio, eóque diuerso vti stylo, quando vel cum Iudæis, vel cum Hæreticis, aut Gentium Philosophis manus conserunt, atque cùm ad plebem catholicam verba faciunt, vel in detestationem vitiorum, aut in virtutis fauorem; nam apud fidei inimicos vtuntur semper vel historico sensu, vel mystico eo, qui ad arguendum commodus est, atque literam sapit, sententiis, atque verbis cancellos adhibent seriò agunt; apud Christi autem alumnos ardore diuini honoris, amore gregis stimulati distendunt se, & amplificant, hyperbolem quandoque admiscent, neque perpetua cura, vt sit quàm maxima germanitas Tropologiæ cum Historia; verùm indulgent & sibi, & auditoribus, quos nosc unt propitios se habere; Hanc Patrum consuetudinem indicarunt Ribera proœmio in omnes Prophetas 1. num. 18. Acosta de Christo reuelato, libro 3. cap. 8. Posseuinus selectæ Bibliothecæ lib. 2. cap. 47. Gabriel Aluarez in cap. 1. Isaiæ, num. 94. Sixtus Senensis suæ Bibliothecæ lib. 6. annotat. 152. cuius non grauabor verba referre; *Aduersùs huiusmodi errores meminisse oportet, quod & alibi sæpè monuimus; non esse Concionatorum verba semper eo rigore accipienda, quo primùm ad aures auditorum perueniunt; multa enim declamatores per hyperbolem crebrò enunciant, & inculcant; vel occasione locorum, temporum, & personarum adducti, vel affectuum impetu, & orationis cursu rapti; Hoc interdum Chrysostomo contigit, & in hoc potissimùm argumento loquenti; siquidem, cùm animaduerteret,* &c. Atque eundem in morem vetustus Auctor Moyses Barcepha opinionem quandam de ligno scientiæ boni, & mali excusauit; is inter Scriptores Bibliothecæ Patrum tertiæ editionis, tom. 1. Commentariorum suorum de Paradiso, part. 1. cap. 1. *Sed obijciat fortasse aliquis, hunc ipsum Gregorium, qui in oratione de Christi Natali, eam arborem cognitionis boni, & mali mystice interpretatur, meditationémque esse dicit: atque ille duplicis conditionis Paradisum esse non ignorauit, & proinde arborem illam interdum pro re ipsa, interdum mystico sensu interpretatus est; quod præsertim in eo sermone, quo Natales Christi celebrabat, sibi putabat faciendum; nam, cùm enim sibi illic scopum proposuisset, vt populum doceret; non corporum sed animorum rationem in sacris concionibus, atque pompis habendam esse putauit.*

Exaggerationes quæ permittendæ.

Patres quàndo rhetoricè, & concionatoriè agere censentur?

Ribera. Acosta. Posseuin. Aluarez. Sixt. Sen. Moyses Barcepha.

Sed & illud animaduertere præstat summoperè, Tropologiam Historia liberiorem esse, diffluentem esse, laxísque habenis, & aperto campo gaudere; ac quanquam id communissimum est, vt vera atque legitima ea sit allegoria, quæ literæ consociatur, ad eámque approximat, vt si Historia luctuosa sit: & mysterium subtristes vultus inducat; si læta & gaudens, hæc alacris quoque appareat; sed contingere tamen aliquando, vt germana etiam Tropologia Historiæ contraria euadat; quapropter multo lumine, & accurata opus sit consideratione ad dignoscendam genuinam Tropologiam; Sed percipiamus effati vtrunque articulum ab Hieronymo, quanuis & in superioribus alterum tetigimus membrum; ille quidem ad cap. 1. Habacuc, cùm secundùm Historiæ naturam, quæ terrorem incutiebat, debuisset asperam, & formidabilem Tropologiam formare; literæ aduersantem, mitem nempe, atque benignam effinxit: *Cernitis* (inquit ad illud: *Quia ecce ego suscitabo Chaldæos*, &c.) *quàm confragosa loca sint, & aduersa Historiæ veritati! & quomodo ea, quæ secundùm literam super Chaldæis interpretati sumus, nunc iuxta Tropologiam videantur sonare clementiam, & libertatem eorum, qui de Chaldæorum manibus euaserint? Historia stricta est, & euagandi non habet libertatem; Tropologia libera est, & his tantùm legibus circunscripta, vt pietatem sequatur intelligentiæ, sermonísque* 33.

Regula: Tropologia aliquando contraria est Historiæ. Hieron.

nisque contextum; nec in rebus multùm inter se contrarijs violenta sit copulandis; Sanè & in hanc consPirare sententiam debent illi, quibus considerantia est, rem malam posse esse typum rei bonæ; & è conuerso, à re mala, quod bonum est, repræsentari nonnunquam; nam hoc quoties euenit, toties accidit Historiæ contrariam apparere Tropologiam; Porrò eius dicti & multos, & bonos Patronos allegauimus Anteloquio 1. Sectione 2. num. 14. In exaggerationibus, & modo, & prudentia opus est multa; non tamen vniuersa in hoc genere despicienda sunt, cùm & ipsa Scriptura hyperbolem nonnunquam inferat, vt docet August. lib. 16. de Ciuitate, cap. 21. Abulensis exemplis probans quæstione 44. in cap. 32 Exodi; de quo loquendi genere Seneca lib. 7. de beneficiis, cap. 23. *In hoc omnis hyperbole excedit, vt ad verum mendacio (dicerem potius ad nostrum scopum, exaggeratione) veniat; itaque ille, cùm dixit; Qui candore niues anteirent, cursibus auras; quod non potest fieri, dixit, vt crederetur, quantùm plurimùm possit.*

Regula: Scriptura hyperbole vtitur.

August. Tostat.

Senec.

34. *Accommodatitius sensus quis? atque eo quinã vsi.*

Contingat autem Ecclesiasten Scripturas non rarò ita exponere, vt neque historico, neque mystico sensui locus supersit; quoniam expositio de mente Spiritus sancti haudquaquam est; attamen eiusmodi impropriam interpretationem alius tertius sustinebit sensus, quem accommodatitium nominant, & qui in eo consistit, vt per extensionem quandam applicentur verba alicui rei; Itaque, licèt ei rei minimè quadrent strictè, quoniam illam neque literaliter, neque mysticè dicunt; si tamen & pietatem, & grauitatem spirent, tantùm non vituperio digna sunt, vt encomium mereantur; nam sanè, vt clari volunt Scholastici, eo exponendi, aut potiùs adaptandi Scripturas genere, & ipsa diuina volumina, & sancta Mater Ecclesia in Diuorum Officiis, & Concilia vsa sunt; Patres autem creberrimè; Ambrosius in funereis orationibus præsertim Bernardus quaque pagina; Gillebertus in Cantica; Drogo Hostiensis, & alij non pauci; Legendus P. Vasquez tomo 1. in 1. part. disputatione 14. cap. 1. P. Valentia tom. 1 in S. Thomam, disputatione 1. quæst. 1. puncto 5. 3. P. Acosta fusè lib. 3. de Christo reuelato, à cap. 6. P. Tannerus tomo 1. in 1. part. disputatione 1. quæstione 5. dub. 2. assert. 4. Antonius Perezius Benedictinus in Pentateucho fidei, volum. 3. dubio 12. num. 15. Bonfrerius præloquiis in Scripturam, cap. 20. Sectione 7. Scio, omnes illos contendere, hunc sensum nequaquam ex iis esse, quos sacer intendit Scriptor; sed ex analogia solùm, & proportione quadam adaptari: proinde neque vtilem esse ad argumentandum; atque ideò Patres eo solùm vsos in exhortationibus ad plebem Christianam; Fuerit ita quidem, hoc nostri parum interest; tantùm desideramus persuadere eiusmodi sensum esse, qui grauissimo, sapientissimóque quoque viro dignus, quod lubentissimè agnoscunt; proinde non est cur statim excandescant auditores, si minùs propriè exponat quædam de loco alto Concionator: sed cùm ea compungere valeant, & animabus medelæ esse, putent loqui illum saltem iuxta accommodatitium sensum, vt nequeat aut historicus, aut mysticus æstimari.

Vasquez. Valent.

Acosta. Tanner.

Ant. Perez. Bonfrer.

Impropria Concionatorum expositiones fortasse accommodatitij sensus.

35. *P. Vasquez.*

Equidem, si verum id est, quod P. Vasquez loco iam iam memorato insinuat, verba illa ex Apocalypsis Ioannis cap. 11. vers. 4. *Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes*; accommodatitio vsurpata à Ioanne sensu, vt transtulerit, & adaptauerit testibus, de quibus sermocinabatur, quæ à Zacharia tradita sunt cap. 4. de candelabris, aut oliuis: non dubitarem sane affirmare, sensum, quem illa verba habeant ex intentione Euangelistæ, qualicunque tandem nomine afficiatur, à Spiritu sancto esse, imò necessarium omninò appareat hoc asserere: alioquin, si in Scripturis aliquis existat sensus; quem non intenderit Spiritus sanctus, sed ex suo ingenio Euangelista, quatenus Doctor specialis, pepererit; igitur non tenemur credere omnia, quæ in sacris voluminibus leguntur canonica esse, atque de fide: nam illud solùm canonicum est, quod Deus loquutus sit per os, aut Prophetarum, vel Apostolorum, siue Euangelistarum: atqui non omnes sensus per hos pandit Numen: sed ipsi quædam aptarunt iuxta accommodationem: igitur non erunt canonica vniuersa, atque de fide, cùm non obtineant, vt Dei verbum, & loquutio sint: Quamobrem Valentiæ, atque Tannero potiùs assentimur, vbi anteà allegauimus, eos, iudicantibus, nihil citari ab Euangelistis, aut Apostolis ex veteri Fœdere, nisi secundùm literam, vel allegoriam: At Scripturæ legitimus ille sensus est, qui tendit in finem charitatis, vt docet præfato §. Valentia ex Augustino, libro de doctrina Christiana 1. cap. 26. Bernardum quoque addidisset serm. 51. in Cantica; In hunc verò tendit quoque sensus accommodatitius; nam, si charitati fauere desinat, ab ore Christiani Ecclesiastæ repudiandus est: Erit itaque germanus Scripturæ sensus: quòd si talis quidem, & à Spiritu sancto proculdubio intentus: nam hic conditor omnium sensuum, qui Scripturam conflant, atque certè cur indignum existimetur, vt Spiritum sanctum Auctorem habeat id, quod pietatem auget, religionem, credulitatem? Respondeo, dupliciter posse loqui ad nos Spiritum sanctum; vel prout verba sonant, & significant, siue propriè, seu metaphoricè, & tunc erit sensus ille verborum historicus: vel significando per res, de quibus ad literam sermocinatur aliud quasi per symbola, & hieroglyphica: & tunc erit mysticus sensus: exceptis his duobus modis aliter non appareat, vt loqui possit Numen, scilicet, accommodando: nam hoc ipso quòd intendat Deus, vt taliter repræsentet, & significet, iam non erit accommodatio sermonis: sed verus, & proprius sermo ipsius, cùm sit illud, quod verè, & per se intendat repræsentare: Dicetur fortasse loqui metaphoricè: sed hoc non demit: quominùs propriè loquatur: At verò nos possumus alterius orationem transferre ad hoc, aut illud: & quanuis respectu principalis dicentis non sit vera, & germana loquela, quoniam hoc nequaquam intendit ille: comparatione tamen ad nos genuina erit loquutio: quoniam nos illud verè, & ex animo spectamus: Quare & principalis loquentis in accommodatitio sermone sensum destituimus, sumentes verba solùm, quæ nobis arrident: quod non liceat tamen perpetrare respectu germani Scripturarum sensus, vt docet Acosta libri superiùs indicati cap. septimò, atque octauo.

Accõmodatitius sensus an à Spiritu sancto? Apoc 11. Zach. 4.

Apostoli, neque Euangelistæ sensu accommodatitio vsi.

August.

SECT. V.

SECTIO V.

Quo temperamento vti debeat Catholicus vel Scriptor, vel Eccleſiaſtes in allegandis Gentilium effatis? Exodi locus tractatus, item Deuteronomij difficilis quæſtio & noua de quatriduano Lazaro.

36. EXiſtimo in primis, ſiue quis exaratis voluminibus homiliaria contexat, ethicóſve diſcurſus explanatæ literæ aſſociet, ſeu ad populum fidelem de ſuggeſto verba habeat, vtrunque debere cum parcimonia ex Paganorum monumentis decerpere, atque ea ſolùm, quæ philoſophicè dicta ſunt, & ſapiunt de Chriſtiana lege, in publicum afferre; nam ſanè, quòd ab Ethnicis mutuentur probationes, neceſſitate haud vllo pacto adiguntur, cùm Scripturarum ager ſit fertiliſſimus, & qui cum prodigalitate ſatiare bonos colonos conſueuerit; ſin autem ornatus cauſa adducant nonnulla, modum elegantiarum amorem habere oporteat ne ſi menſuram excedat, auditores exigua commoda referant; arbitretur verò imperitus Lector, propterea Scriptorem ad Ethnicorum tam ſæpè recurrere theſauros, quòd & Bibliorum, & Patrum ſterilis, & infelicior ſit campus; Verùm doceat nos Clemens Romanus lib. 1. apoſtolicarum conſtitutionum, cap. 6. *Nam, quid in lege deſideras, vt ad illa Gentilium ſcripta animum velis appellere? ſine enim Hiſtorias legere cupias, habes libros de Regibus; ſiue Sophiſtica, id eſt, quæ argutè ad ſapientiam referuntur & Poëtica; habes Prophetas, Iob Prouerbia; in quibus plus acuminis, quam in omni Poëſi, & ſapientia Sophiſtarum reperies, quod is, qui ſolùm ſapiens eſt, illa effatus eſt; ſiue cantilenas expetis, habes Pſalmos; ſiue vetuſtas rerum origines, habes Geneſim; ſiue leges, & præcepta, habes legem Domini celebrem*; Sed quàm diuinè Auguſtinus libro 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 41. *Quantùm autem minor eſt auri, argenti, veſtiſque copia, quam de Ægypto ſecum ille populus abſtulit, in comparatione diuitiarum, quas poſteà Hieroſolymæ conſecutus eſt, quæ maximè in Salomone Rege oſtenduntur; tanta ſit cuncta ſcientia, quæ quidem eſt vtilis collecta de libris Gentium, ſi diuinarum Scripturarum ſcientiæ comparetur: nam quidquid homo extrà didicerit, ſi noxium eſt, ibi damnatur: ſi vtile eſt, ibi inuenitur: & cùm ibi quiſque inuenerit omnia, quæ alibi didicit, multò abundantiùs ibi inueniet ea, quæ nuſquam omninò alibi: ſed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili vtilitate diſcuntur:* Ambroſius autem præfatione in Lucam ad initium; *Nam, licèt Scriptura diuina mundanæ euacuet ſapientiæ diſciplinam, quòd maiore fucato verborum ambitu, quàm rerum ratione ſubnixa ſit: tamen ſi quis in Scripturis diuinis etiam illa, quæ miranda illi putant quærit, inueniet:* Quando igitur beati illi libri ab ore Dei emiſſi cuncta ſubminiſtrent; quæ cupido effrænis eſt, Chriſtianam exhortationem, Gentilium, aut carminibus & ſcriptis reſarcire? Splendidè S. Cardinalis Damianus ſermone de Natiuitate; *Olim mihi Tullius dulcebat, blandiebantur carmina Poëtarum, Philoſophi verbis aureis inſplendebant, & Sirenes vsque in exitum dulces meum incantauerant intellectum: lex Prophetæ, Euangelium, Epiſtolæ, & omnis gloria ſententiarum Domini mei, & ſeruorum eius, aut parua videbantur, aut nulla: neſcio modo quid dulcius immurmurat Filius Ieſſe, qui vario ſermonum, & ſententiarum concentu omnes illos, quos diligere conſueueram, ineloquentes reddidit, & mutos:* Quamobrem nos in tractatione myſticorum ſenſuum abſtinuimus libenter à congerendis Ethnicorum dictis, quæ rarò, & modicè allegàmus.

Nihil tam elegans & comptum in Scriptis Ethnicorũ, quibus non præſtantiora in Scripturis. Clem Rom.

Ad myſticos ſenſus parua vtilitas librorũ Ethnicorum.

Auguſt.

37. *Eruditionis humanæ multiplicis neceſſitas ad hiſtoricum ſenſum veteris præſertim Inſtrumenti.*

Exiſtimo iterum, cùm ea Scripturarum loca explananda ſunt, non quæ ad fidei confirmanda dogmata valeant, & Theologiæ deſeruiant; ſed quorum hiſtoricus ſenſus, aut de bellis agunt, aut de matrimoniis, aut de fundis, & domibus, aut de vario Gentium vſu in conuiuiis, in veſtibus, in plurimis ad Rempublicam ſpectantibus, aut quæ de more veniunt inter mortales; eiuſmodi hiſtoricum ſenſum abſque profanæ literaturæ ſubſidiis non poſſe pro dignitate declarari; & cùm veteris ſingulariter Inſtrumenti omnis penè litera eiuſmodi ſit, eum, qui egregiè interpretaturus ſit, debere inſtructum eſſe à varia, ſelectáque & Philoſophorum, & Poëtarum, & Hiſtoricorum lectione, vt poſſit, quoties neceſſe ſit (opus autem erit frequentiſſimè) lucem afferre rebus dubiis, & obſcuris, exornare clariores; conſentiunt nobiſcum Salmeron tom. 1. prolegom. 17. Poſſeuinus lib. 2. Bibliothecæ ſelectæ, cap. 60. Acoſta lib. 2. de Chriſto reuelato, cap. 8. Delrius præfatione ad tragœdias Senecæ Pineda in Iobum præfationis cap. 8. num. 7. P. Valentia in 2. 2. diſputatione 1. quæſtione 2. puncto 7. § 4. Pererius diſputatione 16. in cap. 12. Exodi, num. 89. Lorinus ad verſum 22. cap. 3. Actorum: & rurſum ad verſum 28. cap. 17. Ribera proœmio in Haggæum: Barradas itinerario filiorum Iſraël lib. 3. cap. 2. numero 4. Martinus de Roa ad initium ſingularium locorum, in ratione operis: Fortunatus Scacchus 2. Myrothecij præfatione ad lectorem: & Pagninus lib. 1. Iſagogæ: capite 14. Martinez lib. 1. hypotypoſeon, cap. 14. P. Lopez de Montoia controuerſiis introductoriis ad ſacras Scripturas, controuerſ. 18. Rodericus Doſma Delgado de auctoritate ſacræ Scripturæ libr. 3. cap. 2. & 3. Fuluius Vrſinus ad triclinium Romanum Ciaconi, epiſtol. ad Sixtum V. Gueuara præfatione in Habacuc, cuius eſt hæc oratio; *Sunt enim* (inquit) *plurima loca per diuinas Scripturas ſparſa, quæ niſi ex Gentilium Hiſtorijs, aut ex fabulis, & figmentis eorundem, ex vetuſtis dicendi modis vulgaribus, ex priſcorum hominum moribus obſoletis, & antiquatis tandiu, nullo pacto poſſint intelligi, nulla via penetrari queant; agebant Scriptores diuini vſitatis ſuo ſæculo phraſibus, communibus vtebantur prouerbijs: conſuetudines ea ætate notiſſimas, ſi quando in ſermonem inciderent, obiter, & in tranſitu perſtringebant: taxabant ſui ſæculi mores, & ſuperſtitionem Gentilium multifariam cauebant ſuis: regiones, atque ſitus locorum exoletis appellabant nominibus, & ad primam partitionem deſcribunt: Hiſtorias præterea, aut præteritas, aut ex occaſione narrabant, aut in proximo plerumque futuras, & venturas vaticinabantur: ethnicorum vana figmenta, cauſis de pluribus referebant: qui notitiam, & cognitionem iſtorum, à veteribus*

Salmeron. Poſſeuin. Acoſta. Delrius. Pineda. Valentia. Perer. Lorin. Ribera. Barradas. Roa. Scacch. Pagnin. Martinez. Lopez. Doſma. Vrſin. Gueuara.

veteribus monumentis Gentilium, quando apud fideles non extant, incuriosus non exquisierit, ingeniosius delirare cogetur; Speciatim verò de hoc Salomonis Epithalamio noster monuit Sanchez prolegom. 12. *Primum itaque, qui horum Canticorum idoneus lector esse velit, afferat oportet, eruditionem variam, tam à sacra, quàm à profana literatura, si modò velit vtilem operam nauare euoluendo, atque extricando cortici, in quo, neque vulgaris latet eruditio*; Sed & ipse Gueuara, cùm incidisset in versum 8. cap. 4. Canticorum: *Veni de Libano, sponsa*, &c. ad cap. 2. Habacuc, num. 318. non potuit se continere, quin moneret legentem, inquiens; *Locus sanè non tam salebrosus, ac cæcus; sed innius quoque, & impenetrabilis his, qui literas humaniores fastidiunt, ac perinde absque ductu veteris nuptiarum, & conuiuiorum ritus prætergredi, atque penetrare tentauerint.*

Sanch. *Canticorum volumē profanæ eruditionis notitiā postulat.*

Gueuara.

38. Nos hæc cùm perpenderemus, conati sumus in hoc Canticorum Propylæo oblata hactenus occasione lucem afferre absconditis Scripturarum locis ex profana eruditione; id ipsum conabimur & in posterum Numine propitio: non tamen aliquo modo scopus est vt ex illis videamur, qui in humana literatura multùm studij posuerunt; nec enim infantiam nostram celare animus est, qui pauca possumus; sed ne defuisse omninò iudicemur interpretis officio; Itaque, vbi Scripturæ elucidandæ deseruimus, cætera ad Criticos, & humanè eruditos remittimus, quorum munus ex instituto declarare, quales fuêre veteribus profani ritus; Theologo sufficit libare; vltrà si quidquam præstet, beneficium hoc est, non necessitas: Sed à quibus tandem didiscimus, vt eum faceremus in modum? Certè ab amplissimis inter Ecclesiæ Patres; duo autem sunt Bibliorum celebratissima loca, in quorum explanatione allegoriam in fauorem pronunciati accommodant nostri; vtrunque prosequemur Auctorum propriis verbis; Primum suppeditat Exodi c. 12. dum narrat, Israëlitas petiisse ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea, vestémque plurimam, quæ omnia asportauerunt secum, de quo sano, atque prudenti furto Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 40. *Nónne aspicimus, quanto auro, & argento, & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus Doctor suauissimus, & Martyr Beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? vt de viuis taceam, quanto innumerabiles Græci? quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quòd eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum: quibus omnibus viris superstitiosa gentium consuetudo, disciplinas, quas vtiles habebat, nunquam commodaret, si eas in vsum vnius Dei colendi, quo vanus idolorum cultus extingueretur, conuersum iri suspicaretur; sed dederunt aurum, & argentum, & vestem suam exeunti populo Dei de Ægypto, nescientes, quemadmodum illa, quæ dabant in Christi obsequium redderentur; illud enim in Exodo factum sine dubio figuratum est, vt hoc præsignaret*; Idémque consimiliter libro 22. contra Faustum Manichæum, cap. 91. atque Magistrum æmulatus Prosper discipulus 2. parte de prædict. & promiss. cap. 37. *Sanè exspoliatos Ægyptios à nostris hac ratione colligimus, quòd omnis mundialis scientia, qua inflati super ea superbiebant, moralisque sapientia transiit ad Christum, vt eam humilis recta fide possideat, populúsque iure superbus amittat.*

Patres hortantur ad sobrium profanæ eruditionis studiū.

Exodi locus ex cap. duodecimo fusè tractatus.

Augustin.

Iam & Gregorius Nyssenus in Vita, quam scripserat Moysis, eadem delectatus allegoria, super Hebræorum spolio, inquit; *Quo Hebræorum facto nos monemur, non esse negligendas doctrinarum diuitias, quæ gentes possident: moralem, naturalémque Philosophiam, Astronomiam, Geometriam, Musicam, Dialecticam, cæteráque scientias, quibus alieni ab Ecclesia florent, accipere ab illis, ac illis abutentes priuare, si possibile est, & in meliores vsus transferre iubemur*; Beda expositionis in Exodum cap. 11. *In auro, argento, & veste Ægyptiorum, significantur quædam doctrinæ, quæ consuetudine Gentilium non inutili studio discuntur*: Et his affinia, imò penè eadem Rabanus, Isidorus, Strabus, Interlinearis, omnésque ferè, quibus accidit mysticum facti Israëlitarum exponere; Dabit finem Philippus Abbas, qui de iustitia Clericorum, cap. 37. *Proponentes ergo filij Israël de Ægypto transire in eremum, nolunt illuc manu vacua proficisci: sed prædocti à Domino, studeant primùm opes Ægyptias adipisci: quia, cùm inspirante gratia de conuersatione sæculari ad desertum pœnitentiæ Clerici conuertuntur: si prudenti fuerint præmuniti consilio, non illuc inanes, non vacui transferuntur: sed opes scientiæ lima & studio acquirere primitùs moliuntur, quibus postmodum vtiliter contra morbum ignorantiæ muniuntur: est quippe in his, quas artes liberales nominant, aurea quædam, & pretiosa subtilitas, est faceta, & composita quædam verbositas: est etiam non contemnenda moralitas: quæ tunc solummodo ad salutem esse vtiles cognoscuntur, cùm ad placendum Deo, de Ægypto in eremum transferuntur: non enim quis in Ægypto debet cum his opibus pertinaciter conuersari, & de acquisita scientia, tumore pompatico gloriari.*

39. Nyssen. Beda. Raban. Isidor. Strab. Interlin. Philip. Abb.

Transeamus ad alterum ex Scripturis locum æqualis famæ, & quem etiam grauissima cohors exposuerit pro mutuandis à Gentilitate artibus, & qua pollet notitia vtili; est autem de muliere pulchra in bello ab Israëlita capta, quam si adamauerit, voluerítque habere vxorem, vt loquitur Deuteronomij textus cap. 21. versu 12. introducit eam in domum suam; quæ radet cæsariem, & circuncidet vngues, & deponet vestem, in qua capta est: qua de femina, quæ cessit victoris potestati Origenes spiritaliter homil. 7. in Exodum; *Veruntamen & ego frequenter exiui ad bellum contra inimicos meos, & vidi ibi mulierem decora specie: quæcunque enim benè & rationabiliter dicta inuenimus apud inimicos nostros: si quid apud illos sapienter, & scienter dictum legimus: oportet nos mundare id, & à scientia, quæ apud illos est, auferre, & resecare omne, quod emortuum, & inane est: hoc enim sunt omnes capilli capitis, & vngulæ mulieris ex inimicorum spoliis adsumptæ: & ita demum facere eam nobis vxorem: cùm iam nihil ex illis, quæ per infidelitatem mortua dicuntur, habuerit:* Hieronymus autem præclarissimè Epistola ad Damasum de duobus filiis, prodigo, & frugi; *Huius sapientiæ typus, & in Deuteronomio sub mulieris captiuæ figura describitur, de qua diuina vox præcipit, vt si Israëlita eam habere voluerit vxorem, caluitium ei faciat, vngues præsecet, & pilos auferat, & cùm munda fuerit, tum transeat in victoris amplexus: Hæc si secundùm literam intelligimus, nónne ridicula sunt? Itaque & nos facere solemus, quando Philosophos legimus, quando*

40. *Locus ex Deuteronom. c. 21 de muliere capta in bello, examinatus.* Orig. Hieron.

in manus noſtras libri veniunt ſapientiæ ſæcularis: ſi quid in eis vtile reperimus, ad noſtrum dogma conuertimus: ſi quid verò ſuperfluum, de idolis, de amore, de cura ſæcularium rerum, hæc radimus, his caluitium inducimus, hæc in vngium morem ferro acutiſſimo deſecamus: Idémque iſtis cognata epiſtola ad Magnum Oratorem Romanum: Beda in Deuteronomium, c. 21. de Origene ſumens: *Aliy hanc mulierem pulchram facie, rationabilem aliquam diſciplinam ſignificare putant, quæ ſapienter dicta inuenitur apud Gentiles, quaſi à nobis ſit reperta, oportet de ea primùm auferre omnem ſuperſtitionis immunditiam, & ſic illam in ſtudio veritatis aſſumere: nulla enim apud Gentiles ſapientia eſt, cui immunditia aliqua, vel ſuperſtitio non ſit admixta*: Bedæ adherent ſecundùm morem Iſidorus, Rabanus, Gloſſa ordinaria, quam vt eadem ſtabiliat, allegat B. Thomam lect. 3. in cap. 1 Epiſtolæ ad Titum, in illa verba: *Teſtimonium verum hoc eſt*, &c. Rupertus lib. 2. de diuinis officiis, cap. 22. *De gentibus quoque exemplo Apoſtolorum, atque Doctorum, ſolemus auferre, ſi quæ ab illis probè dicta, vel facta ſunt; & tanquam captiuæ mulieris vngues, piloſque ſuperfluos amputare, vt ab alienigena falſitate mundata ſententia, thalamum veritatis digna ſit introire*. B. Petrus Damianus ſermone de ſancto Eleuchadio Epiſcopo, vtranque allegoriam coniungit; hanc, nempe, vt elapſam de plagis Hebræorum, & doctè accommodat.

Beda. Raban. Iſidor. Gloſſ. S. Thom. Rupert. Petr. Dam.

41. *Patres ſua volumina referſerunt ſumptis ex gentilitate rebus.* Peter.

At, quemadmodum alios ad ſpoliandos Ethnicorum libros Patres exhortati ſunt: ſic ipſi in ſua deriuarunt Commentaria: quamobrem iuſtè Pererius noſter diſp. 16. in c. 12. Exodi, num. 89. *Equidem* (ait) *cum ſcripta lego Iuſtini Martyris, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Origenis, Arnobij, Lactantij, Euſebij, Hieronymi, Auguſtini, Cyrilli, Theodoreti, & aliorum venerandorum Eccleſiæ Patrum, ſapientúmque Doctorum; cùm horum inquam, ſcripta lego, & multi iugem in his eruditionē de penu Ethnicorum; videre mihi videor Hebræos illos ex Ægypto ditiſſimis, ac pretioſiſſimis Ægyptiorum ſpoliis ornatos eſſe*: Fortaſſe autem moti ſunt tanti Antiſtites, & quòd Hebræorum multi ritus tranſierunt ad paganas nationes: & quoniam etiam Paleſtini Iſraëlitæ de Ethnicorum moribus hauſerunt non paucos: quòd ſi certè & Gentium ad eos tranſlatæ fuêre cæremoniæ, & eorum ad gentes deriuati mores; equidem haud imprudens fuerit, cùm de veteri Iudæorum conſuetudine oboritur quæſtio, & ipſorum Hiſtoriæ lucem idoneam afferre nequeant, tum Gentilium conſulere monumenta, & ex eorum ritibus coniectari de Hebræorum moribus: Sanè iſta ſpeciem probabilitatis ferunt, modò conſtet id, quod ſupponebamus, & expiſcatos Ethnicos ab Iſraëlitis non pauca de ſuis arcanis: rurſúmque Hebræos mutuatos à Paganis aliqua etiam: Sed quod attinet ad Gentilium furta de penu Hebræorum, diximus ſufficienter Antelo quio 9. Sect. 2. Modò ſtabiliamus & Iſraëlitas à Gentibus non veritos accipere, quæ imitarentur.

42. *Hebræis multi, qui apud Ethnicos vigerent ritus permiſſi.* Gregor.

Ergo Gregorius Papa ad Mellitum Abbatem ſcribens lib. 9. epiſtolarum, indictione 4. epiſt. 71. *Nam duris mentibus ſimul omnia abſcindere impoſſibile eſſe non dubium eſt: quia is, qui locum ſummum aſcendere nititur, gradibus, vel paſſibus, non autē ſaltibus eleuatur: ſic Iſraëlitico populo in Ægypto Dominus ipſe quidē innotuit: ſed tamē ei ſacrificiorum vſus, quos Diabolo ſolebant exhibere, in cultu proprio reſeruauit, vt eis in ſacrificio ſuo animalia immolare præciperet, quatenus commutantes, aliud de ſacrificio amitterent, aliud retinerent: vt etſi ipſa eſſent animalia, quæ offerre conſueuerant; veruntamen Deo hæc, & non idolis immolarent, iam ſacrificia ipſa non eſſent*: Sed Gregorio vetuſtior Auctor Chryſoſtomus homil. 6. in Matthæum, ad illud: *Ecce ſtella, quam viderant*, &c. *Ne igitur opineris eo indignum, quod Magi per ſtellam vocantur: hoc enim modo omnes Iudæorum cæremonias, omnéſque ritus, & ſacrificia, atque purificationes, & neomenias, & arcam, templúmque ipſum reprobabis: ſiquidem hæc omnia originem à Gentium ruditate traxerunt: Deus ob deceptorum ſalutem per ea ipſa ſe coli paſſus eſt, per quæ illi antè Dæmones coluerant; aliquantùm illa in melius inflectens, vt eos paulatim & à conſuetudine ſua reduceret, & ad Philoſophiā perduceret altiorem; Hunc igitur ipſum diſpenſationis ſuæ morem ſeruauit in Magis*, &c. Quid hac Chryſoſtomi oratione ſignificantius eſſe valeat? equidem materiam de qua diſquirimus, quod ſplendidiùs teſtetur? nam, ſi ipſos ſacrorum ritus à Gentilitate hauſerunt, æſtimabimus contempſiſſe profanos vſus? Verùm auſcultemus adhuc Chryſoſtomi in multis aſſeclæ Theodoreto, qui ad verſum 17. c. 12. Deuteronomij, ad illa: *Comedetis in conſpectu Domini*, &c. *Epulari* (ait) *iuſſit eos in loco ſacro, liberans eos ab errore falſorum Deorum: cùm enim Doctor impietatis feſtis Dæmonum ludicra permulta miſcuiſſet, is, qui ſagaciſſimus eſt, Iſraëlem ab errore liberare deſiderans, etiam de his, quæ pertinent ad feſta, leges ſcribit, ſacrificia permittit, inſtrumenta muſica tolerat, & iubet epulari, vt talibus illectamentis idolorum cultum impium amputet*: Neque mirum è gentilitiis ritibus in Synagogam fuiſſe tranſlatos, cùm & idipſum perfecti decoris Eccleſiæ catholicæ acciderit, vt monet Baronius Cardinalis tom. 1. ad annum Chriſti 58. num. 77. & aduertit Petrus Ciaconus in Triclinio ſuo Romano, ad finem illius: quare cùm apud Gentes Chriſtianorum & rituum & cæremoniarum non obſcura veſtigia, itidémque Iſraëliticorum; emolumento poterit eſſe notitia profanorum vſuum, vt qui illi fuerint mores, ediſcatur.

Chryſoſt. Theodor. Baron. Ciacon.

Quoniam verò in ſuperioribus, præſertim Anteloquio quinto non pauca exempla ſubiecimus, quibus monſtrare conati ſumus, quantùm temperata & modeſta ex profanis eruditio afferat commodi ſacrarum Literarum explanationi perfectæ, idipſúmque niſi vita exceſſerimus, in poſterum frequenter oſtenſuri ſimus propterea modò ſuperſedemus exemplorum copiæ: vnum tamen, vt ad manum aliquid habeant legentes, bona eorum cum venia, proponemus: equidem Ioannis cap 11. verſu 39. cùm lapidem amoueri Seruator iuſſiſſet Lazarum ſuſcitaturus, moram ponere volens imperatis, aut certè vt à ſpelunca longiùs diſcederet pius eius Magiſter, fœtere defunctum Martha indicauit: neque id ſtupeſcendum, cùm per quatriduum anima abfuiſſet: Quòd ſi quidem in funeribus conſuetudinem, & Gentium, & Hebræorum conſulamus, moleſtiſſimus continuò hic apparebit Euangeliorum locus: nam ſanè nationes, apud quas nullus comburendi cadaucra vſus erat, quales Ægyptus, & Syria, condire aromatibus corpora ſolitæ, vt quàm poſ-

43. *Locus difficilis ex Ioan. c. 11 de Lazaro quatriduano, in quæſtionem vocatus.*

Paleſtini, & Ægyptijs corpora non cõburunt, ſed aromatibus condiunt. Herodot. Diodor. Pereira.

ſint in longum æuum charos ſibi aliquo ſaltem modo præſentes haberent: Iudæi autem, quibus fidei illuxit radius in reſurrectionis fortaſſe ſymbolum, & de Ægyptiis quidem ex Herodoto, Diodoro, aliiſque Auctoribus monſtrabunt Pererius tom. 4. in Geneſim, diſput. 1. ad cap. 50. Alexander Neapolitanus lib. 3. genialium dierum, cap. 2. atque ibi multis Tiraquellus, Significant illa Caſſiani collat. 15. cap. 3. nam de Ægyptiis loquutus: *Corpora verò mortuorum* (ait) *pigmentis condita redolentibus, in editioribus cellulis reconduntur.* De Iudæis autem manifeſtè Ioannes innuit cap. 19. verſ. 40. *Acceperunt ego corpus* IESV, *& ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire:* Quem ritum in Seruatoris gratiam puto quidem ex Chriſtianis primi obſeruarunt Aurelio prudentio ita in Hymno de mortuorum exequiis pangente:

Alex. ab Al. Tiraq. Caſſian.

Ioan. 19.

Primi Chriſtiani aromatibus defunctorũ corpora condire ſoliti. Prudent.

Hinc maxima cura ſepulcris
Impenditur, hinc reſolutos
Honor vltimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat,
Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt,
Aſperſáque myrrha, Sabæo
Corpus medicamine ſeruat.

His autem ad memoriam reuocatis, quæ omnem dubietatem tollere videantur: ſi dixerimus quidem, Lazarum vnguentis perfuſum abeunte ſpiritu illius, quo pacto ſtabit, vt ad quatriduum fœtuerit; nam id ſuffitus, atque aromata præſtant, vt & putredinem, & ex conſequenti fœtorem, qui ab ea gignitur, abigant: ſin autem in eius funere hoc omiſſum officium ſtatuemus, erit & ſatis arduum, vt declaremus, quamobrem Iudæorum in ſepeliendis cadaueribus vſitatum morem Lazari germananæ Martha, atque Maria præterierint, & contra ritum patriæ condendum noua cæremonia exiſtimauerint.

Sanctorum cadaueribus exhibiti sẽper magni honores.

Ioan. 11.

44. Miror autem plurimùm, vt in hanc charibdim nullo modo viri perſpicaces inciderint, Salmeron, Toletus, Maldonatus, Ianſenius, Barradas, vt ſubticeam apud veteres profundam eſſe taciturnitatem: tetigit leuiter ad verſum 37. cap. 9. Actuum apoſtolicorum Lorinus, atque vtinam ſanè vel ipſe, aut de ſubtiliſſimis quiſquam enodaſſet: nam, quod aduertit ibi, vnguenta conſumpta ſolùm, aut in nobilium, aut in chariſſimorum funeribus, reſtringit & ad nobiles Maldonatus, atque primarios ad verſum 60. cap. 27. Matthæi: Nihil iſta iuuant: nam & erat chariſſimus ſororibus Lazarus, & de equitum numero: certè illæ, quæ poterant vnguenta ſubminiſtrare, quorum liberalis Magdalena diſpertitrix: certè & opulentiam, & genus illuſtre colligit Ianſenius ex eo quòd Euangeliſta doceat, multos Hieroſolymitanorum veniſſe, vt conſolarentur germanas in fratris diſceſſu, *Vnde ſatis apparet, ſorores has* (inquit) *diuites fuiſſe, & nobiles*: Dicemúſne ex vno in alterum diem Martham protuliſſe ſpem, vt adeſſet Chriſtus, & viuis reſtitueret, propterea noluiſſe aromatibus aduersùs corruptionem præſidiare? hoc enim erga ea corpora fieri conſueuit, quibus domus in multas ætates ſepulcrum, atque reſurgendi ſpem non habent, donec tuba nouiſſima excitet: itaque ſperabant in ſingulas horas adfuturum Redemptorem: ille autem cùm moras traheret, cadauer diſſolui cœptum, & fœtere: Verùm, ſi erga defunctos communes cæremonias omiſit ſoror vtraque, vt quid faſciis, atque inſtitis ligauerunt: nam neque hæc opus erant corpori citò reſurrecturo? Vt quid ſpelunca abdidit, & non aut cubili repoſuit, aut cœnaculo, vt factum cum reſuſcitando Tabithæ cadauere Actorum 9. capite? An affirmabimus, Marthæ verba nequaquam ſignificare reipſa putrefactum cadauer, ſed tot iam diebus iacuiſſe exanime, quæ ad corrumpendum ſufficerent, niſi antidota prohiberent? An denique in eam ituri cogitationem, vt putemus, in euangelicæ paupertatis gratiam noluiſſe feminas à Chriſto edoctas fratrem cum pompa marmori tradere; ſed cum ſobrietate, atque menſura? itaque vnguentorum ſuperfluum apparatum reieciſſe: Neque obſunt Chriſto impenſa aromata: nam ob ſanctitudinis clariſſimam opinionem ſic factum, & vt adimpleretur vaticinium Iſaïæ, quod annunciabat futurum ſepulchrum eius glorioſum cap. 11. verſu 10. aliud eſt aromatibus oppleri ob humanum generis, & auorum ſplendorem: aliud ob virtutis merita: equidem in horum nihilo conquieſcit animus, & diſcemus libenter meliora à ſapientibus; fuit mentis ſcopus obiectare aliquod ſpecimen argumenti, de quo tractabamus, vt intelligamus ſubſidio cognitionis de veterum cæremoniis, & ritibus quoad ſacra, & profana poſſe fieri, vt multa de nouo eruamus arcana, & noſtra creſcat induſtria non mediocriter ſacra Bibliorum elucidatio, multis etiam locis hactenus non declaratis integræ afferamus explanationis conſummationem.

Lorin.

Maldon. *Aromatibus nobilium, & chariſſimorũ condita cadauera.*

45. Aies, ab his de veteri vſu, atque ritibus non poſſe firmum duci argumentum: incerta enim eſſe pleraque, & coniectura ſolùm niti, proinde non eſſe, quòd magni habeatur. Reſpondeo, cùm nos omninò lateat, quales fuerint apud priſcas nationes cæremoniæ, & religionis, & victus, vitæque omnis, non poſſe iuuari aliter quàm Hiſtoriarum adiumentis; & quanta extiterit harum auctoritas, tanta futura ſit & probationis: declarant verò aliquando perſpicuè, & abſque tergiuerſatione: & tunc argumentum robore pollet: aliàs ſubobſcurè tantùm, atque timidè, eritque probabilis ſyllogizatio tunc ſolùm: Sed neque hæc deſpicienda eſt vel à Theologo etiam, quando & Scholaſtici, apud quos neruus doctrinæ eſt, ex topicis & probabilibus ſæpè arguunt: Quid quòd & ipſa Scriptura, quæ omnis firmitatis baſis eſt, ex ſenſu myſtico probabili argumentatione nonnunquam diſputat, vt Paulum facere nonnulli æſtimant cap. 1. ad Hebræos ex verbis illis: *Ego ero illi in Patrem?* Ita quidem ſentit eum ad locum Ribera Bellarminum citans lib. 1. de verbo Dei, cap. 17. & Michaëlem de Medina lib. 6. de recta in Deum fide, cap. 25. Sed abſoluit facilè controuerſiam Melchior Canus lib. 2. de locis, cap. 11. §. *Poſterius, vt, &c. Aliud eſt enim ex ſenſu ſpirituali certum, & efficax argumentum trahi, quod Auguſtinus, Dionyſius, Hieronymúſque negarunt: aliud verò argumentum inde probabile duci, id, quod nemo ſanè doctus negare poteſt: quod enim Rhetores argumenta veroſimilia certis & exploratis adiungunt, id Apoſtolus quoque facit*: Et quoniam vtilis eſt oratio Roderici de Oſma Delgado Pachenſis Cano

Theologia, imò ipſa Scriptura probabili argumẽtatione quandoque vtens. Hebr. 1. Ribera. Bellarm. Medina. Canus. Doſma.

Canonici, affigam illam; qui libro 3. de auctoritate sacræ Scripturæ, cap. 5. *Rursus Theologia (inquit (non semper stabili scientiæ comprehensione vtitur; sed è probabilibus quandoque probilia colligit, quæ satis sint in multis ad salutem perpetuam haud potissimùm necessariis: in iis varias opiniones fert; neque quenquam stringit, quominùs quod probabilius appareat, amplectatur; de his nonnulli assueti vni, aut alteri Scriptori, nec lectione multiuaga exerciti, temerè pronunciare solent, statim damnantes aduersa præiudicata opinionioni, quia imbuti à principio persuasi sunt; nec scholæ opinationes à statis constantibúsque Ecclesiæ dogmatibus secernentes: his quid aliud facias, quàm eruditionem, ac meliorem mentem optare?* Quoniam igitur hoc Epithalamium abundat osculorum, aromatum, conuiuiorum memoria; pinguntur vestes, horti memorantur, describuntur tecta, & omnis in iucunditate sit; ob hæc verò simillimum sit metrum carminibus Ethnicorum Poëtarum: hauriemus, cùm necessitas requisierit, quæ poterimus, ex eorum viridariis; nempe, illa, quæ cum omni honestate coniuncta; nominéque Salomonis reperemus ab iniustis possessoribus, quæ ab eo furatos illos fuisse ostendimus Anteloquio 9. Cæterùm, cui desiderium est nosse, qualiter ad Gentilium euoluendos libros Christianus accedere debeat, & quid assumere, quid spernere oporteat, legat magni Basilij homiliam 24. eo de argumento differentem egregiè.

SECTIO VI.

Quid sensus historicus, quid mysticus? & vter dignior? & an sub eadem litera plures historici reperiantur sensus? Ioannes bis elucidatus; Moyses in Genesi semel: Parabolæ an duplicem litteralem sensum habeant?

46. *Literalis sēsus definitio.*

HAnc quoniam diffusè expendunt controuersiam, & qui in Biblia, & qui in S. Thomam prolegomena scribunt, breuiores erimus in ea discutienda: noluimus tamen omnem illius memoriam præterire, quoniam occasio sæpè datur significandi, quid ipsi de quæstione arbitremur; neque desunt exempla: nam & ventilant Alcazarius Notatione procœmiali 20. in Apocalypsim; Gisserius præfatione in Cantica, cap. 5. Literalem ergo definimus sensum, *quem voces sacræ, siue propriè, & iuxta sonum intellectæ, seu translatitiè acceptæ ex prima intentione Dei, Scripturarum Auctoris, denotant*: Exempli causa, Genes. cap. 22. vers. 6. *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem, & gladium*: Verborum istorum historicus sensus idem est, qui grammaticalis eorum, & quam constructio statim reuelat: nulla enim metaphora intercedit; sed omnia simpliciter sonant; At verò, quoniam & sua est admiranda in Dei verbo elegantia, & eò nobilior, quò excellentiorem refert inuentorem: quemadmodum profana literatura tropis luxuriat, & sacra quoque eloquia debitum eorum vsum non reiectant, vti Affirmat Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 21. *Potest enim videri ad hoc pertinere: Et faciam semen tuum tanquam arenam terræ, quod ea locutione dictum est, quam Græci dicunt Hyperbolem, quæ vtique tropica est, non propria: quo tamen modo, vt cæteris tropis, vti solere Scripturam, nullus, qui eam didicit, ambigit*: Ita nominatur Christus leo, petra, agnus, lux mũdi, & similibus aliis vocabulis; & sicut profani Scriptores allegoriam nonnunquam producunt ex cõtinuata metaphora, vti indicat Quintilianus lib. 9. Institut. cap. 2. quem morem Virgilius in Bucolicis non rarò obseruat; & celebri oda Carminum lib. 1. sub emblemate nauis tempestate quassatæ Rempublicam à ciuilium bellorum tumultibus naufragantem descripsit Horatius: sic & in vtroque nonnunquam Instrumento figuratæ locutiones extenduntur; quod in hoc Salomonis Cantico euenire inter veteris Fœderis libros multis placuit; in Euangelio Parabolis contingere asserunt: vt cùm, aut paterfamiliâs, primo mane operarios conducere refertur, aut alius peregrè proficiscens narratur, vel hominem Regem epulas pro filij sponsalibus instruere; omnia isthæc impropriè sumuntur, ex metaphora, nempe, & quem secundùm literam innuunt, solùm Christus est, non minùs quàm cùm leo de tribu Iuda appellatur, vel lapis angularis.

Aug. — *Scripturæ tropis, atque figuris vtens.* — *Allegoria lõga & continuata.* Quintil. — Horatius.

47. Posuimus autem inter definitionis verba: *Ex prima Auctoris intentione*, vt Historicum sensum à mystico distingueremus: nam hic etiam Deum fert Auctorem, vt communis Theologorum sustinet opinio, de quo nos sect. 3. num. 22. nam iisdem quidem vocibus, quibus literalis sensus obiectum repræsentatur, exprimitur & mystici obiectum sensus; verùm ex secundario eius, qui significationem imposuit, nutu: Patefaciamus exemplo aliquo: Verbi causa, Genes. capite 49. vers. 9. *Catulus leonis Iuda; ad prædam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* Quis non animaduertat continuò, obscuram esse locutionem, alienam, tropicam? Sed literaliter quidem, & ad Historiæ normam tribus Iudæ delineantur gesta iis sermonibus: & hæc prima diuini Auctoris intentio; postquàm verò Iudam, atque illius nepotes literaliter expressit; tum ordinauit, vt & Iudas dux, & semen illius, Christum, virósque apostolicos adumbrarent, intenditque secundò, vt hoc mysticum atque arcanum, ex primo Historiæ obiecto clausum verba etiam mysticè innuerent; itaque, quoniam verba illa, vt Christum mysticè, & in figura repræsentent, debent necessariò præsupponere typum (nam mysticum id est, quod per typum, & imaginem exprimitur) debent etiam supponere, vt Dei cognitio, intentióque primùm in exemplar feratur; qua prima Dei existente intentione historicum obiectum spectantis, emergit secunda intentio volens sub Historia latere sacramentum, & futura à præsentibus annunciari; ex secunda quoque propterea intentione pullulare dicitur mysticus sensus, ex prima historialis, quoniam, vt aduertebamus Anteloquio 1. Sect. 4. num. 24. literæ obiectum possit consistere absque mysticæ repræsentationis termino, non autem econtrà valeat stare mysticum absque Historiæ obiecto; potuisset enim Deus optimè Moysi inspirare, vt Abrahæ vitam texeret, quin referret ipse Deus eiusmodi

Gen. 49.

Sensus historicus, & eius obiectũ prioras prioritate à quo sensus mystico il-liúsque obiecto.

Alcazar. Gisler.

Gen. 22.

narratione comprehensa ad ventura præsignanda: hoc enim liberum erat Numini: tum quidem historicus gestorum Abrahæ sensus, reperiretur absque mystica aliqua intelligentia: At cupiente Deo, vt Abrahæ præclara facinora typum futurorum haberent, ex necessitate eadem gesta, vt aliquo modo possibilia supponi debeant; quoniam ergo ab historici sensus obiecto ad mysticum obiectum non valet consequentia: valet autem à mystico ad litterale, eò quòd verum sit enunciare: est obiectum sensus mystici ergo & literalis, non autem è conuerso: ideò sensus historicus, eiúsque obiectum priora sunt mystico sensu, ac proinde in ea fertur primò Dei intentio volentis significare aliquid in Scripturis: est autem hæc prioritas intentionis non *in quo*, quoniam simul tempore sunt etiam ratione nostra; sed *à quo*: nam, cùm habeat rationem conditionis necessariò desideratæ obiectum sensus historici, vt *sine quo* nequeat dari obiectum mystici sensus, reducitur ad prioritatem causalitatis naturæ, & *à quo*.

48. *Nõ est opus, vt secundarius Scriptor vaticinia Scripturæ penetret, vt verbum Deî existimetur.*

Addidi in fine *Deo Auctore*, tum vt denotarem, si quos ipse peculiaris Scriptor ex ingenij sui partu sensus formasset, haudquaquam verbum Dei constituere: hoc enim illud est tantùm, quod Spiritu sancto suggerente Prophetæ loquuti sunt, non quod ipsi conceperunt marte suo, de quibus aliquid superiùs tactum Anteloquio 7. Sect. 1. num. 14. tum præcipuè, vt contrairem opinionibus illorum, qui putant desiderari ad literalis sensus perfectionem, non solùm vt præcipuus Auctor, qui Deus est, verùm etiam amanuensis, qui homo est, omnes sensus intelligat: id bis refutaui, nimirum, Isagoga 1. Sect. 6. n. 44. & Prælocutione 5. num. 7. ostendens, neque de facto Vatibus contigisse, vt penetrarent vniuersa, de quibus prædicebant; neque id necessum fuisse, cùm à Dei impositione Scripturarum sensus mutuentur significationem: Deus autem non tenetur iure aliquo Prophetis reuelare omnem, quam imposuerit, aut rebus, aut vocibus significationem ad declaranda vel absentia, vel occulta.

49. *Scriptura peculiare per res ventura certè, & infallibiliter indicare. Greg. S. Thom.*

Historico declarato sensu operosum non est aperire mystici naturam; est enim ille sensus, *qui Deũ habens Auctorem, rebus proximè significatur, verbis mediatè, & ex secunda intentione*: Neque in huius definitionis stabilimẽ allego, quoniã Scholæ commune iudicium est: Pronunciaui Deũ habere causam, quoniam certè, vt aut Abrahæ, & aliorum Patriarcharũ gesta referrent ea, quæ post sæcula plurima euenirent, solus Deus agere potuit: Quamobrem grauissimè affirmarunt & S. Gregorius, & B. Thomas illum sequutus, re in hunc morem intellecta, sacrarum Literarum priuilegium esse per facta loqui, vt doctè expendit P. Vasquez tom. 1. in 1. p. disp. 16. cap. 1. num. 2. at de his Patrarcharum, & similium gestis per omne vetus Instrumentum, est eius Fœderis mysticus sensus; Appositi, *immediatè ex rebus*; quoniam nisi hæ à Numine priùs fuerint applicatæ ad significandum, verba nihil repræsentare valeant, cùm ideò illa significant, quoniam res assumptæ fuêre ad significandum: in historico autem sensu absque antecedentis in obiecto significationis præsuppositione, voces independenter à suo obiecto significant, & propterea dicuntur immediatè significare: De *secunda intentione*, quæ est particula 3. disputaui sufficienter in enodatione sensus historici, & literalis: Huius sensus diuisio notissima est in allegoriam, tropologiam, & anagogen: ex quibus allegoricus consueuit referri sensus ad ea, quæ credere debeamus; tropologia ad mores, eorúmque pædagogiam; anagoge ad triumphantis Ecclesiæ beatitudinem, & cælestia gaudia.

Mystici sensus diuisio.

Obiicias primùm aduersùs à nobis corroborata, mysticum sensum præstantiorem esse literali, & historico sensu: igitur & potiùs à Deo intentus, quàm historicus: igitur prima Dei atque præcipua intentio non tendit in historicum; sed in mysticum sensum, cùm in id feratur, quod nobilius sit: Respondeo, à nobis haudquaquam asseueratum, præcipuam Dei intentionem versari circa literalem sensum, quamuis statuerimus priorem Dei, magisque immediatam tendere in illum: sicut intentio creandi Angelos prior est in Deo, quàm intẽtio producendi vnionem hypostaticam; & tamen hæc posterior intentio dignior est secundùm nostrum concipiendi morem priore illa Angelos formandi intentione: quod verò ad præstantiam attinet sensus vtriusque, si obiecta contingat eadem esse aliquando, in cæteris vincit literalis sensus: nam in modo tendendi superat mysticum, & in effectibus etiam; quoniam & immediatè, & propriè frequentiùs repræsentat, & ad stabilienda fidei dogmata optior est: Quamobrem fit sanè, vt secundùm aliquem actum nobilior sit omni actu mystici sensus, videlicet, actum eum, qui aut Deum, aut Christum attingeret; extensiuè tamen excelsior est mysticus sensus, quoniam eius omnes ferè actus nobiliora obiecta respiciunt; nimirum, tendunt in Christum, aut Ecclesiam Catholicam, vel spiritale & sublime quidpiam, quod historico non accidit sensui, cuius obiecta sunt frequentissimè caduca & peritura, atque ob hanc ab extensione dignitatem solent Theologi sæpiùs mystico sensui, quæ præstantiora sunt, tribuere.

50. *Intentio Dei circa literalem sensum prior, sed nõ magis præcipua.*

Mysticus sẽsus quo pacto dignior historico.

Obiicias secundò, sensum mysticum, illiúsque obiectum eo se habere modo respectu Scripturarum Auctoris, quo se habent voces, & conceptus comparatione Dialecticæ inuentoris: nam, quemadmodum possunt esse conceptus sine vocibus; non autem possunt esse vocabula, quin præsupponant cogitationem aliquam: ita sanè potest esse sensus historicus independenter à sensu mystico: nequeat autem aliquo modo existere mysticus sensus, quin præsupponat literalem, & historicum: igitur, sicut Auctor Logicæ non considerat per se voces, quasi obiectum formale, & gratia sui, sed materialiter solùm propter aliud; nempè propter conceptus, atque ita tantùm sunt obiectum materiale Dialecticæ: ita Scripturarum conditor non respicit per se, formaliter, & gratia sui sensus mysticos, & eorum obiecta: Quòd si ita est, sanè nec sensus mysticus est à Spiritu sancto: nam id solùm intenditur ab aliquo, quod ille *propter se*, respicit; non verò in quod fertur materialiter tantùm, & per accidens. Respondeo, inter eruditos etiam non paucos asserere, voces respici à Dialectico per se, & formaliter, & ex parte conflare obiectum formale Logicæ: Verùm indulgeamus materialiter tantùm respici: ideò quidem sic contingit, quoniam nihil resplendet in vocibus, quod dignum sit propria consideratione, & quod gratia sui respiciens Dialectica quasi formale

51. *Voces, num sint obiectum formale Dialectica?*

obiectum

obiectum amplexetur ; non ita in sensu mystico; nam in hoc Auctor Bibliorum Deus reperit singulare quidpiam, idque magnificum sanè, quod non elucet in historico sensu : nam , cùm litera veteris Instrumenti absoluatur consideratione, aut bellorum, quæ gessit cum Chananitis populus Hebræorum , aut agrorum , aut pecorum, aut huiusmodi multorum , quæ vulgaria sunt , neque supra hæc euehatur multoties ; mysticus tamen sensus semper fertur ad ignota , neque ea triuialia vllo pacto ; sed quæ spiritum alunt: adhæc & quæ longa distant absentia : cùm igitur & in mystico sensu inueniantur , quæ gratia sui perpendi valeant , fit , vt *per se formaliter & ratione sui* à Spiritu sancto Scripturarum conditore intentus sit.

52. *Possibilis multiplex literalis sensus eiusdem loci sacræ Scripturæ.* Bannez.

Vt ad arcem disquisitionis veniamus: affirmo, vnius , eiusdémque literæ multiplicem esse posse literalem sensum ; Hanc firmaui thesim quadraginta ferè testibus Anteloquio 1. Sect. 4. num. 24. quæ semper fuit vulgata opinio : ausus & contrariam temeritatis coarguere Bañesius dubio 7. ad articulum 10. primæ partis , conclusione 3. quòd putaret , in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur in cap. *Firmiter.* de summa Trinit. & fid. Cathol. definitum 1. Genes. versu : *In principio creauit Deus cælum, & terram.* contineri duplicem literalem sensum ; alterum significantem, mundum initio temporis cœpisse: alterum , omnia simul spiritalia & corporalia eodem temporis momento creata fuisse : sed tantum persuaderi Concilij verbis noster renuit Vasquez tom. 1. in 1. p. disp. 18. cap. 3. & tomo 2. disput. 222. cap. 4. liberat & à grauiori stigmate opinionem doctè noster Gillius tom. 1. in 1. p. lib. 1. tract. 7. cap. 4. Cæterùm , vt probationem exordiamur à possibilitate huius sensus, id puto nullus inficias iuerit , iisdem verbis æquè propria significatione diuersas omninò res repræsentari posse : itaque non solùm variarum prouinciarum mortales : sed vno conuenientes idiomate possunt facere, vt eædem voces & hominem , & leonem, & crocodilum exprimant, pro libito nimirum diuersæ impositionis : Hoc autem singulari iure Deus potest , vtpote dominantium quoque Rector : Statuat igitur Deus vt memoratus Geneseos versus : *In principio creauit Deus* , significet & Filium , Verbum scilicet, in quo vniuersa condita sunt , & exordium temporis , quo prodierunt ; statuat vt verba Isaiæ cap. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* & æternam , & temporalem referat natiuitatem : tum sic : Ex suppositione , quòd Deus velit præfata Scripturarum verba eum, quem diximus in modum significare , resultat eiusdem literæ varius historicus sensus : atqui nulla est implicantia , vt Deus ita decernat : igitur nulla est impossibilitas multiplicis literalis sensus : quòd autem talis Dei impositio comparatione distinctæ significationis eorundem verborum peculiarem nullam implicantiam afferat respectu Dei , quasi illi ob singulares causas repugnet , infra monstrabimus: quòd verò ea concessa earundem vocum diuersa significatione resultet multiplex sensus literalis , pro quo decertamus , facile est probasse : nam dum multiplicem secundùm literam sensum intendimus , nihil aliud optamus , quàm vt eædem voces ex ordinatione Spiritus sancti , & Bibliorum Auctoris non vnum tantùm sensum efficiant, sed multos ; ita vt multis diuersis verbis æquiualeat vnum propter fertilitatem significationis: Sed hoc daretur : nam eadem verba , scilicet : *In principio creauit Deus* , sensus generarent duos, ac si essent duæ , atque eæ diuersæ orationes ; & itidem in sententia Isaiæ : *Generationem eius quis enarrabit?* Isai. 53. Igitur ex suppositione variæ significationis à Deo iisdem verbis impositæ , resultat eiusdem literæ multiplex sensus.

Gen. 1. *Nũ censura digna opinio negãs plures literales sensus eiusdem loci Scripturæ?* Vasq. Gillius.

Sherlogi *Anteloq. in Cant.*

Atque hæc possibilem esse eiusmodi multiplicem literalem sensum vtcunque subindicant : conemur , & ostendere de facto aliquem esse in Scripturis locum tanta donatum exuberantia, atque fertilitate : sunt autem verba Caïphæ apud Ioannem c. 11. vers. 49. *Vos nescitis quidquam ; nec cogitatis , quia expedit vobis , vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat :* Quæ & delegit potissimùm inter multa loca Ludouicus Molina in 1. part. quæst. 1. art. 10. disput. 3. in quibus verbis quis non facilè animaduertit, ex circunstantiis narrationis euangelicæ , id conatum homicidalem Pontificem vt de medio tolleretur Christus, ne quod damnum crearetur Iudæis , & eorum Reipublicæ ? Hinc illa paulò anteà : *Si dimittimus eum , venient Romani , & tollent nostrum locum , & gentem :* Huic collegarum timori vt solatium afferret Caïphas , persuasit , vt Christum demerent , quò nationis incolumitati prospicerent : Igitur consideratione Caïphæ sensus literalis erat iste, humana præcauentis nocumenta : at verò eadem verba sustulit Numen ad redemptionem hominum indicandam, & sic prophetalia : quanuis hæc noua verborum, sublimisque significatio proferentis iniqui Antistitis opinionem lateret : passus est autem materialiter vaticinari & cum ignorantia eorum quæ proloqueretur , quatenus Spiritus sancti dicta erant, eò quòd esset Pontifex anni illius monêre Euangelista Ioanne : Itaque in illa sententia duplex refulgebat sensus ; alter , qui ortum habuit à Caïpha , dum Christum è viuis suadet expungi , ne sub victoris Romani potestatem Iudæa veniat: alter Spiritus sancti , iisdem verbis denotantis expedire , vt Christus moreretur in salutem , & redemptionem generis humani : nam prophetauit hoc suggerente diuino Flamine Caïphas vt ait Ioannes, *Quod* IESVS *moriturus erat pro gente , & non tantùm pro gente , sed vt filios Dei , qui erant dispersi , congregaret in vnum :* Nec sanè video, aut in Patribus, aut in optimis Explanatoribus quidquam huic quod aduersetur interpretationi : & vellem discere, vt repelli queant: Iam quòd si nulla est implicantia , eundem sacrorum voluminum locum multos habere sensus literales,& sit in Pagina diuina, quo probetur de facto tantis præditum esse significationibus , nemo arbitror renuerit indulgere , in Scripturarum honorem , atque commendationem idipsum non mediocriter cedere : quid enim nobis Ecclesiæ Doctores tam frequenter inspirant, atque venam esse tam diuitem sacrum Textum , tot refertam sacramentis, tot grauidam arcanis, quam ne omnium ætatum Scriptores vnquam exhaurire valuerint? Quo verò fundamento, aut tam prudenti , aut tam vtili hæc restringemus ad vnum mysticum sensum ? vt qui in hoc amplificando potens fuerit, & vberrimus , idem in historicis sensibus parcus apparuerit , & misera donauerit manu, quasi non parem gloriam ab historiei fœcunditate sensus, aut certè proximam debuisset sperare? Omitto his similia alia premere, sicut & de

53.

Ex verbis Ioan 11 probatus multiplex literalis sensus eiusdē loci Scripturæ. Molina.

Bibliis multa peturgere, quoniã ſingulare aliquid non occurrit, opus non eſt vulgata tranſcribere.

54. Sed obiiciunt de aduerſa parte, in æquiuoco laboraturos ſemper diuinorum Codicum interpretes ſiquidem variis cùm abundet ſenſibus Dei oraculum, exploratum nihil colligi valebit: quàmobrem & amphibologia ludet Spiritus ſanctus, & omnis in deceptione, aut huius formidine erit pagina Bibliorum: ſic, nimirum, fundebat olim reſponſa inter gentes Apollo, in ambiguis hærens, alterúmque retinens ſenſum, ne de falſitate coargui poſſit; Reſpondeo, nihil horum ſequi ex multiplici literali ſenſu, nec vllam eſſe doli ſpeciem; neque enim ad cauillandum vtitur Deus multitudine ſenſuum, atque vt deluſus, qui percipit ab vno verbi ſignificatu, habeat alterum Numen, quo ſe tueatur; tantùm agit ad oſtenſionem potentiæ & maieſtatis ſuæ, ſuorúmque eloquiorum profundiſſimam vim; vt quod mortales pluribus phraſibus dicunt, hoc ipſe vna repræſentet phraſi; Quæ verò deceptionis aut leuis imago in his effulgeat? Imò quidem ſi Scripturarum ſententiæ vno conſtarent ſenſu hiſtorico, qui hunc non attingerent, velut deluſas ſuas operas gemere quodammodo poſſint, cùm literalem inueſtigantes ſenſum, nihil reportauerint ex deſideratis; at vbi multiplex eſt ſenſus, & hic, & ille refert, atque ditantur multi; Itaque nullibi minùs fraudis; nam, quæ poſſit eſſe querela? Scilicet, quòd Dei loquutionem perſcrutans, cùm putaret inueniſſe, non repererit; Verùm reperit quidem; nam omnis illa varietas ſignificationis, Dei lingua eſt: quodcunque de plurimis haurias, Dei verbum hoc eſt: Sequitur ex multiplici literæ ſenſu & non leue emolumentum, nam ſanè quis negauerit Patribus, reuelatos Scripturarum hiſtoricos pleroſque ſenſus; Alium explanandi modum proferant iuniores, qui literæ cohæreat; deſpiciemus hunc tanquam non hiſtoricum ſenſum? Planè contemnemus, vtpote ab eo diuerſum, quem Patres excogitarunt: cùm autem nequeat eſſe excepto vno literali ſenſu, operteat, reiiciamus adinuentum à neotericis: quamobrem certè dum nolimus concedere cuiuſque in particulari ſententię, quæ ſigillatim demonſtretur, veteres latuiſſe ſenſum, neceſſariũ eſt, dicamus non poſſe à nuperis produci quidpiam literalis ſenſus, quod antiquorum fugerit induſtriam: ſed cõceſſo multiplici hiſtorico ſenſu: eſt, in quo, & veteres; & noui laudem maximã conſequantur: nam concedentes quidem priſcis innotuiſſe hiſtoricũ verborũ ſenſum, potuêre & nepotes intactum à primis Doctoribus ſenſum alium eruere, quando multiplici ſenſu eadẽ abundat Scriptura; neq; opus eſt ſtatim vociferari, recentiores à ſenibus diſcedere, non enim quemadmodũ in Scholis concluſio, aut eſt affirmans, aut negans: ita in ſenſibus Scripturarum: ſed Deus eodẽ verbo ſimul multa, aut affirmat, aut negat: ex quibus affirmationibus altera reuelata eſt Patribus, alia filiis, quin id, quod filij propugnant, illis aduerſentur, quæ Patres defendunt: ſæpè enim materiæ ſunt nullã inter ſe connexionem habentes: vt ſi quis aſſeueret exiſtere Bizantium, hoc nullo pacto alterius effato opponitur, aientis, exiſtere etiam & Romã: Non igitur cauillis obnoxia eſt opinio multiplicẽ literalem ſenſum aſtruens: ſed viã aperit, vt faciliùs Scripturę intelligãtur, vt liceat iunioribus abſque illæſa Patribus debita reuerentia, nouas meditari Bibliorum explanationes, iuxta quod præceptum eſt viro deſideriorum; *Tu autem Daniel claude ſermones* (Dan. c. 12. v. 4.) *& ſigna librum vſque ad tempus ſtatutum: plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia.* Dan. 12.

Æquiuocatio non ſequitur ex admiſſo eiuſdẽ ſententiæ multiplici ſenſu literali.

Opinio de multiplici literali ſenſu, quantam afferat vtilitatẽ Scripturæ enodationi.

Deinde inferunt ex admiſſo literali multiplici ſenſu deduci, vt eadem numero res poſſit eſſe, & corpus, & vmbra; & imago, & ſubſtantia; & pictura, & depictum; hoc autem inconueniens eſſe apparet illicò, cùm repugnet vmbræ corpus eſſe, vt ex rerũ naturis quotidie apertè conſtat: Sequela oſtenditur; nam, ſi quibus in verbis Scripturarum duplex admittendus ſit ſenſus, maximè in illis apud Ioan. c. 19. v. 36. *Os non comminuetis ex eo*: Quæ deſumpta ſunt ex c. 12. Exod. v. 46. eſt enim non minor in his verbis analogia ad ſubindicandum, quod ex typico & vero Agno Chriſto accidit, quàm in Iſai. illis verbis ex c. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Quę tamẽ Iſaiæ verba ex potiſſimis sũt, & maximè vulgatis, quibus duplex literalis ſenſus cõſueuit roborari: nam, ſicut ibi duarum generationum eſt quædã velut ſubalternatio, atque ideò proportio inter vtrunque obiectum; ſic hoc loco, quod ſignificatur, æquè reſplendet in ambobus in paſchali, nẽpe, Agno, & Seruatore, vt neutrius videlicet comminuantur oſſa. Quapropter, qui duplicem admiſerit hiſtoricum ſenſum, Exodi verbis ſi negauerit, difficulter in aliis Bibliorum locis fulgere probauerit. At conceſſo duplici huius literæ ſenſu, ſequitur manifeſtè, vt commiſceantur in eadem entitate, & vt ſit eademmet res ſimul, & veritas, & figura. Patet hoc; nam certè verba illa, quatenus repræſentant agnum per Paſcha immolandum, cùm ferantur ad typum, Chriſtum, eiúſque victimationem adumbrantem, figura ſunt, quando & typus imago ſit; eadem autem verba, quatenus literaliter Chriſtum exprimunt, cùm non ad typũ ſed ad veritatem terminentur, & ipſa veritas ſunt, atque ita ſimul copulantur & vmbræ, & veritatis ratio. Ecce igitur, qualia ſequantur incommoda literali admiſſo ſenſu multiplici. Reſponderi ad hæc in primis valeat, licèt quidem ob analogiam, & proportionem inter Chriſtum, & agnum typicum, quod neutrius oſſa comminuta ſint, non leuis obiiciatur anſa meditãdi duplicem hiſtoricum ſenſum; tamẽ cùm inde aſſignata implicãtia ſubſequitur: nimirum vt & veritas, & vmbra eadem fuerit res, propterea illis verbis negari multitudinem hiſtoricorum ſenſuum, in Iſaiæ autem verbis de duplici generatione filij, & ſimilibus multis ſententiis, cùm non reluceat ſimile obſtaculum, admitti varios literales ſenſus. Reſpondeo inſuper, & locum eum de non confractis oſſibus, Exodi 12. mutuatum ex capite, literaliter probè conſtrui de Chriſto, déque agno ab Iſraëlitis immolando, negat omninò Ribera ad c. 11. Oſeæ, n. 11. ob cauſas declaratas ſuperiùs, quòd in vnum coaleſcere nequeant, & vmbræ, & veritatis ratio. At quidni per diuerſas conſiderationes & reſpectus, neque enim repugnat vniuerſim, & cuiuſque generis vmbræ, veritatique: Sanè ponamus Monarcham aliqué reportaſſe memorãdam de hoſtibus victoriam, atque in celeberrimi triumphi laudem quotannis ſpectacula edere, in quibus & illius pugnæ forma repræſentetur: nonnunquam verò ad maiorem populorum lætitiam, Regem ipſum ludicrum Martem introire, & quæ olim in bello vero geſſerit, nunc in ſimulato repræſentare: equidem his, quæ poſſibilia ſunt, admiſſis fit vti in vnam, eandémque perſonam Imperatoris &

55.

Ioan. verba ex c. 19 num duplicem ad mittant literæ ſenſum. Exod. 12. Iſaiæ 53.

Regula: Eadẽ res, & typus, & figuratum valeat eſſe. Ribera.

veritas

veritas coniungatur,& vmbra,corpus, simúlque imago:nam sanè, quatenus veri nulli hostes sunt, quibuscum dimicet Princeps, phantasma solùm esse omne id,& præteritorum lineamenta necesse est; quatenus autem non alius, sed ipse, qui aduersùs inimicas acies processit, Regis sustinet auctoritatem idcirco; & veritas quoque tunc præsens est: atque ita in vnum connectuntur veritas,& vmbra; imago, & substantia.

56. Verùm insufficienter probasse nos ex Caïphæ vaticinio duplicem in litera eadem sensum ostendunt: Nam, si eo loco duplex admittendus sensus, & quoque in Pharaonis illis somniis de septem bobus, septémque spicis, Genes. cap. 41. à vers. 1. par siquidem vtrobique occasio est; quemadmodum enim Caïphas non intelligebat, quæ labiis proferebat; ita nec Pharao, quod menti obiectum est, penetrare valebat; & sicut Euangelista declarauit in Pontificis sermone latere arcana; ita & Iosephus ostendit abscondi in Regis visione sacramenta; Equidem respectu Pharaonis, vt cui boues, & spicæ repræsentatæ sunt, literalem sensum, qui de bobus, & spicis secundùm se sit, admittit Molina ad artic. 10. quæstione 1. in 1. part. disputatione 1. §. *Dubium est circa*, &c. At interpretatio Iosephi de vbertate, & sterilitate nequaquam ab historici sensus natura releganda videatur, cùm ænigmatis fuerit scopus potissimus eiusce modi significatio; alioquin & dicimus in Scripturæ parabolis literalem non esse sensum, quem verba metaphoricè accepta generant; sed quem grammaticalis refert constructio; Hoc autem pronunciatum communi Explanatorum iudicio aduersatur; nam, cùm dicitur exiisse quempiam, vt seminaret semen suum, cuius pars decidit in petram, aliam spineta suffocarunt; nequaquam historicum sensum portauêre, quem verba immediatè indicant; sed aliud longè sublimius, spiritale, scilicet,& diuinum; At, si duplex tribuatur sensus Pharaonis somnio historicus, sequitur non exiguum incommodum; accidit enim, vt cum literali sensu mysticus confundatur; Istud explico: nam mysticus sensus ille est, qui fertur in obiectum literalis sensus obiecto significatum, vt dicebamus mystici enodantes sensus naturam; sed anni vbertatis, sterilitatísque sunt obiectum adumbratum per historici sensus obiectum, nempe, per boues, & spicas, vt constat; Igitur sensus eiusmodi annos exprimens, mysticus est; sed per nos & talis sensus quoque literalis; igitur manifestè à nobis confunditur mysticus & literalis sensus; rursum ex nobis mysticus sensus ille est, qui immediatè, & proximè de rebus pullulat; ex vocibus autem resultat mediatè, & remotè, scilicet, post significationem rerum; atqui significatio illa vbertatis, & sterilitatis proximè consurgit ex rebus, videlicet, ex bobus, & spicis; deinde ex verbis per translationem accommodatis ad significandum; nisi enim per boues, & spicas significaretur, neque etiam per verba Pharaonis, Igitur quocunque modo declaretur sensus mystici natura, planè confunditur cùm literali.

Pharaonis visio Genes. 41 an duplicem habeat literalem sensum?

Molina.

Grauis quidem obiectio, sed nisi decipitur animus, quæ & maiorem Theologorum partem vexare debeat; nam hi sanè in Parabolis literalem asserunt sensum eum,non quem vocum reddit exterior sonus; sed, quem metaphora facit; & ita Christus ipse Lucæ capite 8. semen interpretatus est verbum Dei; spinas diuitias, & voluptates; Nos igitur dicimus in hac seminantis parabola, exempli gratia, duplicem esse literalem sensum; alterum, quem verba in primæua & simplici generant significatione, & denotant agricolam, dum vt granum glebæ custodiendum traderet, in agrum proficisceretur, alia agentem permisisse, vt de seminandis quædam in petrosa, alia in vepres caderent, siue istud reipsa accidisset, siue non; alium, quem eadem verba ex tropo conficiunt; siue hic tropus ad instar rhetoricæ metaphoræ sit: siue ex peculiari Dei impositione, penes quem est vocibus quam velit, significationem affigere; Sed quonam modo huiusmodi literalem sensum à mystico secernemus? Sufficienter quidem; nempe, quatenus tendit in obiectum absque eius in typum aliquem relatione: Itaque non ideò seminans Christum repræsentat, quoniam Deus ordinauit, vt res hoc vocabulo significata Christum adumbraret: sed absque aliqua tali dependentia ex proportione quadam seminis, & diuini verbi; quemadmodum campi ob iucundum, honestúmque virorem, quo aspectus intuentium solantur, videre dicuntur: in mystico verò sensu, ideò vocabula figurata repræsentant, quoniam obiectum exprimunt, quod ex peculiari Dei ordinatione figuræ denominationem sortitum fuerit; Quod hac de parabola dicimus, idipsum de Pharaonis somnio: duplicem nimirum visionem illam habuisse literalem sensum: alterum tendentem ad boues, & spicas secundùm suam naturam, & prout verbis simpliciter repræsentantur: alterum tendentem ad vbertatem, & famem non quatenus aliquo modo rebus ipsis scilicet bobus, & spicis exprimebantur quasi hieroglyphicis, & typis: sed quatenus verba, quæ boues, & spicas significabant, translata sunt ae fœcunditatem, & indigentiam denotandam, quod genus translationis vocum Deus optimè facere poterat auctoritate suprema sua: & quamuis hominibus insolens videretur loquendi facies: intellecta tamen Dei impositione, viderent continuò probè institutum esse sermonem: Atque id, quod de Pharaonis somnio asseueramus, æstimamus dici oportere quoque de ænigmatis multis apud Danielem, aut Ioannem: vt cùm hircus caprarum, cùm draco, cùm equus rufus, & alia obscura referuntur symbola: nam primus historicus sensus est, qui in horum naturam secundùm se, seu veram, siue apparentem & confictam tendit: repræsentantur enim eo modo, quo habent esse: secundus est, qui fertur in significata spiritalia de Christo, de Apostolorum cœtu, de Ecclesiæ Martyribus, Doctoribus, Prælatis: Quamobrem in Scripturis vix quidquam est de rerum quibuscunque naturis differtans, in quo non valeamus duplicem, aut plures reperire historicos, & literales sensus: quæ sensuum exube-

57. *Parabolæ duplicē habent literalē sensum.*

Luc. 8.

Mystici sensus discrimination ab historico quando simul coincidunt.

In ænigmatibus Apocalypsis & Danielis duplex historicus sensus.

tantia commendat multùm Scripturarum & maiestatem, & diuitias maximas; Legantur, quæ statuimus Anteloquio 1. Sectione 4. num. 25. de parabolarum multis historicis sensibus.

58 *Translationes diuersæ pariunt eiusdem sententia multos literarios sẽsus.*

Illud postremò aduertisse iuuat in gratiam nostræ assertionis, possibilitatem varij, atque multiplicis eiusdem literæ sensus palàm corroborari inde posse, quòd certè eiusdem Hebrææ dictionis varias translationes diuersis Interpretibus Spiritus sanctus suggerere possit, vt aliter Paulus, aliter Septuaginta verterint, & quorum translationes diuersos omninò pariant sensus; quid enim in hoc implicantiæ, vt si verbum Hebræum ambiguum, quemadmodum apud Latinos vox *gallus* exempli causa, alius gallium gallinaceum transferat, alius hominem Francum; tunc quidem respectu Hebræi Textus, qui vera & authentica Scriptura esset, (nam loquor de genuino, & incorrupto,) eadem litera plures historicos complecteretur sensus; nam quanuis respectu alterius idiomatis illæ sint diuersæ literæ; tamen comparatione Hebrææ linguæ est vna, eadémque litera, & aliunde Hebræum verbum est sacrum & canonicum, vt supponimus; Equidem & reipsa nonnunquam ita contigisse quidni arbitremur? Vt cùm Genes. cap. 47. vers. 31. legitur; *Quo iurante adorauit Israël Deum conuersus ad lectuli caput*; ad Hebræos autem cap. 11. vers. 21. *Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius*, vbi Hebræum מטה *matteh* alius *lectum* expressit, alius *virgam*: nam, quòd virgam legisse Septuaginta, atque Apostolum asserunt nonnulli causa punctorum Hebraïcorum fortasse parum solidum est, cùm maior doctorum Virorum pars asserat referente Sixto Senensi lib. 2. Bibliothecæ, verbo, *Iota*, & *Apex*, & libro 3. Methodo 2. *De stigmatico exponendi modo*, puncta Hebræorum recens esse inuentum, & ad finem penè quinti sæculi à Christo defluentis; Sed captiosa esset talis verborum ambiguitas, & præter humani sermonis, quem Deus imitari debeat, & auscultantibus se accommodare, morem: Verùm in quo hæc ex verbis quasi fraus? An, quoniam legentes cùm putarent se Dei loquentis mentem attingere, non tamen penetrarent, & sic quasi deludi à sonitu dictionum viderentur? At, nónne hoc etiam accidit, etsi statuamus, vnum esse cuiusque sententiæ literalem sensum? quoties enim accidit, vt arbitrentur Interpretes, germanum ab ipsis attingi sensum, à quo tamen longè distant? in causa tamen est ipsorum hebetudo, non Deus; & æquè falsum est debuisse Scripturarum conditorem ad normam hominum profari; quin potiùs signauit librum, absconditque sub inuolucris plurimis sensus in beneficium maximum ipsorum hominum; neque enim decebat sanctum poni canibus: Consule Martinum Cantapetrensem libro 1. hypotyposeon, capite 1. Valentiam tom. 1. in 1. part. quæstione 1. disputatione 1. puncto 5. §. 3. Quod igitur in vno inuestigando historico sensu committunt homines, vt quid Patres, quid Theologi pronuncient, disquirant, & in primis cohærentiæ Textus attendant: hoc agant, vt multiplicem quoque eruant sensum, & videbunt loquentem noluisse decipere aliquo modo: sed & hoc, & illud, & tertium aliquid voluisse asserere, totúmque iuxta literam, & Historiam, vti in citatis verbis, quòd Iacob, & ad *lectulum*, & *ad virgam* respexisse dicatur, vnum, atque alterum Spiritus sanctus pronunciat, & vtrunque literaliter verum est.

Gen 47.

Hebr. 11.

Puncta Hebræorum recens inuentum.

Multiplex literalis sensus captionibus non est obnoxius.

Deus an more humano, & sine inuolucris debuerit loqui in Scripturis? Cantap. Valentia.

ANTELO